NOVISSIMA PRAXIS
THEOLOGICOLEGALIS
In vniuersas de Sponsalibus controuersias,

AVCTORE

D. GREGORIO ROSIGNOLO
NOVARIENSI

Ex Cleric. Regul. S. Pauli, & in Arcimboldia D. Alexandri Mediolani Vniuersitate Publico Moralis Theologiæ Professore.

Opus omnibus Theologiæ Sacræ, & Moralis, iuris vtriusque DD. nedum vtile, sed penè necessarium,

CVM DVPLICI INDICE ALTERO TITVLORVM, ALTERO RERVM LOCVPLETISSIMO.

AD ILL.MUM ET REV.MUM D.NUM

D. IOSEPHVM ARCHINTVM

Prothonotarium Apostolicum de numero Participantium, Vtriusque Signaturæ Referendarium, S. D. N. Prælatum Domesticum, Bononiensem Prolegatum, &c.





MEDIOLANI MDCLXXXIV.

Apud Camillum Conradam, *Superiorum permissu.*





ILL.^MO ET REV.^MO DOMINO

D. IOSEPHO ARCHINTO

Prothonotario Apostolico de numero Participantium, Vtriusq; Signaturæ Referendario, S. D. N. Prælato Domestico, Bononiensi Prolegato &c.



Larissimum quærebam sponsalibus meis adstipulatorem, qui, & authoritate spectandus, & vberi doctrinæ opulentia diues publicam faceret fidem, eaque suo nomine lecturis commendaret. Quamobrem ignotus licet, nec alio fretus merito, quam tuæ

admiratione virtutis te conuenire ſum auſus Illuſtriſſime Domine, in quem cumulatè adeo iſta conueniunt, vt vix alibi feliciori nexu conſentiant. Vides itaque, me rei meæ ſtudere, dum offero mea. Quod ſtatim ſincerè profiteor, vt intelligas, quem in ſcopum collimem longè ab eorum inſtituto abhorrens, qui non ſibi, ſed operum ſuorum patronis conſulere velle videntur, quibus adſciſcere gloriam ipſa nuncupatione contendunt. Multas ideò paginas adulatorio thure perfundentes prolixam geneſim retexunt, quietos laceſsunt manes, euerrunt ſepulchra, & è fumoſa caligine radios antiqui ſplendoris emendicant verè fumos perſæpè venditantes. Procul inde ſtylus aſſentator, cuius vt pruritum ab auribus tuis modæſtia, ità fucum arcet à calamo meo pectoris candor. At quæ vlla hùc irrepere adulatio poteſt, cuius fines omnes tàm longè tua, tuorumq; magnitudo exceſsit? Gentis Archintæ decus maius temporis inuidia, maiorum titulis notum, factis, & faſtis inſigne multò illuſtrius eſt, quam, vt ambiat facundiæ ancillantis affectata exaggeratione adornari. Quin potius mihi metuendum eſſet, ſi antiqui ſplendoris monumenta reuoluere aggrederer, ne opprimerer vbertate operis, ac maieſtate, & meritò redarguerer impetus inconſulti, quòd importunè ſuſcepiſſem dignam hiſtorico labore prouinciam,

ciam, ac velut Archimedæum æmulatus ingenium molem immensam breui ambitu coarctare pertentassem, non sine iniuria tot heroum, quorum elenchus ipse sufficere posset ad fusæ scriptionis argumentum. Quis enim per tot sæcula propagatam regio sanguine, altissimisque connubiis tot præstantissimorum equitum seriem recenseat? Quis tot inclytos memoret in acie, in foro, in aula, in cathedris, & sacerdotiis viros, tot Iudices, Duces, Quæstores, Senatores, Antistites? Quis Præfecturas, Præturas, Legationes, Imperia, priuilegia Principum, & illustria meritorum testimonia complectatur? Quis numeret laureas, & palmas, togas, & infulas, & cætera honorum insignia, quæ cum alii diuisa iactent ad generis ornatum, vos quotidiè congesta cum domestica supellectile miscetis? Neque sunt hæc solùm è remotę vetustatis vmbris euocanda, quę intuemur in vobis, qui superestis auitę gloriæ compendia; Vos, inquam, triumuiratus virtutis, & honoris, qui ciuilis, bellicæ, & sacrę dignitatis titulis prisca familiæ decora cumulatis. Primus Comes Philippus viua Caroli Patris grauissimi olim Senatoris imago, magni vir animi, quem summa quæque munera deceant, splendidas auspicatus à Quæstura Reipublicæ curas, hinc ad Cęsarem à Catholico Rege Carolo II. legatus, tùm vnus è triumuiris electus in Belgio, quo-

rum

rum authoritate politica, & militaris administratio penderet, subinde pluribus ad pręcipuos Imperii Principes, & Electores legationibus perfunctus tam arduas moles ea laude sustinuit, vt populorum plausum, procerum gratiam, Augustę, & Regiæ Maiestatis commendationem meruerit pręclarissimam. Demùm quę in pertractandis tantarum rerum momentis felicissimè adhibuerat consilia intulit in Senatum amplissimo adscriptus Ordini, & in paternum subsellium ad patrię pręsidium, decusque successit. Comes vero Ludouicus, vt Miltiadis olim trophæis agitatus Themistocles excitus bellica maiorum gloria dudùm Austriacas secutus Aquilas post generosa experimenta militiæ, nunc Cæsarea in acie Serenissimi Principis Lotharingii Chiliarchæ Legatus fidei, ac Religionis sacrum ensem stringit in Turcas, quorum sanguine tùm in soluenda obsidione Viennensi, tùm in Strigoniensi expugnatione lauros irrigauit immortales auitis inserendas. Te interim militia Sanctior exercuit, qui non togatas solùm, & armatas, at infulatas etiam intuens tuorum imagines ad Religionis, ac sapientiæ cultum exarsisti, ad quarum te alteram maior terris indoles, morumque integritas, ad alteram vigor ingenii, & amata studiorum contentio facilè perduxere. Quidquid humanarum, ac diuinarum literarum, & legum est cum feli-

citer

citer hausisses, quidquid honoris ad probatæ eruditiones fidem academiæ solent meritis frontibus impertiri plenissimè consecutus; post accepta Illustrissimi Iurisperitorum Collegii insignia tanta virtutum supellectile instructus Romanam aulam adiisti. Emicuit statim in ea luce illa Ecclesiasticæ vitæ grauitas, & cum doctrinæ, rerumque vsu coniuncta prudentia. Statim factam ad regimen eam maturitatem oculatissimus ipse sacrorum supremus arbiter inspexit, nec vltra passus munere vacuam tibi protinus magnum Magistratuum exordium Bononiensis Legati vices demandauit. Iam in te recolunt omnes Antistites Auos, Philippum præsertim post varios, & profanæ, & sacræ dignitatis gradus, post varias infulas Mediolanensem Archiepiscopum Ecclesiasticæ authoritatis acerrimum propugnatorem, literis, pietate, constantia, & fama sanctioris vitæ memorandum, tibique tanta iam prementi vestigia celsiores apices ominantur. Hæc pressè admodum, & stylo quasi pendente attingo, tantum vt innuam, eum me virum ad huius lucubrationis meæ patrocinium quæsiuisse, quem non opus esset emendicatis laudationibus exornare, sed qui suis, suorumque meritis clarissimus conferre splendorem posset, non accipere. Quod si mireris, vnde igitur mihi tanta te adeundi fiducia? Consule humanissi-

mam

niam tuam in nos facilitatem; ac gentilium tuorum beneuolentiam, cuius gratissimum pignus vel sola est recordatio Patris D. Pauli Philippi Archinti Patrui quondam tui, qui pio in ordinem nostrum amore laureatus è Collegio, Canonicus Ordinarius è templo maximo transiit in latebras claustri, & neglectis fluentium bonorum inuitamentis maluit apud nos æternitati studere. Illius vtique memoria erit ingens apud optimum Nepotem authoris, & operis commendatio, cui, si tu annuas, adde optatissimam sponsalibus meis iucunditatem. Hanc prospero vitæ cursu, & felicibus incrementis tibi superi diù rependant. Vale.

Dominationis tuæ Illustriss., & Reuerendiss.

Addictissimus, & obsequentissimus famulus

D. Gregorius Rosignolus Cler. Reg. S. Pauli.

Dat. in Collegio D. Alexandri Cler. Reg. S. Pauli Die 1. Aprilis 1684.

CAN-

CANDIDO, ET BENEVOLO LECTORI.



N iterum ad te redeo *AMICE LECTOR*. *Post breues velificationes nouas merces trajcio. Non peregrinas, quia non diù peregrè profectus sum. Communia sunt cuicunque genti, quæ spectant ad sponsalia, cum hominibus vbique ingenita sit propensio societatis, quæ per eadem maximè fouetur, roboratur, & regitur. Quamuis autem quoad naturam communia sint, pleraque tamen profero quoad doctrinam singularia, quæque sub velamine, seu reconditis penetralibus latuerunt, ad lucem extraho plenissimæ cognitionis. De Thesauro profero noua, & vetera, nam quæ antiquitùs statuta erant, & quodamodo sub obliuionis latebris consepulta recentiorum doctrinis ab vmbris elimino, & quæ nouitèr adinuenta antiquiorum confirmorationibus, & corroboro argumentis. Vtilis sanè materia hæc est, quam de sponsalibus pando, si quidem illustrioribus attat animum documentis, & ad incognita quæque trahit, circà quæ turpissimè laberetur, nisi præuia notitia inter aspera quæque lumine quodam extenso aditum aperiret Vnio quædam simpatica est. quæ animos ad mutuos conciliat affectus, & corpora disponit ad indissolubile vinculum vnitatis. Non eo mihi apparatu, quo cæteros contractus exposui, hunc tibi adaperio beneuole Lector; vniuersalia etenim per prænotiones expendo. quæ successiuo quodam ordine postea singularitèr diluo in suis respectiuè paragraphis, & disquisitionibus. Hanc materiæ seriem instituo, vt eandem diuidens in triplex quodamodo membrum, sub primo eiusdem naturam, proprietates, causas, actiones, & effectus disponam, sub secundo causas referam dissolutionis. sub tertio, quæ ex contrahentium beneplacito comitantur. Miraberis fortasse, me in primo volumine, quod de contractibus edidi, tria dumtaxat in hoc contractuum genere editurum insinuasse, dum transcedens fidem, quam oppignoraueram, in quarto primum, & successiuè in hoc quinto institutum prorogauerim, sed hæc conditio scribentium est, vt quæ breuibus metiri student, vberi, æque voluminosa cogente materia compellantur in vlteriora protrahere. Nec inter hæc sistit animus confinia. Noua materies noua suppeditat argumenta, nec certè instituto dissona, siquidem à contractuum serie non recedunt. Post hæc tri. iterum congeram volumina, alterum de matrimonio, alterum de dote, alterum de cura, & tutela, successiuè alia vsque ad duodecimum, si tempus, & facultas suppetet, protracturus. Interim exigui mei munera ingenij excipe, & à labijs loquentium mendacium tuæ bonitatis velamine obtege. Vale.*

DON ALEXANDER MADERNVS
Congregationis Cler. Reg. S. Pauli Præpositus Generalis.

CVM Librum, cui titulus est, *Nouissima Praxis Theologicolegalis in vniuersas de Sponsalibus Controuersias* à Patre Don Gregorio Rosignolo Congregationis nostræ Presbytero Professo compositum duo eiusdem Congregationis eruditi Viri, quibus id commisimus accurata Lectione, & graui iudicio recognouerint, & posse in lucem edi probauerint, Nos, vt Typis mandetur, quantum in Nobis est, facultatem facimus, In quorum fidem &c. Dat. Romæ in Collegio nostro SS. Blasij, & Caroli die 26. Iunij 1683.

D. Alexander Madernus Præpositus Generalis.

Locus ✠ Sigilli.

D. Antonius Maria Burontius Cancell.

1683. Die 23. Septembris.

PRæsens defatigatum Volumen, cuius aspectus. *Nouissima Praxis Theologicolegalis, in Vniuersas de Sponsalibus controuersias*, Auctore D. Gregorio Rosignolo ex Clericis Regularibus S. Pauli &c. De Mandato Reuerendissimi D. D. Inquisitoris Generalis Mediolani studiosa sedulitate degustaui; cumquè in eo secluso omni ac minimo, tàm Sanctæ Catholicæ Romanæ Fidei, quàm bonis moribus aduersante, idem præstantissimus Auctor omnium commodo comparato præditissimam virtute gloriam sibi maritet ad præmium, plenissima Typographorum luce gaudere posse censeo, me tamen &c.

Co. Io. Baptista Arconatus I. C. C., & pro S. Officio Mediol. Librorum Reuisor &c.

Attenta præfata attestatione.

Imprimatur F. Sixtus Cerchius Inquisitor Generalis Status Mediolani.

Iacobus Saita S. T. D. Canonicus Basilicæ S. Ambrosij pro Eminentiss. D. D. Cardinali Vicecomite Archiep.

Franciscus Arbona pro Excellentissimo Senatu.

INDEX



INDEX

Titulorum, Prænotionum, Sectionum, Disquisitionum, & Paragraphorum.

CONTRACTVS XIV.

De Sponsalibus Primo.

Prænot. 1 QVID sint sponsalia, & quandò ipsorum conditiones. p. 2
2 Quinam possint contrahere sponsalia. 6
3 An per alias personas, & per quasnam possint inter minores septennio contrahi sponsalia, & quomodo obligent. 10
4 De causa materiali sponsalium. 18
5 De causa formali contractus sponsalium. 22
Sect. 1 An consensus contrahentium necessariò sit deferendus per verba. 23
2 An consensus vtriusque contrahentis siue per verba, siue per signa debeat simul deferri, an vero sufficiat, quod differatur ex interuallo. 25
3 An sufficiat ad sponsalia promissio externa ficta sine animo, vel in vtroque, vel in altero contrahente se obligandi 27
4 An consensus metu elicitus possit compati cum validitate sponsalium. 34
5 An metus cadens in constantem virum irritet matrimonium solo iure Ecclesiastico an vero etiam iure naturæ, & an item sponsalia. 49
6 An promissio sponsalium, seu matrimonij futuri facta absenti obliget, & quomodo. 51
7 De consensu sponsalium, prout dirigitur ad procuratorem, & prout per ipsum defertur. 58
8 An consensus cum errore, vel dolo elicitus validus sit ad contrahenda sponsalia. 65
9 De consensu conditionato circa sponsalia. 68
10 De consensu ad sponsalia sub pœna. 83
11 De consensu ad sponsalia sub modo, demonstratione, & causa. 100
12 De consensu interpretatiuo ad sponsalia. 102
13. De consensu clandestino ad sponsalia. 104
14 De obiecto proprio consensus sponsalium. 105
15 An consensus ad sponsalia possit sufficienter deferri per epistolam. 106
16 Per quænam verba possit consensus sponsalium manifestari validè. 109
17 De consensu prælato per verba negatiua. 115
18 An verba inter puberes clandestinè prolata de præsenti, vel inter impuberes etiam notoriè, vel inter puberem & impuberem malitia non supplente ætatem habeant vim sponsalium. 118
Pran. 6 An in sponsalibus possint interuenire fideiussores, & pignora. 121
7 Quandonam sponsalia contracta sine termino sint adimplenda. 124
8 An post promissionem sponsalium acceptatam ab eadem recedens sine legitima causa possit per Iudicem compelli ad eandem adimplendam. 125
9 An sponsalia contracta, vel ex calore iracundiæ, vel ex exuberantia nimij amoris sint valida. 127
10 An sponsalia inter raptorem, & raptam tempore raptus teneant. 129

DISQVISITIONES I.

A prima ad quintam prænotionem exclusiue.

§. 1. AN sponsalia excludant à successione fœminam, quando statuto cautum est fœminam maritatam non succedere. 131
2 An post contracta sponsalia violans sponsam, si sit extraneus, committat adulterium. 132
3 An vouens actu merè interno contrahere sponsalia cum aliqua determinata persona ad eandem ducendam obligetur. 135
4 An fides data de matrimonio contrahendo cum defloratione Virginis promissariæ obliget ad eam ducendam non obstante voto prìori castitatis, & Religionis in promittente, seu dante fidem. 138
5 An insani, & mente capti possint contrahere sponsalia. 143
6 An Ebrius, qui ante ebrietatem decreuerat contrahere sponsalia, validè contrahat tempore ebrietatis

tatis. 144
7 An ad sponsalia valide contrahenda sufficiat voluntas virtualis. 145
8 An possit esse in aliquo rationis vsus sufficiens ad sponsalia, licet quoad alia sit in eodem dementia. 147
9 An surdus, mutus, & cæcus à natura possint contrahere sponsalia. 148
An sponsalia inita contra statutum, & consuetudinem sint valida. 150
11 An per consuetudinem induci possit inhabilitas ad contrahendum, vbi alias non est, vel dirimi habilitas, vbi est. 153
12 An verba concepta sub hac forma, Volo te habere, ducere in vxorem constituant propriè sponsalia. 155
13 An concurrente promissione de matrimonio contrahendo cum voluntate efficaci Religionis prius adimplenda sit promissio, quam ingressus. 156
14 An promissio cum iuramento non solum de contrahendo, sed etiam de consummando impediat ante consumationem statum Religionis. 157
15 Quænam consuetudo seruanda sit in sponsalibus, quando diuersa est in regione sponsi, & sponsæ. 158
16 An oriatur impedimentum publicæ honestatis, si maior septennio ducat minorem, eamque in domum traducat. 159
17 An, si sponsalia prius legitimè contracta vtriusque contrahentis consensu dissoluantur, adhuc remaneat iustitia publica honestatis. 161
18 An sponsalia quomodocunque irrita absoluant ab impedimento publicæ honestatis. 162
19 An si contrahantur sponsalia per parentes nomine filiorum præsentium, & tacentium consurgat impedimentum publicæ honestatis. 164
20 An sit culpa lethalis contrahere sponsalia ante septennium. 165
21 An statuta, quod filiorum sponsalia sine consensu parentum non teneant, subsistant. 167

DISQVISITIOES II.

Ad quintam prænotionem, & omnes sectiones in illa contentas.

§. 1 AN si Deus reuelaret consensus internos contrahentium nihilo extrinsecè de ipsis apparente subsisterent sponsalia. 168
2 An per missionem annuli per Parentes constituantur sponsalia. 169
3 An, & quando manus contactus inducat consensum ad sponsalia. 171
4 An prius matrimonium fictè contractum dirimat subsequentia sponsalia, seu matrimonium. 172
5 An deceptor post contractum secundum matrimonium cum pleno consensu coactus per sententiā excommunicationis cohabitare cum prima, cui fictè promisit, possit petere, & reddere debitum. 174
6 An contrahentes sponsalia putantes inter se esse impedimentum, cum re vera non sit, validè contrahant. 176
7 An contractis sponsalibus irritis, ob impedimentum occultum cum errore, eoque sublato inscijs contrahentibus sufficiat ratificatio eorundem ad eadem reualidanda. 179
8 An fœmina decepta teneatur credere deceptori neganti se verum consensum præbuisse in celebratione contractus. 180
9 An protestatio præcedens de non præstando consensu per quælibet verba sponsalibus cum tali persona inducat sufficiens signum dissensus. 181
10 An fictus promissor sponsalium absoluendus sit, antequam verè, & in effectu contrahat. 184
11 An sponsalia graui metu iniustè incusso contracta coram parentibus, & amicis sint valida, an ipso iure nulla. 185
12 An minæ grauis mali à Patre filio masculo illatæ inducant iustum metum ad annullanda sponsalia. 186
13 An metus purè reuerentialis Patris eodem modo se habeat in ordine ad sponsalia filij, quo metus reuerentialis aliorum. 188
14 An præcedentibus sponsalibus validis matrimonium metu contractum sit validum, an inualidū. 189
15 An metus illatus à Iudice procedente secundum allegata, & probata irritet sponsalia, & matrimonium. 190
16 An vni testi deponenti de metu magis credendum sit, quam alijs pluribus testificantibus de spontanea voluntate. 191
17 An præsumptio metus cesset ex præsentia, & decreto Iudicis. 193
18 An actus subsequentes sponsalia metu graui inita, si appareant voluntarij, reualident eadem sponsalia. 194
19 An metus ex vicinitate actuum præsumatur durare. 195
20 Qua, & quanta cohabitatio sufficiat ad conualidanda sponsalia metu cadente in constantem virum inita. 195
21 An promissio matrimonij futuri facta infanti requirat acceptationem. 197
22 An promissio facta absenti, eique delata per nuncium ad id deputatum sit immediatè irreuocabilis, ac per promissarium fuerit acceptata coram eodem nuncio. 198
23 An Procurator constitutus cum iuramento de non reuocando validè contrahat sponsalia, si fuerit ante contractum reuocatus. 200
24 An, si noua causa superueniat, quæ à principio existens impediret sponsalia, ipsa irritet. 201
25 An noua causa superueniens contractui sufficiens ad dissolutionem post moram tribuat ius ad recisionem. 202
26 An conditio in se necessaria, respectu tamen nostri incerta suspendat sponsalia. 204
27 An conditio secundum se impossibilis reputata possibilis a contrahentibus reijciatur, an vero vitiet contractum. 205
28 An conditio impossibilis, vt habeatur pro non adiecta, exigat, vt contrahentes non solum sint conscij impossibilitatis, sed etiam iuris constituentis habere pro non adiecta. 206

29 An

Index Titulorum, Prænotionum, &c.

29 An non constante de intentione contrahentium conditio impossibilis habeatur tanquam irrisoria, an vero apposita cum animo consentiendi. 207
30 An soluens pœnam promissam in sponsalibus, vel sciens se non teneri, vel ignorans dispositionem iuris possit eam repetere. 208
31 An in sponsalibus possit imponi, & exigi pœna ratione interesse. 209
32 An pactum adiectum in sponsalibus, vt vir teneatur moram trahere in certo loco, & si non trahat, soluere certam pœnam, obliget, & an tunc vxor teneatur eum sequi quocumque migrauerit. 211
33 An modus honestus, & possibilis pendens à voluntate tertij suspendat contractum sponsalium. 213
34 An adiectio in diem vitiet, aut suspendat sponsalia. 213
35 Ad quid teneatur dubitans, an promiserit matrimonium, vel votum castitatis emiserit. 215
36 An clandestinè contrahentes matrimonium per verba de præsenti, si habuerint animum se obligandi eo modo, quo possunt, intelligantur contraxisse sponsalia. 217
37 An sponsalia ab impuberibus contracta possint ante pubertatem per eosdem dissensu dissolui. 218
38 An data sententia non posse impuberes ante pubertatem recedere, si impubes dissentiat ante pubertatem, & factus pubes non recordetur dissensus, contractus dissoluatur. 219
39 An supposita præfata sententia sufficiat post pubertatem dissensus internus ad dissolutionem sponsalium. 221
40 An contractus sponsalium sub conditione initus trahatur post conditionis euentum ad initium, quando ab initio fieri non potuit. 222

DISQVISITIONES III.

Ad reliquas omnes de sponsal. I. prænotiones.

§ 1 AN sponsalia inter fidelem, & infidelem sub conditione, si hic fiat fidelis, teneant à principio, an indigeat nouo consensu. 224
2 An fideiussor adiectus sponsalibus adhuc teneatur, si deuentum fuerit ad matrimonium clandestinum. 225
3 An fideiussor adiectus matrimonio clandestino saltem teneatur pro interesse. 226
4 An fideiussor adiectus matrimonio clandestino pro omni eo, pro quo initium eiusdē, & consequentiū ad idem obligari potest principalis, teneatur ad aliquid ratione iniuriæ, si principalis fœminam deflorauerit. 227
5 An deflorator ex defloratione obligatus dotare defloratam adhuc ad eandem dotem teneatur, si deflorata aliunde competenter dotata nupsit digno. 230
6 An si virgo deflorata maneat innupta possit agere, vel ad dotem, vel ad ipsius augmentum. 231
7 An si puella deflorata innupta decesserit ius illud ad modum dotis, quod sibi decernitur à iure, transferat ad heredes. 233
8 An fœmina deflorata, quæ postea alteri copiam sui fecit, amittat ius ad illud, quod ipsi debetur ad modum dotis. 234
9 An facta conuentione inter defloratorem, & defloratam de matrimonio postea contrahendo teneatur adhuc deflorator ad dotem, si deflorata ante matrimonium se prostituerit. 235
10 An priora sponsalia dissoluantur per raptum alterius fœminæ alteri promissæ. 237
11 An in dubio, quod sponsalia calore iracundiæ inita sint cum sufficienti deliberatione, nec ne, sit potius præsumendum pro libertate, an pro insubsistentia contractus. 240
12 An in dubio sufficientis deliberationis in peruio iracundia præsumendum sit pro insufficientia, si immediatè resiliat. 241
13 An sponsalia contracta tempore feruentis iracundiæ cum persona inæquali sint præsumenda inita cum sufficienti deliberatione. 242
14 An sponsalia inita in ardore iracundiæ cum damno graui promittentis in iracundia, & suorum parentum præsumantur inualida. 243
15 An raptor fœminæ, non, vt ipse cum illa contraheret, vel coiret, sed alter, afficiatur pœnis iuris, & an ille tertius afficiatur pœnis Concilij Trident. 243
16 An huiusmodi pœnæ incurrantur per delinquentes ipso iure ante quamcunque sententiam. 246
17 An raptor contrahens cum rapta constituta in loco tuto, & libero consentiente post raptum euitet pœnas ordinarias, & præcipuè pœnam mortis. 248
18 An traductio fœminæ de vno loco in alium propinquum commodiorem sine animo abducendi inducat pœnas iuris comminatas contra raptores. 249
19 An conatus ad raptum effectu non secuto trahat secum pœnas iuris. 250
20 An sit propriè raptus, si fœmina rapta fuerit consentiens ignorantibus parentibus ipsius. 251

CONTRACTVS XIV.

De sponsalib. II. hoc est de dissolutione eorundem.

Prænot. 1. AN ex notabili contrahentium disparitate dissolui possint sponsalia. 254
2 An sponsalia inita inscijs, & inuitis parentibus possint dissolui. 258
3 An ingressu in Religionem alterius sponsi dissoluantur sponsalia. 260
4 An sponsalia dissoluantur voto simplicis castitatis, & Religionis. 264
5 An susceptione sacrorum ordinum, vel voto eos suscipiendi dissoluatur sponsalia. 267
6 An sponsalia dissoluantur per alia subsequentia, vel per matrimonium. 271
7 An sponsalia dissoluantur ob impedimentum dirimens, vel simpliciter impediens. 276

8 Quæ-

8 *Quænam, & quales probationes impedimenti matrimonij requirantur ad hoc vt sponsalia præcedenter inita dissoluantur.* 278
9 *An sponsalia dissoluantur alterius sponsi fornicatione.* 282
10 *An sponsalia dissoluantur ex notabili deformitate superueniente in altero sponso, aut ex aliquo morbo difficile sanabili.* 289
11 *An ex paupertate superueniente dissolui possint sponsalia.* 291
12 *An lapsu temporis ad contrahendum præfiniti, & absentia coniugis in longinquam regionem dissoluantur sponsalia.* 294
13 *An, & quomodo ratione ætatis dissoluantur sponsalia.* 301
14 *An mutuo contrahentium consensu dissolui possint sponsalia.* 302
15 *An in omnibus casibus, in quibus possunt sponsalia dissolui, requiratur Iudicis auctoritas.* 304
16 *An in dubio probabili existentia, vel sufficientia causæ ad dissoluenda sponsalia possit sic dubitans propria auctoritate eadem dissoluere.* 307
17 *An sponsalia ex dolo alterius contracta sint ipso iure irrita, an irritanda.* 308
18 *Quomodo se gerere debeat conscius impedimenti occulti inferentis secundum se notam infamiæ, quando inter impeditos contrahendum est matrimonium.* 310
19 *An sponsus infectus labe occulta sufficienti ad recisionem contractus possit compellere alium inscium ad seruandam fidem sponsalium.* 312
20 *An laborans defectu occulto teneatur alteri manifestare, & quid si occultet.* 315

DISQVISITIONES I.

A prima ad sextam prænotionem inclusiue.

§. 1. *AN promittens fœminæ matrimonium, si ipsam virginem inuenerit, eaque cognita corrupta si iterum atque iterum cognouerit teneatur ad matrimonium.* 317
2 *An matrimonium possit esse materia voti.* 319
3 *An sponsus deprehendens Clericum cubantem cum propria sponsa de futuro, eumque grauiter, & enormiter percutiens subdatur excommunicationi Romano Pontifici reseruatæ.* 319
4 *An sponsus, qui Clericum turpiter deprehensum cum propria sponsa grauiter, seu enormiter percussit priuatur iure soluendi sponsalia cum eadem contracta.* 321
5 *An ex sponsalibus contractis ignoranter inter impeditos dissoluantur posteriora sponsalia inita cum altero consanguineo sponsi impediti.* 322
6 *An priora sponsalia dissoluantur per publicam honestatem superuenientem.* 323
7 *An priora sponsalia conditionata dissoluantur per posteriora pura celebrata cum consanguinea.* 324
8 *An matrimonium conditionale dissoluat posteriora sponsalia ratione impedimenti publicæ honestatis.* 326
9 *An ex matrimonio ficte celebrato dissoluantur posteriora sponsalia.* 327
10 *An sponsalia inita inter dispares cultu sint ipso iure irrita, an irritanda.* 328
11 *An sponsalia inter catecumenum, & catholicam subsistant.* 330
12 *An in dubio, quod sponsus tempore celebrationis contractus habuerit voluntatem promittendi, si cognouisset aliquod vitium in sponsa, præsumendum sit pro validitate sponsalium.* 331
13 *An, & ex quanam affinitate superuenienti dissoluantur sponsalia.* 333
14 *An ex copula cum consanguinea sponsæ prorsus inuita, ignorante, seu dormiente consurgat impedimentum affinitatis.* 336
15 *An sponsalia subsequentia dissoluantur ex affinitate contracta tempore infidelitatis.* 338
16 *An sponsalia subsequentia dissoluantur ex affinitate contracta tempore infidelitatis per copulam fornicariam.* 339
17 *An ex sponsalibus tempore infidelitatis initis oriatur vinculum naturale cum consanguineis alterius sponsi de futuro.* 340

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de sponsalibus II. prænotiones.

§. 1 *AN quando terminus appositus in celebratione sponsalium pro complemento matrimonij cadit in tempore prohibito eximat ab obligatione, an verò protrahat obligationem vsque ad tempus non prohibitum.* 341
2 *An sponsalia inita sub tacita conditione obligare possint ea non adimpleta.* 343
3 *An ex conatu in copulam cum aliqua fœmina consurgat impedimentum publicæ honestatis.* 344
4 *An sponsalia conditionalia cum vna sorore dissoluantur per posteriora absoluta cum alia sorore pendente adhuc conditione priorum.* 345
5 *An, si expressè ponatur conditio in sponsalibus, quæ ex genere suo tacitè inest suspendat eadem sponsalia vsque ad conditionis euentum.* 347
6 *An sponsalia iurata per diuitem nulla prauia promissione dotis dissolui possint, si fœmina nullam velit dotem conferre.* 348
7 *An in suppositione paupertatis fœminæ promissariæ cognita à promittente, si illa deueniat ad pinguiorem fortunam possit sponsus recedere, si illa nolit congruam dotem conferre.* 350
8 *An dissolutio sponsalium valida sit ex mutuo consensu, quod alter exhibente ficte paratum, obijcit tamen parentum repugnantiam, paupertatem, & alter his motus remittit promissionem.* 352
9 *An Iudex possit sponsis præfigere terminum ad contrahendum matrimonium, & an eo elapso vterque liberetur.* 357
10 *An laborans vitio occulto teneatur illud in celebratione contractus manifestare.* 355

11 An

11 *An fornicatio præcedens in vidua ignorata à sponso tempore celebrationis contractus, & postea cognita tribuat ius ad dissoluenda sponsalia.* 356

12 *An fornicatio occulta commissa à vidua constante primo matrimonio, & postea cognita à posteriori sponso tribuat ius dissoluendi sponsalia.* 357

13 *An solemnis professio emissa in Religione irritet sponsalia in quocunque casu etiam necessitatis.* 359

14 *An matrimonium initum sub conditione honesta, & possibili purificata conditione irritet posterius purè celebratum.* 360

15 *An sponsalia contracta cum falso errore alicuius impedimenti teneant.* 361

16 *An sponsalia contracta sub conditione honesta, & possibili intelligantur perfecta purificata conditione, etiam si contrahentes nesciant extitisse.* 363

17 *Ad quid teneatur, qui contraxit sponsalia sub conditione honesta, & possibili, & ante conditionis euentum reuocauit consensum.* 364

18 *An sponsalia conditionalia inita cum duabus locum habere possint, & quomodo.* 365

19 *An noua causa dissoluendi sponsalia superueniens post moram alterius sit sufficiens ad eadem dissoluenda.* 366

20 *An asserenti se non fuisse contracturum sponsalia si talis causa à principio adesset, vel abesset sit credendum.* 367

21 *An ad dissoluenda sponsalia, & impediendum matrimonium sufficiat rumor impedimenti.* 369

22 *An dictum vnius testis sufficiat non solum quando apponitur impedimentum cum quo contrahere esset peccatum, sed etiam quando opponitur causa, cum qua contrahere nullum penitus esset peccatum.* 370

23 *Quænam conditiones requirantur, vt vnus testis sufficiens sit ad impediendum matrimonium, & dissoluenda sponsalia.* 371

CONTRACTVS XIV.

De sponsalibus III.

Præn. 1 *De chyrographo futurarum nuptiarum.* 373

2 *Quale debeat esse huiusmodi chyrographum ad plenam probationem sponsalium.* 374

3 *An, & quomodo sponsalitia largitas inter sponsos de futuro valida sit.* 377

4 *Quandonam acquiratur sponsalitia largitas à sponsa quoad medietatem, quando non acquiratur, & an per amplexus.* 380

5 *An, si sponsalia fuerint conditionalia, & pendente adhuc conditione sponsus dederit sponsa osculum hæc acquirat medietatem iocalium.* 383

6 *An, si sponsalia fuerint nulla ex aliquo impedimento lucretur sponsa ex osculo medietatem, & ex copula integram sponsalitiam largitatem.* 385

7 *An quando data opera, non casu dissoluuntur sponsalia alter ex sponsis acquirat iocalia.* 387

8 *An sponsa post contracta sponsalia, & recepta à sponso sponsalitiam largitatem eandem acquirat integrè, si resiliat ex discessu sponsi in longinqua.* 391

9 *An si sponsalitia largitas excedat summam, quæ absque insinuatione donari nequit, valida sit absque eadem.* 394

10 *Quando nam acquiratur sponsalitia largitas per matrimonium de præsenti.* 395

11 *An in suppositione, quod donatio ante nuptias excedens indigeat insinuatione, eadem indigeat, si sit reciproca inter sponsos.* 397

12 *An donata à consanguineis sponsi sponsæ ante nuptias eidem acquirantur post nuptias consummatas, & post obitum sponsi, & quid si fuerint donata à consanguineis sponsæ sponso.* 399

13 *An donata à consanguineis sponsi sponsæ, & è contra eisdem iuribus, & oneribus subdantur, quibus subditur sponsalitia largitas.* 400

14 *An vestes, & alia iocalia, quæ mittit sponsus sponsæ contineri censeantur sub sponsalitia largitate, eiusque oneribus.* 401

15 *An tradita per socerum nurui sint computanda in legitima filij, qui cum eadem nupsit.* 403

16 *De donationibus propter nuptias.* 405

17 *Quid sint propriè arræ, quomodo acquirantur, & ad quem finem dentur.* 407

18 *De aliquibus causis excusantibus à pæna dupli quoad arras, & à lucro earundem ob non adimplementum contractus.* 409

19 *An si collata fuerit sponsalitia largitas simul cum arris ex osculo acquiratur medietas quoad vtrumque, & ex copula vtrumq; integrè.* 411

20 *An arræ constitui possint initio iam matrimonio.* 413

21 *An pupilli, & minores possint arras constituere inconsultis tutoribus, & curatoribus, & absque decreto Iudicis.* 415

22 *An, si pupillus, & minor congruas, & moderatas arras promiserint, vel contulerint, obligent alterum sibi, si ex culpa recesserit.* 417

23 *An filius familias inconsulto Patre possit arras constituere.* 419

24 *An in quaq; quantitate possint arræ constitui.* 420

25 *An in publica potestate constitutus perdat arras, quas pro matrimonio contrahendo dedit sponsæ renuenti.* 421

26 *An arræ secuto matrimonio sint restituendæ, an verò fiant recipientis.* 424

27 *An possint esse arræ ex vtraque parte, & quid tunc sit sentiendum.* 425

28 *An pater promittens alteri matrimonium filiæ, & tradens arras easdem amittat, si filia nolit tali matrimonio assentiri.* 427

29 *An traditio arrarum sufficienter probetur per confessionem recipientis.* 429

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam prænotionem inclusiuè.

§. 1 *An facto chyrographo futurarum nuptiarum sub certis conditionibus dotis antepocha*

pocha de nihilo petendo noceant. 430
2 An recipiens fictè patrimonium ad effectum sacrorum ordinum recipiendorum, an apocha confecta illo non utendi, & reddendi susceptis ordinibus teneatur non uti, & reddere. 432
3 An in quocunque genere personarum possint nuptia contrahi sine nuptialibus instrumentis. 436
4 An instrumentum dotale arguat efficaciter matrimonium, & an sine instrumento possit prasumi matrimonium. 437
5 An creditor possit revocare donata ante nuptias. ibid.
6 An sponsus repetens iocalia, quando per ipsum non stetit, quominus matrimonium sequatur, teneatur probare data fuisse causa matrimonij, & an sponsa teneatur probare interuenisse osculum, vel copulam. 439
7 An donatio sponsalitia largitatis valida sit, quando sponsa nullam dotem attulit. 439
8 An ubi sponsalitia largitas taxata est à iure, si excedat, irritetur quoad totum. 441
9 An sponsalitia largitas possit validè excedere quantitatem taxatam à iure, quando confertur cum expresso pacto, ut nullo casu revertatur ad donantem. 442
10 An exiltà dote diminuenda sit sponsalitia largitas. 444
11 An subditus loci, in quo viget ius municipale, & taxatiuum sponsalitia largitatis, si nubat extera, eidemque conferat excedentem, validè, & irrevocabiliter conferat. 446
12 An, si sponsalitia largitas superexcedens firmetur iuramento valeat quoad excessum. 448
13 An in suppositione, quod sponsalitia largitas excedens absolutè irritetur soluto matrimonio per mortem alterius incumbat onus probandi uxori, vel eius haredibus eandem non excedere taxam à iure prascriptam, an verò marito, vel eius haredibus excedere. 450
14 An alius à sponso possit conferre sponsalitiam largitatem excedentem quantitatem à iure taxatam. 451
15 Quomodo taxanda sint bona maioratus, qua contulit sponsa pro dote ad commensurandam sponsalitiam largitatem, ne excedat. 454
16 An, si pro sponsalitia largitate tradatur fundus excedens in valore taxam à iure statutam, teneat quoad totum. 455
17 An fideiussor accedens pro sponsalitia largitate promissa excedente, quomodocunque accedat, obligetur etiam pro excessu. 456
18 An sponsalitia largitas quoad excessum invalida tantum sit in foro externo, an etiam in foro conscientia. 459
19 An filius familias possit inconsulto Patre sponsalitiam largitatem promittere. 460

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de sponsalibus III. prænotiones.

§. 1 AN, & quomodo donatio propter nuptias, & arra, prout sumuntur apud Hispanos, differant. 461
2 An valeat donatio, qua maritus constante matrimonio constituit dotem uxori, vel etiam ante contractum matrimonium. 462
3 An teneat constitutio dotis facta per maritum prapotentem constante matrimonio uxori ipsum longe excedenti in nobilitate. 463
4 An illa dos sic per maritum constituta uxori nobili habeat privilegia dotis. 466
5 An illa dos sic per maritum constituta habeat privilegium pralationis. 468
6 An dos constituta per virum uxori minuat legitimam debitam ascendentibus, vel descendentibus. 469
7 An mulier sic dotata causa remunerationis per maritum constante matrimonio teneatur illa bona dotalia reservare filijs prioris matrimonij. 471
8 An mulier, qua dotata fuit per maritum ignobilem, si non transeat ad secunda vota, possit disponere de illa dote meliorando conditionem alterius ex filijs primi matrimonij. 473
9 An, si uxor dotata à marito iuxtà casus pracedentium disquisitionum eo defuncto transeat ad secunda vota sine ulla expressione dotis intelligatur ipso iure transferre in dotem id, quod à primo marito acceperat. 474
10 An dos constituta priori marito, qui fuerit talis tantum de facto, intelligatur etiam repetita secundo. 476
11 An, si statuto cautum sit mulierem nubentem sine expressione dotis omnia sua bona in dotem conferre, intelligatur eadem conferre in secundo matrimonio, si in primo certam dotem constituerat. 477
12 An donata per consanguineum aquè utrique coniugi coniunctum alteri eorum intelligantur in eundem translata, an verò in utrumque. 479

CONTRACTVS XIV.

De Sponsalibus I. omnibusque ad ipsa pertinentibus.



Lerisque ex ijs contractibus examinatis, qui ad temporalia commertia præcisè diriguntur, iam ad eos nos conferimus, qui, vel quià in se spirituales sunt, vel præambuli ad spiritualia superiorem præseferunt vtilitatem. *S*ponsalia in primis obijciuntur, quæ, quamvis secundum se sumpta non sint eleuata ad supereminentiam spiritualem Sacramentorum, ordinantur tamen ad eum contractum tanquam ad vltimum finem, in quo ex diuina dispensatione sita est ratio propria *S*acramenti. Hinc à *D. Thoma in* 4. *dist.* 27. *qu.* 2. *art.* 1. dicta sunt sacramentalia Matrimonij, sicuti exorcismus Baptismi, non quia præuiam quandam præseferant sanctitatem ad Matrimonium, sicut præsefert exorcismus ad Baptismum, sed quia ad idem diriguntur, in quo tanquam in *S*acramento specialis viget ratio sanctitatis. Nec solum ad spiritualia accedunt, quia sunt quodammodo dispositiones ad *S*acramentum, sed etiam quia animos ad mutuos conciliant affectus, ex quibus vinculum consurgit charitatis, & ad virtutes omnes, in quibus sanctitas viget, excitamentum. Hæc meta erunt præsentium disceptationum, quas quidem non seruato ordine, quem seruat D. Thomas, quæstionibus de Matrimonio præmittendas duximus, vt seruent ordinem in doctrina, quem sibi constituunt in natura, in qua, sicuti sponsalia præferuntur Matrimonio, ita in illa non incongrua ratione sunt præferenda.

Agunt de ſponſalibus DD. Theologi, & præcipuè *Magiſter in 4. diſt. 27. art. 26. vſque ad 42.* Iuris canonici interpretes *in 4. decretalium, & in 6. tit. de ſponſalibus, & in decreto cauſ. 23. & ſeq.* & iuris cæſarei *tit. C. de ſponſalibus, & 4. part. per totum.* Summiſtæ *in verb. ſponſalia, Silueſter, Tabiena, Roſella, & alij communiter.* In vniuerſum *Sanchez de matrimon. lib. 1. de ſponſalibus. Nauarrus in ſumma cap. 22. nu. 19. & ſequ. Antonius Cucus lib. 5. Inſtit. maiorum tit. 10. Bonacina de magno matrim. ſacramento qu. 1. per totum. Pereg. §. 1. de ſponſalibus, & §. 24. Coninch. de matrimonio diſp. 21. Garzias prima part. de contractibus cap. 3. Gutierez de matrimonio à cap. 4. Ioannes Lupus in tractatu de matrimonio per primas diſceptationes, & alij.*

PRÆNOTIO I.

Quid ſint Sponſalia, & quænam ipſorum conditiones.

SVMMARIVM.

Ethymon Sponſalium vnde deductum. 1.
Quid propriè ſint Sponſalia. 2.
Ad ſponſalia non ſufficit propoſitum. 3.
Sponſalia per parentes inita pro pupillis carentibus vſu rationis tunc tantum valent, quando ponitur eorundem conſenſus. 4.
Promiſſio Sponſalium debet eſſe mutua, & acceptata inter perſonas habiles, & ſenſibilis. 5.
Non ſufficit promiſſio, & acceptatio, ſed requiritur repromiſſio. 6.
Promiſſio inter perſonas inhabiles eſt illicita. 7.
Inhabilitas, vt promiſſio ſit inualida, debet eſſe perpetua. 8.
Sponſalia inter conſanguineos ſub conditione, ſi Pontifex diſpenſauerit, an teneant ſententia affirmatiua. 9.
Sententia negans, vtraque probabilis. 10.
Non ſufficit promiſſio facta alteri præſenti, & tacenti. 11.

1 SI nominis ethimologiam ſpectes, comperies nomen ſponſalium à verbo *ſpondeo* deriuari, quod ſignificat promittere, & quidem ſponte, quaſi quod in huiuſmodi contractu requiratur omninò libera, & ſpontanea promiſſio, ex quo etiã ſequitur, quod illi, qui ſibi inuicem promittunt de contrahendo matrimonio de futuro, appellentur ſponſus, & ſponſa; & licet lata ſignificatione ſponſalia non ſolum dicantur, quando eſt poſita promiſſio de futuro matrimonio, ſed etiam quando matrimonium completum eſt, & ratum, non tamen conſummatum, in rigore tamen ſponſalia tantum ſunt, quando eſt promiſſio de futuro *Ioannes Lupus tract. de matrim. num. 1. Panormit. in rub. de ſponſal. num. 3., & ibi Felinus num 1. prope initium verb. item aduerte,* & licet in iure quandoque ſponſa de futuro appelletur vxor *cap. iuuenis de ſponſalibus,* & etiam in ſacris literis *Geneſ.* 19. vbi Iacob dicit ad Laban *Da mihi vxorem meam*, quæ tamen erat ſolum promiſſa, in rigore tamen quotieſcunque in iure fit mentio tantum de ſponſis, veniunt ſoli ſponſi de futuro, niſi ex contextu verborum conijciatur, quod lata ſignificatione comprehendantur etiam vxorati de præſenti, qui fortè etiam matrimonium conſummauerunt. His igitur pro notitia nominis explicatis, ſumptoq; vocabulo ſponſalium pro propria, & rigoroſa ſignificatione, progredimur ad inquirendum germanam, & eſſentialem quidditatem eorundem ſponſalium, & conditiones ad eadem requiſitas. Pro quo ſit

Sponſalia unde dicta

Ioannes Lupus. Panormitanus. Felinus.

Aſſertio I. Sponſalia benè, & propriè definiuntur per hoc, quod dicantur futurarum nuptiarum libera, & ſpontanea promiſſio *Nicolaus Pontifex c. noſtrates 30. qu. 5. & communiter iuris conſulti in l. 1. ff. de ſponſalibus*, & in hanc definitionem conſentiunt omnes tàm Theologi, quàm iuris canonici, & cæſarei interpretes, quæ non indiget probatione, ſed ad ſummum explicatione per particularum diſcuſſionem. 2

Definitio ſponſalium

Dicitur *libera, & ſpontanea promiſſio*, ex quibus particulis duo inferuntur: primum quod ad ſponſalia in rigore ſumpta non ſufficiat nudum propoſitum de contrahendo, ſed requiratur actualis promiſſio, per quam ſolum inducitur obligatio, & non per illud, vt bene notauit *Sanchez de matr. lib. 1 de ſponſal. diſp. 1. nu. 7.* Secundum vt ſit libera, & ſpontanea, quatenus non ſit coacta, nec per vim extorta, ſed pro- 3

4 Non ſufficit nudum propoſitum contrahendi. Sanchez.

cedat

cedat à principio intrinſeco, cum cognitione eius, quod ſit, & ad quod obligatur, & debet etiam cum tanta deliberatione, quanta ſufficiat ad inducendam obligationem ſub peccato lethali *Gutierez c. 7. de matrim. nu. 6. Leſſius lib. 3. de iuſt. c. 40. n. 2. Vaſquez de matrim. diſp. 5. c. 1. nu. 3.* ex quo etiam euincitur, quod promiſſio debeat eſſe voluntaria, cum vis obligandi non naſcatur niſi ex voluntate. Quod ſi dicas quod ſponſalia contrahantur etiam per Parentes, & fortè etiam tutores pro pupillis, qui nundum deuenerunt ad vſum rationis, reſpectu quorum propterea non poſſit eſſe deliberatio, nec perfecta voluntarietas; ſtatim reſponſionem accipies, quod tunc non ſunt perfecta ſponſalia, niſi prout poſtea adueniente vſu rationis, vel per conſenſum expreſſum, vel ſaltem per implicitum rata habeatur per eoſdem pupillos *Sanchez lib. 1. diſp. 27. nu. 17. Gutierez c. 3. nu. 11. Coninckus diſp. 21. num. 3.* Sed an tunc accedente huiuſmodi pupillorum conſenſu poſt acquiſitum vſum rationis, ſponſalia fiant valida à tempore, quo nomine pupillorum fuerunt inita per parentes, vel tutores, quatenus conſenſus fictione iuris retrotrahatur ad illud tempus, an verò conualeſcant ſolummodò à tempore conſenſus eorundem pupillorum infrà examinabitur. Si vlterius inquiras cur cæteri omnes contractus per pupillos initi regularitèr non teneant, nec obligant eoſdem, ſi celebrati fuerunt in ſtatu minoritatis, obliget tamen eoſdem contractus ſponſalium, etiam in ſtatu impubertatis, & minoritatis; ſtatim reſpondebimus hoc prouenire ex diſpoſitione iuris, iuxta tamen naturalem rationem, & æquitatem, quandoquidem ſponſalia, licet propriè ſint contractus, vt infrà fusè videbimus, maximè ſunt fauorabilia, cum natura magis inclinet ad nuptias, quam ad quoſcunque alios actus politicos, & propterea iura aliter diſpoſuerunt de huiuſmodi contractu ſponſalium, ac de cæteris contractibus *Bonacina de Sacramento Matrimon. quaſt. 1. punct. 4. num. 3. in reſponſ. ad ſecundam obiectionem.*

Gutierez. Leſſius. Vaſquez. Quanam deliberatio requiratur.

Sanchez. Gutierez.

cur ſponſalia inita ante pubertatem tenentur, non ſic cæteri contractus.

Bonacina.

Dicitur, *futurarum nuptiarum*, per quas particulas indicatur, quod ſponſalia ſunt celebranda per verba de futuro ad contradiſtinguendum eadem à vero, & rato matrimonio, quod ſolum contrahitur per verba de præſenti; vbi intelligas nomine nuptiarum venire matrimonium ratum, cum ijs omnibus, quæ requiruntur ad validitatem eiuſdem. Ex ijs ſit

5 Aſſertio II. Ad validitatem ſponſalium tres potiſſimum requiruntur conditiones. Prima, vt promiſſio ſit mutua, & acceptata. Secunda, vt ſit inter perſonas iure habiles ad contrahendum. Tertia, vt ſit in aliquo ſigno externo ſufficienter manifeſtato. *Sanchez de matrimon. lib. 1. de ſponſal. diſp. 1. nu. 7. Bonacina de matrimon. qu. 1. de ſponſal. pract. 1. propoſit. 2. n. 2. Perez §. 1. de ſponſal & §. 24. Coninck. de matrim. diſp. 21. dub. 2. Molina de contract. diſp. 254. & alij communitèr.*

Conditiones requiſitæ ad validitatem Sponſalium

Sanchez. Bonacina. Perez. Coninckus Molina.

Ratio primæ partis ex eo deſumitur, quia ſponſalia ſecundum ſe ſumpta in ſuo eſſe ſunt verè, & proprius contractus vltro, citroque obligatorius, quia vt infrà videbimus, ſemel ritè, & legitimè inita obligant ſub lethali ad ſeruanda promiſſa, ſed contractus vltro citroq; obligatorius, maximè ſi ſit de futuro adimplendo, non poteſt eſſe niſi cum mutua promiſſione, cum obligatio ex eadem promiſſione oriatur, quia promiſſio debet eſſe ex vtraque parte, & mutua.

Hic immediatè oritur difficultas, an ſi vnus promittat futurum matrimonium, & alter ſolummodo acceptet, & approbet promiſſionem, tunc teneant ſponſalia in ratione contractus, quatenus eadem acceptatio, & approbatio æquiualeat promiſſioni ex parte acceptantis, & approbantis. Abſolutè ſentiendum eſt non ſubſiſtere in ratione contractus, nec acceptantem, & approbantem teneri ex vi illius acceptationis, & approbationis contrahere matrimonium de futuro, quantumuis poſſit obligare promittentem ex vi promiſſionis ad ſecum contrahendum, ſi illa promiſſio fuerit abſoluta, & independens, ſecus ſi conditionalis, & dependens ab alterius repromiſſione. Ratio ex eo deducitur, quia contractus de ſuo formali conceptu importat obligationem ex vtraque parte per ea, quæ latè diximus *tom. 1. ſub tit. Contractus 1. de contractibus, & ſic prænot. 3.* & ſparſim dum de alijs contractibus in particulari, ſed ex eo quod alter promiſerit, & alter præciſè acceptarit, & approbarit promiſſionem ſibi præſtitam non intelligitur hic ſe obligaſſe, nec promiſiſſe; acceptare etenim alterius obligationem, non eſt ſe obliganti reobligare, nec promittenti repromittere, vt per ſe patet, quando ex illa promiſſione, & acceptatione, & approbatione non conſurgit mutuus contractus, ex quo ſequitur, quod ſimpliciter approbans non obligatur poſtea ad contrahendum matrimonium de futuro, quinnimò nec huiuſmodi ſponſalia propriè teneant, niſi per nouum actum ipſe approbans alterius promiſſionem repromittat. Quod verò ipſe approbãs promiſſionem alterius poſſit eundem compellere ad ſecum contrahendum matrimonium ex eo euincitur, quod promiſſio abſolutè facta, & acceptata quantum eſt ex parte promittentis, eſt ſimpliciter obligatoria, & irreuocabilis, ſicuti ſi quis mihi promiſit liberè cenſum, & ego acceptaui, tenetur ad contra-

6

Non ſufficit ſimplex promiſſio, & acceptatio, ſed requiritur repromiſſio.

ctum, & ad illam solutionem possum ipsū compellere, quia licet illa promissio fuerit ante actus liberæ voluntatis ex post facto est necessitatis, vt etiam videre est in donationibus liberis, & gratuitis. Verum tamen est, quod regulariter præsumitur promisisse sub tacita conditione, si alter repromiserit, in quo sensu, vt benè notant *Gutierez de matrimonio c. 5. Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 6. Bonacina qu. 1. punct. 1. nu. 7.* promittens non tenetur adimplere promissionem, nisi alter conditionem posuerit, sub qua ille implicitè promisit, quod euincitur ex ijs, quæ docuimus de contractibus, onerosis, quibus regulariter annexa est tacita conditio, si alter repromittat, vnde si non repromittat, non purificata conditione, sub qua est concepta promissio, promittens non obligatur; vnde etiam in dubio an promittens promiserit cum animo se obligandi dependenter ab alterius promissione, vel independenter præsumendum est, quod dumtaxat dependeter se obligauerit, nam præsumitur promisisse iuxta naturam sponsalium.

Promittens promisisse sub tacita conditione si alter repromittat

Gutierez. Sanchez. Bonacina.

7 Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia promissio de re illicita obligare non potest, vt sunt vulgatissima iura, sed quando fit inter inhabiles ad contrahendum, vtique est de re illicita, cum inter illos licitè matrimonium contrahi non possit, quia illa promissio non obligat; Neque dicas, quod impedimenta secundum se non dirimentia vtique reddant illicitum matrimonium si contrahatur, non tamen dirimant, quia etiam quantumvis fuerit promissio de re illicita reddat ad summū sponsalia illicita, non tamen inualida; contra enim impugnaberis, quia dispar omnino est ratio de matrimonio contracto, & de spōsalibus, desumpta disparitate ex natura earundem, quandoquidem sponsalia appellant solummodo promissionem ad contrahendum, iura autem absolutè irritant promissionem, quæ fit de re illicita quantum ad effectum obligationis; matrimonium autem importat contractum in effectu completum; iura autem non irritant contractum, nisi interueniant impedimenta dirimentia, & iuxta hunc sensum habet locum commune perloquium, quod multa facta tenent, quæ fieri prohibentur.

Iura prohibentia, & irritant promissiones de re illicita.

8 Aduerte tamen quod quando diximus inter personas inhabiles à iure ad contrahendum non posse esse legitima sponsalia, hoc intelligendum sit quoad inhabilitatē perpetuam, vt si inter spondentes consanguineos, & affines in gradibus à iure prohibitis ad contrahendum matrimonium, vel inter adstrictos voto perpetuo castitatis, vel inter absolutè impotentes, secus autem quoad inhabilitatem temporaneā, & inter obligatos voto castitatis solummodo ad duennium, quod tamen promissio respicit illud tempus, pro quo non erit tale impedimentum. Hæc omnia expressè habet *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disput. 15. & hoc expressè habet ex l. non solet 10. ff. de his, qui notan. infam & ibi Glos. verb. non nocet, & ibi Bald. nu. 2. Nauarr. lib. 4. consul. in prima editione tit. 16. consanguin. cons. 3. num. 7. Gutierez de iuram. conf. part. 1. c. 51. nu. 9. Petrus de Ledesma de matrimon. qu. 47. art. 15. dub. 2.* Hæc quæ dicuntur de inhabilitate dumtaxat temporanea intelligenda sunt quando contrahentes haberent animum, dumtaxat se obligandi per tempora, pro quo cessabit inhabilitas, secus autem si haberent animum contrahendi, pro tempore etiam pro quo vrget impedimentum, vt si quis obstrictus voto castitatis ad biennium fidem daret de matrimonio contrahendo animo illud consumandi intra tempus, quo tali voto obligatur, tūc etenim ratione rei illicitæ, quam intenderet esset nulla promissio, & sic sponsalia non tenerent.

Inhabilitas ad irritandam promissionem debet esse perpetua.

Sanchez. Glosa. Baldus. Nauarrus. Gutierez. Petrus de Ledesma.

Hic suboritur difficultas, an si inter consanguineos, vel affines in gradibus à iure prohibitis ad contrahendum contrahantur sponsalia, adiecta conditione, si Pontifex in impedimento dispensauerit, teneant sponsalia à die promissionis sub tali conditione, an verò solummodo à die purificatæ conditionis dispensationis scilicet præstitæ per Pontificem. 9 Qua in difficultate diuersos inuenio DD. nam *Pontius de matrimonio lib. 3. c. 15. nu. 5.* expressè sentit tunc rata remanere sponsalia quousque Pontifex dispensare noluerit, rationemque adducit, quia scilicet illa sponsalia pro illo statu, nec in se turpia sunt, nec vlli iuri contraria, quod multis conatur exemplis euincere, & præcipuè in institutione spurij, sub conditione si à Principe legitimetur, quæ certè antequam à Principe à legitimatione reijciatur rata habetur, quod idem exemplificat in venditione rei feudalis sub conditione si supremus Dominus venditioni consenserit, vel rerum Ecclesiasticarum, si Papa dispensauerit, alijsque similibus; E contra verò *Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 5. qu. 3. nu. 54.* refert sententiam, quam probabilem indicat *nu. 12. & 13.* asserentem eam promissionem esse omninò nullam, & 10 propterea licitum esse vtrique contrahenti ante impetratam Pontificis dispensationem altero inuito resilire, atque pro eadē plurimos refert Doctores, quamuis ipsos non sequatur *Ioannem Andræam c. super eo de condit. appos. nu. 2. Henricum c. fin. nu. 2. eod. tit. Franciscum Aret. cons. 142. nu. 1. & sequ. Rosellam verb. matrimonium 5. nu. 12. & sequ. Siluestrum verb. matrimonium 3. qu. 9. Astensem lib. 8. summa tit. de modo contrahendi sponsalia art. 2. qu. sed quid si alia persona, Petrum de Ledesma de matrimonio qu.*

Sententia affirmans sponsalia inter consanguineos valida esse, si Pontifex dispensarit. Pontius.

Sententia negans esse valida.

Ioannes Andreas. Henricus. Franciscus Aret. Rosella. Siluester. Astensis. Petrus de Ledesma.

47.

47. *art. 5. dub. 2. concl. 2.* Hæc sententia ab eisdem Doctoribus multis argumentis comprobatur, & primo quia conditio impossibilis à contractu matrimonij, & & sponsalium reijcitur, ac proinde ita se habet, ac si non esset apposita, sed illa conditio, *si Pontifex dispensauerit* est impossibilis, tamquam conditio dependens à volutate Principis regulariter pro impossibili reputatur *l. continuus 137. §. cum quis ff. de verborum obligat.* vbi dicitur quod vbi conditio iure impleri non potest nullam efficiat omnino stipulationem, *nec ad rem pertinet*, quod ius mutari possit, & nunc quod impossibile est, postea fit possibile fieri; non enim secundum futuri temporis ius, sed secundum præsentis æstimari debet stipulatio, quod idem subditur *in l. inter stipulantem d. 3. §. sacr. ff. de verborum obligat.* vbi assignatur ratio huius asserti, quia nec præsentem obligationem temporis recipere potest, & ea dumtaxat, quæ natura sui possibilia sunt, deducuntur in obligationem, tum quia quod fieri potest per remedium extraordinarium dicitur impossibile *Innocentius c. pastoralis nu. 1. de caus. possess. & propr. Tiraquel. de retract. lignagiar. §. 32. glos. vnica nu. 59.* Secundò, quia quamuis talis conditio non foret impossibilis adhuc in sponsalibus melius est conformari disputationi iuris communis prohibentis inter huiusmodi personas sponsalia, quam dispositioni legis specialis dispensationis. Quid igitur concludendum? Vtramque opinionem probabilem existimo, præferendam tamen arbitror primam, quam euincunt iura, & actiones superius adductæ. Ad rationes alterius sententiæ dicendum est, id quod dependet à voluntate Principis tunc solum reputari impossibile, quando Princeps dispensare non solet, secus quando de facili solet, vt in casu nostro, vt habetur per textum *in l. apud Iulianum §. constat ff. de legat. 1.* quinimmo aliqui dicunt, nec quando Princeps difficilimè concedit illud imputari impossibile, cum reducatur ad difficultatem, non ad impossibilitatem.

Innocêtius Tiraquel.

Vtrraq; probabilis, præfertur tamē prima.

Ratio tertiæ partis, seu conditionis ex eo deducitur, quia sponsalia sunt contractus humano modo, vtpotè ad homines directus vltro citroque obligatorius, sed non esset talia, si promissio non esset aliquo signo externo, puta verbis, scriptis, vel nutibus manifestata, quandoquidem ex vulgatis iuribus propositum in mente retentum nihil operatur; tum quia per actum merè internum ius aliquod, nec dominium transfertur per textum *in l. traditionibus C. de pactis*. Confirmatur quod vnus non obligatur alteri, nisi per actum sibi connaturalem, & humanum, qui vtique fit verbis, vel nutibus, vel alio signo externo, cum Deus solus sit scrutator cordium,

Promissio debet fieri humano modo, adeoque sensibiliter.

Confirmatur secundo, quia promissio ex genere suo non obligat, nisi sit acceptata, sed non potest esse acceptata, nisi sit proposita, & proposita esse non potest promissario, nisi per aliqua signa externa, ergo &c.

11 Ex eo autem quod dixerimus promissiones, quæ ad contractum sponsalium requiruntur, debere esse aliquo signo externo propositas, & manifestatas, oritur immediatè difficultas, an si alter sponsalia promiserit alteri præsenti, sed tacenti, nec tamen contradicenti supponatur sufficiens manifestatio ad legitimè contrahenda sponsalia. Absolutè negatiuè respondendum est, atque in hanc responsionem consentiunt communiter Doctores tam Theologi, quam iuris Interpretes, tum quia taciturnitas secundum se propriè non inducit ad manifestationem consensus, & multo minus manifestationem repromissionis. In fortioribus terminis res euincitur in præsenti, ac res fuerit in superioribus comprobata, quandoquidem posita promissione vnius, & approbatione expressa alterius, non consurgunt proprerea sponsalia in ratione contractus, ergo multo minus in ratione eiusdem poterunt subsistere sponsalia, quando vnus promittit, alter simpliciter tacet, nec expresse approbat, nec reprobat promissionem; Neque obesse potest textus *in cap. fin. de despons. in pub. tit. 2.* vbi dicitur valida esse sponsalia, quæ parentes pro filijs pubentibus, vel impubentibus contrahunt ipsis præsentibus, & non contradicentibus; Non, inquam, obesse posse, quia hic casus est specialis in iure exceptus, in quo consensus parentum sumitur pro consensu eorundem filiorum tacentium propter nimiam affectionem, quia parentes plus amant filios, quam seipsos, per textum in *l. isti quidem ff. de eo quod metus causa*, & ita habent *Glosa in c. honorentur verb. non de sponsalibus 32. qu. 2. Villalobos in comment. lit. M. nu. 60. Nauarrus in summa c. 22. nu. 56.* vnde ex consequenti iuxta dispositionem iuris manifestatio parentum videtur virtualiter manifestatio filiorum. Hoc autem, quod dicitur de sponsalibus per parentes initis in præsentia filiorum tacentium non est extēdendum ad sponsalia per alios à parentibus inita, quia non militat eadem ratio specialis amoris in illis, quæ in parentibus, vt docet *D. Thomas in quarto distin. 27. qu. 1. art. 1. quæstiuncula 2. ad finem*, vbi asserit hoc esse speciale in parentibus *D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 2, ante §. 1. final. Vera Crux. prim p. art. 5. in fin. Innocentius c. 1. de desponsat. impub. n. vnico* Neque item obesse potest si asseratur, quod taciturnitas pro consensu habeatur, maximè in ijs, quæ appetibilia sunt *reg. qui tacet de reg. iur. in 6.* Non, inquam, obesse posse, quia

Taciturnitas non inducit manifestationem repromissionis.

Consensus parentum pro filijs præsentibus est sufficiēs. Glosa. Villalobos Nauarrus.

D. Thomas D. Antoninus. Vera Crux Innocêtius

quia ad summum qui tacet consentire videtur in ijs, quæ expressè sunt ad sui fauorem, non sic in alijs, in quibus per taciturnitatem nec assentiri, nec dissentiri videtur, & licet sponsalia sint secundum se appetibilia, non tamen indeterminatè vel cum hac, vel cum illa, sed cum certa persona, adeoque &c.

PRÆNOTIO II.

Quinam possint contrahere sponsalia.

SVMMARIVM.

Illi omnes nequeunt contrahere, qui perpetuò sunt impediti. 1.
Obstricti voto perpetuo castitatis nequeunt contrahere. 2.
Votum castitatis Deiparæ Virginis non fuit absolutum, sed conditionatum. 3.
Fidelis cum infideli non potest contrahere. 4.
Nisi sub conditione si infidelis conuertatur. 5.
Nec consanguinei, & affines in gradibus à iure probibitis. 6.
Regulariter nequeunt contrahere, qui septennium non compleuerint. 7.
Septennium debet esse perfectè completum, nisi constet de vsu rationis ante perfectè acquisito. 8.
Sufficit si vltima dies septennij sit incepta. 9.
Si malitia suppleat ætatem potest contrahi ante septennium. 10.
Qui septennium compleuerunt, nec tamen adepti sunt vsum rationis, validè non contrabunt. 11.
Altero habente vsum rationis, altero non, non tenet contractus. 12.
Tenetur tamen maior expectare vsque ad vsum rationis minoris. 13.

CONsiderata iam causa, & quiditate sponsalium accedimus ad eorum causas examinandas, & primò objicitur causa efficiens, quæ propriè appellat ipsos contrahentes. Hic igitur examinabitur primò quinam sint habiles ad eadem sponsalia contrahenda, & quinam non; quænam ætas requiratur ad eorum validitatem, & an aliqua ex dispositione iuris requiratur respectu huiusmodi cōtrahentiū. Sic igitur.

1 Assertio I. Illi omnes nequeunt validè contrahere sponsalia, qui perpetuo impedimento ad contrahendum matrimonium afficiuntur. *Nauarr. lib. 4. conf. in prima edit. tit. de consang. conf. 3. num. 7. Giutier. de iuram. part. 1. c. 31. nu. 9. Petrus de Ledesma de matrim. qu. 47. art. 5. dub. 2. Sanchez lib. 1. disp. 15.*

Perpetuò impediti nō possunt contrahere. Nauarrus. Gutierez. Sanchez.

Ratio ex ijs deducitur, quæ superius dicta sunt, nam promissiones, quæ sunt de re illicita absolutè nullius roboris sunt quoad effectum obligationis, sed quotiescunque adest impedimentum perpetuum ad contrahendum matrimonium pro minori de illo est de re omnino illicita, quandoquidem etiam de obiecto, quod licitè esse non potest, ergo &c.

Sic primò non possunt contrahere spōsalia, qui perpetuo voto castitatis astringuntur; promissio etenim eorundem est contra fidem præstitam Deo, adeoque violatio eiusdem semper est sacrilega; Neque obesse potest quod fuerint vera sponsalia inter Beatam Virginem, & D. Ioseph nomine penitus reluctante, quinimmò verum matrimonium, & tamen Beatissima Virgo erat voto perpetuo castitatis obstricta; Non, inquam, obesse potest, quia, vt benè notat *Henriq lib. 11. cap. 15.* & apud ipsum *Paludanus, Capreolus, & alij*, votum Deiparæ Virginis non fuit absolutum, sed factum erat sub hac conditione, nisi Deus sibi aliter facere reuelauerit. Deinde licet daremus votum Deiparæ fuisse simpliciter absolutum, & matrimonium per eam initum fuisse verum matrimonium, vt sentiūt *communiter SS. PP. & Sotus in 4. dist. 26. quæst. 2. art. vlt.* nihilominus illa sponsalia, seu matrimonium ratum non fuit contra votum castitatis, eo quod haberet reuelationem à Deo, matrimonium non esse consumandum; in tantum enim matrimoniū, seu sponsalia essent contra castitatem, in quantum tenderent in copulam futuram tanquam in vltimum finem in ordine ad prolis procreationem, quod non militat in præsenti hypothesi, stante diuina reuelatione, quod illa non esset secutura; Neque vlterius obesse potest, si asseratur, quod ad validitatem matrimonij requiratur consensus in copulam, ad quem coniux per matrimonij contractum se obligat; non inquam obesse potest, quia vt bene notat *D. Thomas tertia parte q. 29. art. 4. Suarez 3. part. qu. 29. art. 2. sect. 1. Sanchez lib. 2. disp. 29. nu. 4.* talis consensus in copulam dupliciter potest concipi, vel quod se teneat ex parte contractus, vel quatenus se teneat ex parte contrahentiū; sic Deipara Virgo dici potest, quod primo modo consenserit iuxta primum sensum, quatenus consentiendo in matrimonium consenserit in ea, quæ ad illud consequuntur, non autem iuxta secundum, qui consensus certè necessarius non est, vnde meritò dixit *D. Thomas in quarto dist. 30. qu. 2. art. 1. quæstiuncula 2. ad 3. Virgo implicitè consensit in copulam, at copula nunquam fuit in proposito, erat enim à Deo certificata, nunquam debere subsequi.* Dici etiam potest ad ea omnia, quæ hic objiciuntur iuxta mentem *D. Thomæ tertia part. qu. 29. art. 4. ad secundam*, quod Beata Virgo non vouerit castitatem antequam Ioseph desponsaretur, sed post desponsationem ex communi voluntate simul cum Sponso suo votum virginitatis emiserit.

2 (margin, beside "Sic primò")

Nō possunt abstricti voto perpetuo castitatis.

3 (margin, beside "benè notat Henriq")

Quando votum castitatis Virginis non irritauit eius sponsalia.

D. Thomas. Suarez. Sanchez.

Virgo consensit implicitè in copulam, copula tamen nunquam fuit in proposito.

Se-

4 *Non fidelis, cum infideli.*

Secundò, non potest sponsalia contrahere fidelis cum infideli per textum *in c. caue, & in cap. non oportet 28. qu. 1.* quià inter eosdem licitum non est matrimoniū; Hoc tamen vnum aduerterem, quod, si contraherent sub conditione, si infidelis conuerteretur ad fidem, tunc non inficiantur sponsalia

5 *Siluester. Cucus.*

Siluester verb. matrimonium d. §. 10. nu. 10. Cucus lib. 5. Instiut. tit. 12. nu. 93. & si conuertatur non indigeat noua ratificatione, atque ad hoc confirmandū adduci possunt ea, quæ diximus de consanguineis, seù affinibus contrahentibus sub conditione *si Papa dispensauerit*, atq; in his terminis sponsaliū fidelis cum infideli admittit *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contractu cap. 10. num. 320. vers. ad exemplum vers. sponsaliorum*, per textum *in c. cum non oportet 28. qu. 1.* vt etiam notauit *Cucus d. lib. 5. instit. art. 12. nu. 93.* licet neget in terminis sponsalium consanguinei cum consanguinea etiam posita illa conditione *si Pontifex dispensauerit*, cuius tamen negationis non videntur efficaces rationes per ea, quæ supra diximus, & ex eo, quod sint inhabiles de præsenti, non proptereà tollitur, quod de præsenti nō possint se obliga- pro tempore, pro quo reddentur ex dispositione habiles, hac ratione docet *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 15.* quod impeditus ex impotentia temporanea ad contrahendum possit contrahere sponsalia relatiuè ad illud tempus, quo impotentia illa cessabit, adeout adueniente illo tempore, non indigeat ratificatione, seù nouo actu consensus.

Bossius. Cucus. Sanchez.

6 *Non consanguinei, nec affines.*

Tertiò non possunt contrahere sponsalia per ea, quæ supra diximus, consanguinei, & affines in gradibus à iure prohibitis ad contrahendum matrimonium, quod intellige, nisi contraxerint, seù contrahant cum illa tacita conditione, vel expressa, *si Pontifex dispensauerit*, propter easdem rationes, de quibus supra.

7 *Requiritur ætas septennij. D. Thomas. Sanchez. Tabiena. Siluester.*

Assertio II. Regulariter nequeunt validè, & efficaciter contrahere sponsalia, qui septennium non compleuerint *D. Thomas tertia parte qu. 43. art. 2. in corp. Sanchez de matrimonio lib. 1. disp. 16. num. 2. Tabiena verbo sponsalia num. 5. Siluester eod. verb. num. 2. Bonacina qu. 1. punct. 4. num. 1.*, quod intellige, siuè in masculo, siuè in fœmina, nec obesse potest paritas à contractu matrimonij, in quo maior ætas in masculo, quam in fœmina requiritur, non, inquam, obesse potest, quià, vt benè notat *D. Thomas d. 3. part. qu. 43. art. 2. ad 3.* in sponsalibus attenditur solum tempus discretionis, quæ in vtroque quoad idem tempus non est diuersa; in matrimonio verò etiam motus naturæ, qui præcedit in muliere.

Intellige siuè in masculo, siuè in fœmina.

Expressè assertio colligitur ex dispositione iuris canonici *in c. unico de desponf. impuber. in 6. & c. literas eod. tit. & l. in contrahendis sponsal. in fine ff. de sponsal.*, nec incongrua sanè ratione hoc decernitur; quià ad validè contrahenda sponsalia requiritur talis ætas, qualis sufficiat in contrahentibus ad inducendam obligationem ex proprio consensu, seù promissione præstita, sed regulariter ante septennium completum non est ætas sufficiens ad contrahendam talem obligationem, quià pro illo tempore incipit solummodo libertas, & vsus rationis per textum *in l. si infanti §. vlt. iuxta l. potuit C. de iur. delib.*, ergò ante septennium non possunt regulariter contrahi sponsalia valida, & efficaciter quoad effectum obligandi. Confirmatur ratione D. Thomæ loco citato, quià efficax promissio sponsalium exigit prudentiam aliquam de futuris in promittente, cum sponsalia respiciant ex genere suo matrimonium de futuro, sed regulariter hæc prudentia de futuris haberi nequit ante septennium, & ante vsum rationis, qui in eodem septennio regulariter completur, ergò &c.

Promissio sponsalium exigit prudentiam de futuris.

8 Dixi *qui septennium non compleuerint* propter textum *in d. c. literas de desponf. impub.* vbi requiritur septennium completū: ibi: *Antequam septimum annum compleant*, quod tamen intellige, vbi non constaret aliunde de vsu rationis perfectè acquisito, nam si malitia supplente ætatem de illius perfecta acquisitione constaret ante septennium ex infrà dicendis nō est dubium, quin teneant sponsalia; si igitur de tali vsu rationis perfectè acquisito non constet (quidquid aliqui dixerint, quod, si modicum defecerit ad tale complementum, quod alij extendunt ad sex menses, alij ad minus pro libertate, & ex arbitrio restringunt, robur recipiat contractus, ex eo quod *Aristoteles secundò Physicorum* dixerit, quod vbi parum deest, nihil deesse videatur) asserendum absolutè est sponsalia non tenere *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 16. nu. 4. vers. verum probabilius. Alexander de Neuo c. literas de desponf. impub. in fin. Coarruu. 4. decretal. prima part. c. 1. n. 2.* Ratio autem ea esse potest, quià in iure præscribitur tale tempus, non quomodocunque, sed completum, quià nonnisi pro illo tempore præsumitur perfectus vsus rationis per iura superius allegata, ergò vbi non constat de illius perfecta acquisitione ius ipsum debet permanere in sua possessione, quod scilicet sponsalia non teneant, quod etiam exemplis euincitur, & præcipuè in professione Religiosa, ad quam requiruntur ex dispositione concilij Trident. anni sexdecim completi, adeovt si modicum temporis deficeret ad illorum complementum, absolutè sit inualida, & in testamento condito per minorē quatuordecim annorum, in quo, si modicum temporis defecerit, admittitur inualiditas per textum *in l. qua ætate ff. de testamentis*

Debet esse perfectè completum septennium, nisi constet de vsu rationis perfectè acquisito.

Aristoteles. Sanchez. Alexander de Neuo. Coaruuias.

Professio Religiosa ante decimum sextū annū completum irrita est.

mentis

9 Alexander de Neuo. Coaruuias

mentis. Non negauerim tamen, quod si vltima dies septennij fuerit incæpta, tenerent sponsalia, & hoc ob specialem fauorem matrimonij *Alexander de Neuo cap. litteras de despons. impub. in fin. Couaruuias loco cit.* Quod si dixeris, quod professio non teneat, si vltima dies anni sextidecimi sit tantum inchoata, non completa; tunc, præterquamquod multi asserunt professionem tenere, adhuc militat dispar omninò ratio, quià, cum agatur de obligatione perpetua nullo vnquam tempore reuocabili, iura requirunt complementum ad vnguem, sine quo prohibent huiusmodi professiones per Religionem, in qua profitetur, acceptari.

10

Excipe, nisi malitia suppleat ætatem.

D.Thomas

Dixi, *regulariter*, non enim negauerim, quod si malitia supplente ætatem ante septennium compleuerint contrahentes vsū rationis, possint ante illud validè sponsalia contrahere; atque iuxtà hunc sensum intelligendum existimo D. *Thomam in 4. distinct. 27. q. 2. art. 2. ad 7.* dum dixit, quod *in sponsalibus si appropinqnant contrahentes ad tempus septennij contractus sponsalium habeat robur*; dum autem explicat quanta debeat esse hæc propinquitas, reiecta aliorum opinione asserentium determinari ad sex menses, asserit quod melius est, quod determinetur secundum conditionem contrahentium, additque rationem, *quià in quibusdam magis acceleratur vsus rationis, quam in alijs*. Dum igitur S. D. refundit validitatem contractus in accelerationem vsus rationis, per consequens videtur asserere, quod præueniente malitia ætatem sponsalia ante præscriptam ætatem possint validè, & efficacitèr contrahi. Hoc idem senserunt *Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 3. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 13. nu. 9. Phyliarchus de offic. Sacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 1. Bartholomaeus à Ledesma de matrim. quæst. 43. art. 2. dub. 2. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. c. 37. Costanus de sponsalib. tit. qui possint contrahere sponsalia num. 2.* Ratio autem ea est, quià iura intantum præscribunt septennium, & vtique completum, in quantum regularitèr in ea ætate præsumitur, & aduenit vsus rationis, ergò si ex perfecta corporis deorganizatione acceleretur ante tale tempus vsus rationis, poterunt validè sponsalia celebrari; vbi enim est, quo iura intendunt contractum, & sine quo prohibent, non est, cur contractus non subsistat; proptèr quam rationem merito *Iuris Consultus in l. in sponsalibus ff. de sponsalibus* dicit, sat esse ad validitatem ipsorum, si sponsi intelligant id, quod agunt, ergò si præueniente malitia ætatem ante talem ætatem intelligunt, quod agunt, poterunt validè contrahere; Neque obesse potest, si asseratur, quod hac ratione iura perperam præscripsissent septennium, sicque consultius dixissent ad contrahenda sponsalia requiri vsum rationis, non septennium completum, prout notat *Abbas in c. iuuenis n. 5. de sponsalibus, Alexander Carrerius lib. 1. de sponsalib. c. 7. Angelus verb. matrimonium 3. impediment. 14. num. 2.* potissimum cum iura non solum habeant pro fine prohibitionis sponsalium, vt non contrahantur sine libero consensu, sed etiam sine periculo negationis talis consensus, nec casus particularis excipitur, vbi lex generalitèr concepta indefinitè prohibet; Non, inquam, obesse potest, quià iura præscribunt id, quod regularitèr, & vt plurimum euenit, adeoque præscripserunt septennium completum, quià in eo regularitèr euenit vsus rationis, nec simplicitèr dixerunt, quod possint contrahere, si habeant vsum rationis, quià voluerunt præscribere regulam, secundum quam præsumatur talis vsus rationis, & licet dicatur, quod non solum respexerint ad negationem actualis vsus rationis, sed etiam ad periculum talis negationis, nihilominus & negatio, & periculum negationis cessat, vbi constat de tali vsu *Ancharanus c. iuuenis de sponsal. num. 4. Alexander de Neuo c. literas de despons. impub. in fin.* Ad id, quod subditur, dicendum est, quod vbi in casu particulari suprascripto non militat ratio finalis legis prohibentis non continetur sub lege.

Abbas. Carrerius. Angelus.

Iura id præscribunt, quod regularitèr euenit.

Ancharan. Alexander de Neuo.

11

Validè non contrahunt qui adepti sunt septennium, non tamen vsū rationis.

Ex his, quæ dicta sunt facilè deducitur, quod, si contrahentes septennium compleuerint, & ex imperfecta membrorum deorganizatione non consecuti fuerint vsum rationis, non possint validè contrahere. Ratio ex eo deducitur, quià septennium completum, non ideò statuitur, quià iura præcisè velint talem ætatem secundum se nullo alio habito respectu, sed quià in illa regularitèr acquiritur, & præsumitur acquisitus vsus rationis, ergò si pro illa ætate, non acquisierint verè vsum rationis non poterunt validè contrahere; Hinc perpetuò amentes, quantumvis fuerint adulti prohibentur sic contrahere, & si contrahant, contractus non tenet iuxtà commune Theologorum, & Canonistarum placitum. Confirmatur argumento à contrario sensu deducto. Præueniente malitia ætatem validè ante septennium contrahuntur sponsalia per superius commendata, ergò subsequente solummodò, non concomitante malitia ætatem, in tali ætate non poterunt validè contrahi. Consequentia tenet, quià cessat ratio ætatis, vbi viget vsus rationis, ergò sicuti quandò hic est ante ætatem robur tribuit eidem contractui, ità quandò post illam ætatem adhuc non est, non poterit eidem vim aliquam conferre.

Cessat ratio ætatis, vbi viget vsus rationis.

12

Hinc nonnulla deducuntur, & primò, quod si alter ex huiusmodi contrahentibus compleuerit septennium, & consecutus

Non tenent sponsalia nisi vterq; assecutus fuerint vsũ rationis. D.Thomas Tabiena. Sanchez.

cutus fuerit perfectè vsũ rationis, altèr verò nec septennium, nec vsum rationis attigerit sponsalia absolutè non teneant per textum *in c. literas, c. accessit de desponsat. impub., & c. vnico in princip., & §. porro eod. tit. in 6. D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 2. art. 2. Tabiena verb. sponsalia nu. 5. Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsal. disp. 16. nu.* 5. Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, quod scilicet sponsalia sint contractus vltro citroque obligatorius, & exigant ex vtraque parte promissionem, ergò altero promittente, altero non promittente, cum non habeat requisita ad validè promittendum, sponsalia in ratione contractus non poterint subsistere. Dixi, *in ratione contractus*, proptèr controuersiam, quæ à nonnullis excitatur, an scilicet ille, qui septennium compleuit, & attigit vsum rationis, saltèm obligetur ad contrahendum, si alter postquam deuenerit ad vsum rationis rata habeat sponsalia antecedentèr inita eisque stare velit; Circa, quam controuersiam *Tabiena d. verb. sponsalia nu.* 5. asserit, quod quantumvis sponsalia non teneant etiam ex parte maioris septennio, quià non debent claudicare, teneatur tamen ille maior expectare ne frangat fidem, & si alter postquam peruenerit rata habeat sponsalia, eisque stare velit non possit ille recedere, & *Panormitanus in c. de illis de despons. impub.* dicit, quod contractis sic sponsalibus inter maiorem, & minorem possit quidem hic factus maior contradicere, non sic ille. Alij è contrà sentiunt, quod, cum promissio non teneat, nisi sit acceptata, & acceptari nequeat ex incapacitate alterius ideò non minus videatur liber minor postquam peruenerit ad vsum rationis ad non standum contractui, ac ipse maior, cum eius promissio non sit acceptata; vndè meritò *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad sextum*, respondens cuidam instantiæ de duobus trahentibus nauim, quorum vnus supplet defectui alteriùs asserit hoc non militare in duobus contrahentibus sponsalia, quorum alter quantumvis sit maior non potest supplere defectum minoris per super excessum propriæ ætatis, quià sunt duo contrahentes, & non agunt per modum vnius, vt fit in trahentibus nauim, sed per modum duarum personarum, & in vnaquaque ipsarum habilitas propria requiritur, quæ si in vna deficiat, non potest per alteram suppleri sicque absolutè deficit contractus, & promissiones sunt irritæ. Sentiendum absolutè existimo, quod quantumvis sponsalia sic inita non subsistant in ratione contractus antequam minor, postquam peruenerit ad vsum rationis, rata eadem habuerit, nihilominùs maior, qui absolutè promisit teneatur promissa seruare, si alter voluerit, nec possit recedere, si alter, postquam peruenerit ad vsum rationis, noluerit. Ratio ex eo deducitur, quià maior sic contrahens absolutè suam fidem obligat alteri, vel saltem sub tacita conditione, si alter repromiserit illamque promissionem acceptari, ergò quoadvsque ille alter, vel respuerit peruentus ad vsum rationis, vel acceptauit obligatus remanebit, nec poterit à promissione recedere: non enim præsumitur, quod illusione, & inanitèr promiserit, sed cum effectu se obligandi, si alter voluerit, ergò debet expectare quovsque alter possit velle, non enim pro illo tempore, pro quo promisit, alter poterat efficacitèr velle, atque hæc verificari existimo ad normam eorum quæ dicuntur de minoribus, qui contrahendo alios sibi met ipsis obligant, non se alijs per ea, quæ dicta sunt *tom. 1. sub tit. Contractus IV. de emphyth., & censib. prænot. 17. num. 21.*, ex eo autem, quod ipse non se obliget sequitur, quod eidem detur optio ad perficiendum contractum, vel non perficiendum; Neque obesse potest, id quod dicitur *in c. litteras de desponsat. impub., & c. accessit*, quod scilicet si quis maior desponsauerit minorem septennio, & deindè non expectato septennio matrem eiusdem carnalitèr cognouerit, & duxerit in vxorem teneat matrimonium; ex quo textu duo sequuntur; primum, quod non teneatur expectare complementum septennij ad exquirendum alteriùs consensum, sed liber sit antecedentèr ad contrahendum cum alia; secundum, quod, cum ex illis sponsalibus sic contractis non oriatur impedimentum publicæ honestatis, sequatur quod nullum effectum possint producere, adeoque nec inducere obligationem in altero contrahente; Non, inquam, obesse potest, quià ex eo, quod matrimonium posteà subsequutum cum matre pupillæ priùs desponsatæ teneat, non sequitur quin ipse maior nõ fuerit obligatus versus eandem pupillam desponsatam, quandòquidem etiam sponsalia absolutè inita inter personas habiles obligant, & tamen per superueniens matrimonium cum altero dissoluuntur, quià vinculum fortiùs tollit minùs forte, sic etiam votum simplex castitatis obligat; & tamen si posteà matrimonium superueniat, vtique tenet nemine discrepante. Igitur ex eo, quod obligationi maioris superueniat matrimonium sequitur quidem, quod peccet contra fidelitatem præstitam, non autem quod illa obligatio perimat matrimonium, si posteà fuerit subsecutum. Ad illud, quod subditur dico, quod ex eo, quod ex illo contractu non sequatur impedimentum publicæ honestatis arguatur quidem, quod sponsalia non teneant in ratione contractus, non autem, quod non obligent maiorem ad seruandum promissa, si alter eis-

An maior teneatur expectare vsum rationis minoris duplex, sententia. Tabiena. Panormitanus.

D.Thomas

13

Præfertur sententia asserens teneri expectare.

Satisfit rationibus oppositis, & explicatur textus in c. literas de despons. impub.

dem stare velit; impedimentum autem publicæ honestatis consurgit quidem ex contractu ex vtraque parte valido, non autem ex obligatione tantum ex altera parte, non mutua.

PRÆNOTIO III.

An per alias personas, & per quasnam possint inter minores septennio contrahi sponsalia, & quomodo obligant.

SVMMARIVM;

Possunt parentes pro filijs ante septennium contrahere, qui tamen non obligantur si adepto septennio reclamauerint. 1.
Filij quoad matrimonium non dependent à parentibus, 2.
Ad validanda sponsalia filiorum per parentes sufficit, quod filij in tempore non reclamauerunt, 3.
Tempus ad reclamandum post notitiam debet prudenter taxari. 4.
Possunt alij in parentibus pro filijs impuberibus contrahere, non tamen filios obligare si postea non consenserint per actum, vel implicitum, vel expressum. 5.
Impuberes postquam deuenerint ad vsum rationis non tenentur stare sponsalibus pro ipsis contractis ante septennium, vel à parentibus, vel ab alijs. 6.
Excipe in casu, quo ob grauissimas causas ob bonum pacis necesse esse filios parentibus annuere. 7.
Sponsalia celebrata per parentes pro filijs maioribus præsentibus, & tacentibus regulariter essent, & obligant, non sic celebrata per alios nisi consensum illi expresserint. 8.
Nomine parentum, qui possunt contrahere pro filijs ad effectus prædictos venit tam Pater, quam mater. 9.
Venit item Auus Pater Patris si ille regat vniuersam familiam. 10.
Non tamen venit, Frater quoad effectum obligandi Fratrem, vel sororem minorem ad standum sponsalibus pro eisdem præsentibus, & tacentibus initis. 11.
Etiam si gereret curam minorum. 12.
Nec tutores, nec curatores. 13.
Nomina filiorum quoad hunc effectū non solum veniunt filij sub potestate parentū, sed etiam emancipati. 14.
Nec solum legitimè, sed etiam naturales, & spurij. 15.
Excipe nisi filij tacerent ob metum reuerentialem parentum. 16.
Quid veniat nomine metus reuerentialis. 17.
Sponsalia ante septennium ratificantur, siuè per consensum expressum, siuè tacitum. 18.
Ratificatio tacita inducitur, vel per cohabitationem in domo Patris sponsi, vel sponsæ. 19.
Per mutuam appellationem sponsi, & sponsæ factam per eosdem filios post vsum rationis num. 20.
Per mutuos amplexus, & oscula. 21.
Per traditionem munusculorum, & receptionem. 22.
Item per subarrationem annuli vbi consuetudo id postulat. 23.
Ad huiusmodi ratificationem tacitam requiritur, quod sponsi sciant contractum per parentes fuisse initum. 24.
Vlterius requiritur, vt cognouerint non esse inualida. 25.

PRosequimur materiam causæ efficientis sponsalium per ordinem ad eos, qui nomine aliorum contrahunt; & primo sub hoc titulo inquiretur, an parentes pro filijs possint ante septennium contrahere sponsalia. Secundò an alij ab ipsis parentibus. Tertiò an filij post septennium teneantur stare contractui per parentes, vel per alios proprio nomine inito. Quartò an si parentes, vel alij contraxerint pro filijs præsentibus etiam completo septennio, & tacentibus, & non contradicentibus, teneantur eidem filij stare contractui per eosdem parentes, vel alios celebrato. Quintò ex suppositione, quod huiusmodi sponsalia sic celebrata ante septennium non tenerent an per ratificationem possint conualidari, & quomodo.

1 *Cōtrahunt parētes pro filijs non tamen obligat si reclamauerunt.* Coninch. Bonacina. Sanchez. D.Thomas Paludanus. Henriquez

Assertio I. Possunt parentes pro filijs etiam ante septennium contrahere sponsalia, quæ tamen ipsos non obligant, si postquam peruenerint ad vsum rationis, & resciuerint esse per eosdem contracta reclamauerint, & contradixerint. *Coninchus disp. 21. dub. 3. Bonacina de matrim. quæst. 1. punct. 4, num. 8. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalibus disp. 23. nu. 5.* Expresè euincitur *ex c. si infantes de desponſ. impub. lib. 6.* hocq; etiam sentire videtur *D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 2. art. 2. ad 1. Paludanus ibidem qu. 1. art. 1. concl. 1. nu. 4. Henriquez lib. 1. de matrim. c. 13. nu. 5. Ancharanus c. vnico §. porro num. 3. de desponſ. impub. in 6.*

Parentes plus diligunt filios, quam seipsos. Sanchez.

Ratio primæ partis ex eo desumitur, quià in hac hypothesi cessat quæcunque præsumptio præiudicij respectu filiorum, & interpretatiua voluntas ipsorum non formalis, cum hæc esse non possit, & hoc ex ratione, quià parentes plus filios diligunt, quam seipsos *l. isti quidem ff. de eo quod metus causa*, & per consequens videntur rectè eorum vtilitati, & bono consulere *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalibus disp. 23. nu. 3.* Neque obesse potest, si asseratur absolutè prohibitū esse contrahere sponsalia ante acquisitum vsum rationis, & completum septennium *c. litteras de desponsat. impub.*, *& c. 1. eod. tit.* non inquam, obesse potest, quià illa prohibitio, est dumtaxat ad effectum non obligandi infantes, nisi completo septennio rata habue-

Textus in c. literas de desponsat. impub. non prohibet per parẽtes cõtrahi sponsalia pro filijs impuberibus.

buerunt sponsalia per parentes nomine ipsorum antecedentèr celebrata; cæterum *ex d. c. literas de desponsat. impub.* non inuoluitur hæc prohibitio, quin potius firmatur oppositum; ibi etenim dicitur, quod si pubes, qui promisit minori septennio, contraxerit matrimonium cum matre eiusdem, antequam minor peruenerit ad septennium teneat matrimonium cum matre contractum, si verò cum matre contraxerit postquam minor ad septennium deuenerit, non teneat, sed sit absolutè dissoluendum; ex quibus manifestè deducitur, quod non sit prohibitum ante septennium per parentes contrahi. Deindè dum DD. communitèr inquirunt, an quando parentes pro infantibus contrahunt sponsalia satis sit, quod infantis postquam peruenerint ad vsum rationis rata illa habeant tacendo, an vero requiratur vlterius consensus tacitus, vel expressus dum, inquam, hoc inquirunt, vtique firmant non esse prohibitionem ad contrahendum ante septennium.

2 Ratio secundæ partis ex eo euincitur, quià quantumvis filij subsint potestati parentum, in ijs tamen quæ spectant ad statum matrimonij ab illis non dependent cum sint omninò sui iuris. *Bonacina in 4. præcep. Decalogi punct. 3. D. Thomas in 4. dist. 29. qu. vnica*, qui etiam rationem adducit consistentẽ in eo, quod ex matrimonio est quædam quasi seruitus perpetua ad quam filius, vt potè liber non potest à Parente induci; Neque obesse potest textus *in cap. 1. de desponsat. impub.* vbi dicitur filiũ debere adimplere matrimonium, quod pro se nondum adulto. Pater contraxit; non, inquam, obesse potest, quià vt bene notat *Bonacina de matrim. q. 1. punct. 4. n. 9. vers. neque obstas*, ille textus intelligendus est de debito honestatis, & conuenientiæ, non verò de necessitate alicuius obligationis coactiuæ, seù præcepti, prout etiam notat *Glosa in d. c. 1. de desp. impub.*

Matrimoniũ est quædam seruitus perpetua.
D. Thomas
Bonacina.
Glosa.

3 Hic oritur difficultas, an ad inducendum validitatem contractus sponsalium per parentes nomine filiorum, qui nondum ad septennium peruenerunt initorum satis sit, quod ijdem filij facti maiores non reclamauerint, sed simplicitèr tacuerint, an verò vlterius requiratur consensus, vel formalis, vel tacitus in signis externis exhibitus. Ex mente *D. Thomæ in 4. dist. 27. qu. 2. art. 2. ad primum* respondendum existimo sufficere si scientes sponsalia fuisse per parentes contracta tunc non reclamauerint, sed tacuerint ad tempus conueniens, cui adherent *Paludanus ibid. qu. 1. art. 1. concl. 1. n. 4. Victoria in summa de matrimonio nu. 267. Sotus in 4. dist. 27. qu. 2. art. 2. ad secundum, Bartolomæus à Ledesma de matrim. dub. 11. concl. 3. Petrus de Ledesma de matrimonio qu. 43. art. 2. dub. vlt. concl. 2.* *Manuel in summa tom. 1. in secunda editione c. 243. n. 5. Ancharanus c. vnic. §. porro nu. 3. de desponsat. impub.* Ratio autem ea esse potest, quià cum præsumatur talis contractus, vt potè à parentibus initus, qui magis ex allegatis iuribus diligunt filios, quam seipsos, maximè eisdem filijs fauorabilis, taciturnitas earum cum scientia habatur pro consensu *l. in sponsalibus § 1., & ibi Bartolus ff. de sponsalibus l. si seruus §. fin. ff. de donat. inter vir., & vxor.*, & in vtilibus taciturnitas eius, pro quo alius contrahit habetur pro ratificatione *Bartolus post glosa in l. quo enim in princip. ff. rem rat. hab. Not. in l. si filius ad Macedon.* Vlterius ex eo euincitur, quod si filij septennium compleuerint, & parentes pro eisdem contrahant præsentibus, & tacentibus taciturnitas ipsa pro consensu habetur per textum *in c. vnico §. fin. de desponsat. impub. in sexto, Glosa in c. honorantur verbo non. de sponsal. 32. qu. 2. Villalobos in commun. lit. M. nu. 60. Nauar. in sum. c. 22. nu. 58. Manuel primo tom. summa secunda edit. c. 234. n. 4. Riccardus in 4. dist. 27. art. 1. q. 3. ad secundũ Victoria in summa n. 250. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. vers. præsens autem*, ergò etiam si non compleuerint, quando contractus est initus per parentes, postquam tamen compleuerint, si sciuerint per eosdem fuisse contractum, & tacuerint, & non reclamauerint, taciturnitas ipsa erit computanda pro consensu, Consequentia probatur, quià quod præsentes fuerint celebrationi contractus, quando erant habiles ad contrahendum, & tacuerint, & quod sciuerint esse contractum, quandò erant maioris, & habiles, nec reclamauerint paria sunt; Neque dicas, quod quando puer præsens est, & intelligit, quod nomine suo agitur præsumatur, quod faciliùs sit reclamaturus, si non intendit assentiri, quam si sit absens, quià sæpè obliuiscitur, vt reclamare non curat fortè existimans se postmodum posse reclamare *Ioannes Andreas d. c. vnico n. 2., & ibi Franchus nu. 4. de desponsat. impub. in 6. Cardinalis c. 1. nu. 2. de desponsat. impub. Corduba in summa qu. 193. Vega lib. 6. summa c. 31.*, contra enim impugnaberis, quià non video hanc maiorem facilitatem reclamandi, dum est præsens, & intelligit ea, quæ nomine ipsius fuerint, ac quando, vel est absens, vel à statu minoritatis peruenit ad vsum rationis, & septennium completum, & tunc nouit, quæ nomine ipsius facta sunt, quandòquidem tunc sine erubescentia, quæ vt plurimum ex præsentia consurgit potest contradicere, & crebro sine difficultate absentes negamus id, quod præsentes erubesceremus denegare. Dicere deindè, quod sæpè obliuiscitur non facit ad rem, quià ea, quę inuiti suscipimus, nobisque possunt aduersari in mentibus figuntur, vt ea repellamus;

Sufficit, quod filij non reclamauerunt.
D. Thomas
Paludanus.
Victoria.
Sotus.
Bartolomæus à Ledesma.
Petrus de Ledesma.
Manuel.
Ancharanus.
Taciturnitas in fauorabilibus habetur pro consensu.
Bartolus.
Glosa.
Glosa.
Villalobos
Nauarrus.
Manuel.
Riccardus
Victoria.
Sotus.
Ioannes Andræas.
Francus.
Cardinalis.
Corduba.
Vega.
Sine rubore negamus absentes, quæ præsentes non negaremus.

quare merito dicitur, quod taciturnitas eius cuius necessarius est consensus ad perficiendum contractum, quià de ipsius interesse agitur, si contradicendo impedire potuit pro consensu habeatur *l. fideiussor § Pater Seij ff. de pignor. l. Caius ff. de pign. act. l. sæpe ff. de re iudic. c. quamuis eod. tit. Ludouic. Romanus in l. qua dotis ff. sol. matrimon.* præcipuè si talis taciturnitas fuerit inter propinquos *l. seruus communis ff. de donat. inter vir. & vxor. l. 2. §. voluntatis ff. solut. matrim. l. quidam ff. de euict. Albericus in l. filius famil. n. 4. ff. de procurat.*

Explicatur textus in c. vnic. §. fin. de despon. impub. in 6.

Neque ijs, quæ dicta sunt, aduersari potest textus *in c. vnico §. fin. de despons. impub. in 6.* in quo videtur assignari discrimen inter sponsalia inita per parentes nomine filiorum præsentium, & tacentium, & inter contracta pro eisdem absentibus, quod idem intellige de eisdem contractis tempore, quo ijdem filij erant inhabiles ad consentiendum, adeout primo modo teneant; non sic secundo, nisi postea scientes ratificauerint tacitè, vel expressè; Non, inquam, aduersari possunt, quia sicuti tacitè consentire præsumuntur, quando sunt præsentes, ex eo præcisè, quod taceãt, & non reclament, ita tacitè intelligũtur ratificare, quando redduntur scientes de huiusmodi contractu inito per parentes, & possunt contradicere, nec contradicunt, vnde in hoc secundo casu textus tantum intendit, quod debeant minores, postquam peruenerint ad ætatem, & vsum rationis sufficienter certiorari, in quo casu si non reclamauerunt, intelligantur tacitè ratificare.

4 *Tempus ad reclamandum remittitur arbitrio prudentis.*

Dixi, *ad tempus conueniens*; non enim rem ita restringerem, vt teneantur statim, ac conscij facti fuerint, reclamare, sed tale tempus relinquendum est, quale regulariter conceditur ad deliberandum in re graui, & magni ponderis, quo elapso non erit amplius eisdem liberum reclamare; quinnimo ex eo, quod tale tempus pertransierit, vehementior ratio præsumitur pro consensu, eo quod cum intra illud reclamare potuerint, & non reclamauerint, præsumatur ratam habere fidem parentum datam pro sponsalibus.

5 *Etiam alij à parentibus pro impuberibus contrahunt & quomodo obligent.*

Assertio II. Possunt etiam alij à Parentibus pro filijs ante septennium sponsalia contrahere, quæ tamen eosdem filios non obligabunt, nisi postquam peruenerint ad vsum rationis certiorati de eisdem vel expressè, vel tacitè consenserint. Quoad primam partem *Glos. c. vnico §. fin. verb. sponsalia de desponsat. impub. in 6. Hostiensis in c. 1. & ibi Ancharanus num. 2. eod. tit. Manuel. primo tom. summa secunda edit. cap. 234. n. 4.* Quoad secundam est directè cõtra DD. mox citatos, pro prima, & est *Paludani in quarto dist. 27. qu. 1. art. 1. concl. 3. nu. 4. D. Antonini tertia part. tit. 1. cap. 2. ante §. 1. in fin. Glos. in c. 1. de matrim. contr. verb. præsente, & ibi Innocentius nu. vnic. Abbas nu. 2. Cardinalis nu. 1. Alexander de Neuo nu. 10.*

Glosa. Hostiensis Ancharan. Paludanus D. Antoninus.

Glosa. Innocent. Cardinalis Abbas.

Prima pars in primis ex eo facilè liquet, quia frustatoria omninò esset quæstio, quam excitant communiter tàm Theologi, quam iuris canonici Interpretes inquirentes, an sit speciale priuilegium parentum, quod vbi contraxerint pro filijs absentibus, vel minoribus septennio sufficiat taciturnitas sine contradictione, vbi illi certiorati fuerint, vel peruenerint ad vsum rationis, si alij ab ipsis non possent huiusmodi sponsalia sic contrahere, vt ex se patet. Deinde per illum contractum initum per alios à parentibus pro filijs impuberibus, nullum præiudicium ipsis infeatur, quia potius ex illo posse ipsis fauor induci, nam si nolint assentiri, postquã peruenerint ad vsum rationis, possunt cõtradicere, vel non ponere actum, per quẽ ponatur tacitus consensus, & cum sponsalia sint naturalitèr expetibilia, & regularitèr fauorabilia, contrahens pro ipsis videatur eorum negotium vtilitèr, & fauorabilitèr agere; neque obesse potest textus *in c. 2. de despons. impub.* vbi sic legitur; *Districtius inhibemus, ne aliquis, quorum vterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur, nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpotè pro bono pacis talis coniunctio toleretur*; vbi aliqui asserunt esse culpam lethalem ante legitimam ætatem impuberes coniungere *Paludanus in 4. dist. 28. qu. 2. art. 1. nu. 8. & 10. Rosella verb. matrimonium 2. nu. 6. Angelus d. verb. matrimonium 3. impedimento 16. nu. 7. Siluester eod. matrimonium 5. qu. 6. Nauarrus in summa c. 22. nu. 31. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. nu. 13. Petrus de Ledesma de matrimonio qu. 43. art. 2. dub. 3.* quod præcipue aliqui intelligunt, quando alij ab ipsis impuberibus contrahunt, & sine mandato *Siluester verb. sponsalia num. 3.* & text. intelligitur etiam de sponsalibus. *Innocentius eod. cap. 2. de desponsat. impub. Sotus in 4. dist. 27. qu. 2. art. 2. ad 1. Nauarrus in summ. cap. 22. nu. 31. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. nu. 13. Petrus de Ledesma de matrim. qu. 43. art. 2. dub. 3* Non, inquã, obesse potest, quia talis textus nullo modo procedit de sponsalibus, prout notant *Panormitanus d. cap. 2. nu. 5. & ibi Praepositus nu. 2. de desponsat. impub. Petrus de Ledesma loco cit. Manuel tom. 1. summa in secunda edit. cap. 244. nu. 2.* quod tum ex verbis eiusdem textus euincitur, tum ratione congruenti; verbis quidem, quia in eodẽ dicitur, *coniungantur*, quod verbum intelligi nequit de simplicibus sponsalibus, per quæ non fit coniunctio, sed coniunctionis promissio *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 17. nu. 4.* verba etenim penalia

Proponitur textus ex aduerso, & dissoluitur.

Paludanus Rosella. Angelus. Siluester. Nauarrus. Henriquez

sunt

Loquitur de matrimonio, non de ſponſalibus.

ſunt reſtringenda iuxta ſonum proprium verborum, non extendenda, ratione item congruenti, quandoquidem nec iniuria infertur ſacramento, cũ ſacramentum non ſit, nec præiudicium eis, quorum nomine ineuntur, quandoquidem ex eis non obligantur, niſi poſtea conſentiant.

Ratio ſecundæ partis deducitur ex *cap. vnico §. final. de deſponſ. impub. in 6.* vbi ſingulariter de parentibus contrahentibus pro filijs, ſiue præſentibus, ſiue abſentibus ſtatuitur, quod ſponſalia teneant, ſi ipſi filij poſtquam ſciuerint contractum initũ non reclamauerint, quod vtique non eſt extendendum ad extraneos contrahentes pro ipſis, cum in ipſis non tantus amor ſupponatur, ſicuti in parentibus, nec filijs, ita facile alijs præſumantur aſſentiri ſicuti partibus; vnde in ordine ad ſponſalia impuberum pro ipſis contracta non ſufficere videtur ſimplex taciturnitas poſt ſcientiam, ſed vlterius requiritur quid aliud, per quod manifeſtatur conſenſus, ſeu ratihabitio, quod innuiſſe videtur *D. Thomas in 4. diſt. 27. qu. 1. art. 2. queſtiuncula 2. & 3.* vbi ſic habet: *Verba parentum computantur in caſu illo, ac ſi eſſent puellæ ſunt enim ſufficiens ſignum, quod ſunt eius, ex quo non contradicit.* Quomodo autem habeatur hic tacitus conſenſus, & quid importare debeat ſupra ſimplicem taciturnitatem, ex dictandis in ſequenti aſſertione innoteſcet.

In ſponſalibus celebratis per alios à parentibus pro impuberibus non ſufficit taciturnitas eorumdem impuberum

6 *Non tenentur ſtare ſponſalibus ab alijs pro ipſis contractis.* Bonacina.

Aſſertio III. Impuberes poſtquam deuenerint ad vſum rationis, ſeu ad ſeptennium completum, non tenentur ſtare ſponſalibus ſiue à parentibus, ſiue ab alijs celebratis ante ſeptennium. *Bonacina de matrimonio qu. 1. punct. 4. nu. 9.* & in hoc conſentiunt omnes tam Theologi, quam Canoniſtæ. Expreſsè deducitur ex ijs, quæ ſuperius dicta ſunt; in ijs etenim, quæ pertinent ad matrimonium infantes, ſeu, qui ſub patria poteſtate ſunt ſui iuris, nec dependent à voluntate parentum; & vlterius euincitur *ex d. c. vnico §. fin. de deſponſat. impub. in 6.* vbi ſic legitur: *Si ijdem filij tempore ſponſaliorũ abſentes, & etiam ignorantes eadem ſponſalia poſt ſcientes ratificauerunt tacitè, vel expreſsè, aliàs ex ſponſalibus contractis à parentibus pro filijs, nec ipſi filij obligantur nec publicæ boneſtatis iuſtitia inde ſurgit;* dum igitur textus dicit quod teneant, ſi ratificauerint, non teneant ſi non ratificauerint, ſequitur quod poſtquam ſciuerint liberi ſint ad ratificandum, & non ratificandum, adeoque non teneantur eiſdem ex neceſſitate ſtare, atque ſi hæc valent, quando ſunt maiores ſeptennio, & ſunt abſentes, non video, cur valere non debeant, quando contractus initus fuit ipſis inhabilibus ad contrahendum, & conſentiendum; Neque obeſſe poteſt textus *in capi. 2. de deſponſ. impub.* vbi dicitur; *& poſtquam filius peruenerit ad perfectam ætatem omnino debet hoc adimplere.* Non, inquam, obeſſe poteſt, quia ex ſuperius dictis, & iuxta Gloſam *in dict. 1. de deſponſat. impub.* Illud dictum debet intelligi de debito honeſtatis, non neceſſitatis.

Minus officere poſſunt ea, quibus nonnulli aſſerunt filios teneri ſub peccato lætali etiam in materia matrimonij obedire parentibus, vel ex eo, quod ſibi ſint correlatiua, parentes teneri curam habere filiorum, & filios teneri obedire parentibus, quo argumento vtitur *D. Paulus ad Hebræos* 13. loquens de iure Prælatorum; quod etiam verificatur in ordine ad nuptias, quandoquidem de iure gentium non eſt filiorum præcipuè fœminarum exiſtentium ſub cura parentum, quærere nuptias, ſed hoc munus parentum eſt, quod etiam confirmatur per ius canonicum, cum *c. aliter 30. qu. 5.* vbi habetur, quod pro nupta non habeatur puella, quam Pater non deſponſat, & *in c. honorantur 32. qu. 2.* vbi ex Diuo Ambroſio dicitur non eſſe virginalis pudoris maritum eligere, ſed iudiciũ parentum expectare; Minus, inquam, efficere poſſint, quia, vt inquit *D. Thomas ſecunda ſecunda qu. 104. art. 5. in corpore* in ijs, quæ ad proprij corporis ſuſtentationẽ, prolisque generationem attinent, omnes homines ſunt pares, nec filij ſubijciuntur parentibus, cum præcipuè per matrimonium homo perpetuæ ſeruituti obligetur, cum pater filium inuitum nequit obligare. Quamobrem ad ea, quæ in particulari dicuntur in inſtantia, dicendum eſt eſſe etiam ſibi correlatiua cura, & ſubiectio in ijs, in quibus ex ipſa naturæ diſpoſitione filius non conſtituitur liber, & in quibus non dependet à Patre, & licet dicatur eſſe proprium munus parentum prouidere filio de nuptijs, hoc intelligendum eſt annuẽtibus eiſdem filijs, prout annuere debent ex quadam conuenientia, & honeſtate, non autem ipſis diſſentientibus. Ad ea, quæ ſubduntur, dicendum eſt eſſe quidem valde honeſtum ſequi parentum conſensũ, non autem neceſſarium; quod ſi dicatur, non dici puellam nuptam, quod Pater non deſponſat, aſſerendum eſt hoc intelligi non de inualiditate matrimonij, nullus enim negat, quod ſi fœmina nupſerit etiam inuitis parentibus, teneat matrimonium, ſed ſecundum præſumptionem, quatenus non interuenientibus illis conditionibus, præſumitur clandeſtina deſponſatio; cæterum, ſi euinceret quid inſtantia, euinceret etiam, quod nullum eſſet matrimonium, quo fœmina ipſa non dotaretur, & non cuſtodiretur à paranimphis, & tempore opportuno ſacerdotalitèr cum precibus, & oblationibus à Sacerdotibus non benediceretur, cum hæc omnia in dicto textu æquo primò importetur.

Sequi parentum concilium etiam quo ad nuptias honeſtum eſſe, non tamen neceſſarium.

Exci-

7 Exciperem tamen ab hac doctrina casum, quo ob grauissimas causas necessarium esset parentibus, quod filius iniret talia sponsalia, & matrimonium cum tali persona celebraret, puta ad graues inimicitias componendas, quæ feruent inter parentes, & consanguineos eorum, cum quibus sunt ineunda sponsalia, vel matrimonium, tunc etenim filij sub læthali tenentur parentum necessitati consulere, ad ea euitanda mala per consensum ad sponsalia, vel matrimonium *Calderinus c. 1. de desponsf. impub. Nauarrus in summa cap. 14. n. 15. D. Thomas in 4. dist. 29. qu. vnica art. 4. in corpore, & ibi D. Bonauentura qu. 3. Viguerius lib. Institut. cap. 16. §. 7. vers. sexto. Belarmin. lib. 1. de matrimon. cap. 19. prop. 3. Petrus de Ledesma de matrimon. qu. 47. art. 6. dub. 2. concl. 2.* Verba refero *D. Thomæ loco cit. Sed potest eum inducere ex rationabili causa, & tunc sicuti se habet filius ad causam illam, ita se habet ad præceptum patris, vt si illa causa cogat de necessitate, vel de honestate, & præceptum similiter cogat, aliàs non.* Rationemque exceptionis plurimi deducunt ex eo, quia ex pietate filij tenentur subuenire parentum necessitati, etiam præscindendo quodammodò ab eorum præcepto. *Ricchardus in 4. dist. 29. art. 1. qu. 4. ad secundam. Petrus de Ledesma de matrim. qu. 47. art. 6. dub. 2. concl. 3.*

Nonnullæ exceptiones ad prædicta

Calderin. Nauarrus. D. Thomas D. Bonauentura. Veguerius Bellarmin.

Riccardus. Petrus de Ledesma.

8 Assertio IV. Si sponsalia celebrata fuerint per parentes pro filijs, qui peruenerint ad legitimam ætatem, & præsentes fuerint, & non contradixerint, tenent regulariter sponsalia, nec possunt amplius eidem filij contradicere, nec à contractu sic inito resilire; secus si fuerint ab alijs à parentibus celebrata eisdem filijs præsentibus, & non reclamantibus, tunc etenim debent vlterius eidem filij vel tacitè, vel expressè consentire. Quoad primam partem constat ex superius dictis, eamque sustinent *Glosa c. honorantur verb. non 32. qu. 2. Villalobos in communib. lit. M. num. 60. Nauarrus in summa c. 22. nu. 21. Glosa c. vnico de desponsat. impub. in 6. §. fin. verb. sponsalia. Sotus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. vers. præsens autem Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. c. 39. Vega lib. 3. summa c. 152.* Quoad secundam *Paladanus in 4. distinct. 27. q. 1. art. 1. concl. 1. nu. 4. D. Antoninus tertia parte tit. 1. c. 2. ante §. 1. in fin. Vera Crux prima part. specul. art. 5. in fin. Archidiaconus cap. vnico de desp. impub. in 6 prope finem. Panormitanus cap. nonne de præsumpt. Coaruuias 4. decretalium secunda pars. c. 4. in init. n. 4.*

Taciturnitas filiorũ maiorum quando sufficiat, & quando nõ.

Glosa. Villalobos Nauarrus. Sotus. Lopez. Vega. Paludanus D. Antoninus. Vera Crux Arch. Diacon. Panormit. Coaruuias

Prima pars facilè deducitur ex motiuo nimiæ dilectionis in filios, quam habent parentes, quæque non præsumitur in alijs, ex qua possunt ijdem filij sibi suadere, quod illi sibi rectè consulant, non isti, de quo latè actum est suprà. Hic solum remanet ambigendum, quinam veniunt nomine parentum in hypothesi huius assertionis; an solum Pater, & mater; an verò etiam auus ex parte vtriusq; an fratres, & an item tutores, & curatores siuè à Patre, siuè à iure, siuè à Iudice destinati. Item quinam veniant nomine filiorum prout pertinet ad præsentem controuersiam, an scilicet solum existentes sub patria potestate, an etiam emancipati, an soli legitimi, an etiam spurij.

Dilectio parentum in filios est præsumptio vehemens consensus.

9 Quoad ea, quæ veniunt nomine parentum non est dubium, quià veniant æque Pater, & mater *Ioannes Andreas. Abbas, & DD. communitèr in d. c. vnico de desponsat. impub. in 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. n. 159. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 23. n. 9. Paludanus in 4. disp. 27. q. 2. art. 3. concl. 4. n. 19.*, & ratiò deducitur primo, quià *in d. cap. vnic. de desponsf. impub in 6.* sermo est de parentibus, non præcisè de Patre; nomine autem parentum nemine discrepante venit tàm Pater, quàm mater; secundò, quià motiuum, ob quod contractus per Parentem initus in præsentia filiorum tacentium, & non reluctantium in iure admittitur, & obligat filios est nimia, & præcipua dilectio eiusdem Patris in filios, sed mater non minus diligit filios, & curam eorum habet, ac Pater, ergò &c. tertiò, quià filij æquè subduntur Patri, ac matri, ergò &c.

Nomine parentum venit tam Pater, quam Mater. Ioannes Andreas. Abbas. Bossius. Sanchez. Paludanus.

10 Quoad auum Patrem Patris maior est difficultas, & etiam de auo patre matris, quandòquidem veniunt appellatione Patris, & matris per ea, quæ nos etiam docuimus *tom. 4. sub tit. contractus XI. de pign., & Hypoth. pranot. 5. sect. 13. 97.* vbi loquentes de priuilegio, quo gaudent plerique parentes, ne ratione dotis conueniantur vltrà id, quod commodè possunt, diximus filios defuncto Patre non posse exigere ab auo Patris eiusdem pro dote matris vltrà id, quod commodè potest ex ratione, quod auus Pater Patris respectu eorum habetur loco parentis *Alexander in l. generalitèr nu. 2. ff. de in ius vocando, Menochius conf. 22. n. 3.* Sentiendum existimo, quod, siuè filij fuerint mortuo Patre sub potestate Aui, siuè etiam eodem viuente, quatenus ipse Auus regat Patrem filiorum in regimine vniuersæ domus, teneant sponsalia per eundem auum contracta pro filijs præsentibus, & tacentibus, Ratio ex eo deducitur, quià in eodem supponitur quasi paterna affectio, & cura non inæqualis filiorum, & in fauorabilibus nomine patris venit auus, maximè, si hic filiorum curam gerat *Baldus in l. liberorum in fin. col. ff. de verb. signific. Bartolus in auth. ex testamento vers. prætereà appellatione patris C. de secundis nupt.*

Venit etiam nomine Parentum Auus Pater Patris habens regimen vniuersæ domus.

Alexander Menochius Baldus. Bartolus.

11 Quoad fratres sentiendum est quoad præsentem difficultatem non venire nomine parentum ad effectum obligandi sororem,

Non tamen nomine parentum quoad hoc veniunt fratres. Bossius. Sanchez. Archidiaconus.

rem, & fratrem minorem ad standum sponsalibus pro eisdem præsentibus, & tacentibus initis *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contractu c.3.n.167. vers. ad arg. allata Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalibus disp. 23.n.15. vers. ad secundũ in fin. ArchiDiaconus in c. vnico de despon. impub. in 6, propè finem, & ibi Ioannes Andreas in fin.* Ratio deducitur *ex c.1. de matrim. contract. contra inter d. Eccl.* vbi sponsalia contracta à fratre pro sorore declarantur, valida & efficacia, quià soror erat præsens non simpliciter, sed præsens, & consentiens, ergò si fuisset præcisè præsens, & non consentiens non est præsumendum, quod iura approbarent sponsalia, ità vt obligent sororem, vel fratrem minorem ad perseuerandum in illis, cæteroqui frustrà textus addidisset, quod soror consenserit; Neque arbitrandum est, quod in illo textu per ly *consentiens* importetur solum consensus internus cum taciturnitate, quod ex eo euinci posse videtur, quod textus immediatè ponderat aliqua consensus taciti signa; Non, inquam, arbitrandum est, quià textus per ly *præsertim consentiente* nō importat solam taciturnitatem cum præsentia, cæteroqui indicata præsentia cum taciturnitate frustrà addidisset consensum *Ioannes Angelus Bossius d.c.3.n.167. vers. ad argumenta allata, Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalib. disp.23. nu.15. vers. ad secundum.* Deindè ex eo, quod subsequentèr ponderet consensus taciti signa expressa indicat non solum taciturnitatem cum presentia sororis concurrisse, sed etiam per illa signa manifestam ratificationem accipiendo munera secundum consuetudinem loci, amplexando, osculando, & sponsum vocando; neque ex eo, quod subsequentèr hæc sint posita in eodem textu arguendum est non præcessisse consensum, quandòquidem hæc omnia cumulatiuè sunt addita referendo, id quod actum est, non destruendo ea, quæ priùs facta fuerunt; refertur etenim hic factum, non præcisè ea, quæ iuris sunt. Excipiunt tamen aliqui ab hac doctrina fratres, quandò gererent curam fratrũ minorum, & sororum tanquam eorundem, seù earundem tutores, intèr quos *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.3.n.167.*, qui etiam pro se citat *Ricardum in 4. dist.27. art. 1. qu.2. ad secundum, Bonacinam, Rebellum, & alios*, ex eo, quod sentiant Tutores, & Curatores ità posse, pro ijs, quorum curam, seù tutelam agunt contrahere sponsalia, vt si illi fuerint præsentes, & tacuerint, dum contrahuntur, non possent ab illis recedere, sicuti non possunt recedere, dum contrahuntur à parentibus. Nihilominus cōtrarium sentiunt *Gutierez de matrim. c. 13. n.2. vers. vndè, Glosa, Sanchez de matrim. d. disp. 23. nu. 7.*, & omnes illi, qui sustinent hoc esse speciale respectu paren-

Quid dicendum sit si frater gereret curã minorum. Bossius. Riccardus.

12

Gutierez. Sanchez.

tum, vt filij teneantur stare sponsalibus per eosdem initis dum ipsi filij erant in celebratione eorundem præsentes, & tacentes, de qua re mox subdo quid sentiam.

13 Quoad Tutores, & curatores sentiendum est non ità posse contrahere, vt filij, qui fuerunt præsentes, & tacentes teneantur stare contractui, sicuti tenentur stare sponsalibus in sui præsentia sine reclamatione celebratis per parentes. Ita sentiunt omnes DD. allegati per *Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalib disp. 23. n. 7. vers. 2.*, quià quamuis matrimonium, qui sustinent hoc esse speciale in contractu sponsaliũ, quoad parentes, & non extendi ad alios, & quidem non videtur ea ratio militare, quoad tutores, & curatores, quæ militat quoad parentes, cum non tanta affectione ferantur circà eos, quorum curam gerunt, quanta feruntur parentes erga filios; non enim in simplici cura fundatur hæc iuris dispositio, quod filij, qui præsentes tacuerunt non possint recedere à contractu per parentes inito; nam, vt infrà videbimus, etiam filij emancipati tacentes dum parentes ipsorũ nomine contrahunt, tenentur non recedere, & tamen non sunt sub cura parentum; Fundatur igitur præcisè, & principalitèr in ea affectione, & præsumptione, quod filiorum vtilitati benè consulant, quod si dixerimus suprà, quod sponsalibus per auum nomine nepotis celebratis idem nepos stare tenetur si præsens fuerit, & tacuerit præcipuè si fuerit sub cura eiusdem aui, vel quià Pater mortuus fuerit, vel quià, quamuis viuat, ipse quoque sit sub cura eiusdem aui, hoc ità intelligendum est non quatenus ipsa iura sit ratio formalis, ob quam conualidetur ipse contractus in presentia nepotis tacentis initus, sed quatenus magis præsumatur affectio, & ratio optimi consilij pro Nepote.

Nec tutores nec curatores.

Sanchez.

Non militat ratio dilectionis.

Potius attendatur affectio quã cura.

Iam descendimus ad considerandum quinam veniant nomine filiorum, & primo dicimus filios non solum existentes sub patria potestate comprehendi sub hac dispositione, quod non possint posteà resilire, sed etiam emancipatos *Innocentius c. 1. de matrim. contract. num. vnico, Ioannes Andreas d.c. vnico n. 2. de despons. impub. in 6. Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalib. c.23, n.10., Ioannes Ang. Bossius de matrim. contract. c.3. n.160.* Ratio ex eo deducitur, quià textus *in d.c. vnico de desponsat. impub. in 6.* loquitur de filijs sine vlla penitus restrictione; æquè autem sunt filij, qui sunt emancipati, ac qui sunt sub patria potestate, nec ex eo, quod sit emancipati præsumitur diminutio paternæ affectionis, quæ fundatur in iure sanguinis. Dicimus secundo, quod sub hac dispositione non solum contineantur filij legitimè, sed etiam naturales, & spurij *Bartolus in l. 2. num. 4. ff. de accusat.* 15

Veniunt sub hac dispositione etiam filij emancipati.

Innocent. Ioannes Andreas. Sanchez. Bossius.

Bartolus.

Ancharan. Francus. Bossius. Sanchez.

Ancharanus d. c. vnico, §. fin. n. 3., & ibi Francus nu. 3. de desponsatione impub. in 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. d. c. 3. n. 160. Sanchez de matrim. d. disp. 23. nu. 11., & hoc propter eandem rationem, quia propriè sunt filij, & in ea dispositione præcipuè consideratur reuerentia naturæ debita, & potius, hæc quam subiectio vt suprà innuebamus.

16 *Nisi filij taceant ob metum reuerentialē.*

Dixi in assertione, *regulariter loquendo*, nam si filij dum celebratur contractus sponsalium pro ipsis per parentes tacerent ob metum reuerentialem satis probabile, quinimmò probabilius est, quod possent ab eisdem sponsalibus resilire *Felinus in c. nonne de præsumpt. n. 8., & 12. Brunellus de sponsal. concl. 11. Vera Crux prima parte speculi art. 5. in fine, Couarruuias part. 2. cap. 3. §. 6. in l. in fin. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. nu. 157., Sanchez lib. 4. disp. 9. nu. 12.*, vbi tamen aduerte, quod nomine metus reuerentialis, quantum requiritur, vt eximat filios ab executione contractus per parentes initi non veniat præcisè verecundia quædam, quæ naturaliter inest filijs coram patre, vel alijs, quibus debetur reuerentia, prout habetur *in c. vnico §. porro de despons. impub. in 6. Bartol. in l. 1. §. qua oneranda in fin. ff. quar. rer. act. Franciscus Aretin. l. ad inuidiam in init. C. de his, qui vi. Felinus c. cum omnes de constit. nu. 12. vers. tertiò limita, Nauarr. lib. 4. consult. in prima edit. tit. de sponsal. cons. 36. n. 6.* sed tunc quoad hunc effectum veniat metus, reuerentialis, quando omninò repugnante voluntate vel tacet, vel consentire demonstrat, non audens præ timore, & reuerentia contradicere *Sanchez de matrimonio lib. 4. de consensu coacto disp. 9. nu. 12.*

Felinus. Brunellus. VeraCrux. Bossius.

17 *Nomine metus reuerentialis non venit præcisè verecundia.*

Bartolus. Franciscus Aret. Felinus. Nauarrus.

Secunda pars facilè liquet ex ijs, quæ mox dicta sunt; si etenim filij non tenentur stare sponsalibus coram se celebratis tacentibus, quando pro eisdem respondent vel tutores, vel curatores, vel fortè etiam fratres, multò minus compelli possunt, quando alij extranei pro ipsis tacentibus responderunt; non enim in ijs militat ea ratio affectionis, & subiectionis, quæ militat in parentibus, nec iura præsumunt consensum filiorum, & impuberum, quando defertur per extraneos, sicuti præsumunt quando defertur per parentes; Non obesse potest si asseratur, quod huiusmodi sponsalia, quantumuis per extraneos nomine filiorum celebrata possint esse fauorabilia eisdem filijs, adeoque quod taciturnitas ipsorum habeatur pro consensu, per textum *in l. in sponsalibus §. 1. & ibi Bartolus ff. de sponsalib. l. si seruus §. fin. ff. de donat. inter vir. & vxor. Bartolus post Glosā in l. quo enim in princip. ff. rem ratam hab. not. in l. si filius ad Macedon.* Non inquam, obesse potest, quia hæc tantum militant, quando simul aliqua interueniunt, præcipuè in sponsalibus, quæ ex dispositione iuris ingerunt appareretur talem consensū, cuiusmodi est nimius amor in parentibus, vel ratificatio tacita subsequens præstita per eosdem filios per traditionem v. g. & receptionem munerum, per oscula, per amplexus, & per appellationem sponsi, & sponsæ. Cæterum non semper sponsalia sunt ex genere suo expetibilia, & fauorabilia, & quantumuis forent talia in aliquo genere, possunt non esse talia in aliquo genere principalius in tanto ab eisdem filijs, vel possunt non esse cognita vt talia ab eisdem filijs.

Ratio cur alij à parentibus non obligent tacentes.

Bartolus. Glosa.

Aduersus ea, quæ hucusque dicta sunt militare videtur *Tridentinum sess. 24. c. 1. de matrimonio*, quod videtur correxisse omnia iura antiqua, & statuisse requiri Parochum, & testes, qui mutuum contrahentium consensum intelligant. *Vera Crux prima part. specul. art. 5. in fin.* Vlterius militare videtur, quando filij sunt præsentes sponsalibus nomine ipsorum per Parentes celebratis, & tacent, quod non habeatur consensus sensibilis, prout requiritur ad contractus humanos, cum taciturnitas sine alijs signis non reddat actum internum sensibilem. Nihilominus dicendum est, nec Concilium Tridentinum obstare, nec ea, quæ subduntur. Non Concilium Trident. quandoquidem quoad sponsalia nihil innouauit de iuribus antiquis, prout docet *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsal. disp. 23. nu. 13. vers. sed dicendum est*; Quoad matrimonium verò solum induxit, quod ad euitandam clandestinitatem requiratur consensus contrahentium in præsentia Parochi, & testium, non autem inhibuit, quin idem consensus possit deferri per parentes in præsentia eorundem contrahentium tacētiū, & nō reluctātium *Vera Crux pr. part. speculi art. 6. in fin. Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 23. nu. 13.* nam ita requiritur consensus externus in matrimonio, ac in sponsalibus, cum tam matrimonium, quam sponsalia sint contractus humano modo, vtpote directus ad homines, adeoque in vtrisque consensus debet esse sensibiliter apparens, sicuti igitur ad sponsalia non sufficitur expressus consensus, ex eo quod deferatur per parentes in præsentia filiorum, ita non est, cur non sit sufficienter expressus in matrimonio, dum externè per eosdem defertur; nec item obstant ea, quæ subduntur, quandoquidem per solam præsentiam, & taciturnitatem fit consensus sufficienter sensibilis, supposita iuris præsumptione, nec maior sensibilitas requiritur, quam quæ à iure accipitur pro tali.

Concilium Trid. nihil innouauit quoad sponsalia de iuribus antiquis. Sanchez.

VeraCrux. Sanchez.

Assertio V. Sponsalia celebrata ante septennium, seu ante acquisitum vsum rationis possunt conualidari per ratificationem siuè expressam, siue tacitam. Liquet 18

assertio

Sufficit ratificatio tacita, & interpretatiua.

assertio ex ijs omnibus, quæ supra diximus, & præcipuè *ex cap. vnico* §. *fin. de desponsat. impub. in 6.*; solum hic remanet dubitandum, quomodo validè possit fieri ratificatio tacitè.

19 *Inducitur per cohabitationem.* Conueniunt primò ferè omnes, quod ratificatio tacita inducatur ex eo, quod, postquam compleuerint septennium, cohabitent simul, vel in domo patris sponsi, vel in domo patris sponsæ per ea, quæ nos suprà docuimus, sicque sentiunt *Hostiensis de desponsat. impub. c. literas, & ibi Ioannes Andreas in fine. Alexander de Neuo nu. 7. & 8. Brunellus de sponsalibus concl. 5. num. 8,* nec incongrua ratione, quia ex cohabitatione arguitur eiusdem voluntatis perseuerantia.

Hostiensis. Ioannes Andreas Brunellus.

20 *Si se mutuò appellent sponsum, & sponsam.* Conueniunt secundò, ratificationem sufficientèr haberi, si postquam peruenerint ad vsum rationis mutuo se appellent sponsos *Rosella verb. impedimentum imped. 13. n. 8. Angelus verb. matrimoniū 13. impedim. 14. nu. 12. Siluester eod. verb. matrimonium 8, qu. 14. dict. 8. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. n. 12.*, Ratio ex eo desumitur, quià maior non potest esse expressio voluntatis consentientis, quam quæ per verba denotantia ea, quæ ex contractu consurgunt, exponitur.

Rosella. Angelus. Siluester. Cucus.

21 *Etiam per amplexus mutuos, & oscula.* Conueniunt tertiò sufficientèr conualidari sponsalia antecedentèr inualidè contracta ob defectum ætatis, si sponsi simul iaceant, se inuicem amplectantur, vel osculentur *Glosa in d. c. vnico verb., vel facto de desponsat. impub. in 6. Brunellus de sponsalibus d. concl. 5. n 8. Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 16. n. 16. Siluester verb. matrim. 8. qu. 14. dict. 8.* Ratio est, quià, quantumvis hæc fieri possint etiam inter non sponsos, nihilominus, si fiat habita notitia de sponsalibus anteà licet inualidè contractis, videntur ad illa congruè referri.

Glosa. Brunellus. Sanchez. Siluester.

22 Conueniunt quartò conualidari per traditionem munusculorū, seù munerum, & receptionem eorundem, quæ mitti ex loci consuetudine solent inter sponsos, *Glosa in d. c. literas verb. placere de desponsat. impub., & ibi Ancharanus nu. 8., & Præpositus nu. 2.* Ratio ex eo desumi potest, quià, cum hæc fieri soleant inter sponsos consuetudine sic disponente ingerunt sponsalia *Glos. in c. fæmina verb. annulus vers. nisi sit de consuetudine loci, Antonius de Butrio in c. vlt. n. 8. de desponsat. impub.*

23 *Etiam per subarrationem, & quomodo.* De subarratione, seù traditione annuli maxima est controuersia inter Doctores ex eo, quod talis traditio sit signum valdè æquiuocum, & ambiguum cum referri possit ad impudicos affectus, *Panormitanus in c. vlt. de desp. impub. n. 7., & in c. illud n. 4. de præsumpt. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 22. n. 1.* Sed hæc ratio dubitandi æquè militare posset, quin potius in fortioribus terminis in traditione munerum, quandòquidem hæc etiam coniungi potest cum praua intentione fornicationis, seù inducendi animum ad fornicandum potiùs, quam cum affectu sponsalium. Quamobrem dicendum est, quod, vel vbi consuetudo loci obtineat, vt missio annuli significet sponsalia, vel tractatus aliquis sponsalium præcesserit, qui tunc non ignoretur ab ipsis mittentibus, & recipientibus annulum, aliaq; munera, tunc propria habeatur ratificatio eorundem sponsaliū præcedentèr initorum. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 120., & 122., & seqq. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 22. n. 2., & 3. Glosa in c. fæmina 30. qu. 5. in fin. Anton. c. fin. n. 8. de desponsat. impub., & ibi Abbas num 7., & Alexander de Neuo nu. 12. Costanus de sponsal. tit. quib. mod. contrah. num. 8., & 9. Vera crux 1. part. specul. art. 16. dub. 3. Mascard. de probat. concl. 1024. num. 2., & seqq. Villalobos in commun. lit. M. num. 59.* Ratio horum omnium ea est, quià consuetudo, seù præcedens tractatus cognitus ab eisdem contrahentibus limitat, & restringit illam indifferentiam, & ambiguitatem, quam habere potest illa missio annuli ad subiectam materiam, ad quam ex consuetudine res restringitur, vel tractatus ipse præcedens indicat *arg. l. Paulus ff. rem rat. hab.* Hæc adeò vera sunt, vt etiam præsumantur sponsalia, quantumvis tractatus ipse nō præcesserit inter ipsos sponsos, sed inter extraneos amicos, & sponsus sciens annulum miserit, & munera sponsæ scienti, quià hæc missio regulatur ad formam, normamque præcedentis tractatus, & indicat tacitam promissionem circa ea, de quibus fuit actum *Glos. in c. tua fraternitati verb. verba 2. vers. de sponsalib. Henriquez lib. 11. summæ c. 13. §. 6. lit. T. Barbosa lib. 1. collect. ad c. tua fraternitati num. 4. de sponsalib.*

Panormit. Sanchez.

Bossius. Antonius. Abbas. Alexander de Neuo. VeraCrux. Mascardus Villalobus.

Glosa. Henriquez Barbosa.

Limitatem tamen in casu, quo quantumvis tractatus aliquis præcesserit, non ipse sponsus, sed Pater eius mitteret annulum ad fæminam, de cuius spōsalibus agebatur, *Panormitanus in c. fin. de desponsat. impub., & ibi Alexander de Neuo nu. 12. Mascardus de probat. concl. 1024, nu. 6. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 2. num. 8.* Ratio est, quià ratificatio spectat ad ipsos contrahentes, & non ad Patrem, & sicuti, si ipse Pater expresè contraxerit pro filio, adhuc requireretur ratificatio eiusdem filij, ità quamuis Pater quodamodo contractum tacitè per illā annuli immissionem inierit adhuc eiusdem filij ratificatio requiretur. Intellige tamen, nisi Pater miserit annulum de consensu eiusdem filij, quià tunc perindè esset, ac si filius ipse mitteret *Glosa in d. c. fin. verb. subarrauit de desponsat. impub. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 3. nu. 125. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 22. num. 7.*

Ratificatio spectat ad contrahentes principales.

Glosa. Bossius. Sanchez.

Pro complemento eorum, quæ in hac

 asser-

assertione dicuntur, alia nonnulla signa, quibus tacitè sponsalia antecedenter inita ratificari possunt, essent referenda, sed quià in processu quęstionum ex occasione alibi occurret sermo, ideò illa ad propriam sedem remitto. Hic solum aduertendum est, quod ad hoc, vt valida habeatur ratificatio per enumerata signa, dicta, vel facta, vel per similia requiratur, quod sponsi scientiam habeant de contractibus nomine ipsorum per parentes, vel per alios antecedentèr celebratis *Ancharanus c. literas de despons. impub. num. 8. Franc. c. vnico eod. tit. in 6.* Ratio ex eo deducitur, quià ratificatio est actus proprius voluntatis consentientis ad priorem actum, vel per se, vel per alios initum nomine proprio, sed actus voluntatis non potest tendere ad omnino incognita, & inexcogitata, iuxtà Phylosophorum effatum *nihil volitum, quin præcognitum*, ergò ratificatio prioris actus non potest esse subsistens, si prior actus non fuerit cognitus per eos, qui dicuntur ratificare.

24 *Actus voluntatis nō fertur in rē incognita.* Ancharan. Francus.

Adde, quod quantumuis ipsi, qui dicuntur ratificare, cognouerint sponsalia quidem fuisse contracta, non tamen sciuerint fuisse inualida, sed existimauerint fuisse valida, non tamen efficacitèr dicuntur ratificare *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. n. 82., & seqq. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 16. n. 7. Rosella vot. 2. n. 13., & verb. matrimonium 4. nu. 5. Nauarrus in summa c. 12. n. 71.* Ratio huius assumpti ea est, quià in hoc interuenit error; error autem destruit consensum *l. si per errorem ff. de iurisd. omn. iud.*, & potest esse præsumptio, quod, in tantum ratificet, in quantum sibi suadeat se ex ijs sponsalibus teneri, quatenus repptet valida, cæteroqui non consensurus, si repptaret inualida. Multa exempla congerit *Sanchez loc. cit.* ad hoc euincendum, quem tu consule; Neque obesse potest, si asseratur, quod id, quod in se nullum est, non possit ratificari *Sotus in 4. dist. 35. qu. vnica art. 2. vers., sed percunctatis, Siluester verb. matrimonium 8. quæst. 2. dict. 6. Henriquez lib. 11. tit. Q. Ioannes Angelus Bossius d. c. 2. n. 82., & seqq.* Non, inquam, obesse potest, nam hæc verificantur solummodò, quando inualiditas consurgit ex inhabilitate, vel ex aliquo impedimento independente à voluntate contrahentium, quod secundum se dirimit contractum, secus autem quandò præcisè dependet ex defectu consensus eorundem contrahentium, qui per positionem eiusdem, siuè expressè, siuè tacitè possunt reualidare; quinimmò illa sponsalia sic contracta non sunt inualida absolutè, sed tantum non obligant, nisi quousque sequatur talis ratificatio. Hic tamen aduerte, quod, quantumuis contrahentes non nouerint inualiditatem priorum sponsalium, si tamen, vel per consensum expressum, seu tacitum ratificent, ità vt adhuc ratificarent, si cognoscerent, ea esse inualida, teneat absolutè ratificatio, si non formalitèr in ratione ratificationis, saltem in ratione noui consensus obligantis. *Siluester verb. matrim. 8. q. 3. dicto primo*, quidquid in contrarium dixerit *Ioannes Angelus Bossius d. c. 2. n. 83.* volens, quod licet ignorantia concomitans non faciat actum inuoluntarium positiuè, & contrariè, faciat tamen negatiuè, scilicet non voluntarium, adeoq; quod defectu voluntatis requisitæ in actu exercito prior actus sit nullus, & per consequens non ratificabilis. Ratio nostri assumpti ea esse, quià ille actus ratificationis elicitus cum illo affectu absolutè perindè est, ac si esset actus immediatè, & directè tendens ad promissionem; nec vim aliquam habent ea, quæ asserit *Bossius loc. cit.* de illa inuoluntarietate negatiua, quandòquidem ex eo, quod ponat talem actum contrahens, ità vt poneret etiam, si cognosceret inualiditatem, non potest dici inuoluntariè negatiuè, vel mixtè ponere.

25 *Debent etiam cognoscere nō esse inualida.* Bossius. Sanchez. Rosella. Nauarrus.

Obiectio, ipsiusque dissolutio. Sotus. Siluester. Henriquez Bossius.

Siluester. Bossius.

PRÆNOTIO IV.

De Causa materiali sponsalium.

SVMMARIVM.

Multiplex acceptio materiæ. 1.
Materia, circa quam versantur sponsalia sunt contrahentes. 2.
Materia, circa quam non potest esse indeterminata. 3.
Si Pater ex quatuor filiabus vnam indeterminatè spoponderit Francisco, & hic repromiserit consentientibus omnibus illis filiabus tenetur vnam ex illis tradere, & Franciscus ducere. 4.
In data hypothesi ad eum, qui fuit sponsor, spectat eligere. 5.
Si sponsus vnam ex illis carnalitèr cognouerit, Pater, nec illam, nec aliam tradere cogeretur. 6.
Si omnes filiæ ex promissis perierint, vna tantū superstite, tenetur Pater illam tradere. 7.
Si masculus promiserit vnam ex quatuor filiabus alterius ducere habet electionem. 8.
Si tunc vnam cognouerit tenetur illā ducere. 9.
Si vnam elegerit, & ipsa renuat eximitur ab obligatione erga alias. 10.
Materia, ex qua contractus sponsalium fit, est consensus expressus, per quem defertur ad inuicem promissio futurarum nuptiarum. 11.

Causa materialis cuiuscunque rei, alia est *ex qua*, alia *circa quam*, alia *in qua*; de quibus singulis in ordine ad sponsalia in præsenti prænotione est disserendum; & quidem in ordine ad materiam *in qua* vix remanet ambigendi locus, quandòquidem promissiones ipsæ, quæ sunt formale

Materia ex qua, in qua, & circa quam.

formale conſtitutiuum huius contractus, vtpotè actus voluntaris recipiuntur in potentia volitiua tanquam in ſuo principio, & ſubiecto. Circa materiam, *circa quam*, inquiretur primo, quænam hæc ſit in præſenti contractu; ſecundo, an poſſit eſſe indeterminata, & quomodo ſaltem ex parte vnius contrahentis. Circà materiam verò *ex qua* inquiretur primo, an ſit eadem, quæ in matrimonij contractu, ſecundò quænam propriè hæc ſit in ſponſalibus.

2 *Contrahentes ſunt materia circa quam.* Paludanus. D. Antoninus. Coaruuias. Bartolomæus à Ledeſma.

Aſſertio I. Materia *circa quam* verſatur contractus ſponſaliũ propriè ſunt ipſi contrahentes. Iuxtà hunc ſenſum exiſtimo præcisè locutos *Paludanum in 4. diſt. 26. q. 4. art. 3. ad 2. n. 23. D. Antoninum 3. part. tit. 1. c. 2. ante §. 1. Petrum 2. de Soto lect. 3. de matrimon. verſ. requiritur, Capreolum in 4. diſt. 36. qu. vnica art. 3. ad 2. Bartolomaum à Ledeſma de matrim. dub. 6. Coaruuiam 4. decret. 2. part. c. 1. §. vnico nu.* 8. dum aſſerunt indefinitè eſſe materiam, & licet ipſi loquantur de materia matrimonij, verificatur tamen ſeruata proportione in ordine ad materiam ſponſalium, quæ vltimo reſoluuntur in ipſum matrimonium, ad quod ordinantur.

Sanchez.

Probatur, quià per ſponſalia ipſi contrahentes obligantur, & ſe inuicem ſibi ſubdunt, ergò ſponſalia reſpiciunt tanquam materiam *circa quam* ipſos contrahentes. Conſequentia tenet, quià materia *circa quam* illa eſt, circa quam agens operatur inducendo id, quod in tali operatione intendit, ſed contrahentes intendunt ſibi ad inuicẽ inferre obligationem, vnuſq; verſus alterum illam inducere, ergò ipſi contrahentes ſunt materia *circa quam* ſponſalium. Confirmatur, quià in cæteris omnibus contractibus res, quæ cadit ſub ipſis contractibus, puta res vendita in contractu emptionis, & venditionis, res locata in contractu locationis nõ eſt materia ex qua, ſed tantum circa quam, vt notat *Sanchez de matrimonio lib. 2. de eſſentia matrimonij diſp. 5. num. 4. verſ. hac autem ſententia.*

3 *Debet eſſe determinata.*

Aſſertio II. Materia, *circa quam* ſponſalia verſantur, non poteſt eſſe indeterminata, hoc eſt non poſſunt eſſe valida ſponſalia, quibus promiſſor v. gr. Pater ſpondet vnam ex pluribus ſuis filiabus indeterminatè Franciſco, & omnes conſentiunt, vel ipſe Franciſcus ſpondet vt vnã ex filiabus Antonij ſe ducturum, & omnes item conſentiunt. *Sanchez de matrim. lib. 1. de ſponſal. diſp. 26. n. 1. Conincbus diſp. 21. dub. 2. nu. 16. Gutierez de matrim. c. 26. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 3. nu. 2.*, quidquid in contrarium docuerint, *Silueſter verb. matrim. 7. n. 11. Coaruuias in epitbome de matrim. prima part. lib. 4. c. 17.*

Sanchez. Coninch. Gutierez. Bonacina.

Ratio aſſertionis ea eſt, quià ſponſalia ex genere ſuo ſunt contractus determinatus; reſpiciunt etenim vnam eandem, & quaſi indiuiduam viuendi rationem, & ad id tendunt, ad quod tendit ipſum matrimonium, ſed matrimonium non poteſt eſſe, niſi cum determinata perſona, vt eſt in confeſſo apud omnes, ergò etiam ſponſalia non poſſunt eſſe niſi cum determinata perſona. Vlteriùs confirmatur, quià ex ſponſalibus incertis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis *c. vnico de deſponſ. impub. in 6.*, ergò ſponſalia incerta non ſunt propriè, & in rigore ſponſalia, quandòquidem ex ipſis, quandò ſunt vera, & realia, oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

Ex ſponſalibus incertis non oritur impedimentum publicæ honeſtatis.

Circa hanc aſſertionem multiplex oritur ratio dubitandi, & primò, an ex talibus ſponſalibus incertis oriatur aliqua obligatio tam reſpectu promiſſoris, quam reſpectu alterius, qui repromiſit. Secundò, ex ſuppoſitione, quod oriatur obligatio, ad quemnam ſpectet vnam ex filiabus promiſſis eligere. Tertiò, an ſi facta promiſſione incerta ſponſus vnam ex filiabus carnaliter cognouerit, teneatur Pater illam illi tradere in matrimonium. Quartò, an ſi omnes filiæ promiſſæ perierint, & vna tantum fuerit ſuperſtes, ex neceſſitate illa ſit danda ſponſo ex vi illius promiſſionis. Quintò, an, ſi ſponſus promiſerit vnam ex quatuor filiabus ducere in matrimonium, poſſit eligere quam maluerit, ſi omnes repromiſerint.

Variæ rationes dubitandi exti antur.

Ad primam aſſerendum eſt abſolutè ex vi promiſſionis obligari Patrem ad vnam ex illis dandam ſponſori, & ſponſorem ad illam ducendam *Gofredus in ſumma tit. de deſponſ. impub. nu. 14. & ſeqq. Henricus c. ad audientiam num. 2. de ſponſalibus. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. ante §. 1. verſ. item qui contraxerunt. Roſella verb. ſponſalia nu. 4. Sanchez de matrimonio lib. 1. de ſponſalibus diſp. 26. nu. 2. & 3. Bonacina de matrimon. qu. 1. punct. 3. nu. 4.* Ratio eſt, quia ex vtraque parte eſt promiſſio, & repromiſſio, ſed ex promiſſione, & repromiſſione oriũtur hinc inde obligationes ad ſeruanda promiſſa, ergo &c. & ſicuti verum eſt, quod in præcedentibus diximus, quod ſcilicet, ſi puber promiſerit impuberi, & minori ſeptennio ſponſalia, non poſſit ab illis recedere, ſi minor, poſtquam peruenerit ad ſufficientem ætatem, illis aſſentiatur, ità verum eſt, quod, ſi quis promiſerit ſponſalia cum vna ex filiabus, & pater cum conſenſu earum repromiſerit, vterque non poſſit recedere, ſed teneatur adimplere promiſſa.

4 *Pater tenetur vnam tradere, & ſponſus ducere.* Gofredus. Henricus. D. Antoninus. Roſella. Sanchez. Bonacina.

Ad ſecundam aſſerendum eſt, quod ſi Pater vnam indefinitè ex ſuis filiabus promiſerit, poſſit ipſe quamcunque maluerit eligere *Sanchez de matrimonio lib. 1. de ſponſalibus diſp. 26. nu. 2. Conincbus diſp. 22. dub. 8. nu. 56. Bonacina de matrimonio qu. 1. punct.* 5

In alternatiuis electio spectat ad promissorem

3. *prop.* 2. *nu.* 4. Ratio ex eo deducitur, quia in omni promissione alternatiua electio pertinet ad promissorem *reg. in alternatiuis de reg. iur. in 6. §. praeterea instit. de de action. l. plerique ff. de iure dotis, & l. si ita ff. de contrah. empt.* nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem promissor ex eo, quod non potius vnam, quam alteram promiserit vnam exhibendo, quam ipse maluerit, adimplet promissa; Neque obesse potest, si asseratur, quod cum omnes consenserint, videatur potius electio pertinere ad sponsum, quam ad patrem ipsarum, cum potius in causis sponsalium & matrimonialibus sit attendendus consensus contrahentium, quam aliorum, qui nomine ipsorum contrahunt; Non, inquam, obesse potest, quia, cum omnes consenserint dependenter à promissione Patris, sub cuius potestate existunt, & sponsor se obligauerit cum Patre, à nutu, & electione eiusdem debet necessariò dependere.

6 *Eximitur ab onere omnium.* Sanchez. Coninchus Bonacina.

Ad tertiam dicendum est in ea hypothesi, nec illam, quae carnaliter cognita fuit à sponso, nec aliam Patrem teneri eidem sponso tradere *Sanchez de matrimonio lib.* 1. *de sponsalibus disp.* 26. *num.* 4. *Coninchus disp.* 22. *dub.* 8. *nu.* 55. *Bonacina de matrimonio qu.* 1. *punct.* 3. *propos.* 2. *nu.* 5. Ratio ex eo deducitur, quia in ordine ad alias eximitur ab obligatione, quem assumpsit ex praecedenti promissione ob superuenientem affinitatem per copulam, quam sponsus habuit cum sorore earum, ratione cuius ipse sponsus impeditur ad alteram ipsarum ducendam, vt ex se patet; in ordine verò ad eam, quam corrupit non solum eximitur ex eo, quod ex proprio delicto non potest compellere Patrem ad vnam potius sibi dandam, quã alteram, sed etiam ex eo, quod sicuti antea Pater erat liber ad vnam, vel alteram dandam, ita non est, cur postea debeat sine actu proprio, quo se determinet, carere tali libertate; Neque in hoc audiendus est *Enricus c. ad audientiam de sponsalibus n.* 20. asserens, quod, quantum potest Pater, teneatur adimplere promissum in vna ex suis filiabus, adeoque, cum vnam ex alijs nequeat tradere ob superueniens impedimentum affinitatis, teneatur illam tradere, quam sponsus per copulam corrupit, cum respectu illius nullum sit impedimẽtum, nec Pater aliquid illicitè ageret illam tradendo; non, inquam audiendus est, quia, quod impedimentum ortum fuerit in ordine ad alias, fuit ex culpa eiusdem sponsi, quae eidem propterea nequit suffragari, demendo libertatem Patris, & compellendo ad illam vnam sibi coniungendã. Minus audiendus est *Siluester verb. sponsalia qu.* 6. *n.* 6. asserens, quod, cum omnes consensum praebuerint ad illa sponsalia, &

Non potest ex proprio delicto libertatem Patris demere

Non potest dici quod per copulam completum fuerit matrimonium. Siluester.

cum contemplatione praecedentis contractus, seu tractatus videatur facta illa coniunctio cum illa determinata, quae corrupta fuit, videatur per illam copulam, completum matrimonium; Minus, inquam, audiendus est, quia, nisi illa, quae per sponsum fuit carnaliter cognita, determinatè cõtraxerit cum eodem sponsalia, non potest dici, quod per illam copulam fuerit completum matrimonium, eo quia prior consensus praestitus per omnes illas filias non fuit absolutus, sed quodamodo conditionatus, ad electionem scilicet Patris, in cuius voluntatem omnes illae filiae suam quodammodo transtulerunt, adeoque non purificata illa conditione electionis ille praeuius contractus non transit in sponsalia, nec per copulam in matrimonium. Deindè stante iure nouo *Concilij Tridentini sess.* 24. *cap.* 1. *de matrim.* nullo modo per copulam ille tractatus transit in matrimonium, cum ad hoc requiratur vt consensus de praesenti deferatur coram Parocho, & testibus. Maior difficultas videtur in eo consistere, quod quantumuis illa sponsalia antecedenter fuerint incerta & conditionata, videantur per copulam subsecutam facta certa, pura, & absoluta, adeoque quod vtrumque obliget ad contrahendum posteà matrimonium, seruatis solemnitatibus Concilij Tridentini, quandoquidem per copulam videtur purificari cõditio iuxta textum *c. de illis de condit. appos. & c. per tuas eod. tit.* Nihilominus adhuc sentiendum est non transire in spõsalia certa, pura, & absoluta *Sanchez de matrimonio lib.* 1. *de sponsalibus disp.* 26. *nu.* 12. *vers. verius tamen est.* Ratio ex eo deducitur, quia antiquitùs, seu de iure antiquo per accessum carnalem ad foeminam praesumebatur affectus coniugalis, & consensus de praesenti, ne praesumeretur per Ecclesiam de fornicario, vt notauit *Sotus in quarto dist.* 29. *qu.* 2. *art.* 3. *post tertiam conclusionem, vers. sed rursus sciendum*, sed stante iure nouo Concilij Tridentini non potest praesumi, quod ille accessus fuerit animo coniugali, ergo semper de fornicario, adeoque semper viget conditio electionis. Accedit, quod, si fuerit matrimonium spontè, & voluntariè contractũ contra formam Trid. non resoluatur in sponsalia, etiam si copula, & defloratio sub hoc praetextu matrimonij nulliter contracti intercesserit, & sic neque in hoc casu vir deflorans obligatur in foro conscientiae ad contrahendum legitimè cum ea *Gutierez tract. de iuram. confirm. c.* 51. *nu.* 21. *& in pract. qu. lib.* 2. *qu.* 4. *nu.* 12. *& de matrimonio c.* 11. *nu.* 1. *Sanchez lib.* 1. *disp.* 21. *num.* 6. *Zippaeus in sua annalitica ennar. lib.* 4. *tit. de sponsal. num.* 3. *Nauarrus consil. lib.* 4. *in prima edit. conf.* 1. *nu.* 4. atque hoc ea ratione decernitur, quia non obst-

Stante Conc. Trid. sponsalia per copulã non transeunt in matrimonium.

Sponsalia non tenent, nisi post electionis conditionem.

Gutierez. Sanchez. Zippaeus. Nauarrus.

obligatur ratione contractus, cum fuerit omninò nullus; nec ratione iniuriæ illatæ in fornicatione, quia ad summum tenetur ad temporalia. Cum igitur in nostro casu sponsalia illa non teneant, nisi post electionis conditionem, hinc est, quod ex illis non possit obligari, & si copula subsequens non efficit, vt matrimonium clandestinum, quantumuis sponte, & voluntariè initum non transeat in sponsalia, nec eadem posse efficere videtur, vt sponsalia incerta, & conditionata transeant in pura, & absoluta.

7 *Tradenda est, quæ est superstes.* Sanchez. Coninch. Molina. Bonacina.

Ad quartam dicendum est, quod, si omnes perierunt ex promissis vna tantum superstite teneatur Pater illam sponsori tradere *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 26. nu. 3. Coninchus disp. 22. dub. 8. nu. 54. Molina tract. 2. disp. 366. num. 11. Bonacina de matrimonio qu. 1. punct. 3. nu. 6.* Ratio ex eo desumitur, quia, nisi eam traderet, non staret promissioni, quæ respiciebat non aliquam in particulari, sed omnes sub disiuncto, nec vnam potius, quam alteram: Nec in ea hypothesi dici potest quod æquè cessat libertas electoris, ac cessat in præcedenti casu, quo vna ex filiabus fuerit carnaliter cognita per sponsorem, reliquæ etenim perindè se habent in ordine ad hanc obligationem, ac si essent mortuæ; sicuti igitur quando vna fuit corrupta non tenetur Pater illam illi tradere, quia Pater habet libertatem ad quamcumque maluerit tradendam, nec potest coarctari ad vnam; ita etiam quando cæteræ omnes sunt mortuæ, non videtur posse Pater compelli ad illam vnam superstitem concedendam, potissimum cũ sibi libertatem reseruauerit potuerit in votis habere in promissione illam non tradere; Non, inquam, dici potest, quandoquidem dispar omninò est ratio de præsenti, ac de præfata hypothesi, nam libertas, quæ competit Patri est ad dandam vnam, vel alteram pro suo arbitrio, non autem ad dandam, vel non dandam absolutè; sicque in suppositione præsentis casus, cum non sit libertas ad non dandum, si aliqua superest ex vi præcedentis promissionis est concedenda; in suppositione verò casus præcedentis esse poterat libertas ad vnam, vel alteram concedendam, & si tali iure priuatur pater, non est ex defectu earundem filiarum, sed ex culpa eiusdem sponsoris, qui propterea non potest obligare eundem Patrem ad eam sibi concedendam.

Nec in hoc obstat, quod quodammodo demeatur libertas Patris & quare.

8 *Masculus si primo promiserit, habet electionem.*

Ad Quintam dicendũ est, quod si masculus promiserit vnam ex quatuor filiabus alicuius ducere, si omnes repromiserunt potest, quamcunque maluerit eligere, *Gregorius Lopez lib. 2. tit. 11. part. 4. verb. onus, & Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 26. nu. 6.* Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus *sub hac assert. 2. vers. ad secundam asserendum est*, quod scilicet in alternatiuis regula electionis pertineat ad promissorem per textum *in reg. alternatiuis de reg. iur. in 6.*, in hoc autem casu, in quo promissio incipit ab eodem sponso promittente vnam ex illis ducere in sponsam certè est, quod ipse est promissor, & per consequens ad ipsum spectet electio ad differentiam eorum, quæ dicta sunt, in quibus promissio incipiebat à Patre, à quo propterea pendebat electio; Ex hac hypothesi sequitur, quod, si sponsus, qui sic promisit vnam ex illis ducere, aliquam in particulari per copulam cognouerit, teneatur illam ducere, quia per talem carnalem cognitionem videtur eandem elegisse, seque ad illam determinasse, atq; in hoc locum habet dispositio iuris *in c. de illis de condit. appositis*; quinimmò aliqui asserunt attento iure antiquo, quod tunc præcedentia sponsalia, quæ quodamodò erat incerta, transeant in matrimonium *Hostiensis in summa tit de matrimonio nu. 17. & c. ex literis, & l. 2. de spõsalibus, vbi Ioannes Andreas nu. 10. Ancharanus nu. 7. Præpositus num 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 17. ante §. 1. vers. item qui contraxerunt, Coaruuias 5. decret. 1. part. c. 4. §. 1. n. 17. Alexander Casnerius lib. 1. de sponsal. c. 12. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. nu. 13. & seqq.* atque ex ijs patet discrimen inter casum præsentem, quo ipse sponsus primo promisit, & præcedentem, quo primo promiserat Pater, & respectu eius, ad quem spectat electio copula est determinatiua, non verò respectu eius, ad quem non spectat talis electio.

Si vnam cognouerit tenetur illã ducere. 9

Hostiensis, Ioannes Andreas, Ancharan. Præpontus D. Antoninus. Menochius

Hic solum pro complemento eorum, quæ dicta sunt sub hac assertione remanet dubitandum, an, si sponsus vnam eligat, & ipsa renuat, teneatur alteram ducere, an verò sit exemptus ab onere, & obligatione versus omnes. Cum distinctione respondendum est, vel enim omnes consenserunt, & repromiserunt, vel nulla, sed tantum ipse promisit se vnam ex illis ducturum, & illæ nihil responderunt; si primo modo res accipiatur, illa, quam elegit, tenetur, quandoquidem ex eo, quod repromisit, tenetur stare promissioni, & ab ea recedens peccat contra fidem non seruatam; si verò non obstante promissione adhuc renuat, nec velit assentiri matrimonio, tunc aliqui asserunt compellendam esse Iudicis officio, alij non, de qua re erit sermo infrà vberiùs. In hoc tamen casu illa renuente crediderim absolutè non teneri sponsum alteram ducere, *Bonacina de matrim. d. q. 1. punct. 3. n. 4.* Ratio ex eo ducitur, quia ipse se obligauit ad vnam ex illis ducendam, & cum ipse sit promissor habet ius electionis, quoad illas per allegata superiùs iura, sed vnam eligendo, cum 10

Si vnam elegerit, & ipsa renuat, non tenetur ad alias.

Bonacina.

cum eaque contrahere volens adimplet ea, quæ promisit, nec potest ad vnam potiùs coarctari, quam ad aliam, cum ad ipsum spectet electio, ergò &c., Hoc idem asserendum existimo, quandò ipse promisit se vnam ex illis ducturum, & illæ non repromiserunt, tunc etenim si vnam eligat, & illa renuat eximitur ab onere versus omnes proptèr eandem rationem.

11 *Explicatur materia ex qua.*

Assertio III. Materia, ex qua contractus sponsalium conficitur, est consensus per verba, vel signa expressus, per quem defertur ad inuicem promissio futurarum nuptiarum. Consentiunt in hanc assertionem *D. Thomas in 4. dist. 26. qu. 2. art. 1. Sotus in 4. distinct. 26. quæst. 2. art. 3. Bellarminus lib. 1. de matrimonio c. 6. Suarez primo tom. de Sacramentis qu. 60. art. 8. disp. 2. sect. 1. Manuel. 1. tom. summa secunda edit. c. 216. nu. 3. Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 5. nu. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contractu c. 3. n. 45.* qui licet omnes loquantur de materia contractus matrimonialis, referuntur tamen seruata proportione etiam ad materiam sponsalium, cũ hoc tamen discrimine, quod consensus informatus verbis, & signis est materia matrimonij, prout importat traditionem mutuæ potestatis in corpus alterius coniugis, consensus verò informatus verbis, seu signis externis est materia, prout importat traditionem iuris de futuro adimplendi. Dixi, *per quam defertur adinuicem promissio futurarum nuptiarum*; nam sub duplici ratione considerari potest talis consensus sic informatus; primò, quatenus importat mutuam promissionem, per quam traditur ius ad futurum matrimonium. Secundò quatenus importat mutuam acceptationem talis promissionis, quæ duæ rationes licet adunentur in vna, & eadem entitate consensus, secundum tamen diuersum respectum distinguuntur, & sub primo habent rationem materiæ, sub secundo rationem formæ.

D. Thomas. Sotus. Bellarmin. Suarez. Manuel. Sanchez. Bossius.

Consensus sub duplici consideratione habet rationem materiæ, & formæ.

Probatur, & explicatur assertio, quia in primis materia huius contractus non potest esse consensus nudè sumptus, quia hic non est sensibilis, & licet materia partialis possit non esse sensibilis, vt est contritio in Sacramento Pœnitentiæ, materia tamen totalis debet esse secundum aliquã rationem sensibilis. Deinde materia non possunt esse ipsi contrahentes ex paritate aliorum contractuum, in quibus materia vel vendita, vel permutata, vel locata non dicitur materia, ex qua conficitur contractus, sed circa quam versatur contractus. Quibus positis, atq; exclusis sic procedo. Illud in vnaquaque re habet rationem materiæ, quod secundum se est informe, imperfectum, & complebile, quodque per formam formatur, perficitur, & completur, sed talis est consensus informatus verbis, vel signis, per quod præcisè defertur promissio in sponsalibus, qui per acceptationem perficitur, & redditur obligans, & completur in ordine ad perfectè, & plenè obligandum, vt per se patet, ergo &c. Clarius elucescet hæc assertio, dum agetur de materia sacramenti matrimonij.

Huiusmodi consensus completur per acceptationem tanquam per formã.

Ex dictis clarè liquet materiam sponsalium non differre à materia contractus matrimonialis, nisi relatiuè ad tempus, quatenus consensus informatus signis in matrimonio connotat traditionem potestatis mutuæ in corpus coniugum; consensus verò in contractu sponsalium non connotat, nisi ius, vt de futuro talis potestas transferatur.

PRÆNOTIO V.

De causa formali contractus sponsalium.

SVMMARIVM:

Variæ acceptiones DD. circa materiam, & formam sponsalium. 1.
Rationes dubitandi circa consensum, prout habet rationem formæ. 2.
Verba, respectu etiam valentium loqui, non sunt de substantia contractus, siue tractatus præcesserit, siue non. 3.
Sufficit sensibilitas quomodocunque manifestans consensum. 4.
Explicatur textus in c. fraternitati de sponsalibus, *ita vt non obstet assertioni.* 5.
Explicatur textus in c. si inter, & c. licet de sponsalibus duor. & in c. desponsationi de sponsalibus. 6.
Cur verba requirantur in contractu matrimonij spiritualis, non in carnali. 7.
Verba non sunt de necessitate præcepti, nec formaliter, nec interpretatiuè. 8.

1 Consentiunt omnes, quod consensus vt informatus vel verbis, vel signis sit etiam causa formalis intrinseca contractus sponsalium, licet nonnulli senserint, verba dumtaxat contrahentium esse formam, & consensum materiam, & alij verba esse materiam, & consensum formam, qui tamen facilè reijciuntur ex eo, quod tàm materia, quàm forma, siuè coniunctim, siuè separatim sumpta, debet esse sensibilis, cum efficiant contractum humanũ, non esset autem sensibilis materia, si in consensu nudè sumpto consisteret, nec forma, si per eundem constitueretur. Difficultas igitur est, sub qua ratione consensus simul cum verbis constituat formam, cum etiam idem simul cum eisdem verbis constituat ex superius dictis materiam. Aliqui dixerunt consensum simul cum verbis habere rationem materiæ, prout elicitur à primo proferente, & exhibente, prout verò à posteriori exhibetur habere

Variæ acceptiones DD. circa materiam, & formam sponsalium.

Ita

Riccardus. Angelus. Victoria. Henriquez Philiarch. Vega. D.Thomas

rationem formæ *Riccardus in 4. dist.26. art. 4. qu. 2. Angelus verb. matrimonium 1. nu.2. Victoria in summa de matrimonio num. 245. Gutaldus in summa verb. matrim. num. 10. Henriquez lib.11. de matrimonio c.2. Philiarcus de offic. Sacerdot. tom.1. p. 2. lib. 2. cap.2. Vega lib. 6. summa cas.* 127. Alij verò congruentiùs videntur asserere, consensum vt informatum verbis habere rationem formæ, prout importat expressionem mutuæ acceptationis promissionis adinuicem factæ, atque huius opinionis est præcipuè *D. Thomas in 4. dist. 26. qu. 2. art. 1.* vbi in responsione ad primum dicit verba coniugum esse formam, & in responsione ad secundum, actus coniugum esse formam; nomine autem actuum coniugum venire nequeunt, nisi eorum verba, & signa exprimentia mutuam acceptationem, cum nulli alij actus requirantur ad hunc contractum; vbi tamen aduertas, quod quando S. Doctor dixit verba coniugum esse verba, non sit intelligendus de verbis nudè sumptis, sed de eisdem, prout exprimunt consensum, cæteroqui nulla consurgeret obligatio, cum hæc solum ex consensu proueniat, atq; huic opinioni adhærent *Angles Flor. prima part. de matrim. qu.1. de essentia matrimonij d. 26. art.4. dif 1. concl. 2. Ludouicus Lopez secunda par. instruct. de matrim. cas. 35. Bellarminus lib.1. de matrim. c. 6.* cui vtpotè probabiliori adhærendum est propter eam potissimùm rationem, quam adducit *Sanchez de matrimonio lib. 2. disput. 5. nu. 6.* quia scilicet hæc expressio mutuæ acceptationis perficit quodamodo illam exhibitionem, quæ secundum se informis, & inefficax est ad obligandum, nisi mutuo acceptetur, De hoc consensu informato verbis, vel signis, prout habet rationem mutuæ acceptationis, & per consequens formæ contractus multa contingunt dubitari tàm in ordine ad ipsum secundum se, in inquirendo qualis esse debeat, an absolutus, an sufficiat conditionatus, an simpliciter liber, an secundum quid inuoluntarius, an solemnis, an clandestinus, tam in ordine ad expressionem, an hæc haberi possit solummodo per verba, an etiam per signa, & nutus, an verba debeant esse solummodo affirmatiua, an verò sufficiant negatiua, & an aliquo alio modo possit extrinsecè deferri huiusmodi consensus, sed quia in infinitum protraheretur prænotio, & dubitationes inter se nimis confunderentur, ideo maioris claritatis gratia, & vberioris doctrinæ placet præsentem prænotionem in plures sectiones diuidere.

Angles Flo res. Lopez. Bellarmin. Sanchez.

2 *Rationes dubitandi circa consensum, vt habentem rationem formæ.*

SECTIO I.

An consensus contrahentium nunc sit deferendus per verba.

CVM ex superiùs dictis consensus, per quem contrahuntur sponsalia, debeat exteriùs apparere, multisque possit modis reddi sensibilis, oritur difficultas, an hæc sensibilitas nunc debeat esse per verba, & quidem principalitèr procedit titulus de ijs, qui possunt loqui, nam respectu eorum, qui loqui nequeunt, non potest locum habere quæstio, nisi asseramus, quod muti sint incapaces ad contrahendum sponsalia, & matrimonium; hocque procedere potest, siuè aliquis tractatus præcesserit, siuè nullus, siuè aliquis ex contrahentibus verba præmiserit, & alter tacitè, seù nutibus respondeat, siuè neuter verba præmiserit.

3 *Verba non sunt essentialia.*

Assertio. Etiam respectu valentiũ loqui non est ex necessitate per verba deferendus consensus, hocque siuè tractatus præcesserit, siuè non, siuè etiam nullius verba fuerint præmissa. Est communior, quoad omnes partes, licet quoad primam sit contrà *Henricum Boic. in c. tua de sponsalib. Baldum in l. ad recognoscendos n. vnic. C. de ingenuis, & manumis. Gofredum in summa tit. de sponsalib. nu.22. Alexandrum cons. 143. n.1. lib. 4. Zanetum de different. iuris ciuilis, & canonici dif 144. nu.220. Riccardum in 4. dist. 27. art.1.* Quoad secundam est contrà *Innocentium in c. attestationes de desponsat. impub. in fin. Ioannem Andræam c. tua n.6. de sponsalib. Lupum alleg. 57. nu.17. vers. venio ad 3. Boerium cons. 35. nu.1.* Quoad tertiam est contra *Iasonem in l. si stipuler §. si in locando nu. 1. ff. de verb. oblig.*

DD. aduersantes, sed incongruè.

4 Probatur iam quoad primam partem, quià ad validitatem contractus ea sensibilitas sufficit, quæ apta est ad manifestandum conceptum internum ei, ad quem dirigitur, vbi lex pro certis, & determinatis contractibus non præscribit certam verborum formam, hocque videre est in omnibus alijs contractibus, qui ex communi Iuristarum sententia signis, nutu, nuntio, & epistolis perficiuntur *l. pater naturalis ff. de adopt. l. consensum ff. de act., & obligat.*, ergò etiam hæc sensibilitas, quæ interuenire potest in sponsalibus per nutus, signa externa, nuncios, & literas, erit sufficiens ad eorum validitatem.

Dices primò quoad contractum matrimonij, & sponsalium, quæ ordinantur ad ipsum tanquam ad suum finem præscriptam esse de necessitate verborum formam, vt habetur *in c. tua fraternitati de sponsalib.* vbi sic legitur *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum consensum, sed necessa-*

Explicatur textus in c. fraternitati de sponsalibus.

tia

ria sunt verba consensum exprimentia quantum ad Ecclesiam, nam muti, & surdi possunt contrahere sine verbis, & pueri ante annos legitimos per verba non contrahunt, cum intelligantur minimè consentire; ex quibus verbis duo deduco; primum ex illis, *sed necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia* esse tanquam formam iure Ecclesiastico requisitam verba; secundum ex illis, *nam muti, & surdi possunt contrahere sine verbis*, esse nempè discrimen inter mutos, & valentes loqui, adeo vt in illis sufficiant signa, in istis verba desiderentur.
Sed contrà varias responsiones adhibent DD. ad hunc textum; alij enim, inter quos
5 *Gutierez de matrimon. c. 46. nu. 10., & seqq. Augustin. Barbosa tom. 2. collectan. lib. 4. tit. 1. c. 25. nu. 2. Sanchez de matrim. lib. 2. c. 31. nu. 6.* dicunt verba esse necessaria quoad Ecclesiam non quoad substantiam contractus, sed quoad clariorem, & faciliorem probationem, & ly *necessaria* non sumi simplicitèr, sed secundum quid, quatenus idem sonent, ac *vtilia*; Sed hanc responsionem merito impugnant alij, quià fuisset superfluus finis legis hoc statuentis, quandòquidem clarum est faciliorem induci probationem consensus per verba, quam per alia signa; Alij verò respondent nomine verborum in eo textu venire quæcunque signa externa exprimentia consensum, quæ signa possunt impropriè dici verba, quatenus æquipollent eisdem, & id efficiunt, quod illa efficerent; sed hæc quoq; responsio meritò impugnatur, quandòquidem in eodem textu fit distinctio verborum à signis, dum asserit in valentibus loqui esse necessaria verba, nó sic in mutis, in quibus sufficiunt signa. Quamobrem existimo dicendum, textum importare solummodò id, quod regularitèr fit ad significanda exteriùs ea, quæ ex præscripto Ecclesiæ, quæ non iudicat de internis, requiruntur, & sunt necessaria, adeò vt dum dicitur *necessaria sunt verba consensum exprimentia quantum ad Ecclesiam*, perindè fit, ac si diceretur, verba consensum exprimentia regularitèr intercedunt pro ijs, quæ ex præscripto Ecclesiæ sunt media, quæ inducunt sensibilitatem consensus, quæ sensibilitas necessaria est, vt humano modo contractus subsistat; Cæterum textus non excludit alia signa sensibilia, quorum alterum necessarium est ad expressionem consensus, secus expressè admitteretur iurium contrarietas, quandòquidem alibi statutum est, alia signa sufficientia esse ad talem sensibilitatem, quantum sufficit ad validitatem contractus, & primo *in c. is qui fidem de sponsalib.* de copula habita affectu coniugali nulla præcedente protestatione non contrahendi; secundò *in c. ex parte de restitutione spoliat.* de solemni traductione sponsæ in domum sponsi; tertiò *ex c. vnico, §. fin. de desp. impub. in 6.* de sponsalibus contractis per parentes pro filijs præsentibus; & tacentibus, & pluribus alijs, quæ non vacat referre. Ad id, quod subditur de discrimine inter mutos, & loqui valentes assignato in eodem textu dicendum est per eum textum importari solummodò discrimen, quod intercedit inter mutos, & alios loqui valentes iuxtà regularem modum contrahendi, non iuxtà aliquod, quod necessarium sit in vno, & non in altero.

Textus exprimit id, quod regulariter fit.

Assignantur signa, quibus validè potest manifestari consensus.

Dices secundò per ecclesiam præscribi verba tanquam necessaria ad validitatem contractus *in c. si inter de sponsalib., & in c. licet de spons. duorum, & in c. consultationi de sponsalibus*, ergò saltem inter eos, qui loquendi habent facultatem ex dispositione iuris Ecclesiastici sunt necessaria verba expressa. Sed contrà, dico in præallegatis textibus solum assignari quendam modum, quo validè possint celebrari sponsalia, & matrimonium, non autem eum præscribi tanquam necessarium, & vnicum; vndè potius se habet, vt exemplar eorum, quæ fieri possunt, non vt forma, iuxtà quam ex necessitate fieri debeat *Sanchez de matrimon. lib. 2. disp. 31. nu. 6. vers. ad secundum desumptum ex c. licet.* 6

Explicantur alij textus.

Sanchez.

Dices tertiò ad matrimonium spirituale necessaria sunt verba, nec sufficiunt signa per textum in *c. cum inter canonicos, & c. quià propter de electione*, ergò etiam verba erunt necessaria in matrimonio carnali, cum ab vtroque matrimonio valeat ad inuicem argumentum. Sed contrà, quià in primis, *Sanchez de matrim. lib. 2. d. disp. 31. n. 5. vers. tertio, quià professio Religionis*, asserit professionem Religionis, in qua consistit matrimonium spirituale solis nutibus fieri posse per textum *in c. viduas de regul.* Deindè quidquid sit de eo, quod dicit Sanchez, de quo alibi erit sermo, quamuis in plerisque ab vtroque matrimonio valeat argumentum, in multis tamen non valet, & præcipuè in eo, quod notat Euerardus in loc. com. à matrimonio carnali ad spirituale, quod ex dispositione iuris in matrimonio carnali sufficit consensus ex vtraque parte expressus, quomodocunque exprimatur, in spirituali requiratur certa forma per allegata iura in instantia, & alia, quæ ipse allegat; & quidem certè plura respiciunt iura in matrimonio spirituali, quod fit in electione ad aliquod beneficium curatum Ecclesiasticum, & in professione Religiosa, ad quæ requiruntur ætas, qualitates indiuiduæ personarum, scientia, probitas, & maturitas, quam in matrimonio carnali, in quo nec certæ qualitates indiuiduales, nec scientia, nec alia huiusmodi requiruntur, vndè nec mirum est, quod Ecclesia pro illo certam formam præscripserit, non sic in isto. 7

Sanchez.

Discrimen inter matrimonium spirituale, & carnale.

Pro-

Probatur iam assertio, quoad secundam partem primò, quià si verba expressa absolutè non requiruntur, vbi ex signis potest apparere de consensu interno contrahentium per ea, quæ hactenus probauimus, ergò nec erunt necessaria, quantumvis nullus tractatus præcesserit; quod enim absolutè, & in genere necessarium non est, nec esse potest necessarium in casu particulari, in quo quid speciale non ponitur, sed tantum relinquitur id, quod ex genere suo non requiritur. Confirmatur, quià in tantum in hac suppositione potest non requiri consensus per verba formalia expressus, in quantum signa subsequentia referuntur ad illum præcedentem tractatum, ipsumque quodamodò informant, & priora cum posterioribus copulantur ad constituendum consensum sensibilem ordinatum ad finem, qui intendebatur in tali tractatu, sed præscindendo etiam ab eodem tractatu præcedenti per signa subsequentia potest haberi consensus sensibilis expressiuus mentis vtriusque ordinatæ, vel ad sponsalia, vel ad matrimonium, quod est quidquid requiritur ad validitatem contractus; quid enim deficit expressioni conceptus, si, cum nullus tractatus præcesserit, tertia quædam persona interroget contrahentes, an sibi inuicem promittant futurum matrimonium, & illi annuant nutibus, vel signis externis se mutuo amplexando, osculando, & in eadem domo habitando, vel etiam sine præuia interrogatione, vel per scripta, vel per nutus indicent sibi inuicem promittere, & repromittere?

Signa subsequentia possunt referri ad præcedentes tractatus.

His eisdem argumentis tertia pars etiā euincitur, quandòquidem etiam præscindendo à prolatione verborum per alterum ex coniugibus præmissa potest vtriusque consensus per signa, vel scripta apparere.

8 Hęc, quę hactenus dicta sunt, procedunt, quoad validitatem contractus. Dubitant modo DD., an verba saltèm requirantur de necessitate præcepti. Affirmant *Petrus de Ledesma de matrimonio q. 45. art. 2. dub. 2. concl. 2. Rodriquez in summa tom. 1. c. 215. n. 5. Henriq. lib. 11. c. 2. §. 6. lit. M. in textu, & Glos. per textum in d. c. si inter de sponsalib., & c. licet de spons. duorum*. Alij dicunt, non esse ex necessitate præcepti formalitèr, sed tantum interpretatiuè, quatenus Ecclesia approbat cōmunē, & generalem consuetudinem, & per talem approbationem videtur quodamodò inducere præceptum, quod sponsi transgredientes peccant saltem venialitèr, atque ità communitèr sentire Thomistas recentiores referunt *Henriquez loc. cit., & Sanchez lib. 2. disp. 31. num. 9.* Nihilominus sentiendum est, nec esse præceptum formalitèr, nec interpretatiuè, nec secluso scandalo, & contemptu esse peccatum veniale. Ità quoad primam partem *Præpositus in c. tua n. 6. ad fin. de sponsalib. Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. concl. 2. vers. ex huiusmodi, Vera Crux prima part. speculi art. 3. ad fin. Palacios in 4. dist. 27. disp. 1.* Quoad secundam *Basilius Pontius lib. 2. c. 7. num. 14. Diana 3. part. tract. 4. resol. 248.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià nullibi constat de tali præcepto, nec iura superius allegata aliquid euincunt, quandòquidem, vel narrant dumtaxat factum, nō inducunt ius, vel procedunt dumtaxat exemplificatiuè, non præceptiuè, vt suprà explicuimus; nec illud præceptum interpretatiuum est inferendum, quandòquidem illa approbatio consuetudinis non est præceptiua, & sub aliquo onere, sed ad summum commendatiua, quæ non infert aliquod onus. Quoad secundam partem patet, quià non est aliqua ratio, ob quā possit inferri culpa aliqua, vel læthalis, vel venialis, quandòquidem illa expressio per signa externa nec repugnat naturæ contractus, nec alicui iuris dispositioni. Consulerem tamen, quantum fieri potest, adhibenda esse verba, quæ commodius exprimunt consensum, tum quià hæc magis apta sunt ad expressionem conceptus interni, cum ad hoc ex genere suo sint ordinata, tum quià faciliori inseruiunt probationi, tum quià communis praxis hoc suadet, & præcipuè in ordine ad euitanda dubia, & lites.

Sententia asserens esse de necessitate præcepti. Petrus de Ledesma. Rodriquez Enriquez.

Præpositus Sententia negans præfertur. Præpositus Sotus, Vera Crux Palacios, Pontius.

SECTIO II.

An consensus vtrinsque contrahentis, siuè per verba, siuè per signa debeat simul deferri, an verò sufficiat, quod deferatur ex interuallo.

SVMMARIVM.

Non est consensus ex necessitate simul deferendus. 1.

Interuallum non extenditur ad quodcunque tempus, sed ad tale, vt consensus censeatur moralitèr perseuerare. 2.

Hoc interuallum prudentis arbitrio remittendum est. 3.

In dubio reuocationis consensus standum est dicto asserentis reuocationem. 4.

SVB hoc titulo variæ examinabuntur difficultates. Prima est, prout idem titulus sonat, an sufficiat repromissio ex interuallo posita. Secunda ex suppositione, quod possit poni ex interuallo, an hoc interuallum restringatur ad certum tempus, an verò extendatur ad quodcunque. Tertia, an, vbi non constet, quod per eum, qui primo, vel per verba, vel per signa detulit consensum, fuerit reuocatus consensus, sit præsumendum pro reuocatione, vel non. Quarta, vbi etiam ex coniecturis

Articuli examinandi circa titulum.

non constat de tali reuocatione, standum sit dicto eiusdem, si asserat reuocasse.

1 Potest poni etiam ex interuallo. D.Thom. Petrus de Soto. VeraCrux. Palatios. Manuel. Vega. Glosa. Archidiac. Abbas.

Assertio I. Ad sponsalium validitatem non est ex necessitate consensus simul deferendus, sed potest etiam validè poni ex interuallo. *D.Thomas in 4. dist. 29. q. vnica art. 3. quæstiuncula 2. ad secundum, Petrus de Soto lect. 3. de matrim. §. primum igitur, & §. requiritur igitur, Vera Crux 1. part. speculi art. 2. §. sed an sit matrimonium, Palacios in 4. dist. 27 qu. 1. in fin. Manuel primo summæ 2. edit. c. 216. nu. 8. Vega lib. 3. summa c. 75. Glosa in c dilectus in fin. de sponsal. ArchiDiaconus c. sufficiat 27. q. 2. in prima glosa. Abbas in c. cum inter canonicos de elect. nu. 6.*

Nugnus. Ioannes à S. Thoma. Suarez. Amicus. Mastrius. Madernus. Cacheran.

Probatur primò, quia contractus sponsalium non est quoddam concretum, seù compositum Physicum, sed tantum morale, & quodamodo politicum, vt per se patet, sed ad composita moralia, & quodamodo politica non requiritur Physica coexistentia partium, sed moralis sufficit, quæ consistit in eo, quod altera pars ponatur, dum altera non fuerit retractata, sed moralitèr perseuerat, vt docent communitèr Theologi de sacramentis *Nugnus in 3. partem D.Thomæ disp. 60. difficult. 2 Ioannes à S. Thoma ibidem disp. 22. art. 6. dub. 2. Suarez disput. 2. sect. 2. §. sed quæres, Amicus disp. 2. sect. 3. Mastrius disp. 1. qu. 3. n. 108. Madernus qu. 1. ar. 8. Cacheranus in sua Theolog. assertiua tom. 3. tract. 8. de sacram. in genere c. 1. § 2. num. 21.*, qui etiàm *num. 22. in fin.* asserit hanc coexistentiam moralem non esse æqualem in omnibus, ergò &c. Confirmatur ex communi praxi ab Ecclesia non retractata, quin potius approbata, secundum quam nedum sponsalia, sed etiam matrimonium contrahuntur per literas, & per procuratores, vt alibi fusiùs videbimus, & latè docet *Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 11., & 12.*, & tamen consensus simul non defertur. Confirmatur secundò, quià si vterque coram Parocho, & testibus consensit, sed alitèr fictè, vel metu coactus, & posteà quocunque tempore verè consentiat etiam occultè verè conualescit matrimonium *D.Thomas in addit ad 3. part. qu. 47. art. 2. ad 2. Coaruuias 2. part. c. 4. nu. 7. Nauarrus in man. c. 22. n. 51. Henriquez lib. 11. cap. 3. §. 6. lit. P. in textu, & glos. Gutierez de matrim. c. 46. n. 14., & 19. Rebellus lib. 2. part. 2. qu. 9. nu. 1. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 32. num. 9. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 2. num. 38., & 41. Lessius lib. 2. de iust. c. 17. dub. 11. num. 12., & alij communitèr*, & tamen consensus verus ponitur ex interuallo, cum fictus nullius roboris fuerit.

Sanchez.

D.Thomas Coaruuias Nauarrus. Henriquez Gutierez. Rebelus. Sanchez. Bossius. Lessius.

Probatur secundo, quia cæteri ferè omnes contractus in iure subsistunt, quantumuis consensus pro diuerso tempore fuerit positus per textum *in l. 1. §. 1. ff. de verborum obligat. & l. 1. §. sed verior ff. de contrahend. empt.* ergo non est, cur non debeat etiam contractus sponsalium simul consistere. Neque obesse ... *Glosa in l. consensu, verb. consentire ff. de act. & oblig.* vbi videtur asserere in alijs contractibus requiri simultaneum consensum. Non, inquam, obesse potest, quia illa glosa, si hoc asserit, est communiter reprobata, cum contrarium euincatur expressè in allegatis iuribus in hac eadem secunda probatione; Neque etiam obesse potest textus *in l. continuus ff. de verborum obligat.* vbi textus asserit, quod contrahentes debeat sibi inuicem respondere, antequam ad alia diuertant. Non, inquam, obesse potest, quia textus procedit solummodo quoad formales, & rigorosas stipulationes, in quibus certa solemnitas est de substantia earundem, vt benè notauit *Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 32. num. 5. ad tertium*.

Cæteri contractus non indigent simultaneo consensu physicè.

Sanchez.

2 Interuallum debet esse cum morali perseuerantia. Sotus. Coaruuias VeraCrux. Lopez. Vega. Sanchez. Bossius.

Assertio II. Quantumuis ex necessitate simul consensus non sit deferendus, sed possit ex interuallo adijci, non tamèn hoc interuallum potest ad quodcunque tempus extendi, sed restringendum est ad tale tempus, ad quale censeatur moralitèr perseuerare consensus prioris contrahentis, attentis debitis circumstantijs. *Sotus in quarto distinct. 27. qu. 1. art. 3. vers. sed alia hinc nascitur. Coaruuias 4. decret. 2. part. nu. 4. in init. nu. 7. Vera Crux prima. part. specul. art. 2. vers. sed an sit matrimonium. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 39. Vega lib. 3. summa casu 75. Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 32. nu. 7. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 2. nu. 40. Azebedo lib. 5. recop. tit. 16. l. 2. n. 20. ad fin.*

Non præsumitur sine repromissione velle perseuerare in obligatione.

Probatur, quia probabile non est, quod qui priorem consensum præstitit intenderit sine repromissione alterius se obligare ad quodcunque tempus, nec semper remanere obligatus ad nutum alterius, ergo posito certo interuallo, & non præstito per alterum reciproco consensu præsumendum est obligationem respectu eiusdem expirasse, nec amplius teneri, ad quod maximè facit id, quod habetur *in l. 1. §. 1. ff. de verborum obligat.* vbi dicitur quod in alijs etiam contractibus volūtas nec actu, nec virtute remaneat, sed reuocetur. Quis enim diceret, quod ex eo, quod quis promiserit rem suam alteri pro certo, & determinato pretio, & ille non repromiserit, teneatur in perpetuum persistere in tali obligatione, & si alteri non vendiderit, teneatur promissario primo elapso quocunque tempore tradere.

Hic disputant Doctores, quantumnam tempus requiratur ad hoc, vt præsumatur consensus priùs præstitus moralitèr reuocatus, adeout ad validitatem cōtractus nō valeat consensus alterius accedere,

Bar-

Ledesma. Varij sensus circà hanc moralem perseuerantiam.

Bartholomeus de Ledesma apud Ioannem Angelum Bossium de matrimonij contract. c. 22. num. 40. arbitratus est sufficere ad tollendam simultatem moralem requisitam ad validitatem contractus, si inter vtrumque consensum intercedat spatium vnius anni. *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 7. §. 6. lit. F.* assignauit tempus biennij. *Sotus, Ludouicus Lopez apud Sanchez lib. 2. de matrimonio disp. 32. nu. 7. vers. exemplificant* extendunt vsque ad septennium. Alij vel ad plus extendunt, vel restringunt ad minus, ex propriæ voluntatis arbitrio. Sed hæ omnes sententiæ vnico argumento facilè eluduntur; si enim positiuè prior consensus per elicientem non reuocatur, quæro ab autoribus adstruentibus v.g. biennium, cur moraliter prius non tollatur ille consensus, seu virtus illius? actus enim ipse secundum propriam entitatem non durat, & si vsque ad illud tempus protrahitur, cur non vlterius? An hæc meta ex aliqua dispositione naturæ, vel iuris præfinita est? Vbi hanc dispositionem inueniunt? Quamobrem alij adstruunt hoc interuallum prudentis arbitrio remittendum.

Henriquez. Sotus... Lopez.

3 Petrus de Ledesma. Rebellus. Bossius. *Standum arbitrio prudentum.*

Petrus de Ledesma, & Rebellius apud Ioannem Angelum Bossium de matrim. contract. c. 2. nu. 40. Basilius Pontius lib. 2. cap. 16. n. 4. in fine, atque huic vltimæ opinioni standum existimo, cum nequeat innotescere, quandonam moralitèr perimatur prior consensus, quando per actum formalitèr oppositum non reuocatur, nec libentèr in hoc acquiescerem *Ioanni Angelo Bossio loco cit.* asserenti non obstare vllam temporis longitudinem, dummodo alter, qui ab initio consensit, non reuocauerit suum consensum. Non, inquam, acquiescerem; quia moralis virtus prædicti primi consensus secundum communem hominum æstimationem, in qua fundatur, non potest pro tanto tempore vim habere, cæteroqui semper diceretur ille primus consentiens semper obligatus.

Ex ijs in particulari fas erit deducere, quod, quandò iuxtà superius dicta maior promisit impuberi minori septennio futurum matrimonium, ipsius consensus moralitèr perseueret, vsque dum ille peruenerit ad septennium, seu vsum rationis, quo possit repromittere, seu ratificare præcedentem promissionem, adeout si postea accedat eiusdem impuberis consensus, seu ratificatio virtute prioris consensus moralitèr perseuerantis, prior consentiens non possit à promissione resilire.

4 *Statur dicto asserentis reuocationē* Antonius. Sanchez.

Assertio, III. In dubio, an, qui primò promiserat, reuocauerit consensum, necne, standum est ipsius dicto *Antonius c. si inter nu. 4. de sponsalibus. Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 32. nu. 4.*

Probatur, quia quæcunque promissio directa ad personam, quæ potest immediatè accceptare, & non acceptat, est reuocabilis per promittētem ante acceptationem, quandò non est aliquod ius, quod obliget ad perseuerandum in promissione, ergo, cum in præsenti hypothesi non sit aliquod ius obligans ad perseuerandum in promissione, poterit promissor ante acceptationem asserere se promissionem reuocasse, illiusque assertioni standum erit, quandoquidem, cum ad ipsum solum pertineat reuocare, vel non reuocare, non est aliundè inquirenda reuocatio, quam ex ipsius dicto. Confirmatur, quia sic promittens intelligitur tacitè obligare se ad promissa seruanda, præcipuè in contractibus mutuis, si alter se immediatè reobligauerit, ergo si se non reobligauerit, ille liber erit, adeoque poterit asserere se obligationem reuocasse, seu promissionē, ex qua consurgit obligatio.

Est ante repromissionem liber ad reuocandum consensum.

SECTIO III.

An sufficiat ad sponsalia promissio externa ficta sine animo, vel in vtroque, vel in altero contrahente se obligandi.

SVMMARIVM.

Promissio externa sine animo promittendi, nec se obligandi, nec constituit sponsalia, nec ex vi sua obligat. 1.

Vno verè promittente, altero ficte ad reualidanda sponsalia sufficit, si fictus promissor ponat nouum actum internum, per quem fictum retractet, perseuerante alterius consensu. 2.

Quantumuis vterque ficte promiserit conualidantur sponsalia per vtriusque nouum consensum internum verum, & realem. 3.

Fictus promissor alteri verè promittenti peccat lethaliter. 4.

Nonnulli casus, in quibus eximitur à culpa. 5.

Fictus promissor interrogatus à Iudice, an teneatur respondere Iudici interroganti remissiuè respondetur. 6.

Promissor cum animo promittendi, non tamen se obligandi, nec efficit sponsalia, nec obligatur. 7.

Volitum antecedens non trahit necessariò consequens. 8.

Non obligatur, etiam quantumuis iurauerit. 9.

Promittens cum animo se obligandi tantum sub veniali constituit sponsalia, & reuera obligatur. 10.

In hac suppositione etiam alter, qui indefinitè promisit, obligatur solum sub veniali. 11.

In dubio, an quis promiserit cum animo se obligandi, præsumitur pro tali animo. 12.

PRomissionem purè internam sufficientem non esse ad constituenda sponsalia, neque ad obligandum, satis liquet ex

Non sufficit promissio interna.

ex superius dictis, cum solus animus internus sine externa expressione locum non habeat in contractibus humanis; Nunc sermo est de externa expressione sine animo interno promittentis ad se obligandū, circà quam plures erunt articuli examinandi, & primò, si facta fuerit promissio sine animo promittendi, nec se obligandi, an illa obliget, si non in vim sponsalium, saltem in vim promissionis, & si nullo modo obliget, inducat saltem in sic fictè promittente aliquam noxam, siuè læthalem, siuè venialem. Secundò, an, si promissio illa externa facta fuerit cum animo promittendi, non tamen se obligandi, inducat sponsalia, & ex vi promissionis obliget. Tertiò, an, si promissio illa non solum fuerit cum animo promittendi, sed etiam cū animo se obligandi, sed tantum sub veniali, propriè efficiat sponsalia. Quartò, an, si promissio facta animo promittendi, non tamen se obligandi, fuerit iuramento ex parte sic promittentis firmata, obliget, & quomodo. Quintò, quid statuendum in dubio, an quis promiserit cum animo se obligandi, nec ne.

Articuli examinandi circa titulum.

1 Assertio I. Si promissio externa posita fuerit sine animo promittendi, nec se obligandi nec constituit sponsalia, nec ex vi sua obligat *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 9. num. 3. & est communis apud omnes.*

Promissio ficta non obligat. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià illa promissio non est absolutè promissio, sed fictio promissionis, ergo non est secundum se obligatoria, quandòquidem obligatio cōsurgit dumtaxat ex vera promissione; Neque dicas, quod, quantumvis illa promissio ficta non obliget in vim sponsalium, & promissionis, obliget ratione fraudis, & iniuriæ illatæ in fictè promittendo, contrà enim impugnaberis, quià, cum nullum supponatur indè damnum prouenire alteri verè promittenti, non consurgit aliqua obligatio, vt benè notant *Petrus de Ledesma de matrim. qu. 45. art. 4. dubio prim. Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 10. nu. 1.*, quod si supponas sub prætextu illius fictæ promissionis virginem violasse, vel impudicos actus cum eadem habuisse, tunc erit diuersa ratio, de qua erit sermo in seqq.

Est potius fictio promissionis.

Petrus de Ledesma. Sanchez.

Hinc variæ oriuntur rationes dubitandi, & primò, an, si vnus ex illis verè, & cum animo promittendi, & se obligandi, & alter fictè sine animo promittēdi, nec se obligādi contraxerit, possint sponsalia conualescere, si ille, qui fictè promisit, per actum internum præcisè posteà consentiat, & retrahat illam priorem promissionem fictam, an verò requiratur, quod ponat nouum assensum externum, & sensibilem. Secundò, an hoc idem sit sentiendum, si vterque fictè promiserit, quatenus sufficiat vtriusque consensus internus ad reualidandum contractum. Tertiò, an, quamuis illa sponsalia ex illa ficta promissione non sit valida, fictè tamen promittens subdatur alicui culpæ siuè læthali, siuè veniali.

Variæ rationes dubitandi.

Ad primam asserendum est, ad reualidanda sponsalia sufficere, si posteà ille, qui fictè promisit, ponat nouum consensum internum, per quem fictum retractet *D. Thomas in addit. qu. 47. art. 4. ad secundam. Rebellus lib. 2. part. 2. qu. 9. num. 1. Paulus Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 1. c. 6. num 1. & part. 4. c. 14. nu. 5. in fin. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. nu. 38. Sanchez de matrim. lib. 2. disput. 32. nu. 9. & seq.* & nos ipsi aliquid suprà diximus Hæc adeò vera sunt, vt etiam verificentur in matrimonio fictè contracto coram Parocho, & testibus, vt explicant præcitati DD. quæ propterea fortiùs vigent in contractu sponsalium. Ratio autem huius dicti ea est, quià in eo casu nihil deesset, quod ad validitatem contractus esset necessarium, quandòquidem alter supponitur verè, & legitimè per consensum externum promisisse, alter verò etiam externè si non tunc internè, ergò adueniente posteà consensu interno vero, & reali non erit, quid amplius desideretur. Neque obesse potest, si asseratur, quod hic consensus internus non sit simul positus cum consensu expresso alterius contrahentis; non, inquam, obesse potest, quià ex dictis in præcedenti sectione, non requiritur simultas realis, & physica, sed sufficit moralis, quinimmò ex eo, quod alter contrahens bona fide contraxerit, & per consequens sibi suadeat contractum subsistere, non est ambigendum, quin in eodem consensu perseueret, & per consequens consensus alterius coniungitur cum isto moralitèr perseuerāte; Neq; vrgeas vlterius, quod cōsensus iste internus, quem de nouo ponit ille, qui fictè promiserat, non possit reddi sensibilis per illam promissionem præcedentem externam, & fictam, quandòquidem illa, nec actu durat, nec virtute, non actu, vt ex se patet, non virtute, quià cum ille actus fuerit positus ad finem, vt non obliget, sed potius vt destruatur, non potest dici ex intentione promittentis perseuerare quoad virtutem obligandi; contrà enim impugnaberis, quià, cum illa externa expressio promissionis fictæ fuerit sensibilitèr posita debuisset etiam ad effectum, vt non permaneret moralitèr, sensibilitèr reuocari, cæterum quoad moralem hominum æstimationem semper præsumitur remanere in sua virtute; vndè aliud est, quod non perseueret quoad vim obligandi, aliud quod non perseueret quoad vim sensibilitatis extrinsecæ necessariæ ad contractum humanum; cum igitur sub hac ratione nō fuerit reuocata habet vim

2

Sufficit, si internò retractet consensum fictum.

D. Thomas. Rebellus. Laiman. Bossius. Sanchez.

Perseuerat, quoad vim sensibilitatis extrinsecæ.

afficiendi sensibilitèr actum, qui de nouo ponitur, atque hoc est, quod asserit *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. cap. 2. num.* 44. nisi fortassis velis dicere cum *Henriquez lib.* 11. *c.* 3. §. 6 *lit. F. Rebello lib.* 2. *part.* 3. *q.* 9. *num.* 1. talem consensum internum reddi sensibilem per actus subsequentes, vel cohabitationis, aliorumq; actum inducentium talem expressionem præcipuè supposita præcedenti promissione externa, ad quam omnes illi actus subsequentes videntur referri.

Bossius.

Redditur sensibilis per actus subsequentes.

Henriquez. Rebellus.

3 Ad secundam asserendum est, quidquid sit de matrimonio fictè contracto ex vtraq; parte, de quo alibi suo loco erit sermo, conualidari sponsalia per vtriusq; nouum, internum consensum verum, & realem, siuè vterque sciuerit fictionem, siuè coactionem alterius, siuè ignorauerit. *Siluester verb. matrimonium* 8. *qu.* 11. *dicto* 4. *Riccardus in* 4. *dist.* 29. *art.* 2. *q.* 1 *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *c.* 7. *ad medium, Turrecremata* 31. *q.* 2. *in summa num.* 11., qui loquuntur in terminis matrimonij, fortiùs tamen militant in terminis sponsalium. Dixi, *siuè vterque sciuerit fictionem, seù coactionem alterius, siuè ignorauerit* proptèr *Lessium lib.* 2. *c.* 17. *dub.* 11. *n.* 13., qui docet, quod quandò vnus nescit fictionem alteriùs, & posteà verè internè consentit reualidet contractum, secus quandò nouit inualiditatem ex fictione non solum propria, sed etiam aliena. Ratio huius assertionis ea esse potest, quià ex prædictis posita ex parte vnius promissione ficta, seù coacta in celebratione cõtractus, si de nouo accedat consensus verus, & realis internus ex parte istius sine alio cõualidatur cõtractus, ergò etiam posita promissione ficta, & coacta vtriusque in eadem celebratione, si postea accesserit nouus vtriusque consensus verus, realis, & internus, conualidabitur absolutè ipse contractus. Cõsequentia probatur, quia non minus requiritur ad validitatem contractus, quod sit ex vtriusque consensu constitutus, ac quod ex vna parte non claudicet, dum enim claudicat perindè est, ac si non esset initus *Felinus c. ex parte decani de rescript. nu.* 31. *ampl.* 4. *Palacios in* 4. *dist.* 27. *disp.* 1. *col.* 2. *Bartholomaus à Ledesma de matrim. dub.* 19. *fol.* 1297. sed quandò ex fictione claudicat respectu vnius sufficientèr restauratur per eiusdem internum consensum verum, & realem, ergo &c. tum quià in hac etiam hypothesi habetur quidquid requiritur ad validitatem contractus, & sensibilitas scilicet requisita ad rationem actus humani, & internus animus vtriusque consentientis, quæ satis, superq; consolidantur, ergò &c. Antecedens quo ad primam partem facilè ex eo liquet, quia vterquè expresè in celebratione contractus posuit consensum, qui licet defecerit quoad vim obligandi, cum fuerit sine intentione ad illum, non tamen defecit in sensibilitate, secundum communem hominum æstimationem requisita, & tali, quæ si fuisset cum interno consensu, nemine discrepante fuisset valida, & sufficiens ad valorem contractus, quinimmò, cum hæc consistat in externa quadam apparentia, nõ potest reuocari per internum præcisè actum, sed requirit etiam externã retractationem, vt supponatur non moralitèr perseuerare; quoad secundam etiã euincitur, quià supponitur ex interuallo non retractata illa sensibilitate posita per priorem actum fictum poni verus, & realis consensus internus vtriusque, qui certè potest coniungi cum illa sensibilitate externa, non enim requiritur simultas physica, per ea, quæ supra diximus, & si consensus internus vnius potest coniungi cum illa, & reddere validum consensum, quantumvis ex interuallo accedat, cur non poterit ex interuallo coniungi consensus etiam internus alterius?

Vtroque fictè consentiente conualidatur contractus per nouum vtriusque consensum internum.

Siluester. Riccardus. D. Antoninus. Turrecremata.

Felinus. Palacios. Bartolom. à Ledesma.

Est sensibilitas, & vtriusque animus comprobandi.

Dices primo, quod, quandò in celebratione contractus, consensus vnius fuit verus, & realis & sensibilitèr expositus, consensus alteriùs accedat contractui saltem ex aliqua parte valido, adeoque per eundem superuenientem consensum compleatur ex omni parte; quandò verò vtriusque consensus fictus extitit, & coactus, si vnius, vel alterius, vel vtriusuqe consensus internus, & voluntarius accesserit, non accedit alicui, quod fuerit in se subsistens, & in quo fundari possit, adeoque &c. Sed contrà, quià quod in primis subsistat promissio alterius, non subsistit in ratione contractus, sed in ratione nudæ promissionis, vndè si posteà verus consensus internus illius, qui fictè promisit, accedat, non accedit contractui, sed nudæ promissioni, per ipsum tamen fit verus contractus, qui consistit in mutua promissione per superiùs dicta; sicuti igitur consensus de nouo ex parte vnius aduenieus constituit contractum, qui priùs non erat; ita non est, cur, si consensus vtriusque de nouo aduenerit, & adijciatur illi sensibilitati extrinsecæ, quæ posita fuerat per priorem consensum vtriusque fictum, non constituat etiam contractum; neque verum est, quod consensus vnius radicetur solummodò in consensu alterius præcedentèr validè posito. Deindè demus, quod, postquam vterq; consensum fictum, vel coactum posuerit, vnus ponat consensum internum verum, & peto, cur non poterit hic subsistere in ratione promissionis saltem obligantis, si non in ratione contractus? An quià post sensibilitatem externam positus sit consensus internus? hoc non; quià hac ratione non subsisteret consensus internus alterius contrahentis, quem poneret post fictum sensibilem, &

Instantia contra assertum, eiusque solutio.

Verum non est, quod consensus vnius radicetur in consensu alterius validè po- [illegible]

post positionem consensus realis sensibilis positi ab altero contrahente, quod est contrà superiùs dicta, & contrà ea, quæ admittunt etiam aduersarij. An quià non inueniat alteriùs consensũ, cui adiaceat? & hoc etiam non, quià simplex promissio ex parte vnius dumtaxat, & non mutua non posset subsistere, quod non est asserendum; Supposito igitur, quod post fictum vtriusque consensum possit subsistere cõsensus vnius internus spontaneus, & voluntariùs in ratione obligationis, quæro, cur eidem nõ possit adijci alterius posterior consensus internus verus, & realis? Certè contractui, cui in celebratione vnus consensum verum præstitit, & alter fictum, & coactum potest adijci consensus verus internus eius, qui fictè promiserat, & cõtractus tenet, cur etiam cõtractui, cui vterque fictè consensit, & posteà alter consensum verum adijcit non poterit adijci ille alterius?

Lessius. *Istantia Lessij, eiusque reprobatio.* Dices secundò ex *Lessio d. lib. 2. c. 17. dub. 11. num. 73.*, quandò vterque ignorat consensum alterius fuisse fictum potest vterq; validè posteà adijcere suum consensum verum, & internum, quià potest præsumere consensum alterius moralitèr perseuerare, secùs autem quandò vterque nouit consensum ex fictione esse inualidum, quià non potest esse præsumptio de morali perseuerantia, quinimmò de non subsistentia. Sed contrà, quià secundum veritatem contractus vtroque modo sumptus, siuè cum ignorantia fictionis, siuè cum fictione cognita non subsistit, si igitur cum ignorantia reualidatur, cur non cum scientia? Nec valet dicere, quod cum ignorantia est præsumptio perseuerantiæ moralis consensus, non sic cum scientia; Non valet, inquam, quià de perseuerantia morali illius extrinsecæ sensibilitatis positæ, per actum fictum satis valida est præsumptio, cum non constet de reuocatione per actum externum, vel quatenus cum altera nupserit, vel posuerit aliquem actũ, qui sit incompatibilis cum illa sensibilitate; de interno vero consensu potest præsumere ex eo, quod alter præstet actus, qui sint proprij sponsorum, qui si coniunguntur cum illa extrinseca sensibilitate inducunt valdè vehementem præsumptionem etiam de consensu interno. *Præsumptio sensibilitatis perseuerat quovsq; externè reuocetur.* Deindè demus, quod in celebratione contractus alter verè consenserit, alter fictè, seù coactè, & quod de hac fictione constet etiam verè consentienti. Certè in hac hypothesi non est præsumptio de perseuerantia morali consensus fictè promittentis, & tamen si hic posteà assensum verum, & internum præstiterit etiam sine denuntiatione eiusdem facta alteri contrahenti reualidatur contractus, quantumvis non sit præsumptio de morali perseuerantia prioris actus, cum cognoscatur fictus, prout fatentur, *Sanchez lib. 2. de matrimonio d. disp. 32. nu. 12. Ioannes Angelus Bossius d. c. 2. n. 45.*, neque enim validitas, vel inualiditas contractus habetur ex præcisa præsumptione, sed ex veritate consensus vel verè, vel fictè positi; sicuti igitur, quandò est præsumptio reualidatur ex nouo præcisè consensu interno sine vlteriori expressione, vt benè notat *Siluester verb. matrimonium 8. qu. 11. dicto 4.* Ibi. *Si autem vterque fuit coactus adhoc, vt sit verum matrimonium requiritur nouus consensus vtriusque, sed non exterior expressio noui*; ità non est, quandò etiam non est talis præsumptio, quod per nouum consensum internum sine expressione non reualidetur contractus; sufficit igitur, quod cum illa sensibilitate extrinseca posita per præcedentem vtriusque actum fictum coniungatur internus nouus consensus, & præsumptio, si qua requiritur, sufficientèr habetur ex eo, quod vterque perseueret in ijs actibus, qui comitantur vera sponsalia, & se habeant, vt sponsus & sponsa. Sanchez. Bossius. Siluester. *Coniũgitur cum sensibilitate extrinseca cõsensus verus, & internus.*

Dices tertiò, si duo contrahant per cõsensum fictum, vel coactum matrimonium coram Parocho, & testibus, & omnibus constet de fictione, & coactione consensus matrimonium ipsum nequit conualescere, nisi nouus cõsensus exhibeatur coram eodem Parocho, & testibus, ergo etiam si duo fictè contrahant sponsalia, & constet de fictione, non poterunt eadem sponsalia conualescere, nisi nouus consensus externus exhibeatur. *Non valet paritas de matrimonio fictè cõtracto ex parte vtriusq; ac de sponsalibus.* Sed contrà, quidquid sit de matrimonio, de quo professi fuimus in præsenti non loqui, dico adhuc pro nũc disparem esse rationem, quandoquidem ex dispositione noui iuris Tridentini requiritur ille nouus consensus externus, quia Parocho, & testibus debet apparere quantum humano modo fieri potest consensus validus, qui non appareret in illa suppositione, qua eidẽ Parocho, & testibus constaret de fictione in celebratione eiusem matrimonij; in sponsalibus autem sufficit solum quod consensus coniungatur cum aliqua sensibilitate, prout fit in præsenti, dum cum sensibilitate posita per actum illum priorem fictum, quæ intelligitur moralitèr perseuerare, coniungitur nouus vtriusque consensus verus, realis, & internus; quare pro sponsalibus, non tot præscriptæ sunt solemnitates, sicuti pro matrimonio.

4 *Contrahit fictus promissor noxã lethalem.* Ad tertiam dicendum est, eum, qui fictè promisit alteri, qui verè, & realiter repromisit, peccare læthalitèr *Caietanus verb. sponsalia, & ibi Armilla nu. 14. Nauarrus in summa c. 32. nu. 76. Vera Crux tertia parte speculi art. 19. concl. 1. Bartholomeus de Ledesma de matrimonio dub. 4.* Ratio ex eo deducitur, quia est mendatium contra legum dispositionem in contractu vtrin- Caietanus, Armilla. Nauarrus. VeraCrux, Bartolom, a Ledesma

vtrinque obligatoriò, quod poteſt demere de æſtimatione alterius, & iura præſcribunt, vt contrahentes verè conſentiant, non illuſoriè; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ diximus ſupra in probatione præſentis aſſertionis, quod ſcilicet ſic promittens nec ratione fraudis, nec iniuriæ, illatæ in fictè promittendo teneatur illam ducere, quæ verè promiſerat; Non, inquam, obeſſe poſſunt, nam aliud eſt quod peccauerit ſic fictè promittendo, aliud, quod poſteà ex vi illius fictæ promiſſionis teneatur eam ducere, prout notarunt *Molina tom. 2. de iuſtitia tract. 2. diſp. 352. ante verſ. illud obſeruandum. Vera Crux tertia part. ſpeculi artic. 19. concl. 5. Corduba in quæſtionario lib. 1. qu. 13. verſ. ſecundum dictum. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 11. nu. 2. in comment. lit. L. & c. 13. nu. 2.* Pirmùm appellat præcisè intentionem decipiendi, in qua conſiſtit peccatum, Secundùm dicit actualem deceptionem perniciosam, quæ certè non eſt in præſenti hypotheſi, quandoquidem deceptio manſit in intentione, nec habuit effectum; coram Deo etenim ſicuti fictus promiſſor non obligatur, ita nec alter ſibi, ſicque nec ratione promiſſionis, quæ ficta eſt, tenetur, nec ratione iniuriæ, cum alter nihil dederit, nec amiſerit *Sanchez de matrim. lib. 1. de ſponſalibus diſp. 10. nu. 6.* Eximerem tamen etiam fictè ſic promittentē à culpa lęthali in aliquibus caſibus, & primò in hypotheſi, qua ità fictè promiſiſſet, vt alter facile dignoſcere potuerit illum fictè, & iocosè promiſiſſe, nec indè damnū aliquod oriretur. Secundò in hypotheſi, qua ipſe fictè promiſerit ſine alteriùs vera repromiſſione. Tertiò in hypotheſi, qua vrgeret grauis neceſſitas ſic fictè promittendi *Sanchez loco cit. diſp. 9. nu. 3.*

Aliud eſt, quod peccauerit, aliud quod obligetur.
Molina
VeraCrux.
Cordub a.
Henriquez

5 ***Caſus, in quibus eximitur à culpa.***

6 Hæc, quæ dicta ſunt, procedunt quoad Deum, & quoad forum internum animæ, Remanet nunc dubitandum, vbi ageretur in foro iudiciali externo, an, ſi à Iudice interrogaretur ille, qui fictè promiſit, poſſet, ad ſubterfugiendum iudicium externū negare ſe promiſiſſe. Affirmatiuè reſpondet *Nauarrus c. humanæ aures 22. qu. 5. in qu. 1. art. fin. Manuel. primo tom. ſumma ſecunda edit. c. 245. nu. 12. Coarruuias 5. var. c. 2. nu. 4. Phyliarcus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. c 14.* ea ducti ratione, quod ſic negantes intelligant non promiſiſſe ſub ea conditione, vt teneantur, Sed an hæc ſententia teneat, ſtante declaratione Sanctiſſimi D. Noſtri Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, qua damnauit propoſitionem, quæ eſt in numero 26. in generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis ſub die ſecunda Martij 1679., qua dicitur; *Si quis vel ſolus, vel coram alijs ſiuè interrogatus, ſiuè propriè ſpontè, ſiuè recreationis cauſa, ſiuè quocunque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt periurus*, alij videant. Hoc vnum eſt, quod ipſe negat de obligatione, ſeu de promiſſione obligatoria, non autē de promiſſione ſimpliciter.

Nauarrus;
Manuel.
Coaruuias
Phyliarcus

Declaratio Innocentij XI.

Aſſertio II. ſi quis promiſerit animo promittendi, non tamen ſe obligandi non efficit vera ſponſalia, nec ex illa promiſſione obligatur. *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 13. nu. 2. Ricardus in 4. diſt. 38 art. 4. qu. 2. ad ſecundum. D. Bonauentura in 3. diſt. 39. art. 3. qu. 1. n. 46. D. Antoninus 2. part. tit. 11. c. 2. in init. Nauarrus in ſumma c. 12. nu. 38. Sanchez de matrim. lib. 1. de ſponſalib. diſp. 9. num. 5.* 7

Promittens ſine animo ſe obligandi non obligatur.
Henriquez
Riccardus
D. Bonau.
D. Antoninus.
Nauarrus,
Sanchez.

Tota ratio, ex qua poteſt eſſe controuerſia circà hanc aſſertionem dependet ab eo, an prius volitum antecedens ex ſua natura trahat ſecum conſequens, quod eſt neceſſariò connexum cum illo, an verò conſequens non volitum deſtruat antecedens, quod præſumitur volitum. Qua in controuerſia *ex l. 1. §. 1. ff. ſi vſusfruct. pet.* videtur dicendum, quod qui vult antecedens, vult neceſſariò conſequens, & latè *Euerardus in locis arg. à conceſſione antecedentis ad conceſſionem conſequentis*. Item ex eo, quod qui dat formam dat conſequentia formam, ſicque apponens promiſſionem apponit ex neceſſitate obligationem, quæ conſequitur ad ipſam. Ita argumentatur *Petrus de Ledeſma de matrimon. qu. 43. art. 2. dub. 2.*, & in ſimilibus *Sotus lib. 7. de iuſt. quæſt. 1. art. 2. verſ. 3. eodemque medio, Manuel tom. 2. ſumma c. 92. num. 7., Aragoninus ſecunda ſecundæ, q. 88. art. 1.* Ex aduerſo arguunt noſtræ ſententiæ aſſertores, quod conditio contraria ſubſtantiæ contractui irritet ipſum contractum *c. fin. de condit. appoſ. Bartolus, & Baldus in l. ab adminiſtratione, C. de leg. Alexander in l. impoſſibilis, ff. de verb. oblig. Innocentius in c. 1. de condit. appoſ.*, & in terminis ſpecialitèr de matrimonio, quod etiam ſi intentio contraria matrimonio mente retineatur ipſum irritet docent *D. Thomas in 4. diſt. 31. qu. 1. art. 3. in corpore, & ibi D. Bonauentura art. 1. q. 3. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 19. ante §. 1. in fin.* Pro cuius rei maiori intelligentia, & ſolutione obiectorum aduertendum eſt, quod ſi ea, quæ conſequuntur ad actum, qui dicitur volitus, ſunt ſimpliciter aduerſantia naturæ eiuſdem actus, non poſſit ille actus efficacitèr intendi, vt talis, quin intendantur alia, quæ ſunt connexa, & tollantur ea, quæ ſubſtantiæ eius aduerſantur, impoſſibile enim videtur, quod quis velit aliquid, & ſimul id, quod naturæ eiuſdem eſt deſtructiuum vtpotè eidem contrarium; ſi autem hic inquiras, cur id, quod eſt volitum non trahat ſecum id, quod non eſt volitum, id verò quod non

Petrus de Ledeſma.
Sotus.
Manuel.
Aragonius

Conditio contraria ſubſtantiæ contractus irritat contractum.

D. Thom.
D. Antoninus.

Non poteſt quis velle aliquid, & contrarium ipſius.

est volitum, destruat volitum in sua ratione, tunc respondebitur hoc non solum prouenire, quia negatio est malignantis naturæ, quæ totum destruit, sed etiam, quia impossibile est, quod aliquod sit tale, vt tale; & intendatur, vt tale, dum reijciuntur per expressum consensum ea, per quæ constituitur tale; si verò ea, quæ consequuntur non pertineant ad substantiam actus, vel adijciantur à contrahentibus, ità tamen vt non sint ex genere suo destructiua actus voliti, tunc, si sint turpia tanquam non apposita reputantur, si verò non sint turpia, veniunt in illo actu volito; si tandem adijciantur à iure, & contrahentes velint actum, & ea nolint, tunc efficacitèr intendentes actum obligantur iure compellente ad ea, quæ ex dispositione eiusdem iuris eidem actui adiunguntur; vt si v.g. quis efficacitèr velit ordinem subdiaconatus, & nolit votū castitatis eidem annexum, tunc etenim consequitur ordinem, eo quià negatio voti non sit contraria eiusdem ordinis substantiæ, tamen coarctatur ad implementum voti. Quibus positis

Probatur iam assertio primò. Impossibile est, quod quis possit efficacitèr intendere promissionem, & nolle simul positiuè obligationem, quæ ex eadem promissione ex genere suo consequitur, ergò dum vult efficacitèr negationem obligationis, non potest velle promissionem, quà talis, ergò perindè est, ac si non promitteret, ergò per illum non efficit sponsalia, nec ex vi illius obligatur. Antecedens probatur, quià positiua negatio obligationis est destructiua promissionis, quà talis in se, vndè erit solummodò promissio verbalis, & quoad sonum verborum non quoad veritatem, & quoad substantiam. Ex quibus habere potes, quid respondeas, si primò objjciatur, quod cum obligatio sit naturalis effectus promissionis posita eadem velit nolit promittens obligetur, sicuti posito igne, nolit, velit ponens, necessariò ponitur calefactio, vel si secundò objiciatur, quod qui vult antecedens vult necessariò, & consequens, & dans formam det consequentia ad formam, vt suprà dicebatur pro aduersa parte; Habes, inquam, si ad primum dicas, verum esse id, quod dicitur, si ponatur vera, & realis promissio, sicuti si ponatur vèrus ignis, necessariò sequitur calefactio. Sed videndū est, an illa promissio sit vera. Quomodo autem potest esse vera promissio sine intentione se obligandi? Promissio ipsa in suo esse dependet ab animo promittentis in sua constitutione; si promittens non vult ea, quæ sunt propria eiusdem promissionis, quomodo potest esse promissio? Neq; dicas, quod obligatio sit quid consequens ad promissionem, sicuti calefactio ad ignem, adeoque, quod possit esse promissio constituta in vero suo esse ante obligationem, cum principium in suo esse non dependeat ab effectu; contrà enim impugnaberis, quià quamuis obligatio quoad esse actuale, & quoad executionem sit quid consequens, quoad intentionem tamen constitutionis est quid indiuisibilitèr concomitans, quæ propterea, si antepositionem promissionis tollatur per actū omninò contrarium, tollit rationem propriæ, & realis promissionis. Idem ferè respondeas ad secundum, & tertium; qui enim sic promittit non vult antecedens cum non velit nisi verbalitèr, non autem efficacitèr promittere, & propterea, nec dat veram formam promissionis, sed dumtaxat apparentem, & verbalem.

8 *Nolens obligationem, non vult efficacitèr promissionem.*

Soluuntur aduersariorum obiecta.

Probatur secundò, quià in ea hypothesi obligatio promissionis consurgit ex lege priuata, quam promittens sibi imponit, sed nulla lex obligat, nisi legislator obligare intendat, ergo si ipse promittens non intendit se obligare, non obligabitur; Neque dicas, quod quantumuis illa lex sit priuata, quam promittens sibi imponit, eadem tamen posita consurgat obligatio ex iure diuino, & naturali, secundum quod vnusquisque promittens obligatur ad seruanda promissa; contra enim impugnaberis, quia ius quidèm diuinum, & naturale obligant ad seruanda promissa, quandò est vera promissio, secùs quandò est tantum verbalis, nec huiusmodi iura imponunt promittenti maius onus, ac ille sibi imposuerit.

Obligatio consurgit ex lege priuata.

Amplia assertionem, vt procedat, quantumuis qui promisit sine animo se obligandi iurauerit, etiam cum animo iurandi, non tamen se obligandi *D. Thomas in 3. dist. 29. qu. 1. art. 3. quæstiuncula tertia. D. Bonauentura in 3. dist. 30. art. 3. qu. 1. nu. 49. Diuus Antoninus secunda part. tit. 10. c. 6. vers. quintus casus in fin.* quod idem sensisse videtur *D. Gregorius lib. 26. in moral. c. 7.* vbi ait *humanas aures talia verba nostra iudicare, qualia foris sonant, Deum autem qualia ex intimis proferuntur.* Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus, quia non minus repugnat promissio sine animo se obligandi, ac iuramentum etiam sine eodem animo, tàm enim promissio, quàm iuramentum procedit ex spontenea hominis voluntate sibi legem imponentis, vnde sicuti illa sine animo obligandi non est vera promissio, ita nec iuramentum sine animo tali est verum iuramentum; Non obesse potest id, quod ex D. Isidoro refertur *in c. quocunque 22. qu. 5.* nempe quod *Quacunque arte verborum quis iurat, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui iuratur*, iuxta quem sensum *Hostiensis in c. ad audientiam in verb. resignauit de his, quæ vi*, asserit, quod licet promissio non obliget

9 *Non obligatur etiam si iurauerit* D. Thomas D. Bonauentura. D. Antoninus. D. Gregor.

Non est verum iuramentum, D. Isidor.

get sine animo se obligandi, iuramentum tamen ex statuto Ecclesiæ verè obligat; Non, inquam, obesse potest, quià ille textus, qui affertur ex *D. Isidoro in c. quacunque arte*, intelligendus est, dum qui iurat intendit quidem se obligare, non tamen adimplere, prout explicat *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 9. nu. 10. in fin.* Ad illud, quod subditur, dicendum est, Ecclesiam in iuramento non obligare, nisi secundum intentionem iurantis, vel dic Ecclesiam alitèr statuere in foro externo, & præsumptiuè, non secundum rei veritatem.

Procedit, quando intendit se obligare, nō tamen adimplere. Sanchez.

10 Assertio III. Si quis promiserit non solum cum animo promittendi, sed etiam cum animo se obligandi, sed tantum sub veniali, efficit vera sponsalia, & re vera obligatur *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 9. nu. 6. vers. cum caeterum in quacunque materia graui.*

Obligatur etiam si intendat solum sub veniali se obligare. Sanchez.

Contendunt hic aliqui hanc assertionem esse de subiecto non supponente, quandoquidem, cum versemur in materia graui, quæ ex genere suo obligat sub læthali, non est in potestate promittentis se obligare ad culpam læthalem, vel venialem *Sotus lib. 7. de iustitia qu. 2. art. 1. vers. per hac, & alij apud Sanchez loco cit.* quod probant ex paritate voti. Sed quidquid sit de hoc, quod non est proprium huius loci, assertio potest procedere in suppositione, quod promittens se obligare posset tantum sub veniali. Nihilominus, vt etiam in hoc procedamus absolutè, non præcisè ex suppositione, dicendum est, quod promittens possit tantū se oblibare sub veniali, quod ex eo euinci potest, quod promissio constituitur secundum voluntatem promittentis, totamque vim ab eadem sortitur, sed voluntas promittentis potest esse dumtaxat ad obligationem sub peccato veniali in ijs, quæ non cadunt sub præcepto, quandoquidem sicuti poterat promittere, & non promittere, ita poterat vel sub tali, vel sub tali obligatione promittere, cum obligatio in intentione det vim solummodò eidem promissioni in onere, quod inducit, & sicuti ex prædictis potuit promittere sine vllo onere, cur non potuit etiam promittere, et iam solùm sub onere tali? Neque dicas, quod, sicuti si promitteret sine vllo onere, non esset vera, & formalis promissio, ita si promitteret sub veniali, non esset promissio propria sponsalium, cum non induceret illam obligationem, quam ex genere suo inducunt eadem sponsalia; contra enim impugnaberis, quia obligatio non desumitur in ijs, quæ pendent à voluntate promittentis secundum maiorem, vel minorem grauitatem ab obiecto, circa quod versatur actus, sed à modo, secundum quem ex propriæ voluntatis arbitrio intendens talem actum fertur in ipsum obiectum, vt videre etiam est in actibus peccaminosis, quorum maior, vel minor malitia non desumitur ab obiecto, in quod tendit secundum se, sed secundum modū, quo peccans in illud fertur, quod præcipuè verificatur in ijs, quæ per legem priuatam sibi quisque ponit; Sic sentire videtur *Henriquez lib. 5. de pœnitentia c. 21. num. 5.* vbi etiam respondet ad id, quod dicitur de voto, asserens vouentem posse solummodò se obligare ad pœnam: quod idem dicit *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 9. nu. 6. vers. caeterum.*

Sotus.

Potest velle tantum obligationē sub veniali

Henriquez

Sanchez.

Probatur iam assertio, quia in illa promissione interueniunt ea omnia, quæ conferunt ad validitatem sponsalium, ergo nō est, cur per illam vera sponsalia non constituantur. Antecedens probatur, quia intercedit vera promissio, veraque obligatio, sicque si alter verè repromisit, consurgit contractus vltro citroque obligatorius, nec ad constituendum contractum est de essentia, quod obligatio debeat esse sub læthali, cum sufficiat, quod obligatio sit talis, qualem sibi statuunt contrahentes, neq; posset dici, quod non esset obligatio propria sponsalium, cum sponsalia ex genere suo obligent ad implementum sub læthali; non, inquam, dici potest, quia verè esset obligatio ad sponsalia contrahenda, quamuis non esset illa obligatio, quam regularitèr inducunt sponsalia; cum igitur obligatio vt sit maior, vel minor, dependeat ab intentione promittentium in ordine ad obiectum, hinc est quod obiectum illud possit intendi, vel sub hac, vel sub illa obligatione, sine destructione eiusdem obiecti.

Ad contrahendum nō est de essentia, quod obligatio debeat esse sub læthali

Hic oritur difficultas, an, si vnus ex promittentibus obligauerit se ad sponsalia adimplenda dumtaxat sub veniali, alter, qui indefinitè repromisit, sub eodem onere tantum obligetur, an verò sub læthali? 11
Ex ijs, quæ superius diximus videtur expressè dicendum esse, eum, qui indefinitè repromisit, obligari tantum sub veniali. Ratio, seruata proportione, ex ijs deducitur, quæ superiùs dicta sunt, quià si quis fictè promiserit, nec ipse obligatur, nec alterum sibi obligat *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 10. nu. 26.* ergo etiam si quis tātum sub veniali se obligauerit, alterū tantum sub veniali sibi obligabit. Consequentia tenet, quia cum contractus sit ex genere suo vltro citroque obligatorius non potest esse obligatio citrà æqualitatē, adeo vt si promissio vnius sit ficta, alter non obligetur, si limitata, etiam illa alterius sit limitata, & sic determinatè sentio; Neque obesse potest, si asseratur, quod, cum obligatio desumatur secundum intentionem promittentis, per ea, quæ dicta sunt, & cum ipse promiserit indefinitè sine vlla limitatione videatur repromisisse secun-

cundum obligationem, quæ ex contractu ex genere suo inducitur, adeoque sub peccato lethali per ea, quæ infrà dicentur; Non, inquam, obesse potest, quia etiam ille, qui repromisit, promissioni fictæ repromisit indefinitè sine vlla penitùs limitatione, & tamen non obligatur, adeoque qui repromisit promissioni sub veniali dumtaxat, quantumuis repromiserit indefinitè, non videtur repromisisse, nisi sub veniali. Ratio autem ex eo deducitur, quia repromissio ex genere suo semper intelligitur tacitè concepta ad normam promissionis, & sub tacita conditione ad illam: non enim æquum est, vt in contractibus, qui respiciunt iustitiam commutatiuam, cum inæqualitate sit obligatio.

Repromissio intelligitur tacitè concepta ad normam promissionis

12 *Præsumitur pro animo se obligandi.* Felinus. Gutierez.

Assertio IV. In dubio, an quis promiserit cum animo se obligandi, nec ne, probabilius præsumendum est, quod fuerit animus se obligandi, *Felinus in c. si verò n. 7. vers. quartò declarat de iureiur. Gutierez de iuram. prima part. c. 57. nu. 20. Nauarrus lib. 3. cons. in prima edit. tit. 24. de voto cõs. 4. in fin. Corduba in summa qu. 147. D. Antoninus secunda part. tit. 11. c. 2. in princip. vers. nota 6.*

Probatur, quia ex genere suo obligatio consequitur ad promissionem, nisi expressè apponatur negatio contraria, per ea, quæ nos superius docuimus, & docet latè *Sotus lib. 8. de iustit. qu. 1. art. 4. ad quartũ vers. ex secundo autem*, vbi ait: *quæcunque actio exterior deliberata secum natura sua affert agendi intentionem, & ideò nisi per formalem negationem mentis excludatur, semper intelligitur vna concurrere cum actione*, ergo vbi constat de actione, & dubium est de intentione se obligandi, præsumptio esse debet de obligatione, quandoquidem qualitas, quæ ex genere suo inest, semper inesse præsumitur *Menoch. de præsumpt. lib. 1. qu. 14. n. 3.* & probato facto, præsumuntur interuenisse ea omnia, quæ ad factum requiruntur *Panormitanus cap. 1. de his, quæ vi vel metu causa fiunt n. 9. per c. in præsentia de probat.* Neque obesse potest, si asseratur, quod in dubio possessio stat pro libertate, & pro eo, quod magis fauorabile est promittenti; Non, inquam, obesse potest, quia licet quandoque possessio stet pro libertate, fallit tamen quando ex præsumptionibus, & maximè ex natura promissionis secundum se arguitur pro ipsa promissione; & licet fauorabilius sit non obligari, quàm obligari, non tamen præsumendum est pro non obligatione, quandò constat de promissione, ex qua ex genere suo oritur obligatio, & licet ante factam promissionem liber fuerit promittens ad se obligandum, & non obligandum, ex post facto, scilicet post promissionem non videtur liber, in quo casu præsumptiuè possessio stat potius pro promissione, quàm pro libertate.

Sotus.

Vbi constat de actione, & dubitatur de intentione præsumitur pro actione.

Panormit.

SECTIO IV.

An consensus cum metu elicitus possit compati cum validitate sponsalium.

SVMMARIVM.

Metus quid propriè sit. 1.

Metus cadens in constantem virum irritat ipso iure sponsalia. 2.

Ex graui metu iusto ex parte obiecti, & cadente in constantem virum irritantur sponsalia. 3.

Ex metu iniusto ex parte obiecti non irritantur. 4.

Metus iustus ex parte obiecti si fuerit iniustè incussus ex parte agentis irritat absolutè sponsalia. 5.

Si metus fuerit iustus etiam ex parte agentis, quatenus est à lege illatus ad finem matrimonij non irritat. 6.

Quandò ex dispositione iuris non est statuta pœna sponsalium, si incutiatur metus, siuè ad finem extorquendi consensum ad sponsalia, siuè ad aliquid aliud, ad quod vitandum delinquens eligat sponsalia, hæc non irritantur. 7.

Si Iudex per excommunicationem cogat sponsum resilientem à promissione sine legitima causa ad contrahenda sponsalia, hæc non redduntur inualida. 8.

Si ex aliqua lege, vel statuto decretum sit, vt si quis damnatus ad mortem liberetur si ducat meretricem, & de facto duxerit, tenet matrimonium. 9.

Si Pater minatus fuerit alteri iustam accusationem cum periculis exilij, vel alterius pœna, nisi ducat propriã filiam, quam defloranit, & ille duxerit, tenet matrimoniũ. 10.

Si Pater inueniens iuuenem cubantem cum propria filia, & ei minetur malum per Iudicem inferendum nisi ducat filiam, tenent sponsalia cum ipsa contracta. 11.

Non inualidatur matrimonium initum inter ægrotum, & filiam medici ob metum mortis, eo quod medicus illum curare recusauerit, nisi propriam filiam duceret. 12.

Excipe tamen in hypothesi, qua medicus tenetur eum curare. 13.

Non sunt inualida sponsalia contracta inter filiam Principis, vel Iudicis, & alterum, cui deprehenso in aliquo crimine capitali minatur mortem, & ipse ad euitandam pœnam contrahit cum filia eiusdem. 14.

Si Iudex iniustam sententiam mortis protulit ad finem extorquendi consensum ad matrimonium per condemnatum ineundum cum propria filia nec sponsalia, nec matrimonium tenet. 15.

Si sententiam iniustam protulit ex alio fine, & postea occasione eiusdem offerat illam immunitatem, tunc sponsalia tenent. 16.

Si Princeps ob iustas causas saltem præsensas alteri

alteri bellum indicat, eumque obsessum teneat in propria ciuitate, & obsessus ad animos conciliandos offerat sponsalia cum filia obsidentis tenent sponsalia. 17.

Hecque verificatur, siuè obsidionem intentarit ad finem extorquendi consensum, siuè ad alium finem, si causa fuerit iusta, vel probabilis, secus si iniusta. 18.

Metus leuis, & ex genere suo non cadens nisi in meticulosum non irritat ipso iure sponsalia. 19.

Quandoque metus, qui respectu vnius est leuis potest respectu alterius esse grauis, adeoque irritare sponsalia. 20.

Sponsalia inita cum metu sufficienti ad inualiditatem contractus non obligant in vim sponsalium, quantumvis fuerint iuramento firmata. 21.

Nec indigent relaxatione iuramenti. 22.

Intellige siuè iuramentum fuerit metu extortum, siuè absque coactione exhibitum. 23.

Metus purè reuerentialis non irritat secundum se sponsalia. 24.

Metus reuerentialis, quantumvis mixtus blanditijs, & importunis precibus non irritat sponsalia. 25.

Metus reuerentialis commixtus cum minis, vt annullet contractum debet esse à persona assueta minas exequi. 26.

In dubio præsumendum est pro metu sufficienti ad irritandum. 27.

Sponsalia per metum reuerentialem sine minis inita per consensum solummodò tacitum in foro saltèm externo sunt irrita. 28.

Procedit maximè in noxijs. 29.

Metus reuerentialis nudè sumptus si fuerit cum enormi læsione annullat sponsalia. 30.

Ex metu reuerentiali nudè sumpto non irritantur sponsalia, siuè fuerint inita in vtilitatem eius, cui debetur reuerentia, siuè alterius. 31.

Procedit tàm in foro externo, quàm in interno, si consensus verè accesserit. 32.

Metus reuerentialis quandoque irritat, & quandò. 33.

Metus non solum probari potest per testes, sed etiam ex coniecturis. 34.

Ad probandum metum admittuntur in matrimonio, & sponsalibus etiam parentes, & consanguinei. 35.

Etiam testes singulares. 36.

Enumerantur circunstantiæ, quæ inducere possunt probationem metus. 37.

1 *Definitio propria metus.*

NON diutiùs immorabimur in inquirendo, quid sit metus, & quotuplex; nam de his alibi dictum est. Sufficiat pro nunc innuere definitionem metus alibi traditam, qua dicitur, quod sit *instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio*, & diuisionem metus in leuem, & grauem, seù in cadentem in constantem virum, & meticulosum, & in metum natum ex malo imminente, vel futuro, & natum ex reuerentia, quorum metuum natura, qualitates, & obiecta ex dicendis in processu prænotionis innotescent; non enim vacat in eorum explicatione hic moram trahere, cum ipsorum indagatio propria non sit huius loci, sed pertineat ad quæstiones de actibus humanis.

Rationes dubitandi circa titulum.

Id, quod præcipuè in hac sectione inquiretur, erit. Primo, an sponsalia metu viri constantis inita sint nulla ipso iure, sicut & matrimonium, vel potius, annullanda instar aliorum contractuum. Secundò, an sponsalia ex metu leui innita sit nulla, vel irritanda. Tertiò, an metus grauis irritet sponsalia quantumvis iuramento firmentur, & an iuramentum sit obseruandum, donec relaxetur. Quartò, an cum metu reuerentiali possint validè sponsalia contrahi. Quintò qualitèr probandus sit metus.

2 *Metus grauis irritat sponsalia.* Ancharan. Parisius. Coaruuias Riccardus Petrus de Ledesma. Manuel. Sanchez. Bonacina.

Assertio I. Metus cadens in constantem virum irritat ipso iure sponsalia, *Ancharanus cap. veniens, & l. 2. nu. 6. de sponsal. Parisius cons. 58. nu. 62., & cons. 60. num 10. vol. 4. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 5. n. 1. Riccardus in 4. dist. 29. art. 1. qu. 2. §. qui vult tenere opinionem secundam. Petrus de Ledesma de matrim. qu. 47. art. 3. Manuel 1. tom. summa 2. edit. cap. 231., & cap. 244. num* 4. hancque probabiliorem existimat, *Sanch. de matrimonio lib. 4. disp. 19. nu. 3. Benacina de matrimon. qu. 3. punct. 3. nu. 31.*, & nos ipsi attigimus incidentèr *tom. 1. sub tit. Contractus 1. de contractib. vt sic in disquis.* §. 9. *num. 9. vers. petes, an enumerati contractus.*

Metus minuit de voluntario.

Probatur ex ijs, quæ communitèr docent Theologi in primam secundæ partis D. Thomæ in quæstionibus de actibus humanis, quià licet metus non tollat rationem voluntarij simplicitèr, constituit tamen inuoluntarium secundum quid, seù minuit de voluntario, sed ad constituenda sponsalia requiritur plena libertas, & omnimoda voluntarietas, ergò sponsalia inita cum metu maximè cadente in constantem virum non erunt valida. Minor probatur, quià sponsalia inducunt obligationem ad contrahendum posteà matrimonium, sicque ex nunc inducunt onera, quę posteà ex matrimonio consurgent, non quidem ex nunc adimplenda, sed pro eo tempore, quo erit matrimonium contractum, sed ad hoc, vt matrimonium sit validum ratione onerum, quæ eidem adnectuntur, requiritur plena libertas, ergò etiam &c. Neque dicas, disparem esse rationem de matrimonio, ac de sponsalibus sitam in eo, quod matrimonium semel initum non est amplius dissolubile, adeoque ratione indissolubilitatis requirit in contrahentibus plenam libertatem, sine qua nequeunt indissolubilitèr obligari, sponsalia autem multis modis sunt dissolubilia, adeoque non videntur tam plenam exige-

Ad matrimonium requiritur plena libertas.

Requiritur plena libertas ratione obiecti, in quod fertur.

re libertatem; contrà enim impugnaberis, quià in primis etiã sponsalia sunt quoquo modo indissolubilia, nisi intercesserit legitima causa dissoluendi. Deindè non soluta ratione indissolubilitatis requiritur plena libertas, sed etiam ratione obiecti in quod fertur, & iuris, quod consurgit, quod cum sit ius in alterius corpus ratione maioris æstimationis, quam sint aliæ res extrinsecæ, quæ cadunt sub humana, & politica commertia, videtur requirere pleniorem libertatem ad illud transferendum; hoc autem ius etiam respicitur in sponsalibus, si non adimplendum de præsenti, saltem de futuro, adeoque &c.

Expenditur textus in c. ex literis de despõs. imp.

Ad hanc assertionem confirmandam maximè facere posse videntur textus *in c. ex literis de desponsat. impub.*, vbi est sermo de quadam puella, quæ compleuerat annũ duodecimum metu minarum parentis nupta puero impuberi, ibique concluditur. *Si puella commonita, vt donec compleat puer annum decimum quartum expectet, non duxerit expectandum, ei secundum ea, quæ proposita sint, accipiendi alium virum tribuas facultatem*, ibique redit rationem Glosa, quià scilicet *sponsalia metu inita sunt ex genere suo irrita*. Neque obesse potest, si asseratur, illum textum non procedere de metu simplicitèr, seu de consensu præstito per metum, sed de absoluta coactione, & negatione consensus, - ibi - *Nolens, & inuita*; non, inquam, obesse potest, quià satis ex eo textu colligitur, ibi sermonem esse de simplici metu, dum ibi dicitur, *Minis parentis impulsa*; quamobrem ad vitandam verborum contrarietatem maximè in eodem textu dicendum est, quod per ly, *inuita, & nolens* non debeat intelligi absoluta vis, & negatio voluntatis, sed vis per metum, & voluntarietas ratione eiusdem metus diminuta; neque nouũ est in iure, quod metus vis appelletur, vt habetur *in cap. 2. de pactis in 6.* vbi iuramentum metu extortum dicitur vi præstitum. Secundò facit textus *in c. cum locum de sponsalib.*: *cum locum non habeat consensus vbi metus, vel coactio intercedit necesse est, vt vbi assensus cuiusque requiritur coactionis materia repellatur*; item textus *in c. veniens in eod. tit. de sponsalib.* vbi Pontifex *Nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere*, & licet ibi sit sermo de matrimonio, *eam desponsauerit*, extendunt tamen dictum DD. etiam ad sponsalia.

Quomodo metus possit esse iustus, vel iniustus.

Hic latè disputant DD., an ea, quæ dicta sunt in hac assertione, intelligenda sint, siuè quandò metus iustè, siuè iniustè incussus fuit, & an tantus metus requiratur in fæmina, quantus in masculo. Pro quo aduerte; metum grauem duplicitèr posse esse iustum, vel iniustum scilicet vel ex parte obiecti simplicitèr, vel ex parte obiecti simul, & ex parte agentis. Primò modo dicitur metus iustè incussus, quandò malum, quod timetur, est absolutè, & in se malum, & graue, prout habetur *in l. metum 1. ff. de eo, quod metus causa*; nec sufficit, quod huiusmodi malum sit in se ipso graue, sed etiam requiritur, vt timens non vanè, & leuitèr, sed prudentèr, & rationabilitèr credat hoc graue malum sibi imminere, nisi consentiat *l. 1. C. si quis imperatori maledixerit*, *Mascardus conclus.* 1055. *nu.* 7., 18., & 18. *Menochius de arbitrar. lib. 2. casu* 136. *nu.* 12. *Famianus in addit. ad decis. crimin. Farinacij* 40., & vt timens non possit de facili depellere illud malum, *Siluester verb malus*, *Gutierez de matrim. c.* 77. *nu.* 1. *in fin.*, *Sanchez de matrim. disp.* 1. *num.* 13. De malis, modis, & actionibus, quibus inducitur iustus metus grauis ex parte obiecti agit fusè *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contractu c.* 12. *à nu.* 38. *vsque ad* 84., quem tu consule. Secundò modo dicitur metus iustè incussus, quandò incutitur ab eo, qui habet ius causandi illum metum, puta à Iudice, dicitur autem è contrario iniustè incussus, quandò est ab eo, qui non habet ius causandi, sed dumtaxat causam per iniuriam. Porrò, quandò iustè incutitur ex parte agentis, vel potest incuti præcedente legitima causa, vel nulla penitus causa præcedente. Primò modo res se habet, quandò Iudex v. gr. grauissimas pænas, vel mortis, vel mutilationis minatur ad finem, vt inducat ad contrahenda sponsalia, vel matrimonium, cum est, vel sunt ex dispositione iuris contrahendum, vel contrahenda. Secundò modo quandò ex propriæ voluntatis arbitrio pænas illas minatur ad finem, vt contrahantur sponsalia, vel matrimonium. His pro notitia suppositis

Requiritur vt timens rationabiliter timeat.

Mascardus Menoch. Famianus.

Nec possit de facili depellere malum. Siluester. Gutierez. Sanchez.

Quomodo inducatur iustus metus grauis. Bossius.

3 *Ex metu graui iusto ex parte obiecti irritantur sponsalia.*

Dico primò, ex graui metu iusto ex parte obiecti, & cadente in constantem virum irritari matrimonium, & sponsalia. Hoc euincunt iura, & rationes adducta, seu adductæ in probatione assertionis propositæ, & vlterius ex eo euincitur, quià tunc deficit consensus à iuribus requisitus *l. si eum exceptione* 14. §. *in hac actione ff. de eo quod metus causa*, quod intelligendum est, siuè metus fuerit incussus ab eo, cum quo ille, qui metũ passus est, contraxit, siuè ab alio, vt dicitur *in d. §. in hac actione* - Ibi - *In hac actione non quæritur, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecerit, sufficit enim docere metum esse sibi illatum*, hocque expresè docent *Glossa in c. cum locum, & ibi Panormitanus num.* 2., *& alij Canonistæ de sponsalibus Couarruuias de sponsalibus part. 2. cap. 3. num. 1. Gaillus lib. 2. obseru. 93. num. 1. August. Barbos. tom. 2. collect. ad d. cap. cum locum num. 2. Rota Roman. decis.* 205. *num.* 25. *apud Buratum*.

Glosa. Panormit. Couaruuias Gailus. Barbosa. Rota Ro.

4 Dico secundò, ex metu iniusto ex parte obiecti non irritantur ipso iure sponsalia

D.Tho-

D. Thomas in 4. dist. 29. q. vnica art. 3. in corpore D. Bonauentura ibid. q. 1. num. 4. Durandus q. 2. num. 5. Altissiodorus lib. 4. summa tract. 9. c. 7. q. 5. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 7. ad finem Metina C. de restit. q. 3. caus. 2. vers. si fiat remissio ex causa probabili, Henriquez lib. 11. de matrim. c. 9. num. 3. Ratio ex eo deducitur, quià metus iniustus ex parte obiecti, vel est ex genere suo leuis quoad obiectum, vel talis, vt quantum vis grauis prudenter tamen, & rationabilitèr non timeatur; sed huiusmodi metus ex genere suo non irritat sponsalia, nec matrimonium per ea, quæ in sequenti assertione dicemus, ergo &c.

Non irritantur ex metu iniusto ex parte obiecti.
D. Thomas. D. Bonau. Durandus. Altisiod. D. Antoni. Metina.

5 Dico tertiò, quod, si metus iustus ex parte obiecti fuerit iniustè incussus ex parte agentis irritet absolutè sponsalia *Rot. Rom. decis. 242. num. 10. apud Farinacium lib. 2. cons. criminal., & decis. 86. num. 24. apud Buratum, Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. nu. 265.*, quod intellige etiam, si ille, qui patitur metum, dederit causam eiusdem metus. Hoc totum euincitur *in c. veniens de sponsalib.*, vbi declaratur inualidum matrimonium initum per metum minarum incussum iuueni à Patre puellæ, eo quod ipsum cubantem cum filia inuenerit. Ex quo habes etiam ex parte agentis esse iniustum metum, qui incutitur à Patre, vel consanguineis.

Metus iustus si fuerit ex parte agentis iniustè incussus irritat,
Rota Ro. Bossius.

6 Dico quartò, si metus incussus fuerit iustus ex parte etiam agentis, quatenus est à lege illatus ad finem matrimonij non irritat sponsalia, nec matrimonium *Glosa in c. cum dilectus de his, quæ vi, Molinus lib. 2. differentia 17. num. 49., & seqq., Sanchez lib. 4. disp. 13. nu. 2., Ioannes Angelus Bossius de contract. matrimon. c. 12. num. 166.* Ratio ex eo deducitur, quià Iudex v. gr. iuridicè procedens non dicitur inferre metum, cum metus potius procedat à crimine, quod timens patrauit, *Glosa in cap. cum dilectus verb. metum de his, quæ vi, & l. continet 3. §. sed vim ff. de eo, quod metus causa* potissimum cum Iudex non dicatur illum metum, seù pænam incutere, sed lex ipsa; vndè non immerito statuitur Exodi 22., quod deflorans dolosè virginem teneatur illam ducere, sicque si Iudex incutiat metum mortis, vel exilij, nisi ducat, non irritatur matrimonium, si ducat; neque hic audiendi sunt, qui dicunt, inter quos *Couarruuias de sponsalib. part. 1. c. 4. nu. 6. Aloisius Riccius in praxi fori Ecclesiastici decis. 253. nu. 3., & Trenisanus decis. 63.*, quod qui metu exilij, nisi vxorem duceret à se defloratam, eandem duxit, inualidè contraxerit propter summam libertatem, quam exigunt sponsalia, & matrimonium; Non, inquam, audiendi sunt, quià libertas in ea hypothesi tollitur originalitèr ab ipso, cui incutitur metus, nam intentando, & complendo deflorationem seipsum implicitè exposuit ijs omnibus, quæ contra defloratores à iure præcipiuntur, vnde dici potest, quod sponsalia voluntaria in causa voluerit, ex eo quod voluerit deflorationem. Deindè ille metus non incutitur per iniuriam à Iudice ad finem extorquendi consensum ad sponsalia, sed per iustitiam sic exigente iure defloratæ, nec quicunque metus satis est ad inducendam inualiditatem sponsalium, cæteroqui inualidum etiam foret matrimonium, quod quis contraxit cum concubina metu inferni, mortis, vel infamiæ, quod nemò dicet.

Metus iustus etiam ex parte agentis non irritat.
Glosa. Molinus. Sanchez. Bossius.

Lex ipsa incutit metum, non Iudex.

Libertas tollitur originalitèr ab eo, qui dolosè stuprauit.

Hæc, quæ diximus, procedunt, quando metus incutitur iustè à Iudice, vel ad adimplenda sponsalia promissa, vel ad matrimonium ineundum quandò ex iuris dispositione, vel ob delictum, vel ob aliquid aliud, cui causam dedit, tenetur. Nunc examinandum est, an quando ex dispositione iuris non est statuta pæna sponsalium, vel matrimonij possit incuti metus ob aliquod delictum, vel ob aliquam aliam rationem, ex quo sequantur sponsalia, vel matrimonium, & an tunc talis metus irritet sponsalia, vel matrimonium. Qua in re videndum est, an talem metum quis incutiat ad finem extorquendi consensum, vel ad sponsalia, vel ad matrimonium, vel verò ad aliquid aliud, ob quod deindè vitandum ipse delinquens, vel metum passus eligat sponsalia, vel matrimonium. Qua
in re respondendum est, quod siuè talis 7
metus incutiatur ad finem extorquendi talem consensum, cum non teneatur, non irritet absolutè contractum, siuè si incutiatur iustè ad alium finem, ex quo posteà ex electione timentis ineatur ipse contractus. Ità aduersus *Sotum in 4. dist. 29. qu. 1. art. 3. vers. hinc primò colligitur, Bartolomæum à Ledesma de matrim. dub. 23. fund. 5., Philiarchum de officio Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 8., Cerdubam in summa q. 171. punct. 1. Ludouicum Lopez 2. part. instruct. noui materia de matrimonio c. 40., Coninchus 2. disp. 28. dub. 1. nu. 15., Bonacina de matrim. q. 3. punct. 8. num. 10., & seqq.*, dixit *Ioannes Angelus Bossius de contract. matrimonij c. 12. num. 170., & seqq.*, vbi pluribus alijs citatis DD. concludit metũ illum non irritare matrimonium quantumuis incutiatur ad finem matrimonij; fortior ratio erit confutatio rationum cõtrariæ opinionis. Ratio primæ partis ex eo deducitur ab aduersarijs, quià quantumvis ille metus secundum se possit esse iustus, quatenus incutiens illum ob iniuriam sibi illatam habeat ius accusandi, vt extorqueat debitam satisfactionem, prout tamen refertur ad matrimonium extorquendum, ad quod ius non habet, est omninò iniustus, seù iniustè illatus, sed metus ex parte agentis iniustè illatus per superiùs dicta irritat matrimonium, & sponsalia, ergo &c. Sed respondeo cum *Bossio loc. cit.*

Quid dicendum quando onus contrahendi matrimonium non est à iure impositum.

Bossius.

cit. non dici metum in ea hipothesi iniustè, seù per iniuriam inferri à persona priuata, quià ratione delicti Iudici, vel priuatæ personæ competit Ius inferrendi metū delinquenti, sed metum oriri ex ipso delicto, & tunc personam priuatam potius auferre illum metum per oblationem matrimonij tanquam medij ad mortem, vel aliud graue damnum euitandum; sicque in rigore non infertur ille metus ad extorquendum matrimonium, sed supposito ex delicto iusto fundamento illum inferendi, vel originalitèr ex persona delinquentis illato offertur medium ad damnum euitandum per oblationem matrimonij. Hoc idem, & per consequens ratio dicti deduci potest *ex l. si mulier* 21. *in princip. ff. de eo, quod metus causa* - Ibi - *si mulier contrà patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cum de suo statu periclitabatur aliquid patrono suo dederit, vel promiserit, ne in seruitutem redigatur, cessat edictum, quià hunc sibi metum ipsa infert*, ex quibus deducitur, quod qui delictum commisit sibi ipsi originalitèr metum inferat, sicque dum alter damnum minatur, non dicitur metum incutere, sed potius auferre offerendo conditionem immunitatis.

Metus oritur ex ipso delicto.

Per personam priuatam potius tollitur metus.

Ratio secunda, cui innituntur aduersarij ea est, quià in ea hypothesi non esset plena libertas ad contrahenda sponsalia, vel matrimonium requisita, quandòquidem ille metus, si non demit, saltem minuit de ratione voluntarij. Sed facilè possum occurrere huic rationi, quod illa coactio, si qua est, originalitèr proueniat à principio intrinseco, non ab extrinseco vim inferente, sicque si vim aliquam patitur, à se ipso patitur, non ab alio, cum spontè dederit causam tali metui; Neque quicunque metus satis est ad irritandum matrimonium, secùs qui contraheret matrimoniū, vel ad euitandam mortem, vel morbum grauem inualidè contraheret, sed debet esse metus ab extrinseco illatus, & per iniuriā, vt docent *Ioannes Angelus Bossius loc. cit. n.* 171., *Sanchez lib.* 4. *disp.* 13. *nu.* 9. *ad* 4.

Vim potius patitur à se ipso, quā ab alio.

Bossius. Sanchez.

Ratio tertia, cui innituntur, ea est, quià nulla persona priuata potest compellere ad contrahendum matrimonium, & licet iustè minari possit ad finem iustitiæ punitiuæ, nō tamen ad finem extorquendi matrimonium. Sed per superius dicta facilè etiam possum occurrere asserens, quod per illam oblationem non compellat priuata auctoritate ad contrahendum matrimonium, sed auferat rationem metus offerendo medium talis oblationis per exhibitionem matrimonij.

Secunda pars facilè ex eo liquet, quià electio ad matrimonium est ex libera voluntate eius, cui metus incussus est, quandòquidem ex proprio delicto originalitèr ortus est metus, & ad damnum euitandum, quod ex illo metu timetur suá spontè eligit illam pœnam.

Sua spontè elligit sponsalia.

Ex dictis in particulari inferes primò, quod, si Iudex per excommunicationem sponsum resilientem à promissione sine legitima causa cogat ad contrahendum matrimonium, vel sponsalia, matrimonium illud non reddatur inualidum *Couaruuias de sponsal. prima part. c.* 4. *nu.* 3. *&* 4. *Franciscus Molinus de ritu nuptial. comp.* 2. *nu.* 13. *August. Barbosa collect. ad c. ex literis* 2. *nu.* 3. *& in collect. ad c. requisiuit nu.* 2. *de sponsalib. Bellarminus ad cap.* 29. *sess.* 24. *de reform. in addit. vers. amplia. Laiman. lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 1. *c.* 1. *nu.* 4. Expresè colligitur *ex c. ex literis* 2. *de sponsalib.*: ibi: *Si monitis non acquieuerit, Ecclesiastica censura compellas, vt ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, in vxorem accipiat*, quod idem habetur *in cap.* 1. *de pactis*: ibi: *vt pacta inita suam retineat firmitatem, aut conuentus, si se non cohibuerit Ecclesiasticam sentiat disciplinam*. Ratio illationis ea est, quia metus ille non solum est iustus ex parte obiecti, sed etiam ex parte agentis. 8

Sine causa resiliens, & per excommunicationem compulsus valide contrahit.

Couaruuias. Molinus. Barbosa. Belarmin. Laiman.

Inferes secundò, quod, si ex aliqua lege, vel statuto, vel Principis concessione decretum sit, vt si quis damnatur ad mortem liberetur, si ducat meretricem, & de facto duxerit, teneat matrimonium *Couaruuias de sponsal. part.* 1. *cap.* 4. *nu.* 6. *& præcipuè* 2. *part. c.* 3. §. 4. *nu.* 13. *Sanchez de matrimonio lib.* 4. *disp.* 12. *nu.* 8. *Basilius Pontius lib.* 4. *c.* 19. *nu.* 8. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 12. *nu.* 180. Ratio ex eo deducitur, quià illa pœnà iustè illata supponitur, & ipse damnatus spontè eligit illud matrimonium, seu sponsalia ad vitandam pœnam; Neque in hac hypothesi ex necessitate adhibenda est illa cautela, qua vtuntur nonnulli Iudices, qui tunc extrahunt delinquentem à carcere, non tamen liberum dimittunt quoadvsque matrimonium compleuerit, reputantes tunc liberè contrahere non contracturum cum libertate, si in carcerem detineretur, vt ibi compleret; Non inquam ex necessitate adhibenda, quandoquidem quantumuis à carcere extractus non est omninò liberè dimissus, sed adhuc sub custode; deinde cum ille metus, seu coactio proueniat ab intrinseco, nō demit libertatē sufficientem ad contrahenda sponsalia, vel matrimonium. 9

Couaruuias. Sanchez. Pontius. Bossius.

Tenet matrimonium, si quis ad mortem damnatus ducat meretricem ad effugiendā mortem.

Inferes tertiò, quod si quis, puta Pater minatus fuerit alteri iustam accusationem cum periculo longæ detentionis in carcere, vel exilij, nisi ducat propriam filiam, quam desflorauit, & iste metu concepto duxerit, teneat matrimonium. Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, quia scilicet non ipse Pater ex se incutit metum sed ipse metuens ex delicto sibimet ipsi originalitèr infert, & pater potius aufert illum 10

Non incutit metum, sed aufert.

illum metum per illam oblationem matrimonij, quam ingerat. Neque in hoc valet distinctio, quam plurimi afferunt, quod scilicet teneat matrimonium, si deflorator ex dispositione iuris ad illud teneatur, secùs verò, si ex aliquo iure nō teneatur: Nō, inquam, valet, quià, quantumuis ex dispositione iuris non teneatur ad illud matrimonium, ad vitandam tamen pœnam, qua ex illo delicto est punibilis, sponte illud sibi eligit, & originalitèr ille metus processit ab ipso delinquente, non ab accusare volente. Nec magis valet aliorum distinctio asserentium, quod, si deflorata consenserit deflorationi sine vlla promissione matrimonij futuri, tunc non teneat matrimonium ex metu contractum, secùs verò si illa inuita fuit deflorata; Non, magis, inquam, valet, nam, vel adhuc si illa consenserit, deflorator est punibilis graui pœna, vel non, si est punibilis, & ad euitandam illam pœnam, quam expectare potest ex accusatione consentiat, validè contrahit propter rationes supra adductas, si verò non est punibilis, & Pater nihilominus grauia damna minetur, tunc certè non tenet matrimonium, quia ille metus est iniustè incussus. Si verò supponas, quod defloratori virginis à iure imposita sit pœna, vel vt eam ducat, vel vt eam congruentèr dotet, & stante Patris accusatione Iudex minaretur mortem, aliaque grauia damna, nisi determinatè eam ducat, cum tamen paratus esset eam dotare, tunc absolutè tenendum est, quod, si ex illo metu matrimonium, vel sponsalia contraheret, non teneret matrimonium. Ratio est, quià stante iuris dispositione liber est deflorator vel ad ducendam, vel ad dotandam, ergò iniustè incuteretur ille metus in ordine ad exigendum potius matrimonium, quam dotem.

Sponte matrimonium eligit ad euitandam pœnam.

Inferes quartò, quod, si Pater inueniens iuuenem cubantem cum propria filia, & ei non minetur propria auctoritate mortem, vel mutilationem, sed malum per Iudicem inferendum, nisi ducat filiam, cum qua cubauit, & ipse tali metu perterritus matrimonium, vel sponsalia cum illa contraxerit, teneant sponsalia, vel matrimonium; Neque obstat textus supra allegatus *in c. veniens de sponsalibus*, quandoquidem ille textus procedit dumtaxat de metu minarum, quam Pater propria priuata auctoritate illi intulit, qui certè erat iniustè illatus. Illationem tenent absolutè *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. num. 188. Bonacina de matrimon. qu. 3. punct. 8. nu. 11. vers. primum exemplum. Sanchez de matrimonio lib. 4. disp. 13. nu. 9.* Ratio ex ijs deducitur, quæ dicebantur, quià scilicet ille metus iustè incutitur, ad quem auertendum potest offerre pater immunitatem sub medio talis matrimonij.

Offert immunitatem medio talis sponsalium

Bossius. Bonacina, Sanchez.

12 Inferes quintò, non infici matrimoniū initum inter ægrotum, & filiam medici ob metum mortis, eo quod medicus illum curare recusauerat, nisi propriam filiam duceret *Coninchus disp. 28. dub. 1. nu. 11. Sanchez lib. 4. de matrimon. disp. 12. num. 15. Sotus in 4. dist. 29. qu. 1. art. 3. versic. nunc primò colligitur. Bartholomæus à Ledesma dub. 23. de matr. funda. 5. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrimonio c. 40. §. iam ex prædictis liquet.* Rationem nec inefficacem deducunt communitèr ex eo, quià ex vna parte metus ille mortis non infertur à medico, sed à morbo, & medicus ex alia lege iustitiæ non tenetur illum ægrotum curare, ergò poterit iustè pro pretio curationis exigere matrimonium ipsius cum propria filia, vndè ægrotus ad euitandum mortis periculum sibi ob morbum imminens, eligit illa sponsalia, seu matrimoniū. Dixi, *non tenetur curare*, si enim supponas, quod medicus ex conuentione, & ex stipendio à Republica eidem tradito, teneatur omnibus indifferentèr mederi, & præcipuè ipsi ægroto, tunc non denegarem, quod, si denegaret curā, nisi filiā suā duceres, eamque ad sibi de cura consulendum duceret, esset inualidum matrimonium, eo quià sic denegando contra iustitiam eidē ægroto iniuriam inferret, & metum mortis fortiorem ipse iniustè ingereret *Pontius lib. 4. c. 13. nu. 3. & 9. & c. 19. nu. 15. Coninchus disp. 28. nu. 11. Ioannes Angelus Bossius de matrimonio contract. c. 12. nu. 193.* Aduersus tamen ea, quæ in hac illatione dicta sunt magnam vim habere videtur textus *in l. medicus ff. de varijs, & extraord. cognit.* de quo textu nos alibi loquentes, & præcipuè *tom. 3. sub tit. Contractus VII. disq. 2. §. 2. num. 4.* diximus per illum prohiberi societatem inter medicum, & ægrotum, durante tempore infirmitatis, propter eam rationem, quia infirmus non præsumitur omninò liberè, & voluntariè contrahere, quod latiùs expendens *Molinus lib. 2. disp. 57. num. 24. & 34.* asserit ex vi illius textus irritari omnes contractus initos per medicos cum infirmis propter præsumptiones, ne infirmi pollicitationibus, & promissis medicorum ob spem salutis recuperandæ omnia indulgeant. Sed facilè subterfugere possumus vim instantiæ, si asseramus, textum illum inniti solummodò præsumptionibus, nec locum habere, vbi ingenuè res agitur, per ea, quæ docuimus loco cit., secundum quæ non habet locū in foro interno animæ. Deinde, cū ille textus sit correctorius iuris communis, debet intelligi strictè, vt non extendatur vltrà dispositionem eiusdem, qui, cum loquatur præcisè in terminis emptionis, & venditionis, ad summum verificari potest vel in eodem, vel in similibus contractibus, non autem in contractibus matrimonialibus, & sponsalium.

Metus mortis non irritat sponsalia inter ægrotum, & filiam medici, si hic nolit curare sine talibus sponsalibus.

Coninch. Sanchez, Sotus, Lopez. Bartolom. à Ledesma

13 *Nisi medicus aliundè teneretur curare.* Pontius. Bossius.

Explicatur textus in l. medicus ff. de var. & extrad. cogn.

Inferes

14 Inferes sextò, quod, si Iudex, vel Princeps aliquem deprehenderit in aliquo crimine, cui adnexa est pœna mortis, vel mutilationis, eidem indemnitatem permittat, si duxerit in matrimonium, vel sponsalia contraxerit cum propria filia, cæteroqui pœnam iuris inflicturus, si non ducat, vel non contrahat sponsalia, & ipse annuat, ducat, vel contrahat, non sint inualida sponsalia, nec matrimonium *Ioannes Andreas in c. veniens 2. de sponsalibus Sanchez lib. 4. disp. 13. nu. 3. vers. 4. probat. Henriquez lib. 1. cap. 19. nu. 1. Villalobos prima part. summa tract. 13. diff. 37. n. 7. Gutierez de matrimonio c. 76. nu. 16. Ioannes Angelus Bossius d. c. 12. nu. 184.* hocque euinciiur ex rationibus superiùs adductis, quandoquidem non iniustè Princeps, vel Iudex incutit talem metum, cum originalitèr proueniat ex delicto commisso, & per talem oblationem potius metus dirimitur, quam augeatur.

Ioannes Andræas. Sanchez. Henriqu. Villalobos Gutierez, Bossius.

15 Hic excitat difficultatem *Sanchez d. lib. 4. disp. 12. nu. 11.*, an, si Iudex, vel Princeps iniustè ad mortem damnauerit aliquem, eidemque obtulerit indemnitatem, si filiã ipsius, vel aliam fæminam duxerit, vel sponsalia cum ipsa contraxerit, & ipse ad mortem, ad quam iniustè condemnatus est euitandam, annuerit, teneat matrimonium, vel sponsalia, & ipse respondet affirmatiuè proptèr eam rationem, quod metus non iniiciatur ad extorquendum consensum vel ad sponsalia, vel ad matrimonium, sed iam iniectus per oblationem matrimonij, vel sponsalium auferatur, ad quod parum facit, quod ille metus fuerit vel iustè, vel iniustè iniectus, & ad hoc comprobandum adiungit, quod, si secuta per Iudicem sententia iniusta mortis, alius ab eodem Iudice offerat immunitatem mortis, si velit cum propria filia contrahere, teneat contractus, adeoque etiam, si ab ipsomet Iudice offeratur, quandòquidem vel ille metus est sufficiens ad irritandum contractum, vel non; si est sufficiens ex genere suo, etiam si incutiatur ab alio ab ipso contrahente erit sufficiens per ea, quæ suprà diximus. Ioannes Angelus Bossius è contrario negat illa sponsalia, vel matrimonium tenere, eo quià tunc ille metus iniustè incutitur à Iudice, & iniuriosè matrimonium extorquetur, nec tunc metus habet originem à delicto timentis, sicuti in præcedentibus, hocque tradit *d. cap. 12. num. 186.* vbi etiam asserit, quod, si alius à Iudice condemnatore offerat illam immunitatem à morte iniustè intentata, & timens assentiatur, teneat contractus, assignatq; rationem disparitatis inter hunc, & casum, quo Iudex, qui iniustè condemnauit, obtulit illam immunitatem, quià scilicet in hoc casu, qui offert non potest dici inferre, sed potiùs debet dici auferre metũ iam conceptum ex causa licet iniusta. Qua in re cum distinctione procedendum existimo, & quodamodò vtramque opinionem conciliare; vel etenim Iudex iniustam sententiam mortis protulit ad finem extorquendi consensum ad matrimonium per condemnatum ineundum cum propria filia, vel sententiam illam iniustam pronuntiauit ex alio fine eandem non referens ad finem talis consensus, licet posteà occasione eiusdem offerat illam immunitatem, si condemnatus voluerit matrimonio oblato assentiri. Iuxtà primum sensum locum habet opinio, *Bossij loco cit.*, & re vera nec sponsalia, nec matrimonium tenent. Iuxtà secundum validè sustineri potest sententia, *Sanchez loc. cit.*, & tunc verè tenet matrimonium, seù sponsalia. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià verè tunc metus est iniustè incussus à Iudice, vel Principe, & vi eiusdem consensus ille elicitur, & ad illum condemnatus causam non dedit, ergò consensus ille vtpotè coactus vim inferente quodamodo principio extrinseco nõ erit efficax ad obligandum; atque huic rationi assentiuntur, *Coaruuias 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 4. nu. 15., Gutierez de iuram. 3. part. cap. 57 nu. 9., Vega lib. 3. summa cas. 235. Palacios in 4. dist. 25. disp. vnica ad fin. vers. 9. Vera Crux 1. part. speculi ar. 8. dub. 3. §. clarissimè ex hoc sequitur;* nec ad hoc refert, quod illa metus iniustus incutiatur à Iudice, quandòquidem per hoc non tollitur quin iniustè incutiatur, & sicuti, si persona potens, & assueta minas exequi mortem minaretur, nisi quis assentiatur matrimonio per se oblato, non teneret illud matrimonium, vt est in confesso apud omnes, ità nec si Iudex per sententiam iniustam mortem minitetur, nisi matrimonium cum filia, vel alia fæmina contrahatur, tenere nõ posse videtur idem matrimonium, cum potestas Iudicis in ordine ad sententiam iniustam sit potius tiranica, & vsurpata, quam legitima. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià per illam immunitatem metus non incutitur, sed antecedenter ex alio capite conceptus aufertur, ergò non est, cur inualidet matrimonium; nec obstat, quod ab eodem ille metus fuerit iniustè incussus, adeoque cum sit ab extrinseco sufficientem vim inferat ad inualidandum contractum. Quid autem obest, quandò ex vi illius mouetur timens ad assentiendum siuè ad vnum, siuè ad alterum finem talis metus ordinetur. Non, inquam, obest, quià, cum ille metus non sit incussus in ordine ad hunc finem extorquendi consensum, vel ad sponsalia, vel ad matrimonium, istud voluntariè eligitur tanquam mediũ ad euadendum periculum mortis; sicque illud inuoluntarium, quod in eo matrimonio inuenitur non est intentum, ab

Bossius.

Iudex proferens iniquam sententiam ex fine matrimonij inualidat.

16 Secus, si ex alio fine.

Coaruuias Gutierez. Vega. Palacios. VeraCrux

Per illam immunitatem metus non incutitur.

Innocent. Ioannes Andraas. Cardinal. Abbas. Præposit. ab incutiente metum, sed tantum habet occasionem ex illius malitia; hac ratione docent *Innocentius in c. cum locum n.2. Ioannes Andraas item num. 2. Cardin. n. 3. Abbas num. 9. Præpositus n. 12. de sponsalib. Gutierez de iuram. prima part. c. 57. nu. 4., & seqq.*, quod matrimonium contractum per detrusum in carcerem, si non animo extorquendi matrimonium detrusus sit, sit validum, quia metus is non incussus est animo extorquendi contractum matrimonialem. Ex quibus etiam licet inferre, quod, si damnato iam ad mortem iniustè per alium à Iudice offeratur matrimoniũ cum promissione liberationis à morte, & hic acceptet, teneat matrimonium proptèr eàdem rationem, & in hoc conueniunt, *Sanchez, & Bossius loc. cit.* Hanc nostram assertionem iuxtà distinctionem iam datam tenent, *Corduba in summa qu. 171. punct. 1. Manuel primo tom. summa 2. edit. c. 231. num. 1.* Sanchez. Bossius. Corduba. Manuel.

17 Inferes septimo, quod, si Princeps ob iustas causas saltem prætensas alteri bellũ indicat, eumque obsessum teneat in propria ciuitate, & obsessus ad animos conciliandos, obsidionemque tollendam offerat sponsalia cum filia obsidentis, teneant eadem sponsalia. *Sotus in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. vers. hinc primo colligitur, Antonius Cucus lib. 1. instit. maior. tit. 12. num. 117. Angles Floribus prima part. de matrimon. qu. 3. de consen. coacto art. 1. diff. 2. Viualdus candelab. 2. part. de matrim. n. 61., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. n. 28. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 12. num. 13.* Ratio ex eo deducitur, quia ille metus incuti supponitur ex iusta, seù saltem probabili causa, quam Princeps obsidens habet aduersus obsessum, qui offert sponsalia cum filia eiusdem obsidentis, tanquam medium ad remouendum metum incussum, & vitanda damna sibi imminentia ex obsidione. Hic tamen duplex oritur difficultas, an ea scilicet, quæ dicta sunt, æquè sint intelligenda, si Princeps bellum excitarit, obsidionemque intentarit ad finem extorquendi consensum ad talia sponsalia, & an ea æquè verificentur, siuè obsidio fuerit intentata ex causa iusta, siuè ex causa iniusta. In ordine ad vtrumq; sentiendum est sponsalia sic inita non tenere, si obsidio fuerit ex causa iniusta, tenere verò si fuerit iusta, vel saltem probabilis. Ita sentiunt DD. ferè omnes allegati pro hac illatione, & vlterius *Bartolomeus à Ledesma dub. 23. de matrim. fundam. 5. Ludouic. Lopez 2. part. instruct. de matrim. cap. 40. §. iam ex prædictis liquet, Vega lib. 2. summa casu 207.* Ratio ex superius dictis deducitur, quoad primam partem, quia ille metus est iniustè incussus à Principe obsidente, & vi illius consensus ille elicitur, cæteroqui non eliciendus, nec eidem

Tenent sponsalia cum filia obsidentis cum obsesso Cucus.

18

Si causa fuerit iusta, vel probabilis. Bartolom. à Ledesm. Lopez. Vega.

obsessus causam dedit, cum obsessio supponatur iniusta, & ad hoc multum facere posse videntur ea, quæ diximus in præcedenti illatione de Iudice iniustè condemnante ad finem extorquendi consensum vel ad sponsalia, vel ad matrimonium cum propria filia. Ratio secundæ partis ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus *sub hac eadem assertione sub dicto 4. vers. hac qua diximus*, quià cum supponatur iusta causa obsidionis ille metus consurgit à iure, quod obsidens habet aduersus obsessum, & sicuti si quis ex delicto, quod alter patrauit, potest minari eidem damnum per accusationem, si fuerit persona priuata, vel per condemnationem, si fuerit Iudex, nisi contrahat sponsalia, vel matrimonium cum tali fæmina, quià ille metus potius incutitur à delicto, quam ab illa persona priuata, vel Iudice, & isti potius metum auferunt exhibendo sponsalia, quam afferant; ita si Princeps ex iure, quod habet aduersus iustè obsessum poterit eidem minari detrimenta per depredationem nisi contrahat sponsalia cum propria filia, quià ille metus incutitur potius à iure, quod obsidens habet aduersus eundem, & ab onere, quo ex iusta causa premitur obsessus, quam ab eodem obsidente; ità enim se habet persona priuata ad accusandum supposito delicto patrato, & Iudex ad condemnandum, sicuti Princeps ad inferendum bellum, & obsidionem supposita iustà, & legitima causa.

Incutitur potius à iure, quam ab homine.

Alias illationes secundum doctrinas expositas de metu iusto, vel iniusto tu ipse deduc, seruata semper proportione ad ea, quæ dicta sunt, non enim vacat amplius in his immorari, potissimum cum alibi, de ijs iterum occurret sermo, dum de consensu coacto in matrimonio.

Assertio II. Metus leuis, & ex genere suo non cadens, nisi in meticulosum virum non irritat ipso iure sponsalia. *D. Thomas in 4. dist. 29. quæst. unica art. 3. in corpore, & D. Bonauentura ibid. qu. 1. nu. 4. Altisiodorus lib. 4. summa tract. 9. cap. 7. qu. 5 D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 7. ad fin. Metina C. de restitutione quæst. 3. caus. 2. vers. si fiat remissio ex causa probabili, Sotus in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. paulo post princip. concl. 2. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 9. n. 3. Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 17. num. 3. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contractu c. 12. nu. 163.* Procedit assertio in suppositione, qua metus leuis non tollat omninò consensum, nam si consensum absolutè tolleret, tunc certum est saltem coram Deo sponsalia non subsisteret, cum hæc nequeant esse sine consensu, licet quoad Ecclesiam præsumeretur de eisdem, *Rebellus parte 2. lib. 2. qu. 11. nu. 10. vers. dixi si modo Gutierez de matrim. c. 76. nu. 20.* Supposito vero illo consensu quantumvis elicito ex metu leui assertio procedit tàm quoad 19

Metus leuis non irritat. D. Thom. D. Bonau. Altisiod. D. Antoni. Metina. Sotus. Henriqu. Sanchez. Bossius. Rebellus.

F forum

forum internum, quàm quoad externum, siuè ille metus inferatur iustè, siuè iniustè.

Probatur primò, quià ex metu leui non cadente in constantem virum nō irritatur professio in Religione emissa per textum, *in c. penult. de his qua vi* - Ibi - *non obstante violentia, qua proponebatur illata, cum neque metum mortis, neque cruciatum corporis contineret, & ideò non debuerat cadere in virum constantem*, quod idem habetur *in c. 1 eodem tit.* - Ibi - *Si legitimè probatum fuerit, nec timore mortis, &c.*, ergò ex eodem metu non irritabuntur sponsalia &c. cum in hoc matrimonium spirituale, & temporale æquiparentur, & ab vno ad alterum valeat illatio. Confirmatur, quià in iure nulla habetur ratio de metu leui per textum, *in l. nec timorem 7. ff. de eo, quod metus caus.* vbi sic legitur, *Proindè si quis meticulosus rem vllam frustra metuerit per hoc edictum non restituitur, quoniam neque vi, neque metu factum est*, quod idem habetur *in l. vani timoris ff. de reg. iur.*

Matrimonium spirituale, & temporale æquiparantur.

Probatur secundò, quià congruum non est spectato quocunq; iure ex nimia facilitate, qua concipi potest leuis timor, inducatur maxima in Republica confusio, qualis esset si ex illo irritarentur sponsalia, & matrimonia, prout merito notauit, *Ioannes Angelus Bossius*; de facili enim contingerent plurimæ virginum deflorationes, prolum confusiones, rixæ, & dissensiones inter affines, & familiares &c., ergò &c.

Nec multam vim faciunt ea, quæ ex aduerso afferuntur, vel sita in eo, quod etiā metus leuis aliquid minuat de libertate, vel quod discrimen, quod à iure constituitur inter metum grauem, & leuem fundetur in præsumptionibus, quatenus metus grauis supponatur causa actus, non sic leuis, quæ præsumptiones non habent locum in foro conscientiæ, si verè fuerit consensus. Non, inquam multam vim faciūt, quia, quantumuis etiam metus leuis minuit aliquid de voluntario, non propterea tamen ex illo irritantur sponsalia, vel matrimonium, cum ex illo nec grauis, nec rationabilis inferatur iniuria, de qua nec ius positiuum, nec ius naturæ curat, quantum ad effectum dissoluendi contractum matrimonialem, & sponsalium, qui non dissoluitur, nisi per vim illatam per iniuriā per superius dicta; modica autem iniuria pro nulla in iure reputatur, nec discrimen inter metum leuem, & grauem fundatur præcisè in præsumptionibus, vt malè in instantia præsumebatur, sed in maiori, vel minori iniuria rationabilitèr sumpta, prout notarunt *Sanchez de matrimonio lib. 4. disp. 17. num. 5. ad tertium, & Ioannes Angelus Bossius de matrimonio contractu c. 12. num. 164. in fin.*

Soluuntur obiecta aduersus assertionem.

Hic ex occasione oritur ratio dubitandi, an, cum dictum fuerit in assertione, *metum leuem, & ex genere suo non cadentem in meticulosum non irritare sponsalia, nec matrimonium* intelligendum sit de metu leui absolutè, an etiam comparatiuè, quatenùs scilicet ille metus, qui est leuis, & non sufficiens ad dissoluenda sponsalia, vel matrimonium quoad masculum, non sit etiam sufficiens ad dissoluendum, si interuenerit ex parte fœminæ, quod idem intellige respectu hominis timidi, & pusilanimis. Pro quo aduerte, metum ad hoc vt dicatur grauis, vel leuis ad effectum dissoluendi, vel non dissoluendi sponsalia, non solum desumi ex obiecto ipso, quod in se sit graue, vel leue, sed etiam ex qualitate subiecti, circa quod versatur, vndè sumendus est respectiuè, non absolutè, sicq; potest contingere, quod, qui respectu vnius est leuis, respectu alterius sit grauis, *arg. textus c. indignatur 32. qu. 6. & c. sicut de homicidio*, cum non eadem sit in omnibus constantia, & animi fortitudo, & regularitèr fœminæ propter imbecilitatem naturæ, & sexus minus resistunt metu, quàm masculi *Glosa in capit. cum locum verb. metu de sponsalibus Tiraquel. lib. 1. connub. nu. 71. & sequ. Calderinus cons. 1. nu. 2. tit. de his, qua vi. Præpositus c. consultationi nu. 2. de sponsal. Felinus ca. 2. de iure iuran. num. 3. Cardinal. c. cum dilectus nu. 3. de his, qua vi*; nec hoc solum verificatur in fœminis respectu masculorum, sed etiam in masculis inter se; non enim omnes sunt eiusdem fortitudinis animi, sed vel ratione ætatis, vel diuersitatis organorum sunt varij, nec obesse posse videtur textus *in c. consultationi de sponsalibus*, vbi sermo est de fœminæ matrimonio, & tamen ibi ponderatur metus cadens in constantem virum, quasi quod ad irritandum matrimonium, vel sponsalia requiratur etiam in fæmina metus cadens in constantem virum, & sine illo non irritetur; Non, inquam, obesse potest, quia vt asserit *Antonius in d. cap. consultationi nu. 4. & ibi Panormitanus num. item 4. & Præpositus nu. 5., & Alexander d. Neuo nu. 7. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 2. tit. 2. nu. 7. Barbatius cons. 60. nu. 7. vol. 1.* in dicto textu est sermo de metu respectu fœminæ, per quamdam similitudinem, & analogicam proportionem ad metum viri, non secundum identicam rationem, & omnimodam proprietatem, quatenus scilicet tantus metus requiratur ad annulandum matrimonium, vel contractum sponsalium in fæmina, attenta ipsius conditione, & qualitate, quanta in masculo, attenta item ipsius conditione, & naturali animi fortitudine, sicque metus, vt dicatur grauis, vel leuis, debet referri ad subiectum, in quo est, non præcisè ad obiectum, ex quo est. Quamobrem directè ad rationem dubitandi dico metum, quandoq; qui est parte masculi est leuis, posse respe-

Metus grauis non solum desumitur ex qualitate subiecti.

Glosa. Tiraquel. Calderin. Præposit. Felinus. Cardinalis

Antonius. Panormit. Præposit. Alexander de Neuo. Mantica.

ctu

20 *Metus respectu vnius leuis potest esse grauis respectu alterius.*

ctu fœminæ esse grauem, & quod respectu vnius item masculi est leuis, possit esse grauis respectu alterius, sicque diuersimodè eundem metum in ordine ad diuersa subiecta, quandoque irritare, quandoque non irritare contractum; vnde attendenda est ætas, an scilicet sit puer, vel senex, sexus, an masculus, vel fœmina, conditio, an sit fortis, & animo constans, vel imbecillis, & fragilis. Vno verbo pro regula generali statuendum est, quod nomine viri constantis, vel meticulosi veniat animi robur iuxtà cuiuscunque, seu attenta cuiuscunque conditione per textum *in l. 3. ff. ex quib. caus. maior.* vbi sic legitur: *Metus autem causa abesse videtur, qui iusto timore mortis, vel cruciatus corporis perterritus, & hoc ex affectu eius intelligitur*, vbi DD. per ly *ex affectu* legunt, & intelligunt *ex animo eius, cui metu inferatur*.

Dixi, *tàm quoad forum internum, quàm quoad externum* propter nonnullos asserentes, in foro quidem externo Ecclesiæ non irritari, quia quando metus est leuis, Ecclesia non præsumit coactum, sed spontaneum, in interno autem, in quo nulla est præsumptio, si verè consensus non est simplicitèr spontaneus, sed ex illo metu quantumuis leui elicitus, vtique secundum se est coactus, seu non simplicitèr voluntarius, adeoque &c. quorum tamen dictum non est subsistens, quia ex superius dictis nec ius positiuum, nec naturæ curat de leuitate metus, quantumuis minuat de voluntario propter incommoda, quæ inde orirentur per superius notata.

Nec ius positiuum, nec natura lo curat de leuitate metus.

Assertio III. Sponsalia inita per consensum metu incusso sufficienti ad inualiditatem contractus, non obligant in vim sponsalium, quantumuis fuerint iuramento firmata, hocque, siue iuramentum fuerit metu extortum, siue absque coactione adhibitum *Nata consf. 451. nu. 3. Seraphinus de priuil. iur. priuil. 100. nu. 11. Augustinus Barbosa ad decretal. tom. 2. collect. ad c. 2. num. 6. de eo, qui ducit in matrim. Sanchez lib. 4. disp. 20. nu. 12. Coninch. de matrimon. disp. 28. nu. 47. Pontius lib. 12. cap. 8. §. vlt. nu. 75. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. c. 12. nu. 239.*

21 *Iuramentum non firmat consensum metu extortum.* Natta. Seraphin. Barbosa. Sanchez. Coninch. Pontius. Bossius.

Ratio ex eo deducitur, quia iuramentū ex genere suo non supplet defectum consensus substantialitèr requisiti ad validitatem contractus ad notata *per DD. communiter in c. fin. de procurat. in 6.* sed sponsalia inita per metum sufficientem ad inualiditatem contractus sunt irrita ex defectu consensus substantialitèr requisiti, ergo per iuramentum non possunt absolutè reualidari. Maior, in quo sita est difficultas, sic euincitur, quià, vel illud iuramentum refertur præcisè ad actum præcedentem secundum naturam ipsius, cui adijcitur, vel secundum se inuoluit proprium, & verum consensum nouum, iuxtà primum sensum, cum sequatur naturā actus, supra quam cadit, & sortiatur illius conditiones, per textum *in l fin. C. de non num. pecun.* non potest nisi inuoluere conditiones, quas inuoluit ipse actus, adeoque, sicuti actus ipse non tenet defectu consensus requisiti, ita nec tenere potest ipsum iuramentū; iuxta secundum sensum constituit quidem validum contractum, non qua iuramentū est præcisè, sed qua inuoluit nouum realem consensum sufficientem secundum se ad constituendum contractum. Ad hoc confirmandum maximè facit textus *in c. secundo de eo, qui duxit in matrimon.* vbi expresè dicitur, quod ille, qui post matrimonium metu contractum, & iuratum aliam duxit, debeat permanere cum secunda, & prius matrimonium sit inualidū quantumuis iuratum.

Iuramentū sequitur naturam actus, supra quem cadit.

Hic difficultas insurgit, an, quantumvis sponsalia per grauem metum inita, & iuramento firmata sint inualida, iuramentum tamen obliget, & indigeat relaxatione, seù absolutione. Aliqui existimant tale iuramentum obligare, & indigere relaxatione, quià non vergit in dispendium salutis æternæ, & potest licitè seruari, maximè in ordine ad redimendam propriam vitam, hocque exemplo eius confirmatur, qui ad redimendam vexationem iuramento se obligauit ad soluendas vsuras, qui cū non peccet obseruando iuramentum, tenetur illud obseruare per textum *in c. debitores de iureiuran.* Alij, quantumvis teneant tale iuramentum in matrimonio metu graui contracto non obligare, neque indigere relaxatione, sustinent tamen in sponsalibus, & obligare, & indigere absolutione *D. Bonauentura in 3. dist. 29. art. 3. q. 2. in fin., Sotus lib. 8. de iust. q. 1. art. 7. in solut. ad 3. in 2. memb. respons. Palacios in 4. dist. 29 disp. vnica ante vers. porrò autem, Aragonius 2. 2. q. 89. art. 7. circa solut. ad 3. §., sed vltrà has sunt alia duo.* Ratio eorum præcipua est, quià non videtur maior consensus requiri in contractu sponsalium, ac in alijs contractibus, præcipuè cum ille possit celebrari in septennio, non sic alij per ea, quæ superius dicta sunt; in alijs autem contractibus metu extortis iuramentum obligat per textum *in c. verum, & c. si vero de iureiur.* Alij tandem sustinent, nec obligare, nec indigere absolutione, siuè in matrimonio, siuè in sponsalibus. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. num. 143. Butrius, Panormitanus, & DD. communitèr in c. ex literis de desponsat. impub. Rodriquez tom. 1. summa c. 231. concl. 4., & c. 244. concl. item 4. Azorius instit. mor. part. 1. lib. 1. c. 29. q. 6. Basilius Pontius lib. 4. c. 6. num. 22. Laiman. lib. 3. Theolog. mor. tract. 4. c. 6. num. 3.* Ratio in vniuersum ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, quià iuramentum adiectum contractui per metum

Sententia asserens iuramentum obligari, & indigere relaxatione iuramenti.

Sententia sustinens non indigere relaxatione in matrimonio, benè tamen in sponsalibus. D. Bonau. Sotus. Palacios. Aragonius

22 *Sententia negans requiri tali relaxationem.*

Bossius. Butrius. Panormit. Rodriqu. Azorius. Pontius. Laiman.

tum grauem inito non ligat, vinculum autem quod non est, nisi indiget solutione, hocque clarè liquet ex textu *in c. ex literis de despons. impub.*, vbi est sermo de sponsalib. iuratis, Quamobrem ad ea, quæ ex prima sententia afferebantur, dicendum est, quod quamuis tale iuramentum possit adimpleri sinè culpa, non obliget tamèn ad implementum, quià est contra publicam vtilitatem, vt notant *Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 21. num. 7. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. num. 143.*, qui etiam docet, quomodo iuramentum accedens sponsalibus initis per metum grauem sit contra publicam vtilitatem, quatenùs scilicet, cum sponsalia sint quodamodo initium matrimonij, & obligent ad ipsum, quasi ex consequenti trahunt ipsum matrimonium, & ea, quæ de futuro contingent, ad idem matrimonium; sicuti igitur matrimonium metu graui contractum, quantumvis iuramento firmatum, non obligat, nec iuramentum indiget absolutione, cũ sit contra publicam vtilitatem, quià indè oriuntur contentiones inter coniuges, & familias, & in Republica, & male consulitur prolis educationi, ità etiam sponsalia, quæ ad ipsum referuntur &c. Ex quo etiam habes, quid respondeas ad id, quod subditur de iuramento soluendi vsuras ad redimendam grauem vexationem; tale enim iuramentum, nec est contra bonos mores, nec contra publicam vtilitatem, cum parum intersit Reipublicæ, quod vnus, vel alter illam pecuniam, quæ per vsuram soluitur, possideat. Ad ea vero, quæ ex secunda sententia afferuntur, dicendum est, quod ex eo, quod matrimonium graui metu initum, etiam iuramento firmatum sit irritum, nec iuramentum indigeat relaxatione, sequatur saltem indirectè, idem dicendum esse de sponsalibus, nam quis sua promissione se obligare non potest ad actum, seù contractum nullum, & inualidum, & iura, quæ prohibent actum, etiam intelliguntur ea prohibere, ex quibus ex natura sua sequitur actus. Ad illud, quod subditur de cæteris contractibus, dicendũ est requiri minorem consensum in contrahendis sponsalibus, ac in cæteris contractibus quoad discretionem, quatenus non requiritur tanta, & tam perfecta cognitio, sicuti in cæteris rebus, quià ipsa sponsalia magis naturali inclinationi sunt proxima, quam alia, non autem quoad libertatem, quin immò ex eo, quod in sponsalibus obligantur iura potiora, quæ respiciunt potestatem in corpus videntur requirere perfectiorem libertatem. Deindè non ità certum est, vt supponitur, quod iuramentum confirmet alios contractus per metum grauem initos, vt alibi videbimus.

Iuramentum est contra publicam vtilitatem.

Sanchez, Bossius,

23 Dixi, *siuè iuramentum fuerit metu extortum, siuè absq; coactione adhibitum*; quià, cum accedat actui per se nullo per superius dicta, secum trahit conditiones illius, adeoq; non potest esse, nisi nullum, etiam si sine violentia apponatur. Verum tamen est, quod quando elicitur sine coactione, possit esse præsumptio, quod eliciatur cum consensu omninò libero, & spontaneo, in quo casu, si verè talis consensus adesset, dubium non esset, quin contractum conualidaret.

Non indiget relaxatione, quamuis fuerit sine coactione elicitum.

Assertio IV. Metus purè reuerentialis non irritat secundum se sponsalia, nec matrimonium. *Bartolus in l. 1. §. qua onerandæ nu. 4. ff. quar. rer. act. Iason in l. interpositas nu. 4. C. de transact. Ancharanus in c. 1. de despons. impub., Gaillus lib. 2. obseru. 93 num. 22. Villalobos prima part. summa tract. 3. diff. 8. num. 16. Stephanus Gratianus tom. 1. discept. for. c. 108. num. 51. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. num. 105 Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 6. num. 7. Rota Rom. decis. 242. num. 5., & decis. 260. num. 10. apud Farinacium lib. 2. consil. crimin., & decis. 783, num. 10., & decis. 628. nu. 6. apud Buratum.* 24

Metus reuerentialis non irritat.

Bartolus. Iason. Ancharan. Gaillus. Villalobos Gratianus. Bossius. Sanchez. Rota Rom.

Dixi, *metus purè reuerentialis*, pro quorum verborum intelligentia multa sunt cõsideranda; primò quid propriè veniat nomine metus reuerentialis. Secundò ad quid ponatur illa particula *purè*. In ordine ad primum omissis aliorum DD. placitis, quorum alij plura, alij minora requirunt ad constituendum hunc metum sufficientem ad inducendam, vel rescindibilitatem, vel nullitatem contractuum placet explicatio doctissimi Patris *D. Ioannis Angeli Bossij loc. cit. num. 89.*, qui supposito in primis, quod non constituat hunc metum præcisè verecundia, quæ naturalitèr inest filijs coram Patre, vel alijs, quibus debetur reuerentia, sed quid aliud requiratur subdit posteà consistere in apprehensione illius erubescentiæ, ad quam euitandam voluntas quodamodò repugnans, & quasi in vita assentitur obiecto proposito propter reuerentiã, & obseruantiam, quam debet, vel parentibus, vel alijs auctoritate excellentibus, sine qua non assentiretur, sicque assentitur ad vitandum malum illius erubescentiæ, quod est obiectum talis metus; quamobrem non sumitur erubescentia secundum se præcisè, sed vt est causa ad præstandum consensum, quem voluntas illa remota non esset præstitura, sicque importat quodamodo vltrà erubescentiã aliqualem coactionem. In ordine ad secundum dico appositam esse illam particulam ad excludendum timorem reuerentialem mixtum, cuius obiectum non solum est illud malum impendentis erubescentiæ, sed etiam alicuius alterius periculi, quatenus ille, cui debetur reuerentia, & timetur, assolet pœnas infligere, & sæuè se gerere contra negantes propriam pationem, & renuentes propriæ voluntati, præcipuè, si præcesse-

Quid propriè veniat nomine metus reuerentialis.

Timor reuerentialis alius simplex, alius mixtus.

tint

rint minæ, vel verbera. His igitur pro notitia suppositis;

Probatur assertio, quià metus reuerentialis nudè sumptus, & secundum se non videtur talis ex genere suo, vt ità voluntatem cogat, vt vir constans eidem resistere non valeat, vt notarunt *Sanchez d. lib. 4. de matrim. disp. 6. num. 7. Bonacina de matrim. q. 3. punct. 8. num. 6. vers. adde cum aliquibus*; ob quam rationem iura plurima emanarunt, ex quibus sponsalia, & matrimonia cum tali metu inita, vel declarantur valida, vel si inualida decernuntur, non sunt inita cũ mero metu reuerentiali, sed additæ fuerunt, vel minæ, vel verbera; & vt incipiam ab hoc vltimo, profero textum *in cap. ex litteris de desponsat. impub.*, in quo, si sponsalia declarantur irrita, non est ex metu reuerentiali præcisè, sed ex minis parentum. Ibi: *Nolens, & inuita minis parentum impulsa*. Deindè etiam iuribus alijs positiuè sic euincitur, & primò *ex c. 1. de desponsat. impub.* vbi matrimonium initum per filium ex præcepto, & imperio Patris dicitur non carere valore. Secundò *ex l. si patre cogente ff. de ritu nupt.* vbi sic legitur. *Si Patre cogente ducat vxorem, quam non duceret, si sui arbitrij esset, contrahit tamen matrimonium, quod inter inuitos non contrahitur, maluisse enim hoc videtur*, & ibi Glosa subiungit: *Maluisse hoc videtur, quam odium patris incurrere, non autem dicas metum adhibitum*, ex quibus deducitur solum metum reuerentialem non esse sufficientem ad irritandum contractum. Tandem ex textu *in l. metum 2. ff. quod metus causa in l. si per vim C. eod. tit. in l. 2. §. fin ff. ex quib. caus. ma. in l. si quis ab alio ff. de re iudicat.*, in quibus omnibus textibus dicitur, quod metus reuerentialis nõ est ità grauis, vt dicatur cadere in constantem virum, & *in l. interpositas C. de transact.* expressè dicitur, quod *non quilibet metus ad rescindenda ea, quæ consensu terminata sunt, sufficiat, sed talem metum probare oportet, qui salutis periculum, vel corporis cruciatum contineat*.

Neque aduersari possunt iura aliqua, quæ ex aduerso afferuntur, & primò *ex reg. velle 4. ff. de reg. iuris*, vbi dicitur non intelligi velle, qui obsequitur imperio Patris, vel Domini. Secundò *ex l. 1. §. quæ onerandæ ff. quar. rer. act.*, vbi rescinditur actus, si vel metu fuerit initus, vel nimia patroni reuerentia. Tertiò *ex l. penult. ff. de furt.*, vbi habetur, quod si quis tempore furti sibi commissi tacuit ex nimia reuerentia non videatur consentire, sed possit agere actione competenti ad rem recuperandam, & his similia, quibus etiam adde rationẽ, quod, si scilicet metus reuerentialis non sat esset ad irritandum contractum secundum se, nisi esset coniunctus cum minis nullum esset discrimen inter metum eius, cui debetur reuerentia, & metum cuiuscunq; extranei; Non, inquam, aduersari possunt; non primum *ex reg. velle*, quià ille textus non est sumendus negatiuè, quatenus importat omnimodam negationem consensus, seù voluntatis, sed positiuè, quatenus dicat voluntatem aliquo modo diminutam per metum illum reuerentialem, qui tamen cum non cadat in constantem virũ, nõ est talis, vt tollat libertatẽ sufficientẽ ad validitatẽ cõtractus. Dicere etiã poteris cum Sanchez, & alijs non esse velle, quoad pœnam subeundam, si quæ est imposita, non autem quoad esse contractus; non secundum *ex l. 1. §. quæ onerandæ*, quià cum ibi dicatur, *vel nimia patroni reuerentia*, non importatur metus purè reuerentialis, sed metus superexcedens, qui certè quid aliud inuoluit præter illam erubescentiam, quæ consurgit ex reuerentia debita, nempè reuerentialem mixtum, qui constituitur, vel per nimias blanditias, vel per minas, de quo infrà; non tertium, quià ibi est sermo de taciturnitate, & per consequens de præsumptione consensus, qui in noxijs non præsumitur, vt in illo casu, in quo agitur de furto. Ad rationem, quæ subditur, dicendum est hoc esse discrimen inter metum eius, cui debetur reuerentia, & eius, qui est extraneus, quod ad constituendum metum sufficientem ad nullitatem, vel rescindibilitatem contractus leniores minæ actu, vel virtute requiruntur respectu eius, qui naturalem debet reuerentiam, & subiectionem, ac respectu illius, qui non debet talem reuerentiam, & subiectionem.

Pro clariori intelligentia huius assertionis nonnullę insurgunt rationes dubitandi quas currenti calamo profero, & dissoluo. Prima est, an metus reuerentialis coniunctus cum nimijs blanditijs, & importunis precibus validus sit ad annullandum contractum sponsalium, vel matrimonij; Secunda, an metus reuerentialis mixtus cum minis quomodocunque. Tertia, an metus reuerentialis absq; minis annullet consensum tacitum, qui resultat ex taciturnitate cum præsentia. Quarta, an metus reuerentialis purè sumptus saltem irritet contractum, quandò est cum enormi læsione contrahentis. Quinta, an præfatus metus reuerentialis nudè sumptus solum non annullet contractum sponsalium, seù matrimonij, quandò hic est initus in fauorem alterius ab eo, ob cuius reuerentiam initur, an verò etiam quandò est initus in fauorem illius, ob cuius metum reuerentialem celebratur, puta cum filia ipsius, si ipse fuerit tutor, vel talis, vt eidem reuerentia debeatur. Sexta, an sponsalia inita ex metu purè reuerentiali, quantumvis sint valida in foro externo Ecclesiæ sint tamen inualida coram Deo, & in foro conscientiæ, & alia his similia.

Sanchez. Bonacina.

Iura euincentia purum timorem reuerentialem non irritare.

Rapiuntur, & dissoluuntur iura opposita.

Nonnullæ rationes dubitandi circa metum reuerentialem.

Ad

25 Ad primam dicendum est, metum reuerentialem, quantumvis mixtum nimijs blanditijs, & importunis precibus non sat esse ad annullandum contractum sponsalium, vel matrimonij *Abbas in c. cum inter num.* 8. *de elect. Rolandus consil.* 83. *num.* 7. *vol.* 2. *Villalobos prima part. summa tract.* 3. *differ.* 8. *num.* 8. *Nauarrus cap.* 17. *num.* 16. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 12. *nu.* 118. Nec incongrua ratione hoc decernitur, nam quando preces, quantumvis sint importunæ, & blanditiæ nimiæ non sunt armatæ, seu coniunctæ minis tacitis, vel expressis non tollunt rationem voluntarij, sed potius augent, nec per easdem infertur iniuria ei, ad quem deferuntur, & quamvis aliquam coactionem ingerant, non est tamen cum iniustitia, vel iniuria considerabili à iure, nec talis vt illa coactio sit cadens in constantem virum, & legalitèr sufficiens ad rescindendum contractum. Quod si iura, vel sacræ scripturæ testimonia afferantur, in quibus indicatur importunas preces, nimiasque blanditias ingerere metum, & libertatem demere requisitam ad validitatem contractus; vt *ex Luca* 21. *Iudicum* 16. *ex extrauag. execrabilis, Ioannis* 22. *de prabend. c fin. de rescrips. in* 6., *& l.* 1. *C. de pet. bon.*, *& l. vnica C. de rapt. virgin. ad fin.*, *& l.* 3. *vers. si quis volentem ff. de lib. hom*, *& l. eum C. de Apostat.* alijsque similibus apud *Sanchez d. lib.* 4. *disp.* 7. *n.* 4. *per tot.* Si, inquam, afferantur, vnica responsione omnibus satisfiet asserendo, quod illa omnia inferant quidem per importunas preces importari aliquam coactionem non tamen talem, quæ non possit expelli per constatem virum, prout cautè explicat *Salicetus in l. eum C. de Apost. nu. vnico*, *& cum eodem*, *Sanchez de matrim. d. lib.* 4. *disp.* 7. *nu.* 9., *& Ioannes Angelus Bossius d. c.* 12. *num.* 118., Nec ex eo, quod huiusmodi preces importunæ, vel nimiæ blanditiæ coniungantur aliquam maiorem vim afferunt in ordine ad inducendum metum sufficientem ad inualiditatem contractus, quidquid in contrariũ dixerint, *Matthaeus de Afflictis decis. Neapol.* 63. *nu.* 3. *in fin. Iason. cons.* 132. *num.* 18. *vol.* 4. *Socin. Senior. cons.* 263. *num.* 8. *vol.* 2. *Salzedo super reg.* 532. *Bernardi Diaz lim.* 3. *Mascardus de probat. concl.* 193. *nu.* 9. *Padilla l. inter positas nu.* 31. *C. de transact.*, vel ex eo, quod habetur *in cap. petitio de iureiur.* vbi reprobatur iuramentum extortum, vt ibi explicent *Innocentius Hostiensis, & Ioannes Andreas* precibus importunis, vel *ex cap. cum inter de elect.* vbi irritatur electio, vt ibidem asserit Innocentius, ob instantiam precum. Non, inquam, maiorem vim afferunt, quandòquidem preces, & blanditiæ, quantumvis vi quadam fortiori attrahant voluntatem, non tamen atrahunt per iniuriam, sed modo quasi connaturali, & placido, non violento, & iniurioso; quique non possit repelli à viro constanti; neque ex eo, quod coniungantur cum metu reuerentiali extrahuntur à suo genere, nec extrahunt eundem metum reuerentialem à suo ordine, sed solummodò se mutuo fouent, & in suo genere augent. Non negauerim tamen in casu aliquo particulari vehementem esse præsumptionem ex blanditijs nimijs, & precibus importunis personæ, cui debetur reuerentia, oriri metum sufficientem ad inualiditatem contractus, vt si illæ blanditiæ, & preces importunæ proueniant à persona assueta aduersus repugnantes propriæ voluntati mala plurima ingerere, tunc etenim obiectum illius consensus non solam esset malum erubescentiæ, sed etiam alia mala, quæ timeri possunt ab illa persona assueta, &c.

Etiam si fuerit mixtus blanditijs, & precibus.

Abbas. Rolandus. Villalobos Nauarrus. Bossius.

Blanditiæ, & preces non tollunt libertatem.

Matthæus de Afflict. Iason. Socinus. Salzedo. Diaz. Padilla.

Blanditiæ non attrahunt voluntatem per iniuriam, sed modo naturali.

Ad secundam asserendum est, probabilius esse non sufficere ad annullandum contractum sponsalium metum reuerentialem commixtum cum minis quomodocunque, sed requiri, vt illæ minæ sint à persona, quæ solita sit minas exequi *Abbas in c. causam matrimonij nu.* 3. *de offic. deleg. Natta tract. de pact. part.* 1. *nu.* 47. *Crottus l. stipulatio hoc modo concepta nu.* 67. *ff. de verb. obligat. Iacobinus in l. interpositas nu.* 10. *C. de transact. Mascardus de probat. concl.* 1055. *nu.* 18. *& sequ. Sanchez de matrimonio lib.* 4. *disp.* 6. *nu.* 21. Ratio ex eo deduci potest, quia metus ad hoc vt sit sufficiens ad recisionem aliorum contractuum, & nullitatem matrimonij, & sponsalium debet ex genere suo esse talis, vt cadat in constantẽ virum, cuique constans vir non possit resistere; sed talis esse nequit metus per minas incussus ab eo, qui minas non solet exequi, sed dumtaxat iactare; prudens enim vir de illis non curat, tanquam de vanis, & nullius momenti, easque tanquam iactamenta ducit diri animi, ergo &c. Aduerte hic tamen, quod ad hoc, vt illæ minæ habeantur pro manitèr concussis requiratur, vt ille, cui incutiuntur, nouerit consuetudinem minantis ad iactantiam, non ad executionem, quia quando non nouit illam consuetudinem posset iustè timere, & habere pro obiecto consensus illud malum, quod per minas inijcitur, tanquam verè sibi imminens, si non consenserit, non tanquam ad iactantiam cominatum, & quod in se ipsum vanũ, & inane est, apprehensum tamen vt verum posse ita voluntatem mouere, ac si in se esset tale. Hic oritur dubium, an, si attenta conditione personæ minantis sit dubium, quod soleat minas exequi, vel non, sit præsumendum pro iusto metu valido ad irritandum contractum, an pro vano, & insufficiente. Respondendum est præsumi debere pro vero, & sufficienti *Berous c.* 1. *num.* 19. *de offic. deleg. Padilla in l. interpositas nu.* 20. *C. de* 27

26 *Minæ debent esse à persona assueta illas exequi.*

Abbas. Natta. Crottus. Iacobinus. Mascardus

tran-

In dubio præsumendum est pro metu. Berous. Padilla. Sanchez.

transact. *Sanchez d. disp. 6. nu. 22.* quia in dubio æquum est, vt vnusquisque vitet se periculo exponere, cuius habeat fundamentum ratione personæ potentis, cui debet reuerentiam, cum ex alio capite eius mores ignoret, & regulariter præsumptio stat pro minis, vbi non constet de contrario.

28 Ad tertiam dicendum est, sponsalia per metum reuerentialem, nullis præcedentibus minis inita, non quidem per consensum expressum, sed tantum per tacitum, qui resultat ex taciturnitate cum præsentia, in foro saltem externo esse irrita, & nullius valoris *Glos. in c. cum vnusquisque verb. saltantium 22. qu. 4. & l. filius familias 8. verb. non probatur ff. de procurat. Bartolus in l. qua dotis n. 23. ff. solut. matrim. Baldus in l. si sine nu. 1. C. ad Senat. cons. Vallei an. Iason §. quadrupli nu. 64. Instit. de act. Minchaca lib. 1. controuer. illust. c. 35. nu. 21. Gailus lib. 2. obseruat. 93. nu. 25.* & consonat cum ijs, quæ nos supra diximus *sub hoc eod. tit. pranot. 3. assert. 4. vers. Dixi in assert. per Doctores ibi allegatos.* Efficacior probatio huius assertionis est solutio argumenti, quod ex aduerso circumfertur per superius dicta, quia sponsalia per consensum expressum inita ex metu reuerentiali nullis præcedentibus minis non sunt inualida, ergò neq; inita per consensum tacitum cum taciti, & expressi eadem sit ratio, idemque iudicium per textum *in l. cum quid ff. si cert. pet.* nec incongrua certè ratione hoc videtur statui, quandoquidem, si metus talis est, vt possit compati cum voluntarietate sufficienti in actu expresso, cur non poterit etiam compati cum tacito, cum verè supponatur adesse; si enim non adesset, nullam vim haberet controuersia, cum sine consensu non possit esse contractus. Adde, quod filius, ipsa natura suadente, semper debet patri maximam reuerentiam, & regulariter præsumitur metus reuerentialis erga patrem in eodem filio vigere, & tamẽ si pater pro filio præsente, & tacente contrahat sponsalia, vtique hæc tenent per superius probata, & allegata. Hæc sunt basis contrariæ sententiæ, quam si elidero, non erit, cur nostra sententia non subsistat. Dico igitur, & in primis suppono, assertionem non procedere in suppositione, quod verè adesset consensus tacitus, tunc etenim valet illatio taciti ad expressum, & quod dicitur de metu in vno, intelligi etiam debet proportionaliter in altero, sed in suppositione præsumptionis de eodem consensu præstito, tunc etenim stante metu reuerentiali, est potius pro negatione consensus præsumendum, quam pro consensu, quià consensus tacitus, & præsumptus facilè eliditur, prout notauit *Couaruuias decret. 2. part. c. 3. §. 6. num. 6.* quod non potest de facili euenire in consensu expresso, contra quem non potest esse præsumptio, & ideò ad eludendum consensum expressum non sufficit merus consensus reuerentialis sine minis, ad eludendum verò tacitum sufficit reuerentialis nudè sumptus sine eisdem; nec gratis hæc asseruntur, quandoquidem ex aliorum similium paritate potest euinci, & primò, ex ijs, quæ habentur *in l. penult. ff. de furtis,* vbi videns res suas surripi, & propter reuerentiam tacens, potest agere actione furti, qua certè non posset agere, si expressè consensisset; Secundò ex discrimine, quod communiùs assignant Doctores *Innocentius in c. 1. de his, quæ vi in fin. & ibi Abbas nu. 14. & Imola nu. 13. & Card. ibi in fine* inter professionem tacitam, & expressam, nam ad annullandam expressam requiritur metus cadens in constantem virum; ad tacitam verò, quæ est per delationem habitus professorum, sufficit quicunque metus, quia ex delatione habitus solum oritur præsumptio, quæ potest tolli per aliam.

Inita per consensum tacitum cũ metu reuerentiali sunt irrita. Glosa. Bartolus. Baldus. Iason. Minchacka Gailus.

Non præsumitur in ea hypothesi consensus.

Soluuntur rationes cõtraria.

Innocent. Abbas. Immola. Cardinalis

Limitat *Sanchez de matrimonio lib. 4. disp. 6. nu. 31.* ea, quæ dicta sunt, vt procedant tantùm in præiudicialibus, & noxijs patienti metum reuerentialem, non autem in fauorabilibus, & vtilibus, quam etiam limitationem admittunt *Decius in c. causam matrimonij nu. 26. de offic. deleg. Alexander in l. qua dotis nu. 27. in fin. ff. solut. matrim. Alciatus l. interpositas nu. 13. C. de transact. Gutierez de iuram. prima part. c. 4. num. 28.* Et quidem facilius præsumi negationem consensus in præiudicialibus non est dubitandum, sed an non possit præsumi in fauorabilibus non ità certum est, quamobrem standum est alijs coniecturis, & assertioni eius, qui dicit se ex metu reuerentiali tacuisse. 29

Limitatio præcedentium notabilis. Decius, Alexander Alciatus. Gutierez.

Ad quartam sentiendum est metum reuerentialem nudè sumptum, si fuerit cum enormi læsione, quidquid sit de matrimonio, de quo alibi agemus suo loco, annullarè verè, & propriè sponsalia *Ludouicus Lopez secunda part. instruct. noui de matrim. nu. 40. Couaruuias 4. decretalium part. 2. cap. 3. §. 6. nu. 4. Ioannes Angelus Bossius de matrimonio cõtract. c. 12. n. 102.* quidquid in contrarium sentire videatur *Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 6. num. 15. vers. ego tamen,* qui tamen loquitur præcisè in terminis matrimonij, quod solum per dolum circa personam, & conditionem seruilem asserit, irritum reddi. Ratio assertionis nostræ ex eo deduci potest, quia alij contractus per metum reuerentialem initi cum enormi læsione, quantumuis ipso iure non sint irriti, sunt tamen rescindibiles, ergo contractus sponsalium tali metu initus cum tali læsione, vt si filia ob patris reuerentiam contrahat cum viro longè disparis conditionis, cum quo aliter non contra- 30

Metus reuerentialis cum enormi læsione irritat sponsalia. Lopez. Couaruuias Bossius.

Metus sufficiens ad irritandũ in alijs irritat ipso facto in matrimonio, & sponsalibus.
Coaruuias
Nauarrus.
Sanchez.

traheret, erit de facto irritus ex regula, quam tradunt Doctores magis communitèr, quod omnis metus iuxtà leges sufficiens ad rescindendos alios contractus sufficiat ad irritandum matrimonium, & sponsalia ex metu contracta *Coaruuias de sponsal. part. 2. c. 3. §. 6. nu. 4. Nauarrus lib. 4. consil. in prima edit. tit. de his. quæ vi conf. 10. num. 10. Sanchez d. lib. 4. disput. 6. num. 2.* Nec obesse potest discrimen, quod affert *Sanchez d. disp. 6. nu. 15. vers. Ego tamen,* inter alios cõtractus initos ex tali metu cum tali lęsione, & matrimoniũ asserens alios contractus non esse rescindibiles ex illo metu, sed ex præsumptione doli, qui ex illa enormi læsione arguitur, qui sufficiẽs tribuit fundamentum ad rescisionem, matrimonium verò ex illo dolo, quantumuis supponatur, non possit reddi irritum, cum in ipso solus dolus circa personam, & circa cõditionem seruilem irritet; Non, inquam, obesse potest, quia in primis aliud est loqui de matrimonio, aliud de sponsalibus, nam ex genere suo ex nimia disparitate dissoluuntur sponsalia; non vero matrimonium, quod ex solo errore circà personam, & conditionem seruilem est dissolubile, vndè quoad hoc non valet argumentum à matrimonio ad sponsalia, de quibus solùmmodò hic est sermo. Deinde quamuis solus dolus circa qualitatẽ personæ non sit sufficiens ad inualiditatem sponsalium, dolus tamen cum tali metu reuerentiali inducit sufficientem, & efficacem præsumptionem, quod non fuerit sufficiens consensus ad validitatem, & quod ex se non fuerit consensus, nisi per talem metum fuisset compulsus; Neque valet dicere, quod cum sponsalia sint quodammodo initium, & medium tribuens ex genere suo ius ad matrimonium, easdem in sua origine sortiri debeant conditiones, quas exigit ipsum matrimonium, non valet inquam, quia cum sponsalia non tribuant ius ita planum, & insolubile, ex leuioribus causis possunt irritari, ac irritetur matrimonium ipsum.

Non valet in hoc paritas quoad matrimonium, & sponsalia.

31 Ad quintam sentiendum est ex metu reuerentiali nudè sumpto non irritari sponsalia, siuè inita fuerint in vtilitatem eius, à quo prouenit ille metus reuerentialis, seù cui debetur illa reuerentia, siue in fauorem, & vtilitatem tertiæ personæ *Felinus c. causam matrimonij num. 3. declarat. 1. de offic. deleg. Romanus l. interpositas nu. 14., & ibi Alciatus num. 13. C. de transact. Antonius Gomez 2. var. c. 14. num. 27. Sanchez de matrim. d. lib. 4. disp. 6. num. 10. Ioannes Angelus Bossius d. c. 12. num. 96.* Ratio ex eo deducitur, quià ex eo, quod contractus ineatur, vel in fauorem eius, cui debetur reuerentia, vel in fauorem alterius, ob reuerentiam tamen ipsius, metus non extrahitur à ratione purè reuerentialis, sed ex superius probatis, & allegatis metus purè reuerentialis non est sufficiens ad annullanda sponsalia, ergo &c. Fateor equidem videri maiorẽ quodamodo vim inferre metum, qui respicit immediatè, vel personam, vel vtilitatem eius, cui debetur reuerentia, ac quando respicit vtilitatem alterius, seù contractum cum altero ineundum, talis tamen vis non est, vt repelli non possit à viro constanti, adeoque &c. Ad hoc confirmandum maximè vidètur facere posse duo iura, vnum à paritate *ex c. 2. de pactis in 6.*, vbi valet contractus renuntiationis filiæ in fauorem Patris, si dolus, vel metus non interuenerit, & tamen in eadem interuenire præsumitur metus reuerentialis; alterum à contrario sensu *in l. si cum exceptione 14. §. in hac actione ff. de eo, quod metus causa*, vbi dicitur *In hac actione non quæritur, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecerit, sufficit in hac docere metum esse sibi illatum &c.*, ex quo à contrario sensu sic arguo. Quando metus est sufficiens ad annullandum contractum parum refert, an ineatur cum eo, qui talem metum incutit, an cum alio ab eo, ergo quando ex genere suo non est sufficiens parum etiam referre poterit, quod vel contractus initus fuerit in fauorem eius, cui debetur reuerentia, vel cum altero ab eo, cum metu tamen reuerentiali illius.

Non respicitur, an vtilitas fuerit in fauorem eius, cui debetur reuerentia, siue alterius.
Felinus.
Romanus.
Alciatus.
Gomez.
Sanchez.
Bossius.

Iura eum: tentia asserunt.

Ad sextam asserendum est, si verè consensus accesserit, quantumvis metu reuerentiali elicitus, sponsalia subsistere non solum in foro externo Ecclesiæ, sed etiam in foro interno animæ, nisi fuerit talis, vt sine illo metum passus non fuisset absolutè consensurus. Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus, quià vis illa, quæ per talem metum purè reuerentialem adijcitur, non prouenit ab extrinseco, sed æquiparatur, & æquiualet metui intrinseco proueniente quodamodo ab ipso iure naturæ, secundum quod inductum est, vt parentibus, alijsque dignitate, & auctoritate præfulgentibus debeatur reuerentia, & nullus est, qui in talibus contractibus non habeat aliquem metum reuerentialem, vt notat *Sanchez d. disp. 9. num. 12., & Pontius lib. 4. c. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 12. nu. 307. in fin.*, vnde præcipuè causa assentiendi est affectus quidam voluntarius, puta amicitia, liberalitas, pietas &c. Secundò quià de iure naturæ, & interno animæ metus ille purè reuerentialis non est talis, vt tollat sufficientem libertatem. Dixi, *nisi fuerit talis, vt sine illo metum passus non fuisset consensurus*, quià tunc talis metus esset absolutè causa consensus, sicque non est consensus propriè in obiectum, cum eidem non assentiretur. 32

Tum in foro externo, quam in interno.

Sanchez.
Pontius.
Bossius.

Pro complemento eorum, quæ dicta sunt in hac assertione, aduertendum est, quod, quamvis metus purè reuerentialis non sit sufficiens ad irritanda sponsalia, vel 33

matri-

matrimonium, regulariter loquendo possit tamen quandoq; suppositis certis conditionibus irritare; vt si is, cui reuerentia debetur, nimis crudelis sit, & sæuitiam præseferat contrà non obtemperantes propriæ voluntati. *Abbas c. cum virum num. 8. de regul., & c. non ne nu. 1. de præsumpt. Iason cons. 3. num. 6. vol. 1. Padilla l. interpositas nu. 20. C. de transact. Molina lib. 2. de primogen. c. 3. n. 9.* Ratio autem ea est, quià licet in exposito casu actu non interueniant minæ, interueniunt tamen virtute; vnde meritò *Baldus in c. 1. §. iniuria col. penult. de pace firmanda* ad hanc rem opportunè dixit, *vultum potentis terribilem etiam absque minis incutere iustum metum*.

Metus reuerētialis, quandoque irritat, & quando. Abbas. Iason. Padilla. Molina.

34 Assertio V. Metus non solum probari potest per testes, sed etiam ex coniecturis. Est communissima tàm apud Theologos, quàm apud Iuristas.

Probatur etiam ex coniecturis.

Prima pars ex eo facilè liquet, quià regulare est in omnibus cōtractibus, rebusq; controuersis, vt res controuersa probetur per testes idoneos, ergo non est, cur etiam in causis sponsalium, & matrimoniorum non possit metus per testes probari *Menochius lib. 3. præsumpt. tota præsumpt. 4. Mascardus de probat. concl. 1055., & seqq.*, quinimmò, cum metus sit difficilis probationis, testes plurimi admittuntur, qui in alijs nō admitterentur. Hæc adeò vera sunt, vt magis sit credendum duobus testibus idoneis deponentibus de metu, quam mille testantibus de spontanea voluntate *Innocentius c. super hoc de renunt. num. 2., Boerius decis. 100. num. 10., Gutier. cons. 14. num. 9. Gama prima part. decis. decis. 250. num. 4.*, quià testes deponentes de metu deponunt de ijs, quæ sensu corporeo perceperunt, non enim mera interna possunt percipere, nō sic qui deponunt de spontanea voluntate, quæ ex genere suo est in animo recondita.

Menoch. Mascardus

Plures requiruntur testes ad probandam spontaneā voluntatē, quam metum.

35 Ex eo autem, quod diximus metum esse difficilis probationis, sequitur primò, quod, quamuis parentes, & consanguinei non admittantur in alijs rebus in testes, in hoc tamen iudicio, vbi alij suppetere non possunt, sint admittendi *Rot. Romana decis. 242. num. 1., & decis. 260. criminali, Farinacij num. 20., & decis. 147. nu. 4., & 10. in recens. Farinacij part. 1. Alexander cons. 156. n. 15. lib. 5. Hondedeus cons. 29. nu. 24. lib. 1.* quià in ijs, quæ domi fiunt, alij non possunt esse magis conscij, quam domestici; secundò, quod in hoc iudicio admittantur

Admittuntur etiam consanguinei.

RotaRom. Honded.

36 etiam testes singulares. *Rot. Rom. decis. 205. num. 17. apud Buratum, decis. 242. n. 33. & decis. 260. nu. 21. apud Farinacium tom. 2. consil. crimin. Ancharanus cons. 277. nu. 7. circa medium*; intellige tamen, dummodò concurrant alia adminicula, de quibus latè *Paulus de Castro cons. 281. nu. 10. ad fin. lib. 1.*, & præcipuè ex depositionibus aliorum testium, & ex circumstantijs causæ

Etiam testes singulares.

Rot. Rom. Ancharan.

37 Secunda pars fiet clara enumerando circunstantias singulas, quæ possunt inducere probationem metus incussi. Primò ex qualitate personarum, à quibus dicitur metus incuti, & quibus incutitur *Rota d. decis. 242., & 260. apud Farinacium post consilia criminalia*, vndè ratione ætatis, & sexus metus etiam minor sufficit ad irritanda sponsalia, vel matrimonium; debet tamen apertius probari, quandò dicitur incussus à Patre, quià non est præsumendus metus, vbi tantus amor viget. Secundò vbi præcessit tractatus de inferendo metū ad matrimonium contrahendum, quantumvis non constet fuisse actu incussum, *Rota Roman. decis. 643. part. 1. apud Farinac. tit. 86. apud Buratum*. Non vacat in his referendis vlteriùs immorari, quandòquidem de ipsis expressè, & fusè agunt *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. cap. 12. à n. 358. ad 378. Menochius lib. 3. præsumpt. tota præsumpt. 4. Mascardus de probat. concl. 1055., & seq.* ad quos vos remitto.

Enumerantur cōgnētia probātes metum.

Rot. Rom.

Bossius. Menoch. Mascardus

SECTIO V.

An metus cadens in constantem virum irritet matrimonium solo iure Ecclesiastico, an vero etiam iure naturæ, & item sponsalia.

SVMMARIVM.

Sponsalia, & matrimonium inita cum metu cadente in constantem virum, & dante causam contractui non solum iure positiuo sunt irrita, sed etiam iure naturæ. 1.

Specialis ratio D. Thomæ pro sponsalibus. 2.

Non militat eadem ratio de intentione quoad baptismū, & de consensu quoad sponsalia. 3.

1 Plura ex occasione currenti tamen calamo de hoc quæsito attigimus *tom. 1. sub titulo Contractus I. de contract. vt sic in disq. §. 9.* ad quæ vos remitto; nunc specialiter, & ex professo examinandus est titulus, circà quem varias inuenio opiniones, quibus pro breuitate omissis sit

Sunt irrita etiam natura.

Assertio. Sponsalia, & matrimonium inita cum metu cadente in constantem virum, & dante causam contractui non solum iure positiuo sunt irrita, sed etiam iure naturæ. *Couaruuias de sponsalib. part. 2. c. 3. §. 5. num. 6. Nauarrus in sum. c. 17. nu. 30. Scotus in 4. dist. 29. num. 2. Comitolus lib. 3. respons. moral. qu. 2. vers. octauum, Ioannes Vallerus de diff. in vtrumq; for. verb. metus diff. 1., & 3. Villalobos 1. part. summa tract. 13. diff. 37. nu. 8. Rebellus de obligat. iustitiæ part. 2. lib. 1. qu. 5. nu. 9. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 12. nu. 269.*, & etiam idem sentire videtur *D. Thomas 2. 2. qu. 89.*

Couaruuias. Nauarrus. Scotus. Comitol. Vallerus. Villalobos. Rebellus. Bossius. D. Thom.

art. 7. ad tertium, vbi specialitèr, & expresse hoc videtur innuere de sponsalibus, quæ ex genere suo important solummodò promissionem, non traditionem consummatam, dum dicit, *talis obligatio tollitur per coactionem, quià ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissio non seruetur*, quidquid dixerit *Sanchez de matrimonio lib. 4. disp. 14. num 2.* vbi allegatis pluribus DD., adductisque rationibus tandem concludit veriorem esse opinionem asserentem irritari solummodò sponsalia, & matrimonium metu graui inita iure positiuo Ecclesiastico.

Iura sunt declaratoria nullitatis.

Probatur primo, quià omnia iura, si quæ adducantur, pro inualiditate contractus sinè sponsaliũ, siuè matrimonij metu graui initi sunt præcisè declaratoria nullitatis, non inferentia secundum se nullitatem, ergò, quià supponunt talem nullitatem ex natura sua inhærentem contractui. Antecedens liquet ex omnibus textibus, qui ad hoc adducuntur, & præcipuè *ex cap. cum locum, & c. consultationi, & c. veniens 2. de sponsalib. de eo, qui duxit in matrim.* vbi est sermo de matrimonijs iam contractis, quæ certè Ecclesia non posset irritare, si ex natura sua fuissent valida ante illa decreta; non enim inueniri potest alius textus, qui antecedentèr ad illa, statuat omnia matrimonia, vel sponsalia cum metu graui inita esse irrita.

D. Thom.

Probatur secundo ratione *D. Thomæ in 4. dist. 29. qu. vnica art. 3. quæstiuncula 1.* Ex ipso iure naturæ matrimonij vinculum est insolubile, & perpetuum, ergò ex natura sua eidem debet esse repugnans, quod destruit, & tollit talem insolubilitatem, & perpetuitatem, sed talis est metus, & coactio cadens in constantem virũ, ergò, &c. Antecedens nõ patitur difficultatem. Consequẽtia item tenet, quià, quod est tale ex genere suo excludit ex eodẽ genere id, per quod potest nõ constitui tale. Subsumpta item minor probatur, tum quià ipse metus cadens in constantem virum ex genere suo quandam vim, & violentiam infert, cum autem nullum violentum sit durabile, ex Aristotele nullum violentum potest esse perpetuum; tum quià, vt asserit D. Thomas loc. cit., qui passus est metum grauem cadentem in constantem virum potest petere restitutionem in integrum. Neque obesse potest, si asseratur, quod consensus coactus non sit absolutè negatio consensus, seù non voluntarium, sed tantum violentum mixtum; violentum autem mixtum secundum Phylosophum plus habet de voluntario, quàm de inuoluntario, ergo ratione talis voluntarietatis non erit matrimonium ex genere suo inualidum; non, inquam obesse potest, quià vt benè asserit *D. Thomas loc. cit. in respons. ad secundum* ad matrimonium non sufficit voluntarium

Nullum violentum durabile.

quomodocunque, sed, cum debeat esse perpetuum, exigit voluntariũ completè; Neque vlterius vrgeas, quod si requireretur voluntarium completè ad validitatem matrimonij, vel sponsalium inualidarentur de iure naturæ omnes promissiones, omniaq; vota, quæ fiunt vrgente aliquo periculo puta tempestatis, vel infirmitatis, quandoquidem hæc non fiunt omninò, & completè liberè, & item matrimoniũ, quod puella cum aliquo contraheret, qui promisit soluere debita eiusdem Patris cum metu, quod non sit soluturus, cum cæteroqui nõ esset cum illo contractura, quæ tamen omnia non sunt dicenda; contra enim impugnaberis, quià vt benè notat *Ioannes Angelus Bossius d. c. 12. num. 270., & seqq.* illud inuoluntarium mixtum potest dupliciter sumi, vel absolutè secundum se, & ex natura sua formalitèr, vel relatiuè ad causam. Iuxta primum modum illud inuoluntariũ mixtum non inualidat iura naturæ promissiones, vota, & contractus per eundem Bossium loc. cit., nam tunc talis metus non refertur ad consensum illum extorquendum, vt videre est in tempestate suborta, vel in infirmitate vrgente. Iuxta secundum modum verè inualidat, quià ille metus, qui constituit inuoluntarium mixtum refertur ad illum consensum extorquendum, qui propterea inualidus est. Quamobrem conciliando doctrinam Bossij cum his, quæ supra docuimus, dicendum est, quod quando dicimus ad validitatem sponsalium, vel matrimonij requiri voluntarium completè, hoc intelligendum sit de voluntario, non quomodocunque, sed de voluntario, prout nullam infert iniuriam metum patienti; cæterum sicuti, quando ipse, vel ad euitandam accusationẽ, vel aliud damnum sibi imminens potest eligere sponsalia sibi oblata, ità quando imminet aliquod periculum, vel mortis, potest sibi eligere aliquod per votum adimplendum, in quo vtroque casu, licet sit aliquod inuoluntarium, quià tamen non est inuoluntarium cum iniuria, non potest officere validitati contractus.

Ad matrimonium requiritur voluntarium completè.

Inuoluntarium mixtum potest sumi, vel secundum se, vel relatiuè ad causam.

Intelligitur de voluntario, prout nullã infert iniuriam.

2 *D. Thomas*

Hæc, quæ hactenus diximus æquam vim habere videntur siuè pro matrimonio, siuè pro sponsalibus; pro his tamen adduci potest alia ratio *ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad tertium*, vbi dicit omnem promissionem factam in quocunq; contractu facto per metum cadentem in constantem virum esse nullam de iure naturæ, etiam quod nulla esset lex humana, rationemq; adducit, quià indignus est, vt sibi soluatur promissio, qui ad illam coegit. Ibi *talis obligatio tollitur per coactionem, quià ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissio non seruetur*.

Argumentum efficax ad rem nostram.

Aduersus ea, quæ dicta sunt in assertione multis insurgunt aduersæ sententiæ assertores,

sores, & primò, quià sicuti ad matrimonium, vel sponsalia requiritur consensus, ità ad baptismum requiritur intentio, sed intercedente coactione per metum iure naturæ non inualidatur baptismus, iuxtà communem consensum, ergò, nec matrimonium, nec sponsalia. Secundò quià cōtractus quilibet etiam matrimonij ex metu leui iniustè incusso ad contractum extorquendum, non est omninò voluntarius, & liber, sed matrimonium, & sponsalia ex metu leui, quantumvis iniustè incusso non est iure naturæ irritum, ergò &c. Tertiò, quià dolus non minus repugnat consensui, & reddit contractū inuoluntarium, quam metus, sed dolus de iure naturæ non irritat matrimonium, quandò non est circa personam, seù circa conditionem seruilem per ea, quæ superius dicta sunt, & infrà dicentur, ergò &c. Sed his omnibus facilè occurritur, si dicatur ad primum, non eodem modo phylosophandum esse de intentione respectu baptismi, ac de consensu respectu matrimonij, vel sponsalium, non solum, quià, vt inquit *D. Thomas in 4. dist. 29. art. 3. ad primum*, intentio non est causa efficiens Sacramenti in baptismo, sed solum eliciens actionem agentis, consensus autem est causa efficiens, sed etiam quià, vt ait, *Altisiodorensis lib. 4. summa tract. 9. c. 7. q. 5.* baptismus, vt Sacramentum, est opus Dei, cuius causa efficiens est intentio conferentis, vti Dei causæ ministerialis, & instrumentalis, sponsalia autē sunt opus hominum dependens ab eorum libero consensu, & licet etiam matrimonium sit Sacramentum, & opus Dei, quià tamen hoc Sacramentum eleuat consensus hominum ad rationem supernaturalem, ideò respicit consensus liberos eorundem hominum tanquam principale obiectum, sine quo non esset Sacramentum, sicuti non esset contractus. Addi etiam potest id, quod asserit *Sotus in 4. dist. 29. q. 1. art. 2.* de discrimine inter baptismum, & matrimonium, nam per baptismum inducitur ius adoptionis, adoptio autem non dependet à libero consensu, cum adoptio etiam cadat in eum, qui non est compos rationis, matrimonium autem cum inuoluat rationem contractus à tali libero consensu absolutè dependet. Ad secundum dicendum est, quidquid sit de alijs contractibus, qui in multorum sententia de iure naturæ etiam ex metu leui irritantur, certum est non irritari ex eodem metu leui matrimonium, etiam spectato iure naturæ propter eminentiam eiusdem contractus super alios omnes, & propter ingentia damna, & confusiones, quæ orirentur in Republica, si ex quacunque causa leui irritarentur, quam confusionem, & damnum latè considerauit, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. nu. 164.* Ad tertium dicendum est in ordine ad sponsalia iuxtà superius dicta etiam ex dolo eadem irritari, quia ex disparitate eadem dissoluuntur; in ordine verò ad matrimonium dicendum est non habere eandem vim dolum, & metum; quandò dolus non est circa substantiam personæ, & conditionem seruilem, quandoquidem dolus circà qualitates relinquit consensum omninò liberum circà personam, cum qua alter dolo deceptus contrahit, & cum persona sit substantiale obiectum consensus, habet sufficientem libertatem ex dolo circà qualitates consensus ad ea, quæ substantialitèr requiruntur, nec ex accidentalibus debent irritari; metus verò iniuriosè illatus tollit libertatem consensus circà personam, quæ est obiectum substantiale, adeoque &c.

Varia argumenta ad versus assertionem.

D. Thom.

Altisiod.

Adoptio nō dependet à libero consensu adoptati.

Bossius.

SECTIO VI.

An si promissio sponsalium, seu matrimonij fuerit facta absenti, obliget, & quomodo.

SVMMARIVM.

Promissio matrimonij futuri facta absenti nemine pro eodem stipulante, regularitèr reuocabilis est ante acceptationem. 1.

Promissio facta præsenti, & tacenti non est reuocabilis. 2.

Promissio facta absenti nemine pro eodem stipulante, & per tertiam personam ad id muneris non deputatam ad promissarium delata, & per eundem acceptata, adhuc reuocabilis est. 3.

Promissio matrimonij futuri facta absenti altero pro eodem stipulante, qui possit stipulari, si fuerit merè gratuita, & per verba directa in personam stipulantem, vtique irreuocabilis est ante acceptationem, non tamen obligatur promissarius absens ad acceptationem. 4.

Si promissio facta absenti, altero stipulante, fuerit respectiua, est irreuocabilis ante acceptationem. 5.

Si promissio directa fuerit in absentem promissarium, etiam est reuocabilis ante acceptationem. 6.

Obligationes ex huiusmodi promissione acquiruntur stipulanti. 7.

Pater validè stipulatur pro filio absente in ordine ad promissionem futuri matrimonij. 8.

Etiam mater potest pro filio stipulari. 9.

Etiam si filius fuerit emancipatus à patre. 10.

Stipulari potest pro filio absente Auus Pater patris. 11.

Tutores, & Curatores pro pupillis, & minoribus absentibus stipulari possunt. 12.

Stipulari possunt pro absentibus Notarij, & Tabelliones publici. 13.

Non potest stipulari frater pro fratre. 14.

Excipe, nisi curam ipsius habeat. 15.

Stipulari potest quilibet pro absenti, quandò promissio est in causam piam, si verba promissionis diriguntur in stipulatorem præsentem, secùs si in promissarium absentem. 16.
Promissio futuri matrimonij facta alteri stipulanti in casibus à iure permissis, vt quis pro altero stipuletur, obligat naturaliter. 17.

Rationes variæ dubitandi circa propositũ titulum,

SVB huius sectionis titulo multa comprehenduntur scitu dignissima, & necessaria, quæ non omittere patitur præsens materia, nec Theologica præterire sollicitudo, nec moralis solertia. Primum erit, an promissio facta absenti nemine pro eodem stipulante obliget promittentem, & sit irreuocabilis ante acceptationem. Secundum ex suppositione, quod ad irreuocabilitatem promissionis requiratur acceptatio, an necessarium sit, quod promissio deferatur per nuntium ad id muneris destinatum, an verò sufficiat, quod quomodocumque etiam per extraneas personas fuerit delatum. Tertiũ, an si promissio facta fuerit absenti, altero pro ipso stipulante, sit irreuocabilis antequam deferatur promissario, & ab eodem acceptetur. Quartum, quinam possit pro altero validè, & efficaciter stipulari. Quintum, an quãdò vnus pro altero stipulatur, oriatur obligatio naturalis. Non erit hic sermo de promissione facta absenti, siuè altero pro ipso stipulante in genere quoad omnes contractus, nam de hoc erit sermo alibi suis locis, sed in indiuiduo de sponsalibus, seu de matrimonio futuro, cuius quæstionis hic est locus proprius. Pro qua sit

1 *Promissio facta absenti reuocabilis est ante acceptationem.* Molina, Glosa, Ioannes Andreas, VeraCrux Angelus, Siluester, Sanchez,

Assertio I. Promissio matrimonij futuri facta absenti nemine pro eodem stipulante, regularitèr reuocabilis est ante acceptationem, *Molina de iustitia, & iure tract. 2. disp. 263. vers. opera pretium tamen erit. Glos. in c. veniens, qui cler., vel vouẽt. & ibi Ioannes Andreas nu. 8. Vera Crux prima part. speculi art. 16. §. sed dubitatur vtrũ, Angelus verb. sponsalia nu. 19. & ibi Siluester initio. Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 7. num. 4.*

Promissio facta absenti conditionalis est,

Probatur primò, quia promissio facta absenti nemine pro eodem stipulante, intelligitur sub tacita conditione, si alter, cui facta fuit, acceptarit, non enim est præsumptio, quod quis se velit obligare versus alterum eodem inuito, maximè in contractibus correspectiuis, & quod ipse velit obligatus manere, si alter renuat obligationem, sed promisit sub conditione facta ante euentum conditionis, neque obligationem, neque actionem parit *l. cedere diem ff. de verb. Franciscus Curtius minor consf. 74. n. 10. vol. 1.* ergo, quia obligationem non parit, erit promittens liber, qui propterea potest illum reuocare, quia actionem non gignit, non poterit obligari ad eandem promissionem seruandam; Ne-

Curtius,

que dicas, quòd in allegato textu dicitur solummodò, quod ante conditionis euentum non obligetur promittens ad adimplendam promissionem, non tamen, quod non teneatur expectare, donec re delata ad promissarium se deliberet, an velit acceptare, nec ne, quod etiam euinci potest ex ijs, quæ in similibus terminis docuimus supra de eo, qui promisit sponsalia minori septennio, qui tenetur expectare, donec ille ad septennium deuenerit, nec potest à promissione antecedentèr ad illud resilire, quod etiam docent *D. Antoninus tertia p. tit. 1. c. 18. ante §. 1. Siluester verb. sponsalia qu. 2. dict. 2. in fin. Tabiena eod. verb. qu. 4. §. 5. & ibi etiam Armilla nu. 4. Bartholomæus à Ledesma de matrim. dub. 11. concl. 4. Manuel primo tom. summa in secunda edit. c. 245. num. 7.* Contrà enim impugnaberis, quia ex eo, quod dicatur, quod antè conditionis euentum, adeoque ante acceptationẽ promissio non pariat obligationem, non potest intelligi præcisè de executione, seu de adimplemento promissionis, quandoquidem certum est sine alterius consensu, cum versemur in respectiuis, non posse executioni mandari eandem promissionẽ, sed debet intelligi de onere ad adimplendum; cum antecedenter ad quamcunque acceptationem promissarius ius aliquod non acquisierit in rem promissam, adeoq; promittens videtur esse in plena libertate, nec illud, quod ex aduerso opponitur de promissione matrimonij facta minori septennio, quid euincit, quandoquidem in fauorem infantis per dispositionem iuris inductum est, & promissio eidem facta tenet, & obligat promittentem quoadvsque peruenerit ad vsum rationis, & tunc deliberet, hocque expressè habetur *in l. iubemus C. de emancip. liber.* vbi est sermo de emancipatione, quæ licet ex genere suo fieri nequeat absque emancipati consensu, fieri tamen potest respectu infantis. Hoc expressè sustinent *Molina lib. 4. de primog. cap. 2. num. 35. Azebedo lib. 5. recopil. tit. 16. lib. 2. num. 22., & alij, quos allegat, & sequitur Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 6. nu. 15.*

D. Antonin. Siluester. Tabiena. Armilla. Bartolom. à Ledesma Manuel.

Molina. Azebedo. Sanchez.

Probatur secundò, quià promissiones in alio quocunque genere adhoc, vt sint irreuocabiles, debent esse acceptatæ, & ante acceptationem non sunt tales per textum *in l. absenti C. de donat. l. nec ambigi ff. eod. tit. l. 1. iunctis duab. seqq. regni Castellæ tit. 11.*, ergò etiam promissiones de matrimon. futuro nõ sunt irreuocabiles, nisi post acceptationem promissarij absentis. Consequentia tenet, quià in hoc, nec ex dispositione iuris aliquod specialitèr circà huiusmodi promissiones statutum est, nec terminus, ad quem tendit promissio, aliquid ex natura sua speciale exigit, cum nullibi de tali dispositione constet, & matrimonium quidem postquam contractum

est

est, habet quidem multa fauorabilia, ante factum tamen non habet aliquod speciale ab alijs dispositionibus non completis, & perfectis.

2 *Facta præsenti, & tacenti est irreuocabilis.* Clarus. Menoch. Molina.

Dixi in assertione, *facta absenti*, nam si facta fuerit alicui præsenti, & tacenti, tunc præsumptiuè saltem illa taciturnitas habetur pro acceptatione, sicque irreuocabilis redditur promissio, *Iulius Clar. lib. 4. recept.* §. *donatio qu. 14. vers. sed posse*, *Menochius de præsumpt. lib. 3. præsump. 42. nu. 4. Molina lib. 4. de primog. c. 2. num. 76. Molina alter Theologus tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 264. vers. dubium deindè est*; nec incongrua sanè ratione hoc decernitur, quandòquidem in ijs, quæ fauorabilia sunt, sciens, & tacens habetur pro consentiente, & acceptante, sed promissio de matrimonio futuro regularitèr fauorabilis est non solum proptèr rationem, quam adducit *Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 6. nu. 6.*, quod scilicet cuilibet fauorabile sit, vt absque aliqua propria obligatione alter sibi obligatus remaneat, quæ tamen ratio, vt immediatè posteà subdam, inefficax est, sed etiam, quià matrimonium ex genere suo videtur fauorabile, sicque etiam promissio de illo: Dixi rationem, quam adducit Sanchez inefficacem esse, quandoquidem quamuis fauorabile sit, quod alter obligatus sibi remaneat sine propria obligatione, potest tamen sibi fauorabile non esse obiectũ talis alienæ obligationis, adeoque eidem non assentiri, sicque ex taciturnitate non potest legitimè præsumi consensus, & acceptatio.

D. Thom.

Ad magis firmandam assertionem nostram multum facere posse videtur id, quod habet *D. Thomas in 4. dist. 30. in expositione textus legati Principis Iordani*, vbi expressis verbis asserit, quod *si aliquis procuratorem constituerit ad consentiendum, tamen si ante pæniteat, quam ille consentiat, non est matrimonium, nec in rei veritate, nec secundum iudicium Ecclesiæ, si aliquibus signis appareat pæniuisse*, ad quod etiam refertur id, quod habet *Siluester verb. sponſ. quæſt. 2. dicto 4.* vbi sic legitur. *Si tamen nuntium, vel procuratorem reuocauit, & reuocatio ad eum peruenit, antequam puella consentiret, nihil agitur arg. c. in nostra de procurat., & c. mandato eod. tit. immò, & si peruenit postquam puella consenserat, sed tamen anteà fuerat reuocatus per textum in c. Procurator de procurat. in 6.* de qua re nos etiam fusè, & ex professo agemus infrà, ergò, si præstita promissione, & constituto procuratore, vel nuntio ad deferendum consensum potest eandem reuocare, & deobligari; poterit à fortiori deobligari per reuocationem promissionis, quandò, nec constitutus est procurator ad deferendum, nec promissio delata est, nec acceptata.

Promissio per procuratorem delata, & reuocata non tenet, si reuocatio fit ante acceptationem.

Siluester.

3 Assertio II. Si promissio facta fuerit absenti nemine pro eodem stipulante, & per tertias quasdam personas ad id muneris non deputatas fuerit ad promissarium delata, & sic per eundem promissarium acceptata, adhuc est reuocabilis per eundem promittentem. *Glossa c. veniens verb. promisit, & ibi Hostiensis, & Ancharanus in princip. Qui cleric., vel vouent.*, *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 6. nu. 28.*, & nos ipsi docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus III. de mutuo, & vsuris Disq. IV.* §. *4. n. 3.*

Etiam reuocabilis est, si si delata per non deputatum. Glossa. Hostiensis. Ancharan. Sanchez.

Ratio huius assertionis ex ijs deducitur, quæ loc. cit. asserebamus, quià scilicet alia persona non destinata à promittente non est apta ad deferendum ipsius voluntatem, ergò, quantumvis deferat, inualidè defert quantum ad effectum obligandi ipsum promittentem, ergò etiam ille, ad quem defertur, inualidè acceptat, adeoq; contractus non validatur. Antecedens facilè ex eo conijcitur, quod promittens tali tertiæ personæ deferenti non detulit suam voluntatem, nec in ipsum transtulit, ergò non apta est illa persona ad deferendum quantũ ad effectum obligandi ipsum promittentem. Secunda consequentia tenet, quià promissio non quomodocunq; sed vt delata, & acceptatio sibi sunt correlatiua, ergò, si inualida est delatio talis promissionis per personam ad hoc muneris non deputatam, inualida erit etiam acceptatio. Confirmatur ex eo, quod ad mutuo obligandũ necessarium est, vt transferentis, & eius, in quem transfertur, voluntates simul concurrant per textum *in l. absenti, ff. de donat. l. 1. ff. de pactis*, sed in hac hypothesi voluntates promittentis, & promissarij non simul concurrerent, quod facilè ex eo euincitur, quià, cum vterque sit ab inuicem absens voluntates per eosdem non vniuntur, nec vniuntur per eundem delatorem, quià voluntas promittentis non est in eundem translata, hocque expressè sustinent *Glos. in l. 1. in fin. ff. de contrah. empt., & l. consensu verb. consentire, ff. de act., & oblig. l. nec ambigi C. de donat. Bartolus in l. absenti nu. 1. ff. de donat. Villalobos in antimon. iur. lit. D. n. 176 Iulius Clar. lib. 4. recept.* §. *donatio q. 12. vers. scias*, Nec obesse potest, si asseratur, in donatione facta absenti sufficere, si donatio (quomodocunque constet donatario) acceptetur ab ipso persistente donatore in eadem voluntate, quod præsumitur, nisi constet de reuocatione, adeoque etiam sufficiat, quod promissio matrimonij facta absenti quomodocunque eidem constet perseuerante promittente in priori voluntate, de qua præsumitur, nisi &c., & acceptetur &c. Non, inquam, obesse potest, quià omninò gratis, ea, quæ dicuntur in instantia de donatione circunferuntur à *Gregor. Lopez verb. non la puede tit. 4. part. 5. Azebedo lib. 5. recopil. tit. 16. lib. 2. n. 20*, quando-

Persona nõ deputata non est apta deferre consensum.

Glossa. Bartolus. Villalobos Clarus.

Reijcitur id quod dicitur de donatione.

dòquidem licet perseueret eadem voluntas in donatore, non tamen moralitèr vnitur ad constituendam veram obligationem cum voluntate donatarij, nisi deferatur; non potest autem deferri, nisi per ipsum donatorem transferatur in deferentem, non transfertur verò, quandò deferens non deputatur ad id muneris, vt benè notat *Bartolus in d. l. absenti num. 1. ff. de donat.* vbi asserit, quod, si quis domi existens donaret alteri fundum, & ille casu audiens diceret sibi placere donationem non propterea esset perfecta, & irreuocabilis donatio.

4 Assertio III. Promissio matrimonij futuri facta absenti altero pro eodem stipulante, qui possit stipulari, si fuerit merè gratuita, & per verba directa in præsentem stipulatorem, vtique irreuocabilis est ante acceptationem, non tamèn obligatur promissarius absens ad eam acceptandũ, *Sanchez, de matrimonio lib. 1. de sponsal. disp. 7. n. 36.*

Altero stipulante pro absente irreuocabilis est promissio. Sanchez.

Pro clariori intelligentia assertionis, & particularum in eadem contentarum, & difficultatum indè emanantium. Præsuponendum est primò, promissionem de futuro matrimonio duplicitèr posse concipi; primo modo omninò gratis, & absolutè nulla ex iustitia expectata repromissione; secundò modo non omninò gratis, sed respectiuè, & per modum contractus conditionalis, si scilicet alter, cui fit promissio, repromisserit, & acceptarit promissionem.

Promissio potest esse gratuita, & respectiua.

Præsuponendum secundò adhuc promissionem factam absenti de futuro matrimonio altero pro eodem stipulante posse duplicitèr fieri; primò, quatenus verba diriguntur in præsentem, licet relatiuè ad promissarium absentem, vt si promittens dicat stipulatori. *Promitto tibi me contracturum cum Calidonia absente*, vel si dicat. *Promitto me contracturum cum Calidonia*, non referendo expressè verba ad stipulatorem; secundò modo, quatenus verba referuntur ad absentem, vt si dicat. *Promitto Calidoniæ absenti matrimonium*, Quibus pro notitia præsupositis.

Verba possunt dirigi vel in stipulantem, vel in absentem, & quomodo.

Probatur, quià, quandò promissio est gratuita in ordine ad promissarium, & verba promittentis diriguntur ad præsentem stipulatorem quodamodo cum eodem stipulatore contrahitur, ad quem verba diriguntur de præsenti; promittens etenim eidem promisit de persona determinata ducenda, & ipse nomine eiusdem acceptat promissionem, ergo ratione talis contractus, seu quasi contractus intelligitur obligatus, adeout non possit recedere, si promissarius posteà ratam habuerit stipulationem, vel quoadusque idem promissarius eandem stipulationem respuerit. Hæc quamuis vera sint in terminis generalibus, specialiori tamen quodam iure vera sunt, quando alter pro altero stipulans absente promitteret pro eodem absente matrimonium, quæ promissio non debet intelligi absolutè de executione, sed de operatione, quantum est ex parte eiusdem stipulantis, vt executioni mandetur; in hoc etenim est specialiter mutuus consensus, mutuaque obligatio, nàm sicuti stipulans potest cogi, vt faciat quantum in se est, ita & promittens potest compelli ad fidem seruandam. Sic sentiunt *D. Thomas in 4. dist. 29. qu. unica art. 4. ad 3. & ibi D. Bonauentura qu. 3. in fin, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. ante §. 1. vers. item qui contraxerunt. Sotus in 4. dist. 29. qu. 1. art. 4. ad 3. Vega lib. 5. summa cas. 558. Glos. in c. vnico 30. quæst. 2. verb. nihil, & c. sicut verb. iurantis de sponsalib, Cocaruuias de pact. 2. part. §. 5. num. 1.*

Inter stipulantem, & promittentem interuenit contractus, & quomodo.

D. Thom. D. Bonau. D. Antoni. Sotus. Vega. Coaruuias.

Dixi, *si fuerit merè gratuita*, nam si talis promissio fuerit respectiua, prout in prima præsupositione præmisi; certè etiam altero pro eodem absente stipulante, nam redditur promissio irreuocabilis ante acceptationem *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 7. nu. 12. & nu. 31.* Ratio facilè ex eo deducitur, quia in pactis, & obligationibus correspectiuis hæc inest semper tacita conditio se obligandi, si alter repromittendo se obligarit, vnde ante conditionis euentum promittens semper liber remanet, nec aduersus libertatem officere aliquid potest alterius stipulatio pro promissario absente, quandoquidem talis stipulatio semper refertur ad talem conditionem, sicuti ad eandem refertur eadem promissio. Atque ad hæc corroboranda adduci potest textus *in l. contractus C. de fid. instrument.* vbi quoad huiusmodi contractus correspectiuos dicitur nihil perfectum effici posse ante vtriusque partis obligationem, sicque etiam sentire videtur *Molin. lib. 4. de primogeneis c. 2. nu. 66. & nu. 71. Gutier. c. quamuis pactum num. 55. alter Molina Theologus tom. 2. de iustitia tract. 2. disp. 264. vers. quinto quando.*

5 Sanchez.

Est sub tacita conditione, si alter acceptarit.

Molina. Gutier. Molina.

6 Dixi *per verba directa in præsentem stipulatorem*, quià, si verba dirigerentur in promissarium absentem, puta, si promittens diceret *Promitto Calidoniæ absenti matrimoniũ*, quantumvis alter pro ipsa stipularetur, non obligaretur irreuocabiliter promittens ante promissarij absentis acceptationem, & repromissionem *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsal. disp. 6. nu. 36.* Ratio autem ea esse potest, quià in ea hypothesi, ex quo promissio non dirigitur ad eundem stipulatorem præsentem cum eodem non initur contractus, adeoq; non est, cur ipse stipulator possit eundem promittentem compellere, vnde merito dicunt DD., quod vt stipulatio per alterum pro altero valeat in casibus permissis debeat sic concipi *Promittis mihi, quod*

Sanchez.

ducet

ducet Calidoniam, non sic, *promittis Calidonia, quod illam duces, Alexander in l. 1. ff. de pactis per Glosam § si quis alteri in fin. inst. de inutilib. stipulat. Glosa in l. stipulatio ista §. si quis insulam ff de verb. obligat. DD in l. huiusmodi in princip. ff. de leg. 3. Alexander in d. l. stipulatio §. alteri, & §. si stipuler.*

Alexander Glosa,

7 Hic oritur difficultas, an in hac suppositione, si stipulatio fiat per alterum pro absente, obligatio acquiratur stipulanti, qualiscunque ille sit, an vero absenti, pro quo facta fuit eadem stipulatio, *Senatus Pedemontanus in decis. pedemont. 70. num. 14. Afflictus, quem refert idem Senatus Pedemontanus, Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 7. nu. 37.* existimant obligationem acquiri promissario absenti, dum dicunt per stipulantem ipsum non posse remitti talē obligationem, quia per stipulationem est ius acquisitum promissario absenti. Nihilominus absolutè sentiēdum est, obligationem acquiri stipulanti, etiam si eius non intersit, *Glosa, & Alexander in l. stipulatio §. alteri ff. de verbor. obligat. idem Alexander in l. 1. ff. de pactis*. Ratio ex eo potissimum deduci potest, quià ipse promittens, si quam habet actionem, non habet aduersus promissarium absentem, qui non acceptauit, ante acceptationem, sed tantum aduersus stipulantem, cum quo quodammodò contraxit, ergò versus eundem solummodò ante acceptationem contraxit obligationem; cum actio, & obligatio sibi sint correlatiua. Accedit, quod ipse promissarius ante acceptationem, & ratificationem stipulantis non obligatur versus promittentem, ergò nec acquirit eius obligationem; Neque valet id, quod ex aduerso afferebatur, scilicet per stipulantem non posse remitti talem obligationē. Non valet, inquam, quia vinculum eo modo potest dissolui, quo contractum est, *l. nihil tam naturale ff. de reg. iur.* ergò, sicuti per stipulationem illa obligatio contracta est, ità per cessionem eiusdem antequam à promissario absente acceptetur, poterit dissolui.

Afflictus. Sanchez.

Acquiritur obligatio stipulanti. Glosa. Alexander

Dixi tandem. *Non tamen obligatur promissarius absens ad eam acceptandam*, quandoquidem, sicuti donatio facta absenti altero pro donatario absente stipulante, pendet à donatarij ratihabitione, & consensu per ea, quæ docet *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 264. vers. iure etiam concessum est, Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 7. nu. 3.* ita promissio de matrimonio futuro facta absenti altero pro eodem stipulante pendet ab eiusdem promissarij ratihabitione. Ad hoc multum conferre possunt ea, quæ supra diximus de patre contrahente pro filio, qui certè contractus firmus non est, nisi filius ratificet promissionem factam à Patre.

Ratio cur non obligetur promissarius absens ad acceptationē.

Assertio IV. Quamuis regularitèr loquēdo, attento iure communi nequeat vnus pro altero stipulari sine speciali mandato, prout habetur *in §. si quis alij, & §. alteri Instit. de inutilib. stipul. & l. stipulatio ista §. alteri, & §. si stipuler ff. de verbor. obligat.* In pluribus tamen casibus vnus pro altero validè, & efficacitèr stipulatur. Clarior probatio huius assertionis erit casus recēsere, in quibus valida foret stipulatio, & nonnullos excludere, in quibus non esset valida; & loquimur præcisè in causis matrimonialibus, & sponsalium mittentes ea, quæ quandoq; pertinere possent ad alios contractus.

In al quibus alter pro altero validè stipulatur.

Sic primò stipulari potest validè Pater pro filio in ordine ad promissionem futuri matrimonij *Bartolus in l. quod dicitur la 2. ff. de verb. obligat. Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 7. num. 6.*, hocque clarè liquet ex ijs, quæ suprà diximus, si enim Pater pro filio potest contrahere sponsalia, cur ipse pro eodem non poterit in ordine ad eadem stipulari, quod etiam confirmari potest *ex c. sicut de sponsalib.* Hic excitatur dubium, an solus pater possit pro filio absenti stipulari matrimonium promissum, an verò etiam mater. Bartolus *in d. l. quod dicitur num. 8. ff. de verb. oblig., & ibi Iason n. 83. Antonius Gabriel tom. 3. commun. lib. 3. concl. 1. num. 49.* existimant matrem non posse validè pro filio stipulari, eo quià mater non habeat filium in potestate, & ibi etiam respondent ad ea, quæ obijciuntur *ex §. sed, & si quis instit. de inutil. stipul., & l. stipulatio ista. §. si stipuler., & l. si quis insulam ff. de verb. oblig.*, vbi dicitur alterum pro altero posse stipulari, quando sua interest; interest autem vehementer ad matrem propter nimiam affectionem, qua fertur in filios, vt eisdem fiat matrimonium; respondent, inquam, non interesse non sumi præcisè quoad affectionem, sed etiam quoad alia, quæ non pertinent ad matrem *Iason. in d. l. stipulatio ista §. alteri num. 12. ff. de verb. oblig.* Nihilominus probabilius existimo etiam matrem pro filio posse stipulari, *Menochius cons. 162. num. 4., & 6. vol. 2. Suarez l. 1. tit. de las arras num. 69. Abbas*, & DD. communiter *in c. vnico de desp. impub. in 6.* Deducitur ex ijs, quæ documus *sub hoc eodem tit. de sponsalibus prænot. 3. assert. 4. vers. quoad ea, quæ veniunt nomine parentum*, vbi diximus non solum Patrem, sed etiam matrem posse contrahere sponsalia pro filijs absentibus propter æquam affectionem, qua æquè prosequitur eosdem filios, ac pater, nec obesse potest id, quod ex Iasone supra afferebatur, scilicet non spectandam esse solam affectionem, sed etiam interesse, seù potestatem, & administrationem quoad eosdem filios non, inquam, obesse potest, quià, vt mox subdam, etiam si Pater non habeat administrationem potest validè pro filijs stipulari

8 *Pater validè stipulatur pro filio.* Bartolus. Sanchez.

9 *Etiam mater stipulatur pro filio*

lari, quantum ad effectum, vt promittens remaneat obligatus, quoadvsque filij stipulationem ratam habuerunt.

10 Hic alia suboritur difficultas, an ea, quæ hactenùs dicta sunt de patre stipulante matrimonium pro filio, æque intelligenda sint de filio existente sub potestate Patris, ac de filio ab eodem Patre emancipato. Sentiendum est, posse etiam intelligi pro filio emancipato, si pro eodem stipuletur, vt filio *Ancharanus d.c. ficus n.fin. de sponsal. Bartolus in d. l. quod dicitur num.4.ff.de verb. oblig. Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsal. disp.7.num.7.* Ratio ex eo deducitur, quià quantumvis filius fuerit emancipatus non tamen desinit esse filius, nec alter pater, iura autem loquuntur de parentibus, & filijs indefinitè, nec restringunt suas dispositiones præcisè, quando sunt sub cura, seù potestate parentum, quare nec nos restringere debemus, potissimum cum vigeat eadem ratio nimiæ affectionis &c. Aliam rationem addit *Sanchez lib. 1. de sponsal. disp.7.nu.7.*, quià scilicet potest Pater stipulari matrimonium pro filio pro tempore, quo erit sui iuris, ergò etiam pro tempore, pro quo actu fit sui iuris pro eodem stipulari, quià idem omninò videtur aliquid fieri in tempore aliquo, & in illud tempus conferri per textum *in l. quod sponsa C. de donat. ante nupt.* Ex quibus omnibus corroborantur ea, quæ suprà diximus de matre stipulante pro filio; si enim Pater pro filio non existente sub sua cura, & potestate, vt pote emancipato potest stipulari, cur non etiam mater quantumvis non habeat filium sub sua potestate?

Etiam pro filio emancipato.

Ancharan. Sanchez.

Iura loquũtur indefinitè de Patre.

11 Secundò, stipulari potest pro filio absente auus Pater Patris *Antonius Gabriel tom.3. commun. lib.3. concl.1. num. 29.* & clarè deducitur ex ijs, quæ nos docuimus supra *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. prænot.3. assert.4. vers. quoad auum Patrem Patris*, ea potissimum ratione, quod Auus Pater patris respectu filiorum eiusdem Patris habetur loco parentis *Alexander in reg. generalitèr nu.2 ff. de in ius vocand. Menochius cons.22.nu.3.*, & in eodem supponitur quasi paterna affectio, & cura non inæqualis filiorum. *Bartolus in aut. ex testamento vers. præterea appellatione Patris C. de 2. nupt.* propter quod *Antonius Gabriel loco quo supra*, asserit hoc ius stipulandi pro filijs absentibus competere omnibus ascendentibus per lineam paternam.

Etiam Auus Pater Patris.

Gabriel. Alexander Menochius Bartolus.

12 Tertiò stipulari possunt Tutores, & Curatores pro pupillis, & minoribus absentibus, si fuerint sub eorum cura, & tutela *Glosa in §. alteri verb. vt supra de inutil. stipul. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp.7. nu.8.*, licet docuerimus *sub hoc eod tit. prænot.3. assert.4. vers. quoad tut., & curatores* tutores, & curatores non posse contrahere pro pupillis, & minoribus, vt ijdem præsentes, & tacentes teneantur stare contractui per eosdem tutores, & curatores inito nomine ipsorum, cum non supponatur in eisdem eadem affectio, quæ est in parentibus; nihilominus diuersa est ratio quoad eosdem stipulantes pro pupillis, & minoribus absentibus, quià in hac hypothesi stipulatio facta in fauorem minorum pro minoribus est solum eisdem proficua, quatenus promittentem eisdem minoribus obligat, non tamen eosdem promissori, cum possint ratam nõ habere huiusmodi stipulationem, non tamen noxia, vt per se patet. Cur autẽ possint tutores, & curatores sic stipulari habetur ex iure administratorio, quod habent non solum circa eorundem minorum, & pupillorum bona, sed etiam circa eorum personam, eorundemque actiones in ordine ad contractus politicos, bonumque regimen, & sicuti, vt benè notat *Sanchez loc. cit. num. 8.* Pater non solum ratione dilectionis paternæ, sed etiam ratione legitimæ administrationis, quam habet, potest pro filio stipulari, ità non est, cur tutor, seù curator ratione eiusdem legitimæ administrationis, non possit pro minori, seù pupillo stipulari.

Etiam tutores, & curatores pro pupillis, & minoribus.

Glosa. Sanchez.

Ius prouenit ex iure administratorio.

Quartò stipulari possunt Notarij, & Tabelliones publici, *Coarunias rub. de testam. 3. part. nu.13., & lib. 1. var. c.14. nu.11. Roland. cons.19. nu.9. lib.1. Iulius Clarus lib.4. recept. §. donatio qu. 13. vers. 1., ergo casu, Seraphinus de priuileg. iuram. priuil.24. n.4. Molina tom.2. de iust. tract. 2. disp.264. vers. quarto tanquam opinio.* Ratio ex eo deducitur, quià ex quo promittens promisit Notario pro absente stipulanti, promisit personæ habenti fidem ex publica auctoritate, & à Republicæ destinatæ ad recipiendas huiusmodi promissiones, & quodamodò autorizandas, & quidem maiorem vim habere debet ipsius stipulatio, quam alterius priuatæ personæ, & licet requiratur ratificatio absentis, pro quo stipulatus est, non proptereà tollitur, quià antecedentèr ad talem ratihabitionem, vel renuntiationem promittens non remaneat obligatus, quandòquidem fidem suam personæ publicæ acceptanti obligauerit, secus, si ex eo, quod requiratur ratificatio promissarij absentis, sequitur, quod stipulatio notarij non subsistat ad effectum obligãdi promittentem, quousque ipse promissarius absens non ratam habuerit promissionem, sequitur etiam, quod non subsistat stipulatio facta à Patre pro filio absente, quandòquidem etiam in hac hypothesi requiritur ratihabitio eiusdem filij absentis promissarij.

13 *Etiam Notarij, & Tabelliones publici.*

Coaruuias. Rolandus. Clarus. Seraphin. Molina.

Habent fidem ex publica auctoritate.

Ex ijs tamen, quæ dicta sunt, & infrà ex occasione dicentur, non sequitur etiam, quod frater pro fratre possit validè quoad hunc effectum stipulari *Burgos de Paz q. 10. ciuili nu.19.*, & idem etiam videtur sentire *Bartolus in l. quod dicitur 3. nu. 8. ff. de verb. oblig.*

14 *Non tamen frater pro fratre.*

Bartolus.

oblig., & hoc consonat etiam cum his, quæ diximus suprà *sub hoc cod. tit. de sponsalibus prænot. 3. assert. 4. vers. quoad fratres*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem, nec fratres erga suos fratres eam affectionem habent, quam habent parentes, nec gubernationem, nec curam, nec administrationem vllam habent. Non negauerim tamen, quod si

15 aliquis frater natu maior, & in legitima ætate constitutus curam habeat, & administrationem, vel à iure, vel ex Patris præmortui dispositione, posset validè pro fratre minore absente stipulari, quandòquidem in hoc casu computaretur, vt tutor, & curator, & ratione administrationis, quam exercet, posset tali munere stipulationis fungi.

Excipe si curam habeat fratris

16 Quintò stipulari potest quilibet pro absente, quandò promissio est matrimonij in causam piam, quandò verba promissionis diriguntur in stipulatorem præsentem, secus autem, quandò in promissarium absentem, *Baldus in l. illud C. de sacrosanct. Ecclesi. num. 2. Iason. in l. qui Romæ §. flauius num. 24., & l. stipulatio ista § alteri num. 6. ff. de verb. oblig. Angelus §. cum autem Instit. de adopt.*, hocque ex speciali priuilegio, quod conceditur causæ piæ, & sicuti ex specialibus priuilegijs, quibus afficitur dos quilibet potest pro eadem stipulari, per textum *in l. Caius ff. solut. matrim.* ità non est, cur etiam quilibet non possit stipulari pro matrimonio ex causa pia cum hæc non minus habeat fauoris, ac habeat causa dotis argumento quo vtitur Euerardus à dote ad causam piam, *Panormitanus in proem. decret. Gregorian. parte qua incipit, Gregorius diuiditur nu. 26.*

Quilibet pro absente potest stipulari in causam piam. Baldus. Iason. Angelus.

17 Assertio V. Promissio futuri matrimonij facta alteri stipulanti in casibus à iure permissis, vt quis pro altero stipuletur pro altero absente obligat naturalitèr, *Glosa in l. stipulatio ista §. alteri verb. nihil interest, ff. de verb. oblig.*, *& l. 1. verbo eum consensum, & l. si vnus §. pactus verb. in pactis, ff. de pactis, Bartolus in l. 1. §. conuentionis n. 3. ff. de pactis, Abbas c. inter vniuersas nu. vlt. de elect. Antonius Gabriel tom. 2. commun. lib. 3. tit. de verb. obligat. concl. 1. n. 66.* contra *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 7. num. 17.*, qui alios innumeros pro se allegat.

Consurgit obligatio naturalis. Glosa. Bartolus. Abbas. Gabriel.

Probatur primò directè ad hominem contrà eundem Sanchez. Dum stipulatio etiam in causa matrimonij facta est per alterum stipulantem pro absenti in casibus à iure permissis contrahitur quodam vinculum, ratione cuius promittens ex stipulatione obligatur, sed hoc vinculum non potest esse, quin saltem sit obligatio naturalis, ergò &c. Maior patet ex ijs, quæ docet *idem Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 7. num. 37.*, vbi posita illa stipulatione quærit, an stipulans possit remittere illam promittentis obligationem, an verò remissio spectet ad promissarium absentem, & concludit ad eundem promissarium pertinere, ergò dum agit de iure dissolutionis iam supponit obligationem; quod etiam patet ex ijs, quæ idem *Sanchez d. disp. 7. n. 36.* docet nempè facta stipulatione per personas, quæ ex dispositione iuris absentis nomine stipulari possunt, promittentem retrocedere non posse, si præsens absentis nomine stipulatur, ergò verè ipse promittens contrahit obligationem.

Sanchez.

Probatur secundò, quià illa stipulatio absentis nomine facta per personas, quæ ex dispositione iuris stipulari possunt aliquid debet operari suprà promissionem factam nemine pro promissario absente stipulante, sed suprà stipulationem factam per personas, quibus non est concessum à iure posse validè pro altero stipulari, nihil operaretur, nisi induceret obligationem saltem naturalitèr, ergò &c. Confirmatur primò, quià in stipulatione iuxtà modum expositum propriè interuenit pactum per consensum scilicet promittentis, & stipulantis, ergò, & obligatio saltem naturalis, quæ oritur ex consensu *l. stychum §. naturalis, ff. de solut.* Confirmatur secundo, quià lex humana minimè resistit stipulationi factæ ad promissionem alterius per alterum nomine absentis, quandò stipulans est ex personis in præcedenti assertione explicatis, ergò non est, cur non oriatur obligatio saltem naturalis.

Illa stipulatio à iure permissa debet esse operatoria, non superflua.

Hæc adeò vera sunt, vt existimem hanc obligationem, non solum esse naturalem, & ex iure canonico, sed quasi ciuilem, & vim etiam ex eodem iure habere, quandòquidem iura ciuilia non solum non resistunt huiusmodi stipulationibus, eas reprobando, sed quodammodò assistunt, & approbant. Quamobrem non video, qua ratione Sanchez, qui primò tot auctoritatibus, & iuribus approbauerat huiusmodi stipulationes factas per personas habiles à iure pro absentibus, quandò verba promissionis ad se ipsos diriguntur, seù fuerunt directa, modo deneget eisdem obligationem nedum ciuilem, sed etiam naturalem; nisi fortassis velis dicere Sanchez in præsenti solummodò loqui, quandò stipulatio facta est per personas inhabiles ad stipulandum pro absentibus, quod videtur innuisse *d. disp. 7. num. 22.* dum fatetur esse pactum, quandò stipulatur persona, quæ potest stipulari, secus quandò non est ex ijs, quæ stipulari possint; in quo sensu verè, & rectè procederet ipsius opinio, quià tunc non esset duorum pactum, quià ille, qui stipulatur nullam habeat habilitatem ad stipulandum, & acceptandum perindè est, ac si non interuenirer; tum, quià stipulationi sic conceptæ non solum iura non assistunt, sed positiuè

Nec solum obligat naturaliter, sed quasi ciuilitèr.

 resistunt.

resistunt, vt habetur in textu §. *alteri Instit. de inutil. stipul.*, *& l. stipulatio ista §. alteri*, *& §. si stipuler ff. de verb. oblig.* vbi dicitur, non posse alterum alteri stipulari, quæ iura non stan: facultatiuè quatenus importent vnum posse pro altero non stipulari, sed negatiuè tollendo absolutè potentiam ad validè stipulandum, cum negatio cadat suprà ly potest, *Glos. in reg. non potest de reg. iur. in 6.* Quandò autem iura non approbant actum, sed positiuè resistunt nulla ex eodem obligatio siuè ciuilis, siuè naturalis oritur per textum *in l. non dubium C. de legib.*; Atque per hoc conciliari possunt sententiæ, quæ videntur extremè, & directè sibi oppositæ, quatenus nostra procedat de stipulatione facta per personas à iure habiles ad stipulandum pro altero absente, quandò verba diriguntur ad ipsum stipulantem; sententia verò Sanchez, & aliorum procedat de stipulatione facta per personas inhabiles ad stipulandum pro absenti, quantumvis verba promissionis ad ipsum dirigantur.

Conciliantur quodammodo sententia opposita.

SECTIO VII.

De consensu sponsalium, prout dirigitur ad procuratorem, & prout per ipsum defertur.

SVMMARIVM.

Consensus, per quem constituitur Procurator ad contrahenda sponsalia, si fuerit elicitus per metum cadentem in constantem virum irritat constitutionem, & sponsalia reddit inualida. 1.

Non est commune quoad alios omnes contractus, quod metus grauis irritet constitutionem procuratoris, sed speciale, quoad sponsalia, & matrimonium. 2.

Consensus, quo constituitur procurator ad contrahenda sponsalia, debet esse specialis, quoad modum, prout importat speciale mandatum, & etiam quoad obiectum. 3.

Procurator ad contrahenda sponsalia potest constitui in quacunque ætate, dummodò peruenerit ad vsum rationis completum. 4.

Procurator ad sponsalia potest reuocari, antequam mandatum executus fuerit, & si fuerit reuocatus, non tenent sponsalia postea per eundem celebrata, quantumvis fuerit ignarus reuocationis. 5.

Hoc est speciale in procuratore, quoad sponsalia, & matrimonium, non quoad alios contractus. 6.

Reuocari potest procurator ad sponsalia etiam per actum purè internum. 7.

Procurator ad contrahenda sponsalia non potest alium sibi substituere ad hoc munus, nisi expressè hoc sibi fuerit concessum. 8.

Sponsalia per procuratorem fictè constitutum tenent, si ante contractum constituens reuocauerit fictionem. 9.

Procurator constitutus ad sponsalia potest consensum sui principalis denuntiare per nuntium. 10.

Consensus vtriusque principalis in sponsalibus potest deferri per procuratores. 11.

Procurator potest deferre consensum sui principalis, siuè per verba importantia se ipsum in recto, & principalem in obliquo, siuè è contra. 11.

Procurator potest deferre consensum sui principalis post quodcunque tempus, dummodò consensus principalis perseueret. 12.

Tempus taxari debet prudentum arbitrio. 13.

Equè possunt constitui procuratores ad sponsalia masculi, ac fœminæ. 14.

Dvplicem habet titulus respectum alterum principalis ad procuratorem, alterum procuratoris ad alterum principalem. Consensus quoad vtrumque respectum in hac sectione examinabitur, & quidem in ordine ad primũ varij insurgunt articuli; primus erit, an consensus, per quem constituitur Procurator ad contrahenda sponsalia, debeat esse omninò liber, adeout excludat quemcunque metum; secundus, an debeat esse determinatus, & specialis non solum quoad obiectum, sed etiam quoad modum, an verò possit esse etiam indeterminatus, & generalis; tertius, an hic consensus possit esse ad procuratorem in quacunque ætate constitutum; quartus, an huiusmodi consensus, per quem constitutus est Procurator ad contrahenda sponsalia, possit ante contractum reuocari, & quid, si esset reuocatus ante contracta sponsalia procuratore penitus ignorante reuocationem, & hic contraheret ante scientiam reuocationis; Quintus, an si consensus principalis fuerit ad determinatum procuratorem possit hic alterum pro se substituere ad contrahenda sponsalia pro eo, qui se constituit Procuratorem ad illa; sextus, an si consensus principalis fuerit fictus non solum, quatenus constituit Procuratorem, sed etiam quatenus terminatur ad sponsalia per ipsum constituantur sponsalia, si tempore celebrationis eorundem per procuratorem habeat verum consensum.

Duplex sensus difficultatis.

In ordine ad secundum item erunt variæ rationes dubitandi. Prima erit, an quantumvis ipse deferat consensum sui principalis possit illum denuntiare per nuntium; secunda, an ex vtraque parte possit consensus principalium validè per Procuratores applicari. Tertia, quibus verbis Procurator debeat exprimere consensum principalis, dum contrahit. Quarta, an sufficientèr intelligatur per Procuratorem deferri consensus, & fieri sponsalia, si post sui constitutionem in procuratorem differat diutius ad contrahendum,

Rationes dubitandi circa vtrumque sensum

dum, & his similia. In ordine ad primum sit

1 Constitutio Procuratoris est inualida, si fuerit per metum grauem. Couaruuias Padilla. Sanchez. Bossius. Pontius. Hostiensis.

Assertio I. Si consensus, per quem constituitur procurator ad contrahenda sponsalia, fuerit per metum cadentem in constantem virum, & constitutio irrita est, & sponsalia nulla *Couaruuias pars. 2. de sponsalib. c. 2. §. 5. nu. 9. in fin. Padilla in l. interpositas nu. 7. C. de transact. Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 12. nu. 22. Gutierez de matrim. c. 44. nu. 30. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 3. num. 259. Pontius de matrim. lib. 4. c. 14. nu. 16. Hostiensis c. 2. de his, quæ vi, &c. cum locum paulò post princip. de sponsalibus.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia sponsalia metu cadente in constantē virum inita sunt ipso iure irrita per ea, quę superiùs latè probauimus, ergò erit & irrita constitutio procuratoris tali metu habita ad eadem contrahenda, quandoquidem in eadem constitutione procuratoris includitur constituentis consensus ad eadem sponsalia, in cuius virtute operaturus est posteà constitutus, & contracturus; nec obesse potest, si afferatur, metum cadentē etiam in constantem virum non irritare ipso iure alios contractus à matrimonio, & sponsalibus per ea, quæ communitèr tradunt Doctores, sed solummodò constituere, vt ope exceptionis possint elidi; non, inquam, obesse potest, quia licet cōstitutio Procuratoris sit alius contractus à contractu sponsalium, seù matrimonij, includit temen simplicitèr eadem sponsalia, cum debeant ista contrahi virtute prioris consensus præstiti in constitutione eiusdem procuratoris, qui censetur perseuerare, nisi fuerit reuocatus, *c. fin. de procurat. in 6.* sicque dum illa constitutio est ad sponsalia contrahenda, sicuti eadem sunt irrita, quando sunt contracta ex metu cadente in constantem virum, ita non potest esse, nisi & irrita talis constitutio, iuxtà illud, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis.*

Constitutio procuratoris est in ordine ad sponsalia.

2 Est ius speciale quoad sponsalia, & matrimonium.

Disputant hic aliqui, an sit speciale, quoad matrimonium, & sponsalia, quod metus cadens in constantem virum irritet ipso iure constitutionem procuratoris, an verò sit commune quoad alios omnes contractus. Plerique docent, hoc non esse speciale, sed commune quoad alios omnes contractus per textum *in cap. audiens de Procuratoribus*. Nihilominus sentiendum absolutè est, hoc esse speciale quoad sponsalia, & matrimonium, *Sanchez de matrimonio lib. 4. disp. 12. nu. 22. vers. non me latet*, quidquid ex illo texto in contrarium docuerint *Hostiensis cap. 2. de his, quæ vi in fin. & ibi Abbas nu. 18. Ruinus consil. 121. nu. 20. vol. 4.* Ratio huius nostræ assertionis è contrario sensu deducitur ex ijs, quæ dicta sunt de matrimonio, & sponsalibus,

Sanchez. Hostiensis. Ruinus. Abbas.

nempè irritari constitutionem procuratoris per metum in virum constantem cadentem, qui ordinatur ad eadem sponsalia, & matrimonium contrahendum, quæ cum ex tali metu irrita sint ipso iure, non potest non esse irrita eadam constitutio, ergo cum constitutio procuratoris in ordine ad alios contractus ordinetur etiam ad eosdem, qui iniri debent virtute consensus præstiti ad talem constitutionem, si actus, ad quos ordinatur, non sunt ex metu cadente in constantem virum ipso iure irriti, nec ex eodem erit irrita talis constitutio. Neque textus allegatus *in d. capite accedant de sponsalibus* aliquid aduersus hoc euincit, vt ingenuè fatetur *Romanus sing. 753.* quamuis contrarię sententiæ adhereat. Non, inquam, aliquid euincit, quia per illū solum dicitur, vt notat *Sanchez loco cit. nu. 22. d. vers. non me latet*, quod contrahentes debent constitui in loco tuto, vt absque coactione possint procuratorem constituere; non tamen ibi dicitur, quod si in cæteris omnibus à matrimonio, & sponsalibus constituatur procurator, inualida sit ipsa constitutio.

Alij contractus non irritantur ipso iure ex metu graui

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia sponsalia contrahuntur in virtute consensus præstiti in constitutione procuratoris, ergo, si illa constitutio est irrita, irrita quoque erunt sponsalia, quæ in virtute eiusdem constituuntur, iuxtà allegatum axioma, *propter quod vnumquodque tale, & illud magis*. Confirmatur, quia procurator non potest defferre consensum, nisi eo modo, quo est præstitus per principalem, sed est præstitus per metum cadentem in constantem virum, atque hic est ex genere suo inefficax ad obligandum, & ad constituenda sponsalia per superiùs notata, ergo &c. Neque dicas, quod, quantumuis ille consensus præstitus per metum cadentem in constantem virum sit secundum se inefficax, & etiam prout defertur per procuratorem, possit tamen ipse principalis, qui talem consensum inefficacem præstitit, & transtulit pro tempore, pro quo per procuratorem defertur, habere verum, & internum consensum, sicque ex inualiditate constitutionis procuratoris, non benè arguitur inualiditas sponsalium; contra enim impugnaberis, quià tunc non constituuntur legitima sponsalia per consensum delatum per procuratorem, sed dumtaxat per consensum verum internum ipsiusmet principalis, supposita illa sensibilitate posita per eundem procuratorem modo, quo dictum fuit supra, & dicetur etiam inferius; nec hoc destruit quæstionē, quæ procedit dumtaxat ex vi consensus, ex metu graui eliciti in constitutione procuratoris, & per eundem delati.

Sponsalia contrahuntur in virtute consensus, per quē constitutus est Procurator.

Assertio II. Consensus, quo constituitur Procurator ad contrahenda sponsalia debet 3

Debet esse specialis, & quoad modum, & quoad obiectum. Glosa, Coaruuias Cuccus. Sannazar, Gutierez. Barbosa. Henriquez Ancharan, Abbas. VeraCrux.

bet esse specialis, & determinatus non solum quoad modum, quatenùs debet constituere speciale mandatum, ita vt non sufficiat generale ad omnia negotia, sed etiam, quoad obiectum, quatenus debet respicere determinatam personam. Ità quoad primam partem *Glosa, & scribentes in c. fin. de procurat. in 6. Coaruuias 2. part. de sponsalib. c. 4. init. num. 8. Marcus Antonius Cuccus lib. 5. instit. maior. tit. 11. num. 36. Iulius Sannazarius de sponsalib. c. 3. art. 4. num. 114. Gutierez de matrim c. 43. nu. 1. Augustin. Barbosa tom. 3. collect. ad ius canonicum lib. 1. tit. de procurat. c. 9. num. 1. Henriquez lib. 11. c. 2. §. 2. Sanchez lib. 2. disp. 11. num. 2.* Quoad secundam *Ancharanus in c. fin. num. 1. vers. secundo nota, & ibi Francus num. 4. de sponsalib. Abbas in c. in causis num. 15. de elect. Bartolus in l. filius familias num. 9. de donat. Vera Crux prima part. specul. art. 16. dub. 5., Vualdus candelabro 1. part. de matrim. num. 44. Petrus de Ledesma de matrim q. 42. art. 1. dub. 7.*

Causa matrimonialis non committitur sine expressione.

Prima pars liquet expressè *ex c. fin. de procurat. in 6o.* vbi sic legitur. *Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale,* quod dictum latè explicans Glosa ibid. asserit, quod etiam Procurator non sit idoneus ad hoc munus, quantumvis constituens in constitutione dixerit ad omnia negotia iudicialia, & extraiudicialia cum potestate faciendi omnia, & singula, quæ ipse faceret, & facere posset, si personaliter interesset. Ratio huius legalis dispositionis in eo consistit, quod in generali concessione non veniunt ea, quæ exigunt speciale mandatum, nisi specificentur, quinimmò, si in eadem concessione diceretur, etiam si talia sint, quæ mandatum exigunt magis speciale, non venit facultas constituendi matrimonium pro concedente, vel sponsalia, vt benè *Glosa in c. qui ad agendum de procurat. in 6., & c. 1. de desponsi. impub., & §. 1. instit. de nupt., & l. expressum erat ff. de ritu nupt., & l. generali, & l. ad mulierem eod. tit.*, causa etenim sponsalium, seù matrimonialis talis est, vt non committatur regularitèr sine expressione, seù specificatione.

Mozzius, Molinus, Barbosa. Bartolus.

Ratio secundæ partis clarè deducitur *ex Glos. in eod. c. fin. de procurat. in 6.* vbi expressis verbis hoc deciditur, quam Glosam, præter allegatos DD. pro hac parte sequuntur *Mozzius de mandato §. de diuis. mandati num. 11. Molinus lib. 1. de ritu nupt. compar. 25 num. 7. August. Barbosa tom. 3. collect. ad ius canonicum lib. 1. tit. de procurat. c. 9. num. 2.*, rationemq; meo videri efficacem pro hoc asserto adducit *Bartolus in l. filius ff. de donat.*, sitam in eo, quod sponsalia respiciunt vinculum mutui amoris, quod non potest esse circà personas indeterminatas; Neque obesse possunt ea, quæ supra dicta sunt, quod scilicet quis possit promittere indeterminatè, se ducturum vnam ex quatuor filiabus Antonij, vel Antonius possit spondere vnam ex suis quatuor filiabus Titio, itavt & ille teneatur vnam ex illis ducere, & iste vnam ex illis tradere, ergo etiam poterit constituere quis procuratorem ad contrahenda sponsalia cum vna ex pluribus filiabus indeterminatè; Non, inquam, obesse potest, quià, quantumvis possit quis promittere vnam ex pluribus ducere, vel Pater vnam ex pluribus tradere, non proptereà per illam promissionem simplicitèr constituuntur sponsalia, nec ex illa promissione oritur impedimentum publicæ honestatis, vt supra latè docuimus, & tunc solummodò constituuntur sponsalia, quando fit electio vnius ex illis per illum, ad quem spectat eligere, & promissio illa indeterminata, & quasi conditionata fit pura, & absoluta. Quamobrem in præsenti hypothesi nõ renuo concedere, quod possit quis constituere mandatum ad promittendum pro se ipso ad vnam ex alicuius filiabus ducendam, nego tamen quod per hoc constituantur sponsalia, & quod contrahatur impedimentum publicæ honestatis, quantumvis ex illo oriatur obligatio vnam ex illis ducendi, vndè tũc solũmodo constituuntur sponsalia, quando per consensum determinatum ad vnam restringitur.

Potest procurator in quacunque ætate constitui, dummodo sit adeptus vsum rationis. Sanchez, Bossius. Baldus.

4 Assertio III. Huiusmodi consensus potest esse ad Procuratorem in quacunque ætate constitutum, dummodò peruenerit ad vsum rationis completum *Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 41. num. 8. Gutierez de matrim. c. 44. num. 48. Ioannes Angelus Bossius de matrim contract. c. 3. nu. 276.*, qui omnes loquuntur in terminis matrimonij, quæ tamen à fortiori extenduntur etiam ad terminos sponsalium *Baldus l. exigendi C. de procurat. num. 4. in fin. & ibi Alexander nu. 23.*, vbi dicit hanc esse communem.

Probatur primò, quià, postquam quis peruenerit ad vsum rationis completum, seù compleuerit septennium, potest contrahere sponsalia per ea, quæ superius dicta sunt, ergo etiam alter, qui tale septennium compleuerit, seù peruenerit ad vsum rationis poterit nomine alterius contrahere, seù deferre consensum alterius ad contrahendum, consequentia probatur, quia, si quis in tali ætate potest consensum proprium exhibere, cur alter in eadem ætate non poterit consensum alterius deferre? non enim aliqua prorsus ipsius industria desideratur, sed tantùm requiritur, quod sibi committentis explicet consensum. Confirmatur, quià sufficit, vt consensus contrahentium solis nutibus exhibeatur, & quodamodò reddatur sensibilis, ergò non erit, cur per pupillum gaudentem vsu rationis non exhibeatur, cum solum Procurator in tali hypothesi inseruiat, vt instru-

inſtrumentum, ſeu pica ad apponendum conſenſum illius, qui ſe conſtituit procuratorem.

Procurator ad negotia poteſt conſtitui, qui peruenit ad vſum rationis

Probatur ſecundò, quià in procuratore conſtituto ad negotia ſufficit ſola ætas, per quam habeatur vſus rationis per textum *in l. ſed & ſi quis 7. ad finem verſ. pupillus ff. de inſtit. act.*, *& l. 1. §. magiſtrum Nauis ff. de exercit. act.* ergo non eſt, cur non ſufficiat in procuratore conſtituto ad contrahenda ſponſalia; Neque dicas allegatos textus aduerſari textui *in c. qui generaliter §. licet de procurator. in 6.*, vbi requiritur in procuratore ad negotia ætas decem, & ſeptem annorum ad differentiam procuratoris ad judicia, in quo requiritur ætas ſupra vigeſimum quintum annum; contrà enim impugnaberis, quià in illo textu ſolum aſſertiuè dicitur, quod nequeat conſtitui procurator ad iudicia, niſi poſt vigeſimum quintum annum, de ætate autem requiſita in procuratore ad negotia ſolum dicitur recitatiuè, quod poſſit in decimo ſeptimo conſtitui, non autem negatur poſſe antecedenter conſtitui, & ità ſentire videtur *Peralta in l. ſi quis in princip. teſtament. nu. 40. ff. de legat. 3. Couaruuias 1. var. c. 14. num. 5. Gutier. tom. 2. pract. lib. 3. q. 29. nu. 6.*

Peralta. Gutierez. Couaruuias

5

Poteſt ante adimpletũ contractum reuocari.

Aſſertio IV. Conſenſus, per quem conſtitutus eſt Procurator, poteſt ante adimplementum contractus ſibi commiſſorum ſponſalium reuocari, & ſi fuerit reuocatus ante eadem contracta non tenent ſponſalia per eundem Procuratorem poſtea celebrata, quantumvis reuocatio non fuerit eidem intimata, ſed fuerit penitus ignorans *Gloſ. clem. vnic. de renunt. verb. ignorantem, & verb. cedentem Gloſa c. nec illud 30. q. 5. Felinus c. edoceri nu. 11., & c. ex parte nu. 9. de reſcript. Vera Crux 1. part. ſpeculi art. 16. dub. 6. Sanchez de matrim. lib. 2. diſp. 11. num. 6. Ioannes Angelus Boſſius de matrimon. contract. c. 3. num. 264., & ſeqq.*

Gloſa. Felinus. VeraCrux. Sanchez. Boſſius.

Expreſsè colligitur aſſertio ex *pracit. c. fin. de Procurat. in 6.*, vbi ſic legitur. *Sanè ſi Procurator, antequam contraxerit, à Domino fuerit reuocatus, contractum poſtmodum matrimonium ab eodem (licet tàm ipſe, quàm ea, cum qua contraxit, reuocationem huiuſmodi penitus ignorarent) nullius momenti exiſtit.* Ratio autem huius legalis diſpoſitionis ſimul, & aſſertionis ea eſt, quam adducit ibidem textus, quià ſcilicet ad validitatem contractus non ſolum requiritur conſenſus externus, ſed etiam internus contrahentium, ſed in data hypotheſi pro tempore, pro quo per Procuratorem celebratur contractus, non adeſſet internus contrahentis principalis conſenſus, cum ſupponatur reuocatus, ergo &c. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra dicta ſunt, quià ſi quis per fictionem, vel coactionem contraxerit ſponſalia, vel matrimonium inualidè contraxit, & tamen ſi poſteà internè conſentiat, quamvis exterius intentionem non proferat, reualidatur abſolutè contractus, quià ponitur id, quod deficiebat, ergo è conuerſo, ſi verum conſenſum antecedentèr poſuerit, & poſteà per actum propriæ voluntatis, antequam completus ſit conſenſus, illum conſenſum reuocauerit, abſolutè non ſubſiſtat contractus, cum deficiat id, quod ſubſtantialitèr requiritur ad validitatem ipſius; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, quod, cum antecedentèr abſolutè poſuerit illum conſenſum, & trãſtulerit in procuratorem, non poſſit illum reuocare, niſi quatenus ille, ad quem defertur, non acceptarit, ea proportionali ratione, qua dicebamus ſupra de promiſſione facta abſenti altero pro eodem ſtipulante, ſi fuerit idoneus, quæ certè reuocari non poteſt, ſi promiſſarius illam acceptarit, nec ante talem acceptationem, vel quod ſi etiam daretur, quod poſſit reuocari, requiratur tamen ſaltem denuntiatio reuocationis, antequam contractus perficiatur; Non, inquam, obeſſe poteſt, quia procurator non repromittit, ſed præcisè aſſumit onus deferendi conſenſum ſibi præſtitum à conſtituente ad alterum, qui propterea ſe habet tanquam comprincipium, ſeu inſtrumentum eius, qui ſibi dedit illum conſenſum, & in virtute ipſius præcisè operatur, qui propterea ſuſpendendo, ſeu reuocando conſenſum iam præſtitum ab eodem inſtrumento aufert totam vim agendi, nec eſt ratio, cur eandẽ vim auferre non poſſit, cum conſiſtat præcisè in ipſius conſenſu, quod non militat in altero ſtipulante pro abſente, qui non ſe tenet ex parte eiuſdem promittentis; ſed potius ex parte alterius, ad quem dirigitur promiſſio, qui propterea ſtipulando ius aliquod ſibi acquirit nomine promiſſarij abſentis, quod ius non poteſt auferri à promittente, cum non conſiſtat in ipſius præcisè conſenſu, ſed in repromiſſione, ſeu ſtipulatione, quæ quamuis non haberet vim acceptationis, quantum ad effectum formalitèr per ſe conſtituendi ſponſalia, habet tamen ex ſuperius dictis, ſi fuerit à perſona habili ad ſtipulandum, vim obligandi promittentem, vt non poſſit retrocedere antequam ad promiſſarium deferatur, & ab eodem vel reijciatur, vel acceptetur, quinmmò ſi acceptetur, conſtituuntur formalitèr ſponſalia, nec poterit amplius reſilire. Ad illud, quod ſubditur dicendum hanc denuntiationem reuocationis quoad procuratorem conſtitutum, vel ad matrimonium, vel ad ſponſalia contrahenda, ex diſpoſitione iuris neceſſariam non eſſe, vt conſtat ex *d. capite final. de procurat. in 6.* cum matrimonium de lege diuina, & naturali requirat conſenſum verum proprium; liberum, cuius defectum nec Eccleſia, nec alia poteſtas ſupplere poteſt,

In ea hypotheſi deficit conſenſus internus.

Procurator non repromittit.

Defectum conſenſus non poteſt ſupplere Eccleſia.

potest, vt optimè notat *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 3, nu. 265.*

Hic nonnulla dubia excitantur circà huiusmodi reuocationem; & primo inquiritur, an hoc sit speciale quoad matrimonium, vel sponsalia, vt inualidet contractum posteà celebratum, quantumvis non fuerit antecedentèr ad eundem contractũ eidem procuratori denuntiata, an verò sit commune quoad Procuratores ad alios omnes contractus. Secundò quomodo, & per quæ fieri debeat huiusmodi reuocatio, vt sit valida. Quoad primum probabilius existimo, hoc esse speciale, quoad procuratorem ad sponsalia, & matrimonium *Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 11. nu. 6.* hocque colligitur *ex clem. vnica de renunt. c. ex parte de rescript. l. si mandassem ff. mandati, l. 1. §. fin. ff. de contrab. empt.*, rationemq; huius specialitatis adducunt DD., quià in alijs contractibus iura saltem præsumptiuè possunt supplere defectum consensus contrahentium, & ad hunc possunt compellere; iura autem nec ciuilia, nec canonica possunt talem defectum supplere, nec ad ipsum compellere. Ad secundum dicendum est, posse fieri huiusmodi reuocationem nõ solum per actum externum, sed etiam per internum precisè *D. Thomas in 4. dist. 29. in verbis finalibus, Sanchez de matrim. d. lib. 2. disp. 11. n. 9 Ioannes Angelus Bossius d. c. 3. nu. 266.* Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, *& d. c. fin. de procurat. in 6.*, quià scilicet *illius consensus deficit, sine quo firmitatem habere nequit*, nec solum requiritur consensus externus sine interno, sed vterque simul; in hac autem hypothesi per reuocationem deficeret consensus internus, vt per se patet; nec solum ad irritandum contractum subsequentèr positum reuocatio interna, & directa requiritur, sed etiam potest sufficere tacita, & indirecta *Coaruuias d. c. 4. num. 11., Menochius de præsumpt. lib. 2. præsump. 35. Panormitanus in c. in causis de elect. Ioannes Angelus Bossius d. c. 3. n. 266. Sanchez d. lib. 2. disp. 11. num. 10.* Plurima exempla huius reuocationis tacitæ, & quasi indirectæ afferunt DD., nobis sufficiet vnam, vel alteram referre. Primum est, si constituens post constitutum primum procuratorem ad contrahendum, v. g. cum Liuia matrimonium, vel sponsalia constituat alium procuratorem ad contrahendum cum Calidonia, tunc etenim per illam nouam constitutionem videtur expresse recessisse à prima. Quià dato mandato ad contrahendum cum secunda reuocatur primum *l. si quis cum procuratorio §. fin. ff. de Procurat. c. penult. eod. tit.* Secundum sit, quandò ille, qui constituit Procuratorem ad contrahendum cum determinata persona, vetaret eidem Procuratori, ne contraheret, quià ipsa vetatio vim habet secundum se reuocationis. *Glosa in d. cap. fin. de procuratoribus in 6.* vbi illi verbo, *reuocatus*, addit subsequentes particulas, *vel vetitus, ne contraheres.*

Bossius.
6 *Non extenditur in ordine ad alios contractus.*
Sanchez.
7 *Reuocatur etiam per actum internum.*
D. Thomas. Sanchez. Bossius.
Coaruuias. Menoch. Panormit. Bossius. Sanchez.

Assertio V. Consensus ad determinatum procuratorem ad contrahenda sponsalia, vel matrimonium non potest per hunc extendi ad alterum per substitutionem, hoc est ipsum substituendo, nisi in mandato procuratoris hoc fuerit expressum, *Coaruuias 2. part. de sponsalib. c. 4. n 8. Augustin. Barbosa tom. 3. collect. ad ius canon. lib. 1. tit. de Procur. c. 9. n. 1. Filliutius part. 1. tract. 10. c. 1. n. 24. Basilius Pontius de matrim. lib. 1. c. 10. nu. 1. Diana part. 3. resol. 50. Ioannes Angelus Bossius d. c. 3. n. 260. Mozzius tit. de mandat. §. venio ad quartum n. 11.* 8

Expressè colligitur hæc assertio *ex d. c. fin. de Procurat. in 6.* vbi sic legitur. *Et quamuis alias ijs, qui constituitur ad negotia procurator alium dare possit, in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialitèr sit commissum*; ex quibus verbis habes rationem huius dispositionis, quià scilicet, cum agatur de negotio magni ponderis, videtur electa industria personæ, prout etiam considerarunt *Sanchez d. lib. 2. disp. 11. nu. 5., & Ioannes Angelus Bossius d. c. 3. n. 260.* Neque obesse possunt ea, quæ infra dicentur, nempè posse Procuratorem per interpretem deferre consensum sui principalis, ergò etiam poterit alium substituere, qui nomine proprio, & sui principalis contrahat: Non, inquam, obesse potest, quià in casu interpretis ipse Procurator constitutus verè contrahit, & defert consensum, interpres verò se habet solum, vt pica, & organum ad explicandum, & denuntiandum; in casu autem substituti ipse id perageret per se, quod perageret ipse Procurator, si non substituisset, & ex eo, quod procurator constitutus vtatur interprete non extendit commissionem, seù mandatum sui principalis; ex eo autem, quod vtatur substituto, seù substitutum constituat, extendit mandatum vltrà id, quod sibi commissum est, nec principalis constituens potest esse rationabilitèr inuitus, quod adhibeatur interpres, cum aliud non præstet, quam explicare eius voluntatem delatam per Procuratorem, potest autem esse rationabilitèr inuitus, quod alius sine procuratore nomine proprio vices suas gerat, & deferat voluntatem absq; eo, quod ipse eidem commiserit; nec requiritur industria, quam potuisset exigere principalis in interprete ad explicandum, bene tamen in substituto ad agendum.

Procurator non potest alium sibi substituere.
Coaruuias. Barbosa. Filliutius. Pontius. Diana. Bossius. Mozzius.
Sanchez. Bossius.
Vtendo substituto extendit mandatum.

Assertio VI. Si consensus principalis non solum ad constituendum procuratorem, sed etiam ad sponsalia, ad quæ eundem 9

Procurator fictè constitutus validè contrahit, si ante reuocata fuerit fictio

dem constituit fuerit fictus, nihilominus erunt valida sponsalia, si antecedenter ad eadem contracta per eundem procuratorem per fictionem constitutum per actum etiam solummodò internum reuocauerit fictionem, seu verum consensum internum posuerit. Consonat cum ijs, quæ superiùs dicta sunt de fictè promittente, pro tempore celebrationis contractus, postea verò per consensum internum promisit, & in hoc consentiunt *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 2. §. 2. Gutierez cap. 43. num. 15. Sanchez de matrimonio lib. 2. disput. 11. nu. 13. Ioannes Angelus Bossius de matrimonio contract. cap. 3. nu. 272.*

Henriquez Gutierez, Sanchez, Bossius.

Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus, quia tunc nihil deest quoad validitatem contractus requiratur, quippe tunc adesset consensus tam externus, quã internus; externus scilicet in illa constitutione procuratoris positus, & internus in illa reuocatione fictionis, sicque vera intentio ad se obligandum, & sensibilitas sufficiens ad constituendum contractum humano modo. Confirmatur, quia si quis fictè alteri promiserit futurum matrimonium, & postea tempore celebrationis contractus verè consentiat, validus, & verus constituitur contractus per ea, quæ suprà dicta sunt, ergò etiam si fictè constituerit Procuratorem, eidemque fictum detulerit consensum ad contrahenda spõsalia, dummodò vel antecedentèr, vel tempore celebrationis contractus habuerit verum consensum internum validus contrahetur contractus; Neq; obesse potest, si asseratur, disparem esse rationem sitã in eo, quod qui fictè promisit, per se ipsũ defert consensum, qui cum radicetur in propria persona, potest coniungi cum illa sensibilitate extrinseca posita per illum actum promissionis antecedentem, & fictum, qui verò fictè constituit procuratorem, non transfert verum suum consensum in procuratorem, qui per consequens non potest illum validè deferre, & cum sit diuersa persona, non potest in eadem simul radicari verus consensus internus cum externo, seu cum illa sensibilitate extrinseca posita per illum actum fictum, cum consensus verus non fuerit in ipsum translatus in constitutione, cum pro eo tempore nõ fuerit positus, nec potest dici, quod transferatur virtute, & moraliter coniungatur cum eadem sensibilitate, cum inter absentes nequeat fieri talis translatio sine noua commissione; Non, inquam, obesse potest, quià ex eo, quod constituit talem procuratorem, licet fictè, eidem nihil deesse potest ad validè contrahendum, nisi consensus internus constituentis, qui si postea ponatur ante constitutionem contractus nihil erit, quod deficiat; nec necesse est, quod consensus internus radicetur in eo

Interuenit & consensus internus, & externus.

Consensus internus radicatur in procuratore secundam moralem habitudinem, & quomodo.

subiecto, quod est destinatum ad ipsum deferendum, cum ipse vtpotè actus vitalis & immanens radicetur solummodò in principio, à quo elicitur, cæteroqui nec validè deferret Procurator consensum sui principalis, licet esset legitimè constitutus sine vlla prorsus fictione, quandoquidem consensus internus in eodem non radicatur, nisi secundum moralem quandam habitudinem ex eo, quod sit constitutus procurator, cum fixus remaneat vtpotè immanens in constituente; hæc autem moralis habitudo æquè habetur ex eo, quod ille consensus internus, qui de nouo ponitur, referatur ex intentione illum elicientis ad priorem actũ communicatum eidẽ Procuratori, nec ad hoc requiritur, quod talis actus innotescat, seu denuntietur procuratori ipsi, sicut non requiritur, quod denuntietur alteri contrahenti, quandò vnus fictè promisit, & postea per actum internum fictionem illam retractat, cum alter contrahens consentiat vigore illius fictæ promissionis, quæ redditur postea vera per illum nouum actum superuenientem.

Assertio VII. Procurator deferens consensum sui principalis in ordine ad contrahenda sponsalia cum certa, & determinata persona, potest illum validè denuntiare per nuntium. Sic implicitè sentire videtur *Sanchez lib. 3. de matrimonio disp. 41. nu. 8. vers. tertiò si contraheretur per nuntium*, & consonat cum ijs, quæ nos suprà docuimus. 10

Consensus potest denuntiari per nuntiũ.

Ratio facilè ex eo deduci potest, quia tunc sponsalia verè contraherentur per procuratorem, & nuntius esset dumtaxat denuntiator voluntatis principalis constituentis communicatæ procuratori, non sibi, quod ex eo deducitur, quod docuimus *tom. 2. sub tit. Contractus V. de cambijs 2. Disquisit. 2. §. 8. num. 2.* de discrimine, quod intercedit inter simplicem nuntiũ, & procuratorem, in primis, quod nuntius concipit verba in persona Domini, procurator verò in persona propria. *Bartolus in l. qui autem §. fin. & l. & licet ff. de constit. pecun.* Deinde procurator stipulando nomine Domini actiones acquirit, quę in propria persona radicantur, quamuis teneatur vtiles cedere Domino, *l. eum, qui §. Iulianus quoque ff. de constit. pecun.* nuncius verò stipulando, non sibi actiones, sed Domino quærit, *Bartolus in l. qui autem §. fin. ff. de constit. pecun.* quæ licet in rigore non verificentur quoad procuratorem in ordine ad contractum sponsalium, vel matrimonij quoad actiones acquisitas eidem procuratori, arguũt tamen diuerso modo procedere procuratorem, & nuntium, & nuntium, si constituatur per procuratorẽ agere nomine ipsius, non proprio, sicque contractum imputandum procuratori, non nuntio, qui simpliciter pica est, & organum, non aliter. Asser-

Discrimen inter nuntium, & procuratorem Bartolus.

Nuntius stipulando non sibi, sed domino actiones quærit.

10 *Potest consensus vtriusque principalis applicari per procuratores.* Petrus de Ledesma. Sanchez.

Assertio VIII. Consensus vtriusque contrahentis principalis potest deferri per Procuratores, & applicari, & per talem applicationem constitui possunt validè sponsalia. Loquor præcisè in materia sponsalium, nam quoad matrimonium erit alibi sermo suo loco. In hanc sententiam videntur propendere, quotquot sustinent posse sponsalia contrahi per duas fœminas tanquam per Procuratores, vel per duos masculos *Petrus de Ledesma de matrimon. quæst. 42. art. 1. dub. 7. Sanchez de matrimon. lib. 2. disp. 11. num. 15.*

Probatur assertio. Consensus vnius ad alterum, quoad ineunda sponsalia, potest sufficientèr, & validè defferri per Procuratorem, *c. fin. de Procurat. in 6., & ibi Glosa, & DD. communitèr l. licet, & l. 1. in fin. C. de Procurat.*, ergò non erit, cur alterius etiam consensus per legitimum procuratorem non possit deferri.

Dices, non valere argumentum ab vno ad vtrumque contrahentem procuratorio nomine suorum principalium, quandòquidem, quandò vnus nomine alterius interuenit cum altero principalitèr contrahente est subiectum, in quo possint radicari vtriusque consensus, quandò verò ex parte vtriusq; interuenit procurator non est, in quo possint radicari huiusmodi consensus, cum procuratores se habeant solùmodò, vt id Quo, non vt id Quod, vndè nō possunt constituere simultaneitatem ad valorem contractus requisitam. Sed contra Quæro, in quo consistat hæc radicatio, quæ in instantia dicitur requiri, & supponitur esse, quandò interuenit vnus ex principalibus contrahentibus? Consistitne in vnione Physica, & reali huiusmodi consensuum, an tantum in morali secundum hominum æstimationem? Certè Physica, & realis esse non potest, secus nec subsisteret contractus, quandò interuenit vnus ex principalibus cum procuratore alterius, quinimmò, nec quandò vterque principalis interueniret, quià cum huiusmodi consensus sint actus vitales, & immanentes debent recipi in principijs, à quibus eliciuntur, quæ cum sint distincta non possunt fundare vnum subiectum, in quo vtriusque consensus Physicè, & realitèr vniatur. Si dicatur, quod debeat esse vnio moralis; non video, cur, si potest esse hæc vnio interueniente vno principali cum Procuratore, non possit etiam esse interueniente pro vtroque procuratore cum legitimo mandato sui principalis. Certè vterque procurator virtualitèr defert consensum sui principalis: Quid est, cur moraliter non vniantur? Quid aliud est hæc vnio moralis, nisi, quod contractui contrahentes intelligantur consentire? Eo autem ipso, quod contrahentes per mandatum transtulerunt Procuratoribus proprium consensum deferendum, & illi applicant talem consensum contractui, iam fit moralis eorundem vnio.

Radicatio non consistit in vnione Physica.

Vnio moralis saluatur in vtroque procuratores.

Probatur secundo. Possunt validè per parentes contrahi sponsalia pro filijs impuberibus minoribus septennio, vel etiam pro absentibus, qui, si postquam peruenerint ad septennium, vel nota eadem habuerint ratificent, sunt absolutè valida, ergò etiam, si Procuratores habentes legitimum, & speciale mandatum ad contrahenda sponsalia eadem contrahant, vtique erunt valida. Consequentia tenet, quià eadem ratio militare videtur de parentibus respectu filiorum minorum, seù absentium supposita eorundem ratificatione, ac de procuratoribus supposito legitimo mandato; quandòquidem, si parentes habent quodamodò à iure potestatem contrahendi sponsalia pro filijs, siuè minoribus, siuè absentibus, Procuratores talem habent potestatem ab homine per speciale mandatum, & si sponsalia per parentes sic inita indigent filiorum ratificatione, seù consensu, sponsalia per Procuratores inita iam habent antecedentèr talem consensum, & si per parentes sufficientèr vniuntur tales consensus, cur vniri sufficientèr non poterunt per Procuratores?

Procuratores habent potestatem ab homine per speciale mandatum

Assertio IX. Potest validè Procurator deferre consensum sui principalis contrahendo pro ipso sponsalia, siuè per verba importantia se ipsum in recto, & principalem in obliquo, siuè per verba importantia principalem in recto, se ipsum in obliquo, vt si iuxtà primum sensum dicat, *Contraho tecum nomine Sempronij mei principalis*, iuxtà secundum verò dicat *Sempronius meus Principalis contrahit tecum mediante mea persona*. In hanc assertionem omnes ferè propendent, *Panormitanus in c. ex parte 2. de conuers. coniug. Gemin. in c. fin. de Procurat. in 6. Coaruuias 2. part. de sponsal. c. 4. n. 8. Hostiensis in summa tit. de sponsal. §. qualitèr cōtrahatur, VeraCrux 1. part. speculi art. 16. in fin. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 2. nu. 2. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 11. nu. 16. Ioannes Angelus Bossius de matrim contract. c. 3. n. 279.*

Quomodo procurator deferre possit consensũ

Panormit. Coaruuias Hostiens. VeraCrux. Henriquez Sanchez. Bossius.

Ratio ex eo deducitur, quià per alterutra huiusmodi verba sufficientèr explicatur consensus contrahentium, & sufficientèr applicatur, neque est substantialis diuersitas, quoad sensum formalem siuè vno, siuè altero modo concipiantur, ergò &c. Neque obesse possunt ea, quæ dicta sunt *tom. 2. sub tit. Contractus V. de cambijs 2. Disquis. 2. §. 8. nu. 2.* ex discrimine, quod intercedit inter nuntium, & procuratorem, quod scilicet nuntius concipit verba in persona Domini, procurator verò in persona propria, item quod nuntius non sibi, sed Domino acquirit actiones, procurator verò

Non est substantialis diuersitas in vtroque modo deferendi.

verò sibi licet vtiles teneatur cedere domino, ergò procurator, vt distinguatur à nuntio, debet verba concipere ex necessitate se ipsum importantia in recto, & in persona propria; Non, inquam, obesse possunt, quià quantumvis persona ipsius procuratoris importetur in obliquo, vt si dicatur, *Sempronius meus principalis contrahit tecū mediante mea persona*, verba tamen concipiuntur æquiualentèr in persona propria, quià per ly *mediante mea persona*, redditur hic sensus, *Contraho tecum nomine procuratorio Sempronij mei principalis*, ad quod per accidens est, quod persona eiusdem procuratoris importetur vel in recto, vel in obliquo.

12 *Potest deferri post quodcumq; tempus.* Lessius. Coaruuias Bossius.

Assertio X. Procurator potest consensus sui principalis post quodcunque tempus deferre validè, dummodò moralis saluetur simultas, & vtriusq; contrahentis principalis consensus moralitèr perseueret, *Lessius lib. 2. de iustit. c. 17. dub. 11. n. 7. vers. similitèr, Coaruuias epit. de sponsal. 2. part. c. 4. num. 6. in initio, Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 2. nu. 40.*

Ratio ex eo deducitur, quod suprà dicebamus, nempè non esse necessariam simultatem Physicam inter contrahentium consensus, sed sufficere moralem per textum *in l. 1. §. 1. ff. de verb. oblig.*, sed talis simultas moralis potest esse, quantumvis ex aliquo interuallo consensus per procuratorem deferatur, ergò &c.

Hic latè disputant DD. in inquirendo, quodnam temporis interuallum possit intercedere adhoc, vt saluari possit talis moralis simultas. Varij varia requirunt, *Ioannes Angelus Bossius d. c. 2. n. 40.* existimat ad quodcunque tempus posse deferri dummodò consensus principalis non fuerit reuocatus. Alij talis temporis taxationem prudentum arbitrio remittunt, quod

13 Petrus de Ledesma. Sanchez.

probabilius existimo *Petrus de Ledesma de matrim. qu. 45. art. 3. dub. 2. Sanchez lib. 2. disp. 32. n. 7. vers. exemplificant aliqui in fin.*

Pro complemento eorum, quæ pertinent ad consensum deferendum per Procuratorem, sciendum est æquè per vtrumque principalem posse eligi masculos, ac

14 *Etiam fæmina poss. sunt constitui procuratores.*

fæminas adeovt possint duę fæminæ procuratorio nomine contrahere, vel duo masculi, *Petrus de Ledesma q. 42. art. 1. dub. 7. Sanchez d. lib. 2. disp. 10. n. 15.* Ratio est, quià siuè masculi fuerint, siuè fæminæ aliud præstare non habent, quam suorum principalium deferre consensum, æquè autem aptæ sunt fæminæ ad illum deferendum, quam masculi, & sicuti nulla determinata ætas in procuratoribus requiritur, ità nullus determinatus sexus.

SECTIO VIII.

An consensus cum errore, vel dolo elicitus validus sit ad contrahenda sponsalia.

SVMMARIVM.

Dolus antecedens circà substantiam personæ, qui dederit causam contractui, ipsum irritat ipso iure. 1.

Deceptus cognito dolo, si posteà consentiat sine alia expressione firmat contractum. 2.

Dolus antecedens non tamen circà substantiam personæ, sed circà qualitatem non irritat, tribuit tamen quandoque fundamentum ad recisionem. 3.

Dolus concomitans, qui non dederit causam contractui, non irritat sponsalia, si fuerit circà qualitatem, benè tamen si circà substantiam personæ. 4.

Error quoad substantiam personæ irritat ipso iure sponsalia siuè inter fideles, siuè inter infideles. 5.

Etiam si fuerit error solum concomitans. 6.

Error circa conditionem seruilem irritat ipso facto sponsalia. 7.

Error circà qualitates, & bona fortunæ non inualidat ipso iure sponsalia, tribuit tamen ius ad recisisionem, si disparitas fuerit notabilis. 8.

Error circà qualitatem inualidat, quandò qualitas additur per modum conditionis, vel transit in substantiam. 9.

Recolenda sunt, quæ tradidimus de dolo *tom. 1. sub tit. Contractus I. de contractibus, vt sic in disquis.* §. 9. tàm quoad eius essentiam, & proprietates, quam quoad eius diuisiones, & præcipuè in dolum antecedentem, qui dat causam contractui, & in concomitantem, & in subsequentem. Vlterius sciendum est errorem multiplicitèr contingere posse, vt notat *Magister sentent. in 4. dist. 30.*, alius enim est error personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Primus est, quandò persona, cum qua contrahitur, reputatur vna, & est altera. Secundus, quandò reputatur diues, & est pauper, Tertius, quandò reputatur liber, & est seruus. Quartus, quandò reputatur bonus, & est malus. Rursus circà errorem comparatiuè ad dolum hæc potest esse diuersitas, quod error potest esse sine alterius machinatione, sed ex præcisa fallentia decepti, seù errantis; dolus autem semper est cum alterius machinatione, & deceptione, siuè fuerit antecedens, siuè concomitans, siuè subsequens.

Dolus, & error quotuplex esse possit.

His pro notitia præsuppositis circà titulum multæ insurgunt rationes dubitandi;

I Prima

Prima est, an dolus antecedens, siuè fuerit circà substantiam personæ, siuè circà qualitates eiusdem tollat libertatem requisitam ad validitatem sponsalium, seù matrimonij, ipsaque irritet ipso iure. Secunda, an error circà personam irritet eadem sponsalia siuè circà fideles, siuè circà infideles, siue fuerit antecedens, siuè comitans. Tertia, an error circà conditionem seruilem. Quarta, an circà qualitates, & bona fortunæ. Quinta an quandoque error qualitatis transeat in errorem personæ, & irritet sponsalia, & his similia.

Articuli examinandi circa ipsum.

1 *Dolus antecedens irritat sponsalia, si fuerit circa substantiã.* Bartolus. Iason. Coaruuias Sanchez.

Assertio I. Si consensus fuerit præstitus per dolum antecedentem circa subsistentiam personæ, qui dederit causam contractui, est ipso ire irritus, & inualidus, nec vlla ratione efficit sponsalia *Bartolus in l. & eleganter 7. in princip. ff. de dolo. Iason §. actionem nu. 31. Instit. de act. Coaruuias in reg. possess. secunda part. §. 6. in fin Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 44. nu. 3. & nos ipsi documus tom. 1. sub tit. Contractus I. de contract. vt sic in disqu. §. 9.*

Sponsalia sunt contractus bonæ fidei.

Probatur primò, quia sponsalia connumerantur inter contractus bonæ fidei, vt est in confesso apud omnes, sed contractus bonæ fidei omnes, si fuerint initi tali dolo, sunt ipso iure irriti *d. l. & eleganter 7. in princip. ff. de dolo Iason in d. §. actionem nu. 31. Instit. de act.* & latè nos tradidimus loco citato, ergò & contractus sponsaliũ tali dolo celebrati essent irriti ipso iure.

Deficit substantialis consensus.

Probatur secundò. Non subsistit in sua substantia contractus, quando deficit substantialis consensus ad ipsum requisitus, quandoquidem ipse consensus est forma substantialis eiusdem contractus, sed quãdo interuenit dolus antecedens ad substãtiam personæ, & ad ipsam substantiam pertinet, deficit substantialis consensus, ergò in sua substantia non subsistit, sed omninò irritus est. Minor probatur, quia non potest esse consensus sine cognitione eius, in quod fertur, non potest autem esse cognitio de tali determinata persona, quando vna ex dolo dante causam contractui profertur pro altera.

2 *Firmat deceptus contract. unum per nouum consensum cognito dolo*

Hic tamen aduertendum est, quod, si deceptus cognito posteà dolo adhuc verè consentiat, tunc sine alia expressione intelligatur contractus sponsalium firmari, nam fictione iuris consensus de nouo præstitus quodamodò retrotrahitur ad tempus celebrationis eiusdem contractus, & cum supponatur, quod deinceps verè consenserit, non est, cur legitimè huiusmodi consensus non coniungantur ad validitatẽ, sicque habetur quidquid ex vtraque parte requiritur ad validitatem eiusdem contractus; Neque hic audiendi sunt *Medina, & Conradus apud Molinã disput. 352. vers. ex probatione*, asserentes, quod cum contractus ex suo genere sit vltrò, citroque obligatorius, quandò ex parte vnius non consurgit obligatio, neque consurgat ex parte alterius, adeoque si est irritus ex parte decepti, etiam sit irritus ex parte decipientis, sicque ad ipsum reualidandum requiratur nouus vtriusque consensus, nec sufficiat ille decepti; Non, inquam, audiendi sunt; nam non solum ex genere suo & ex præsumpta voluntate eiusdem decipientis, sed etiam in pænam doli consensus decipientis moralitèr perseuerat, quousq; deceptus velit, vel nolit consentire *l. dolo, vel metu C. de inutil. stipul. & ibi glosa*, cum autem accedat nouus decepti consensus, non est, cur vltro, citroq; non sit obligatio.

Medina. Corradus.

In pænam consensus decipientis perseuerat.

3 *Dolus antecedens circa qualitatem non irritat de facto.* Sanchez.

Assertio II. Si consensus fuerit præstitus ex dolo antecedenti, non tamen circa substantiam contractus, sed circa qualitatem non irritat ipso facto sponsalia, tribuit tamen quandoque fundamentum ad rescindenda ipsa. In hanc sententiam propendere videtur *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disput. 44. nu. 5.* & consonat cum his, quæ nos documus *tom. 1. sub tit. Contractus I. de contract. vt sic, in disq. §. 9. nu. 6.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia in ea hypothesi non deficit substantialis consensus quoad personam, licet deficiat quoad qualitatem, ergò non est, cur quoad substantiam non debeat subsistere contractus sponsalium, quandoquidem quoad ea, quæ pertinent ad substantiam nihil deficit, nec defectus quoad qualitates vitiare potest substantiam rei.

Ex inæqualitate non cognita possũt dissolui sponsalia.

Ratio autem secundæ partis ex eo deducitur, quia, cum contractus sponsalium non sit ità indissolubilis, sicuti est contractus matrimonij, cùm longè minora requirantur ad dissoluendum illum, ac istum, nõ video, cur dolus huiusmodi, qui est insufficiens ad dissoluendos alios contractus, *Bartolus in d. l. & eleganter in princip. nu. 6. ff. de dolo. Coaruuias reg. possessor 2. part. §. 9. num. 6. vers. septimo in fin*, non sit etiã sufficiens ad dissoluenda sponsalia, vnde communitèr docent, quod ex inæqualitate non cognita tempore celebrationis contractus oriatur fundamentum recisionis eiusdem. Dixi *non cognita*, nam si illa pro illo tempore fuisset cognita, non esset præsumendum, quod in effectu ille esset deceptus, nec quod ex dolo consentiret, sed cesserit iuribus suis.

4 *Dolus concomitans circa qualitatem nõ irritat.* Coaruuias Valascus. Molina. Sanchez.

Assertio III. Si consensus fuerit præstitus ex dolo concomitante, qui non dederit causam contractui, non irritat eadem sponsalia, si fuerit circa qualitatem, secus si circa substantiam, *Coaruuias reg. possess. 2. part. §. 6. in fin. Valascus de iure emphy. prima parte q. 5. n. 4. Molina disput. 352. concl. 1. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disput. 44. n. 6.*

Ratio autem ex eo deducitur, quia in eo casu consensus est absolutè positus, nec suspensus remanet quoad substantiam,

quam-

Voluntas habitualis quoad qualitates non suspendit actum quoad substantiam.

quantumuis quoad qualitates fuerit dumtaxat voluntas habitualis, ergò non est, cur quoad substantiam non debeat subsistere, cum voluntas illa habitualis non habeat vim suspendendi consensum actualem positum circa substantiam, & sicuti actualis voluntas contraria quoad easdem qualitates non tollit eundem consensum ad substantiam, ità multò minus eundem euacuare potest voluntas habitualis non contraria, quin potius accomoda eidem consensui.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià in ea hypothesi non est consensus actualis ad talem determinatam personã, cum qua contrahitur, ergo cum illa non subsistit contractus. Antecedens probatur, quià in ea hypothesi solum diceretùr, quod deceptus duceret illam aliam personam, si cognosceret hanc esse, & per hoc solum iudicatur intentio, & voluntas eius, quod esset facturus, si illam nosset, non verò actualitèr, & positiuè consentiret de præsenti; propter quam rationem communitèr docent, quod qui contrahit matrimonium cum errore personæ concomitante, vt si v.g. putat contrahere cum Calidonia, & contrahit cum Sempronia, cum qua tamen adhuc contraxisset, si sciuisset ipsam esse, inualidè contrahat *Henriquez lib. 11. c. 10. §. 4. lit. S. in text., & glos. Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 18. num. 6. Sotus in 4. dist. 35. art. 2. vers. quid autem si ingressus, Rebellius de obligat. iust. part. 2. lib. 3. q. 2. num. 2. Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 2.*, & nos ipsi docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus 3. disq. VI. §. 6., & 7. in fin.* Confirmatur, quià si liber contraheret cum serua ignarus conditionis, contractus esset nullus, quamvis contrahens eo esset affectu, vt si sciret, adhuc contraheret, quià ibi non est consensus voluntarius positiuè, & actu, sed tantum habitu, & animi præparatione, ergò etiam &c. Consequentia tenet, quià pariformitèr currunt error quoad substantiam personæ, & quoad conditionem seruilem, vt infrà latè ostendemus, saltem quatenùs se tenet res quoad iurium dispositionem. Neque in hoc audiendus est *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 45. nu. 3. in respon. ad primum arg.* asserens tunc tantum per voluntatem illum habitualem non constitui contractũ, quando in actu, qui de facto ponitur, eadem voluntas habitualis non esset ad contrahendum, si nosset, secus verò, si illa esset ad contrahendum, maximè cum tunc non intercederet notabilis mutatio, quandoquidem si ignorata non fuisset in celebratione contractus, illum non impediuisset *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 292. vers. deinde si mulieri*. Non, inquam, audiendus est, quandoquidem non est dubium, quod si illa voluntas habitualis, seù præparatio animi esset ad non contrahendum, si cognouisset, non constitueret validum contractum, & argumentum procedit, quando adhuc contraxisset, si cognouisset, vnde non respondet ad vim eiusdem, pro quo semper viget, quod non est consensus positiuus, & actualis, prout requiritur ad validitatem contractus. Ad hæc omnia corroboranda multum facere possunt ea, quę dicta sunt *d. tom. 1. sub tit. Contractus III. disq. 7. §. 7. per totum, quæ tu ibi recole.*

Non est actualis consensus ad illam personam.

Henriquez. Sanchez. Sotus. Rebellius. Laiman.

Ex paritate assertum conuincitur. Sanchez.

Molina.

5 *Error quoad substantiam irritat ipso iure.* Sanchez. Petrus de Ledesma. Gutierez. Coninch. Reginald.

Assertio IV. Consensus per errorem delatus quoad substantiam personæ irritat ipso iure sponsalia siuè inter fideles, siue inter infideles *Sanchez lib. 7. disp. 18. Petrus de Ledesma q. 10. art. 2. dub. 2. Gutierez de matr. c. 89. num. 2. Coninch. disp. 31. de matrim. dub. 1. Reginaldus lib. 31. num. 2.*

Probatur, quià tam ius naturæ, quàm positiuum aduersatur tali contractui, ergò verè non subsistit. Antecedens quoad ius positiuum clarè liquet *Ex c. vnico 29. q. 1. & c. tua nos de sponsalib. in 6.* Quoad ius naturæ elucet ex eo, quod sine consensu non potest esse contractus, quandoquidem consensus est, qui dat esse rei, & est forma substantialis ipsius. Ex quibus etiam fas est deducere, quod etiam si sponsalia fuerint contracta inter infideles cum tali errore circà substantiam personæ sint inualida, quià, quantumvis iura positiua Ecclesiastica non afficiant in omnibus infideles, isti tamen subduntur iuri naturæ.

6 *Etiam si fuerit error tantum concomitans.* Sanchez. Coninchus. Bonacina.

Hic insurgit difficultas, an ea, quæ dicta sunt in hac assertione, procedant solummodò de errore antecedenti, qui dederit causam contractui, an verò etiam de errore concomitante, dummodo versetur circa substantiam personæ. Existimandũ est procedere etiam de errore concomitante propter rationes adductas in præcedenti assertione, quià scilicet non est consensus positiuus, & actualis, sed tantum habitualis cum præparatione animi. *Sanchez lib. 2. disp. 34. Coninchius disp. 31. dub. 1. num. 9. Bonacina de matrim. q. 3. punct. 2. nu. 4.*, & alij magis communiter.

Assertio V. Consensus cum errore circa conditionem seruilem irritat ipso iure sponsalia. Est communis apud omnes.

7 *Etiam circa conditionem seruilem.*

Ratio huius assertionis ex eo deducitur, quod Ecclesia ad tollendam inæqualitatem induxit impedimentum dirimens in matrimonio inter liberum, & seruum, prout habetur *in c. si quis, & in c. ad nostram de coniug. seruor.* ergò etiam sponsalia inter eosdem inita sunt absolutè inualida. Consequentia probatur, quià ex superius dictis inter illos non possunt esse valida sponsalia, qui licitè, & validè non possunt contrahere matrimonium. Hæc vera sunt siuè talis error fuerit antecedens, siue concomitans propter rationes superius adductas, & pari passu procedunt supposita

Siue error fuerit antecedens, siue concomitãs.

dispositione iuris error circa substantiam personæ, ac circa conditionem seruilem.

8 *Error circa qualitates non irritat.* Assertio VI. Consensus cum errore circa qualitates, & bona fortunæ non inualidat quidem ipso iure sponsalia, tribuit tamen sufficiens fundamentum ad ipsorum recisionem, si disparitas fuerit notabilis. Quoad primam partem sustinent communiter DD., qui quamuis loquantur in terminis matrimonij, locum etiam habent in terminis sponsalium. Quoad secundam etiam est satis communis.

Defectus consensus quoad accidentia non attingit substantiā. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià cum huiusmodi errore est simplicitèr consensus ad substantiam contractus, licet non sit consensus simplicitèr voluntarius ad qualitates, ergò quoad substantiam nō est, cur non sit subsistens, cum nihil desit, quod requiratur ad naturam eiusdem, nec defectus consensus quoad accidentia potest attingere substantiam eam vitiando, quià vtile quoad substantiam non vitiatur quoad inutile quoad accidentia consequentia, vel concomitantia.

Siluester. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia illa est sufficiens causa ad dissoluendum sponsalia, quæ fuisset sufficiens, vt nō contraherentur, si fuisset cognita *Siluester verb. sponsalia q.10 in fin.* ergò si illa inæqualitas fuerit notabilis, sufficiens tribuet fundamentum ad dissolutionem, cum sit efficax præsumptio, quod, si fuisset cognita, sponsalia non fuissent contracta. Verum tamen est, quod si deceptus pro tempore celebrationis contractus cognouerit illam inæqualitatem in qualitatibus, seù in bonis fortunæ, & nihilominus eadem contraxerit, non videatur amplius ab eisdem posse resilire, quandoquidem contrahendo cum illa cognitione videtur iuribus inæqualitatis liberè cessisse.

9 *Inualidat quando qualitas adijcitur per modum conditionis.* Assertio VII. Consensus per errorem circa qualitatem inualidus est, quando qualitas addita est per modum conditionis, vel error qualitatis transit in errorem personæ. Prima pars est *Coninch. disp.31. de matrim. nu.6. & 11. Reginaldi lib.31. nu.92. Gutierez c.89. nu.6. Sanchez lib.7. disp.18. nu. 21.* Secunda pars est eorundem, qui supra & vlterius *Perez §.35. num.15. Petri Ledesma q.51. art.2. Bonacina de matrim. q.3. punct.2. nu. 6. vers.2. est.* (Coninchus, Reginald., Gutierez, Sanchez, Perez, Ledesma, Bonacina.)

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod consensus conditionatus non habet vim aliquam, nisi purificata conditione, quandoquidem consensus non obligat, nisi ad modum, & secundum intentionem se obligantis, sed quando qualitas apponitur per modum conditionis efficit, vt consensus ipse sit conditionatus, quasi per ipsum se obligans dicat, consentio in talia sponsalia cum tali determinata persona, si fuerit diues, vel nobilis, vel virgo, ergo si non purificabitur conditio nobilitatis, diuitiarum, vel virginitatis, consensus vim non sortietur, cum solummodò ad illud obiectum referatur supposita illa conditione; & iuxtà hunc sensum non habent locum ea, quæ supra dicta sunt, quod vtile quoad substantiam non vitietur, per inutile quoad accidentia, & quod consensus quoad substantiam sit simpliciter voluntarius, & solum inuoluntarius secundum quid respectu qualitatum; Non, inquam, habent locum, quià cum consensus tendat in substantiam non absolutè, & simplicitèr, sed tantum conditionatè in ea suppositione, non sit, quod illud sit tantum inutile quoad accidens, sed quoad substantiam, quatenus scilicet sic consentiens non intendit substantiam, nisi prout affectam tali qualitate, qua propterea deficiente deficit ex intentione eiusdem etiam consensus, qui per consequens etiam non solum est inuoluntarius quoad qualitates, sed etiam quoad substantiam, cum illam consentiens non intendat, nisi sub illa conditione. *Conditio suspendit actum vsque ad sui purificationē.*

Quando error qualitatis dicatur transire in substantiam. Ratio secundæ partis ex eo etiam deducitur, quià per superius dicta error quoad substantiam personæ irritat absolutè sponsalia, ergo etiam error qualitatis, qui transit in errorem personæ, quià tunc verè potest dici error personæ. Quærunt hic DD. quandonam dicatur error qualitatis transire in errorem personæ. Respondent *Sanchez lib.7. disp.18. num.25. Nauarrus c.22. num. 32. Reginaldus lib.31. nu.95.* tunc hoc esse, quando quis ratione talis qualitatis consentit in certam, & determinatam personam, sine qua non consentiret absolutè, vt si v.gr. fæmina consentiat cum alio contrahere qui se fingit filium Regis Poloniæ, cuius tamen non erat, quià cum tunc illa fæmina consenserit in illam personam, vt filium Regis Poloniæ, quem sibi in mente proposuerat, non in aliam personam, qualis erat illa, cum qua contrahebat, non intelligitur consentire in illam aliam personam, & ille error qualitatis refunditur in errorem personæ, quià illa qualitas designat certam, & determinatam personam, vndè ad hoc, vt error qualitatis transeat in errorem personæ, necessarium est, vt illa qualitas designet certam personā distinctam ab ea, quæ præsens est, quam si nō designet remanet in puris terminis erroris qualitatis. (Sanchez, Nauarrus, Reginald.)

SECTIO IX.

De Consensu conditionato circa sponsalia.

SVMMARIVM

Conditiones, quæ reijciuntur in matrimonio regulariter, reijciuntur etiam in sponsalibus. 1

Con-

Conditiones generales, quæ tacitè insunt validæ sunt, & compatiuntur cum sponsalibus. 2.

Conditio, sub qua quis contrahit, dicens contraho tecum, si non es consanguinea tenes, nec suspendit actum. 3.

Sponsalia contracta sub hac conditione, si Deo placuerit, non sunt conditionalia, nec suspenduntur. 4.

Sponsalia contracta sub hac conditione, si Ecclesiæ placuerit sunt conditionalia, & suspenduntur. Ibid.

Si sponsalia fuerint inita sub conditione honesta contingenti, vel de præterito, vel de præsenti statim valida sunt stante conditione, secus inualida. 5.

Sponsalia sub conditione possibili, & honesta de futuro sunt conditionalia, & suspenduntur vsque ad conditionis euentum. 6.

Conditio huiusmodi vt suspendat debet esse apposita in celebratione contractus, non ex interuallo, nisi vterque eidem posteà consentiat. 7.

Verificatur, quod huiusmodi conditio suspendat siuè referatur in alterius arbitrium, siue in alterum contrahentem. 8.

Conditio de præsenti, si Patri tuo placeat, non suspendit, nec vitiat sponsalia, si verè adsit, quantumvis ignoretur à contrahentibus. 9.

Supposita illa conditione, si Patri tuo placeat, si tempore celebrationis contractus verè extiterit beneplacitum Patris sponsalia absolutè tenent, quantumvis paulopost Pater dissentiat. 10.

Si Pater tempore celebrationis contractus dissentiat non tenent sponsalia, quantumvis posteà ille assentiatur, nisi interueniente nouo consensu vtriusque ratificetur. 11.

Conditio de præterito, si Patri tuo placuit non suspendit, si verè fuerit placitum Patris. 12.

Sufficit, quod huiusmodi conditio præcesserit virtute. 13.

Conditio de futuro, si Patri tuo placebit, vel placuerit sumendo ly placuerit pro tempore futuro modi subiunctiui suspendit contractum vsque ad conditionis euentum. 14.

In dubio, an conditio illa, si Patri tuo placuerit referatur ad tempus futurum, vel præteritum præsumptiuè refertur ad futurum. 15.

Quando refertur ad tempus præteritum, & de præterito Patri aliquando placuerit, aliquando non, conditio refertur ad posteriorem voluntatem Patris. 16.

Si contracta fuerint sponsalia sub conditione de futuro, si Patri tuo placuerit, & Pater nec assensum præstiterit, nec dissensum, sed præcisè tacuerit, præsumitur pro approbatione. 17.

Conditio de futuro, si Patri tuo placebit, & Pater fuerit mortuus non suspendit contractum, siue contrahentes fuerint conscij, siue inscij de obitu Patris. 18.

Posita conditione de futuro honesta, & possibili ante eiusdem euentum non potest consensus reuocari. 19.

Celebratis successiuè cum duabus sponsalibus conditionalibus, sed posterioribus sub alia tacita conditione, si scilicet contingat priora dissolui, non obstante quod posteriorum prius purificetur conditio, standum est prioribus, si illorum posteà conditio eueniat. 20.

Si sponsalia fuerint solum sub eadem conditione inita, priora sunt adimplenda, siue eorum conditio æquè primò euenerit, siue successiuè. 21.

Conditio extrinseca necessario euentura adiecta sponsalibus non reddit eadem conditionalia, dummodo ab ipsis contrahentibus cognoscatur vt necessario euentura. 22.

Si non cognoscatur, vt necessario euentura, suspendit sponsalia. 23.

Conditio non ex necessitate simpliciter euentura iuxta cursum causarum naturalium, sed ex dispositione diuina manifestata, vt si dicatur contraho tecum, si Antichristus nascatur, non reddit contractum conditionalem, nec suspendit propriè. 24.

Conditio illa, contraho tecum, si cras Sol oriatur suspendit, si intelligatur de ortu solis visibiliter, non suspendit, si intelligatur de ortu solis vero, & reali. 25.

Si sponsalia contrahantur sub conditione impertinenti, possibili tamen, & contingenti vtique complentur ea purificata, non complentur ipsa non adimpleta. 26.

Conditiones turpes, quæ non sunt contrariæ substantiæ matrimonij, nec bonis eius, immo nec sponsalibus reiciuntur, & sponsalia sunt pura. 27.

Assignatur, ratio cur per Ecclesiam excludantur huiusmodi dispositiones turpes à sponsalibus, & non potius ratione earundem improbetur contractus sponsalium. 28.

Intelligitur de huiusmodi conditionibus de futuro, non de præsenti, vel præterito. 29.

Conditio, si te virginem inuenero, si sit sermo de inuentione per carnalem copulam reijcitur, & sponsalia remanent pura, si verè fit sermo per inspectionem honestarum matronarum reddit sponsalia conditionalia, & suspendit. 30.

Conditio, si mihi in primo concubitu placueris reijcitur, & sponsalia remanent pura. Ibid.

Conditio, si mecum concubueris, si sermo sit de concubitu illicito reijcitur, & sponsalia remanent pura, si de concubitu licito, non reijcitur, sed suspendit. 31.

Conditiones contrariæ substantiæ matrimonij, & bonis eius, quantumvis, siuè fuerint honesta, siue turpes semper irritarent matrimonium, non tamen semper irritant sponsalia. 32.

Bona matrimonij quoad actum, si indissolubilitatem excipias, non sunt de essentia eiusdem. 33.

Con-

Conditiones impossibiles adiecta contractui sponsalium regulariter habentur pro non adiectis, & vitiantur. 34.

Assignatur ratio, cur conditiones impossibiles in sponsalibus potius vitientur, quam vitient. 35.

Conditiones impossibiles reijciuntur, siue fuerint de futuro, siue de præsenti, siue de præterito. 36.

1 D. Thom. Riccardus. D. Bonau. Turrecr. Siluester.

CErtum est conditiones ferè omnes, quæ admittuntur, & reijciuntur in matrimonio etiam admitti, & reijci in sponsalibus. *D. Thomas in 4 dist. 27. q. 2. art. 1., & dist. 29. q. unica art. 3. quæstiuncula 3. Riccardus in 4. dist. 27. art. 3. q. 2. D. Bonauentura in 4. dist. 28. q. 3. num. 113. Turrecremata c. ubi non est 3. qu. 2. art. 3. num. 4 Siluester verb. sponsalia q. 5.* Sub hoc titulo agemus de conditionibus generalibus, de necessarijs, & intrinsecis sponsalibus, vel matrimonio, de extrinsecis necessarijs, de impossibilibus, de honestis, de turpibus contrà matrimonij, sponsaliumq; substantiam, alijsq; non aduersantibus naturæ eiusdem, de indifferentibus, & impertinentibus. Pro quo

Variæ acceptiones conditionum.

Aduerte primò, conditiones alias esse generales, quæ cuilibet contractui tacitè insunt, quamvis non exprimantur in celebratione eiusdem; alias esse speciales, quæ ex specialibus contrahentium conuentionibus, & pactis inducuntur, quæq; adhuc sunt in duplici differentia, aliæ scilicet intrinsecæ eidem contractui, vt si dicatur, si non es consanguineus, si non es voto solemni castitatis adstrictus, aliæ extrinsecæ, quæ scilicet ab extrinseco pacto contrahentium adijciuntur. Rursus hæ conditiones extrinsecæ adhuc sunt in triplici differẽtia, aliæ etenim sunt necessariò euẽturæ, aliæ impossibiles, aliæ contingentes, quæ scilicet euenire possunt, & non euenire. Ex contingentibus aliæ sunt honestæ, quæ scilicet non sunt contrà bonos mores, aliæ turpes, quæ scilicet eisdem bonis moribus aduersantur, aliæ indifferentes, quæ nec sunt contra bonos mores, nec positiuè iuxtà eosdem, sed ab vtrisque præscindunt. Ex turpibus aliæ sunt, quæ aduersantur naturæ contractus, vt si dicatur, contraho tecum, si generationem prolis euites, aliæ, quæ eidem non contrariantur, vt si dicatur, Contraho tecum, si mecum concubueris.

Conditiones aliæ suspensiuæ, & de futuro, aliæ non suspensiuæ, & de futuro, aliæ non suspensiuæ, & de præterito, & de præsenti.

Aduerte secundò alias esse conditiones suspensiuas, & de futuro, alias non suspensiuas, & de præterito, seù de præsenti; ex conditione primarum conditionum est, vt non intelligatur contractus initus, nisi illis purificatis; ex conditione secundarum est, vt contractus ipso facto teneat, si illæ insint, vel ipso iure non teneat, si non insint, vel sint repugnantes contractui. Qualescunque autem fuerint stando in foro interno animæ, standum est intentioni contrahentium, adeovt, si contrahens noluit inire sponsalia, nisi vel existente, vel purificata conditione adiecta, sponsalia eadem non teneant sine illa, si verò voluerit eadem tenere, etiam sine illa vtique teneat. *Hostiensis c. fin. in fin. de condit. appos. Ioannes Andreas c. per tuas eod. tit. num. 7. Siluester verb. matrimonium 3. q. 2. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 2. nu. 4. Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. in fin.* His pro notitia suppositis sit

Hostiensis. Ioannes Andreas. Siluester. Coaruuias. Paludanus.

2 *Conditiones generales compatiuntur cũ sponsalibus.* Sanchez. Tiraquel. Riminald. Glosa. Pontius.

Assertio I. Consensus ad sponsalia cum conditionibus generalibus, quæ tacitè insunt, validus est, & compatitur cum eodem contractu. *Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 1. num. 6. Tiraquel in l. si vnquam verb. donatione largitus num. 307. C. de reuocand. donat. Hypolit. Rimin. in §. item nobis num. 66. instit. per quas personas Glosa in l. videri C. de sentent., & interloc. Pontius lib. 3. c. 2. nu. 4.*

Hæc assertio exprefsè habetur *ex l. cum quid ff. si cert. petatur, & l. conditiones, quæ extrinsecus ff. de condit., & demonst. l. 3. ff. de legat. 1., & c. significasti de elect.*, atque ea ratione euinci potest, quià huiusmodi conditiones æquè afficiunt contractum, siuè exprimantur, siuè non exprimantur, sed si non exprimantur consensus validus est, & sponsalia tenent, ergò etiam si exprimantur. Maior facilè ex eo liquet, quià quod tacitè inest semper inest, & expressio nihil aliud importat super inexistentiam in hac suppositione, quam manifestationem eiusdem inexistentiæ; Neque ijs, quæ hic dicuntur obesse potest textus *in l. actus legitimi 77. ff. de reg. iuris, & regula actus legitimi eod. tit. in 6.*, vbi dicitur actum legitimum, nec recipere conditionem, nec diem; Non, inquam, obesse possunt, quià prædicti textus loquuntur solummodò de conditionibus de futuro, & suspensiuis, non autem de conditionibus de præsenti, seù de præterito, quæ ex natura sua tacitè insunt eidem actui, cum huiusmodi conditiones, prout sunt de præsenti, vel præterito non pendeant à futuro rei euentu, sed de præsenti insunt, & prout ex natura sua tacitè insunt, semper insunt, etiam si non exprimantur, & sic quodamodo imitantur naturam absoluti *Tiraquel in l. si vnquam verbo donatione largitus num. 307. C. de reuoc. donat. Hypolitus Riminal. in §. item nobis num. 66. instit., per quas personas Pontius lib. 3. c. 2. num. 4. Sanchez lib. 5. disp. 1. num. 5. vers. & hinc deducitur Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 10. num. 11.*

Quod tacitè inest, semper inest, & imitantur naturam absoluti.

Tiraquel. Riminald. Pontius. Sanchez. Bossius.

3 *Enumerantur variæ conditiones generales.*

Ex quibus habes primò, subsistere conditionem appositam, qua quis dicit *contraho tecum de præsenti, si non est consanguineus, vel alio impedimento canonico non irretitaris*; tunc etenim verè de præsenti subsistunt sponsalia, si non est consanguinitas, vel aliud impedimentum canonicum inter con-

contrahentes; non subsistit verò, si consanguinitas adest, vel aliud impedimentum; & in hoc sensu quantumvis consensus videatur præberi sub conditione, nihilominus in re est consensus absolutus, quandoquidem illa conditio tacitè inest ipsi contractui, cum ea exclusa contractus ex genere suo non subsisteret, sicque non suspendit consensum, nam, si non adsit impedimentum ipso iure constituuntur sponsalia, si adsit ipso iure sunt irrita, ac si consensus non fuisset præstitus.

Alia conditio generalis. Habes secundò, subsistere consensum conceptum sub hac conditione. Contraho tecum, si nulla lex positiua, vel naturalis obsistat huic contractui, tunc etenim conditio illa per verba de præsenti adiecta, nec suspendit actum, nec illum viciat; si etenim nulla lex obsistat, ipso iure intelliguntur sponsalia, si verò sit lex obsistens ex defectu consensus sunt ipso iure irrita, ac proinde, si consensus non esset præstitus.

Conditiones, si Deo, vel Ecclesiæ placuerit. Hic oritur difficultas, an si contrahantur sponsalia sub hac conditione, si Deo placuerit, vel si Ecclesiæ placuerit intelligantur contracta sub conditione generali, quæ nec contractum suspendat, nec vitiet, sicuti nec suspendunt, nec vitiant prællegatæ conditiones. Glosa indefinitè *in c. vnico in fin. de sponsalib. in 6., & ibi Ioannes Monachus num. 3. Abbas in c. signif. de elect. in 6.* sustinent per huiusmodi conditiones suspendi, seù vitiari contractum.

Sententia asserens consistere sponsalia conditionalia. Alij verò sustinent non suspendi, nec vitiari, quandoquidem huiusmodi conditiones sunt generales, & tacitè insunt *Archidiaconus c. vnico de sponsal. in 6. Henricus c. fin. num. 1., & 2. de condit. appositis. Scotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. vers. ante secundam, D. Antonin. 3. part. tit. 1. c. 15. §. 5. vers. primo enim quadam sunt, & alij.*

4 *Sententia negans.* Sentio tamen in ordine ad conditionem, *si Ecclesiæ placuerit* huiusmodi sponsalia esse conditionalia, sicque per illam conditionem suspenditur consensus, quousque constet Ecclesiam approbare consideratis, quæ sunt consideranda *Antonius Cuccus lib. 3. instit. maior. tit. 10. nu. 49. Sanchez de matrimon. lib. 5. disp. 1. num. 12.*

Sponsalia sub hac conditione, si Ecclesiæ placuerit, sunt conditionalia, secus sub illa si Deo placuerit. Alexander. Rosella. Tabiena. Brunellus. In ordine verò ad conditionem, *si Deo placuerit* sentiendum est consensum non suspendi, & sponsalia non esse conditionalia DD. prællegati pro secunda opinione, & vlterius *Alexander de Neuor. ad audientiam de sponsal. num. 15. Rosella verb. matrimonium 5. num. 1. Tabiena eod. verb. 2. q. 12. num. 12. Brunellus de sponsal. concl. 33. num 1. Bartolomeus de Ledesma dub. 25. de matrim paulo post princip.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià quando dicitur, *si Ecclesia placuerit* intelligi debet de approbatione positiua Ecclesiæ facta post diligentem discusionem, non enim alia ratione potest approbare, cum suppositis debitis conditionibus non habeat dissentiri, vnde illa conditio non est generalis, nec tacitè inest. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià huiusmodi conditio ex genere suo generalis est, & tacitè inest, cum nullus actus iniri possit, nisi beneplacito Dei interueniente, cum sine ipso nihil fieri possit.

Hæc, quæ hactenus dicta sunt de conditione, quæ generalitèr, & tacitè inest, intelligenda sunt in eo sensu, quo non suspendant actum, non in eo, quo non possint adijci. Nunc examinanda sunt alia in ordine ad conditiones de futuro.

5 *Sponsalia sub conditione honesta de præsenti sunt valida. D. Thomas. Nauarrus. Gutierez. Rebellus. Sanchez. Pontius. Bossius. Laiman. Hurtadus.* Assertio II. Si sponsalia sunt contracta, adiecta conditione honesta contingenti vel de præterito, vel de præsenti, statim valida sunt stante conditione, secùs inualida, *D. Thomas in 4. dist. 29. qu. vnica art. 3. quæstiuncula 5. Nauarrus in manual. c. 22. num. 62. vers. tertium, Gutierez de matrimon. c. 81. nu. 1. Rebellus de oblig. iust. part. 2. lib. 2. num. 40. Sanchez lib. 5. de matrim. disp. 6. n. 3. Basilius Pontius lib. 3. c. 1. nu. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. nu. 24. Paulus Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 2 c. 7. Hurtadus de matrimon. disp. 7. difficult. 9. nu. 8.*

Colligitur *ex l. institutio talis 10. ff. de condit. instit. l. cum ad præsens ff. si cert. pet. & §. conditiones Instit. de verb. oblig.* & vlterius ratione sic euincitur, quia nihil deest, quominus talis contractus sponsalium non debeat subsistere, si conditio apposita re vera adsit, & non debeat esse irritus, si conditio non adsit, quandoquidem adest perfectus consensus mutuus de præsenti, & conditio illa de præsenti, vel de præterito, non suspendat actum, cum purificetur de facto, ergò non est, cur illa sponsalia, non debeant subsistere.

Conditio de præterito non suspendit actum. Dixi *Statim*, quià quantumuis contrahentes ignorent conditionem illam de facto existere, vel extitisse de præterito, adhuc obligantur, quod euincitur ex textu *in d. §. conditiones inst. de verb. obligat.* vbi expresè sic legitur, *quod quæ per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos sint incerta.*

Quod verò non extante conditione sint inualida ex eo euincitur, quia consensus non intelligitur exhibitus, nisi sub illa conditione, ergo non posita illa conditione, seù non existente, suspenditur, ac proindè est, ac si non fuerit positus, sine consensu autem non intelliguntur posita, & valida sposalia.

6 *Sunt conditionalia, & suspenduntur.* Assertio III. Si sponsalia sint contracta, addita conditione honesta, & possibili de futuro, intelliguntur merè conditionalia, nec sunt valida, nisi eueniente conditione, *Cuccus lib. 5. instit. maior. tit. 11. nu. 53. August. Barbos. collect. tom. 2. collect. ad c. super eo de condit. appos. nu. 2. Nauarrus quæst. 22. num. 62. Siluester verb. matrimonium 3. nu. 1. Camillus Bosellus tom. 3. decis. tit. 1. nu. 529. & seqq.*

Caccus. Barbosa. Nauarrus. Siluester. Bosellus. Bossius. Sanchez.

& seqq. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. cap. 10. nn. 32. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 6. nu. 2.

Colligitur ex textu *in c. super eo, & c. de illis de condit. appos.* & vlterius ratione sic euincitur, quia consensus non operatur, nisi secundum intentionem contrahentiū, & limitatur ad normam conditionum, & pactorum, quæ per eosdem apponuntur, vndè si consensus absolutè ponitur, obligat absolutè, si in diem, obligat dumtaxat ad diem, si conditionatè, nonnisi purificata conditione, quandòquidem sicuti, contrahentes possunt apponere consensum, & nō apponere, ità possunt apponere tali, vel tali modo, ergò cum obligatio vim sumat à consensu, nonnisi secundum modum cōsensus potest esse, & oriri, sicque cum cōsensus sit sub conditione, obligare non poterit, nisi purificata conditione.

Consensus limitatur ad normam consentientis.

7 Aduertendum tamen est, quod ad hoc, vt conditio possibilis, & honesta de futuro suspendat contractum vsque ad conditionis euentum, requiritur quod sit apposita in celebratione eiusdem contractus, non autem ex interuallo, nisi vterque contrahens consentiat posteà in illam conditionem. Ratio ea esse potest, quod quando contractus per positionem absolutam consensus ex vtraque parte, non est amplius in potestate alterius ex contrahentibus, altero inuito, ipsum suspendere *arg. l. perfecta donatio C. de donat. quæ sub modo*; & in hoc est discrimen inter sponsalia, aliasque stipulationes, & inter matrimonium, nam illa, seu illæ cum possint mutuo consensu dissolui, etiam postquam completa sunt in suo esse positiuo, admittere possunt conditionem etiam de futuro, interueniēte vtriusque consensu, matrimonium verò iam completum, cum etiam mutuo accedente consensu, nequeat dissolui, neque etiam posset admittere cōditionem *Filiutius tom. 1. tract. 10. cap. 4. nu. 143. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. cap. 10. nu. 33. Sanchez de matrim. d. lib. 5. disp. 6. nu. 4.*

Debet esse apposita in celebratione contractus.

Sponsalia completa possunt de futuro admittere conditionem. Filiutius. Bossius. Sanchez.

8 Limitant hinc aliqui assertionem, vt procedat solummodò, quando conditio referatur in alterius arbitrium, vt si dicas *contraho tecum, si Pater tuus consenserit*, non verò si referatur in alterum contrahentē, vt si dicatur *contraho tecum, si tantam dotem habueris*, hocque non solum docent, quia præcisè respiciat conditionem dependentem ab alio, sed etiam, quia prima conditio respicit substantiam consensus, secunda verò dumtaxat qualitatem, sed hæc limitatio absolutè non arridet, hancq; reijciunt, *Hostiensis in summa tit. de condit. appos. num. 12. vers. si conditio honesta. Diuus Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 19. §. 5. vers. 4. est conditio. Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 2. concl. 3. Alexander Carrerius lib. 4. de sponsalib. c. 6. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. noui mater de matrim. c. 43. in fin.* Ratio ea esse potest, quia siuè conditio referatur ad vnum, siuè ad alterum à contrahentibus, semper afficit consensum contrahentium, qui limitatur ad normam talis conditionis; cum igitur contrahentes præstent eum cōsensum sub tali conditione, & non alitèr, hinc est quod illa conditione non posita, consensus propriè non sit, adeoque &c. Quamuis autem talis conditio suspendat consensum vsque ad implementum conditionis, non propterà sequitur, quod ante tale implementum contrahentes possint à contractu recedere, quandoquidem oritur obligatio in spem, seu in euentum conditionis, sed vterque debet expectare, vsque ad eiusdem conditionis euentum *l. potior, & l. qui balneum, ff. qui pot. in pign. habeant. Glosa, Panormitanus, & alij in c. super eo de condit. appos. Basilius Pontius lib. 3. cap. 13. nu. 19.*

Verificatur quamuis conditio referatur in alterum.

Hostiensis. D. Antoni. Sotus. Carrerius. Lopez.

Sed quoniam incidit sermo de illa conditione *Contraho tecum, si patri tuo placuerit*, placet eandem secūdum varias distinctiones, ampliationes, & restrictiones in præsenti ex professo examinare. Pro quo scias, huiusmodi conditionem posse apponi, ità vt respiciat consensum, seu approbationē patris de præsenti, quatenus reddat hunc sensum, *Contraho tecum, si patri tuo placeat*, vel vt respiciat consensum, & approbationem patris de preterito, ita vt reddat hunc sensum, *Contraho, si patri tuo placuit, seu placuerit* sumpto illo termino *placuerit*, pro tempore præterito, vel vt respiciat consēsum, & approbationē de futuro, quatenùs reddat hunc sensum *Contraho, si patri placebit, seu placuerit*, sumpto ly *placuerit* pro tempore futuro. Rursus, si dictum fuerit, *Contraho tecum, si patri tuo placuerit*, non constante de voluntate relata, vel ad tempus præsens, vel futurum, cum illud verbum *placuerit*, aptum sit ad vtrumque significandum, & præsumendum sit pro tēpore præsenti, vel futuro discutietur. Rursus, vel illa conditio, *si patri placeat, vel placuerit*, intelligi potest apposita viuente patre, vel eodem defuncto, & si ipso defuncto, vel intelligi possunt contrahentes conscij de tali obitu, vel ignorantes. Tandem in tali conditione vel potest intelligi pater consensisse, seu approbasse, & posteà dissensisse, aut præcisè tacuisse, nec consentiendo, nec dissentiendo. Quibus pro notitia suppositis.

Variæ rationes dubitandi circa illam conditionem, si Patri tuo placuerit.

Dico primo conditio honesta, & possibilis de præsenti apposita, *si Patri tuo placeat* non suspendit, nec vitiat contractum sponsalium, si verè adsit, quantumvis ignoretur à contrahentibus, *Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 1. vers. sit, ergò secunda conclusio, Corduba in summa qu. 46., Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 7. num. 1. Ludouicus Lopez 2. part.* 9

Conditio si Patri tuo placeat non suspendit. Sotus. Corduba. Sanchez. Lopez.

2. part. instruct. noui mat. de matrim. cap. 42. Ratio ex eo deducitur, quia secundum intentionem contrahentium de facto habetur perfectus, & completus consensus requisitus ad validitatem eorundem, conditio etenim, quæ fuit apposita, intelligitur purificata, & per consequens de præsenti consensus fit absolutus; nec ignorantia contrahentium de approbatione patris potest obsistere validitati, quandoquidem contrahentes intendunt absolutè contrahere, nisi sit per patris displicentiam, ergò, si reuera Pater consentiat, & approbet, quantumvis consensus, & approbatio ignoretur à contrahentibus, non erit quid deficiens eorum intentioni.

10 *Extante placita Patris tenent, quamvis postea dissentiat.* Bossius. Bartolom. à Ledesma Sanchez.

Si verò supponas, quod tempore celebrationis contractus intercesserit placitū patris, qui tamen ab approbatione paulò post per dissensum recesserit, tunc absolutè dicendum sentio sponsalia tenere, nec infici per posteriorem dissensum, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 10. nu. 61. Bartholomæus de Ledesma de matrim. dub. 25. post secundam conclus. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 7. nu. 5.* Ratio est, quia supposita approbatione, seu consensu patris iam intelligitur contractus vndequaque completus; à contractu autem semel perfectè completo fas non est recedere, nec ex subsequentibus potest prouenire nullitas.

11 *Dissentiente Patre nō tenent, quātumuis postea assentiatur.* Sotus. Lopez. Bartolom. à Ledesma Sanchez, Bossius.

Si verò supponas, quod tempore celebrationis contractus sub tali conditione non fuerit placitum patris, sed potius dissensus, & quod paulò post consensus, seu approbatio eiusdem patris accesserit, tunc etiam arbitrandum est, sponsalia non tenere, nec reualidari, nisi nouo contrahentiū accedente consensu, *Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 1. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. noui materia de matrim. c. 42. Bartholomæus à Ledesma de matrim. dub. 25. post secundam conclus. Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 7. nu. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. d. cap. 10. num. 61.* Ratio ex eo deducitur, quià pro tempore, pro quo apposita est conditio, ea non purificatur, quin potius absolutè deficit, ergò iam defectu illius conditionis non purificatæ, seu non existentis contractus erit nullus, ergò non potest reuiuescere nisi nouo vtriusque contrahentis consensu accedente; Neque obesse potest, si asseratur, quod, cum contrahentium consensus non fuerit reuocatus immediatè per eosdem, intelligatur adhuc moralitèr, seu virtualitèr perseuerare, sicque, quantumvis Pater pro tempore celebrationis contractus non annuerit, intelligatur tamen annuere intra tempus, quo contrahentium consensus perseuerat, sicque sufficientèr videtur purificata conditio, quæ habere videtur tractum quendam successiuum, scilicet quandiù contrahentes suam voluntatem ante mutationem voluntatis Patris nō reuocarint. *Nauarrus in summa c. 22. num. 63. Tabiena verb. matrimonium 2. quæst. 11. Alexander de Neuo c. super eo de condit. apposit. Hurtadus de matrim. disp. 7. diffic. 5.* Non, inquam, obesse potest, quià ad summum ille tractus successiuus, de quo dicitur in instantia, dicit, quod Pater possit ad aliquod tempus differre assensum, vt possit maturè deliberare, hocque arbitrio viri prudentis, prout considerauit *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 10. nu. 62.* non autem, quod posito semel dissensu possit validè mutare voluntatem, & dissensum in consensum, & approbationem conuertere, posito enim semel dissensu contractus ex conditionis appositæ defectu dissoluitur, sicque sine nouo contrahentium consensu nequit constitui.

Consensus non admittit in ea hypothesi tractum successiuum, & quare.

Bossius.

12 *Conditio huiusmodi de præterito non suspendit, si verè extitit.* Sanchez.

Dico secundo, etiam conditio de præterito apposita, si fuerit honesta, vt si dicatur, *si Patri tuo placuerit,* nec suspendit, nec vitiat actum, si verè fuerit talis conditio, *Sanchez de matrim. d. lib. 5. disp. 7. num. 2. vers. prima conclusio*; atque hoc dictum iisdem innititur fundamentis, quibus præcedens; existente etenim approbatione præterita Patris nihil est requisitum, quod deficiat ad validitatem contractus. Hic disputant DD., an ad hoc, vt intelligatur purificata sufficientèr illa conditio de præterito, requiratur, quod fuerit de præterito actualis approbatio, an verò sufficiat, quod præcesserit virtute. Probabilius existimo sufficere præcessisse approbationem virtute. *Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 1. Sanchez de matrimon. d. lib. 5. disp. 7. num. 4.* Ratio est, quià regularitèr illa conditio apposita respicit non displicentiam Patris de illo contractu; quandò autem est approbatio virtute, non est displicentia, atque huius non displicentiæ, seù approbationis virtualis de præterito signum manifestum est, si pater posteà interrogatus respondeat approbando contractum.

13 *Etiam si extiterit solum virtute.* Sotus. Sanchez.

14 *Conditio huiusmodi de futuro suspendit.*

Dico tertio, conditio honesta, & possibilis de futuro apposita, vt *si Pater tuo placebit, vel placuerit,* sumendo ly placuerit pro tempore futuro modi subiunctiui suspendit vtique contractum vsque ad conditionis euentum. Clarè liquet ex iis, quæ suprà dicta sunt, quandòquidem hæc conditio non est generalis, nec ex genere suo tacitè inest. Quid verò sentiendum sit, si primò Patri displicuerit contractus, & posteà placuerit, vel è contra primo placuerit, & posteà perseuerante moralitèr consensu contrahentium displicuerit, collige ex iis, quæ dicta sunt *sub hac eadem assert. dict. 1. vers. si verò supponas,* hicque proportione seruata applica cum solo discrimine temporis præteriti, & futuri.

15 Dico quarto, conditio honesta, & possibilis concepta sub his terminis, *Si patri tuo*

In dubio refertur ad tempus futurum. Lopez. Sanchez, Bossius.

tuo placuerit non constante, an referatur vel ad tempus futurum, vel ad præteritum præsumptiuè intelligenda est de tempore futuro, *Ludouicus Lopez 2. par. instruct. de matrimon. cap. 42. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 7. num. 1. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. num.* 55. Ratio ex eo desumitur, quià quantumvis illud verbum, *placuerit*, aptum sit vel ad significandum tempus præteritum, vel futurum, secundum tamen communem modũ, quo vsurpatur à contrahentibus, accipitur pro approbatione de futuro. Hæc intellige procedere, quandò verba nudè sumuntur; si etenim ex coniecturis, alijsque adminiculis dignoscatur mens contrahentium relata ad tempus præteritũ, procul dubio de eodem intelligenda est, in qua hypothesi, si Pater de præterito quandòque consenserit, quandocunq; dissenserit, conditio referri debet ad posteriorem voluntatem eiusdem Patris, adeò vt si vltimo dissenserit contractus non teneat, si verò consenserit, absolutè teneat.

16 *Si patri placuerit, & displicuerit de præterito conditio refertur ad posteriorem voluntatẽ.*

Sanchez de matrim. d. lib. 5. disp. 7. num. 6. Ratioque ea esse potest, quià voluntas posterior Patris derogat intentioni priori contrariæ, & contrahentes ipsi per eam conditionem appositam præsumuntur intendere non displicentiam Patris, pro quo magis attenditur actus posterior eiusdem.

17 *Nec assentiente, nec dissentiente Patre præsumitur pro approbatione.* Bossius. Sanchez, Ancharan, VeraCrux, Siluester.

Dico quinto, si contracta fuerint sub hac conditione sponsalia. *Contraho tecum, si Pater tuus consenserit de futuro*, & pater nec assensum præstiterit, nec dissensum, sed præcisè tacuerit, sufficienter præsumitur per taciturnitatem purificata conditio, & sponsalia absolutè subsistere, *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 10. n. 63., Sanchez de matrimon. lib. 5. disp. 7. num.* 12. *Ancharanus c. per tuas n. 2. de condit. apposit. Siluester verb. matrimonium 3. qu. 4. dicto 4. Vera Crux 1. part. speculi art. 19. §. quidquid dicat, & alij apud eundem Sanchez loco cit.* Ratio huius dicti ex eo desumi potest, quod suprà dicebamus, quià scilicet contrahentes apponentes illam conditionem intendunt præcisè auertere displicentiam Patris, ab eiusque contradictione deflectere; sed non potest esse talis displicentia, nec contradictio, vbi Pater, cum nouerit contractum, positiuè non dissentit, nec ponit actus, ex quibus coniectari valeat displicentia, sed præcisè tacet; nam si dissentiret, vel expressè poneret dissẽsum, vel actus, quibus ille posset dignosci, ergò &c. Neq; in hoc audiendi sunt aliqui asserentes conditionem huiusmodi debere adimpleri in specifica forma per textum *in l. qui heredi §. 1., l. Meuius, ff. de conditionibus, & demonstr.*, non adimpletur autem in specifica forma, quando interuenit præcisè taciturnitas, per quam nec assensus, nec dissensus constituitur per textum *in reg. qui tacet de reg. iur. in 6.* præcipuè cum consensus approbatiuus ad factum pertineat, quod certè non præsumitur, nisi probetur per textum *in c. cum in iure de offic. deleg.* Non, inquam, audiendi sunt, quià forma specifica desumenda est secundum intentionem contrahentium, qui, cum aliud non intendant, nisi auertere displicentiam Patris, videntur sufficientèr adimpleuisse secundum eandem formam specificam ex eo, quod per taciturnitatem nouerint contractum Patri non displicere cum eidem non contradicat, & licet taciturnitas ex genere suo nec assensum, nec dissensum inferat, infert tamen Patrem non cotradicere, quod satis est ad rem præsentem.

Forma specifica desumitur secũdum intentionem contrahentiũ.

18 *Si Pater fuerit mortuus tenent sponsalia.* Calderin. Henriquez Sanchez, Bossius.

Dico sexto. Si illa conditio fuerit apposita de futuro, *Si Patri tuo placebit, vel placuerit*, & Pater in celebratione contractus fuerit mortuus, tenent absolutè sponsalia, siuè ipsi contrahentes pro eo tempore fuerint conscij de obitu Patris, siuè ignari. *Calderinus in cap. super eo de condit. appos. Henriquez lib. 11. c. 12. n. 5. lit. D. in glos. Sanchez de matrimon d. lib. 5. disp. 7. nu. 19. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 10. n. 65., & 66.* Ratio in vniuersum esse potest, quià contrahentes per illius conditionis appositionem intendunt solummodò auertere displicentiam, & contradictionem Patris, cæterum absolutè contrahere; eo autem ipso, quod Pater obijerit, nec potest esse talis displicentia, nec contradictio; Neque existimandum est per talem conditionem indicari contrahentes non velle de præsenti contrahere, nisi cum dependentia ab arbitrio, & consensu Patris; Non, inquam, existimandum est, quià consensum dum præstant contrahentes sub illa conditione, vel supponuntur conscij de obitu Patris, vel ignari; si primum dicatur; illa conditio apposita est impossibilis, adeoque habetur pro non adiecta, *Ioannes Andreas in addit. ad Specul. tit. de condit. appos. in princip. num. 5. vers. quod non, Petrus de Ledesma de matrim. qu. 47. art. 5. dub. 7. principali, §. circà ea, quæ dicta sunt, Siluester verb. matrimonium 3. qu. 4. dict. 2.* sicque sponsalia remanent in suo puro esse *Sanch. loc. cit. n. 19.*, si autem inquiras, cur potius hæc conditio impossibilis habeatur pro non adiecta, quam vitiet contractum, videbimus in subsequentibus; si secundum dicatur, cum contrahentes solũ velint contractum non displicere Patri, vtique habent intentum, quandòquidem Patri defuncto ille contractus nequit displicere.

Conditio illa tunc impossibilis habetur pro non adiecta. Ioannes Andreas. Petrus de Ledesma.

Circà hanc conditionem honestam, & possibilem de futuro, de qua actum est in affec-

assertione, & in contentis sub ea contingit in præsenti nonnulla dubia excutere, & primò, an ante huiusmodi conditionis euentum possit validè consensus reuocari. Secundò, an quandò post sponsalia conditionata cum vna contracta sub conditione honesta, & possibili, alia sponsalia sub simili conditione contrahuntur, quorum conditiones, vel simul purificantur, vel prius conditio posteriorum sponsalium, quam illa priorum, an, inquam, præferri debeant sponsalia priora, an verò posteriora.

Nonnullæ rationes dubitandi circa has conditiones.

19 *Non potest reuocari,*

Ad primum asserendum est; probabilius esse, non posse validè reuocari, nisi intercedente legitima causa, quià quantumvis ante conditionis euentum nō videatur contractus purus, & completus, est tamen obligatorius purè quoad obligationem expectandi eiusdem conditionis implementum per ea, quæ infrà dicentur. Hocque euincitur *ex l. qui potior, & l. qui balneum, ff. qui potiores in pign. habeant, & l. quod si pendente, ff. de peric., & commod. rei vendita.* Ad secundum asserendum est iuxtà diuersos sensus, & acceptiones propositum dubium dirimendum esse, vel etenim, qui cum duabus successiuè contraxit sponsalia posteriora contraxit quasi implicitè conditionatè, non ea præcisa conditione, quæ adiecta est eisdem sponsalibus posterioribus, sed alia implicitè adiecta, si scilicet contingat priora dissolui per non implementum conditionis, sub qua contracta sunt, vel contraxit posteriora alia nec implicitè, nec explicitè concepta conditione relatiuè ad priora sponsalia, sed dumtaxat sub ea conditione, quæ adiecta est eisdem posterioribus sponsalibus; Si primo modo res se habeat, certum est, quod siuè conditiones vtriusque contractus simul purificentur, siuè successiuè, ità vt prius adimpleatur illa posteriorum sponsalium, quam priorum, præualere debeant priora sponsalia cum exclusione posteriorum, dummodò conditio priorum posteà purificetur. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. num. 46.* Ratio autem ea est, quià posteriora sponsalia nullam vim habere possunt, nisi in suppositione, quod priora per non implementum conditionis dissoluantur, ergò, si conditio priorum adimpleatur, nullam prorsus vim habere poterunt, sed absolutè euanescent; nec obstare potest, quod posteriora prius consequantur conditionis appositæ purificationem; Non, inquam, obstare potest, quià posteriora non solum affecta intelliguntur illa conditione, sub qua ipsa contracta sunt, sed etiam alia, si scilicet priora per non adimplementum conditionis eisdem adiectæ dissoluantur, quæ conditio cum adhuc vigeat, suspendit posteriora, vsquequo deficiat conditio priorum, adeout nequeat adimpleri, vel tempore præfinito non adimpleatur.

20 *Priora prævalent, si posteriora fuissent inita sub duplici conditione.*

Bossius.

Duplex illa conditio quid operetur.

Si secundo modo res se habeat, Sanchez, qui *lib. 1. de sponsalib. disp. 49., & 50. per totum* docuerat per posteriora sponsalia priora non dirimi, quantumvis posteriora fuerint iuramento firmata, modo *lib. 5. disput. 8. num. 18.* docet, quod, si sponsalia tàm priora, quàm posteriora fuerint inita sub conditione, & conditiones vtriusq; vel æquè primo purificentur, vel prius illa posteriorum, quam priorum, nullo modo priora sponsalia subsistant, ea potissimum innixus ratione, quià priora sponsalia, vtpotè conditionalia sunt imperfecta, donec compleatur conditio, adeoque liberum est contrahentibus ante eiusdem adimplementum recedere, saltem quantum sufficit ad rationem sponsalium, licet ratione promissionis teneantur expectare adimplementum conditionis priorū, eademque adimplere. Nihilominus probabilius existimo, eueniente conditione priorum sponsalium ea esse adimplenda, siuè æque primo talis conditio euenerit cum conditione posteriorum, siuè successiuè ad illam. *Petrus de Ledesma de matrim. qu. 47. art. 5. dub. 1. post septimum dubium principale concl. 1., & 2. Coninchus de matrim. disp. 29. num. 20. Basilius Pontius lib. 3. c. 13. num. 21.* hocque etiam probabilius existimat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. num. 46.* Ratio ex eo deduci potest, quià posteriora sponsalia nullo modo tenent, nec obligant, quandòquidem sunt promissiones de re, quæ non potest sine peccato adimpleri, non enim stantibus prioribus sponsalibus, quantumvis initis sub conditione, dummodò illa fuerit honesta, & possibilis, possunt posteriora habere aliquam vim, cum recessus à primis, vigente adhuc conditione sit illicitus, vt statuit etiam idem Sanchez pluribus in locis, sicque promissio de secundis adimpleri nequit sine læsione priorum, adeoque sine peccato; promissio autem, quæ adimpleri nequit sine peccato, non est obligatoria, sed omninò irrita, per ea, quæ superius dicta sunt, & liquet *ex reg. non est obligatorium de reg. iur. in 6., & cap. cum contingat de iure iur.* hocque idem statuit idem *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 50. n. 2.* Nec obesse potest, quod contractus sub conditione eadem adhuc non purificata non sit perfectus, & completus; Non, inquam, obesse potest, quià quantumvis non sit completus in ratione propria, & formali sponsalium, est tamen completus, & purus in ratione obligandi ad expectandum conditionis implementum, qua posita immediatè posteà complentur eadem sponsalia. Deindè, si per illa posteriora sponsalia, quantumvis concepta sub conditione, eadem eueniente dissoluerentur priora item concepta sub conditione possent

21 *Priora prævalere debent, quantumuis eorum conditio posterius eueniat.*

Petrus de Ledesma. Coninch. Pontius. Bossius.

Sanchez.

Variæ probationes asserti.

possent sponsalia dissolui, vnius dumtaxat accedente consensu, altero dissentiente, quandòquidem posset, qui non vult permanere in sponsalibus initis sub conditione non purificata eadem conditione cum alia contrahere sub alia conditione, quæ citius posset purificari, sicque altero dissentiente, & inuito priora dissoluere. Tandem, si per posteriora sponsalia, quorum primò purificatur conditio dissoluerentur priora in ratione sponsalium, vt sentit *Sanchez loc. cit.* non video etiam, cur non dissoluerentur in ratione promissionis, cum etiam hæc dependeat à consensu, vel si non dissoluuntur in ratione promissionis, non video, cur dissolui debeant in ratione sponsalium.

22 *Conditio necessario euentura non suspendit.* D. Thom. Siluester. Hurtadus. Barbosa. Nauarrus.

Assertio IV. Conditio extrinseca necessariò euentura adiecta sponsalibus non reddit eadem conditionalia, nec suspendit consensum; dummodò ab ipsis contrahentibus cognoscatur, vt necessariò euentura, vt si dicatur, *contraho tecum sponsalia, si cras sol oriatur, & alter repromittat*, *D. Thomas in 4. dist. 29. quæst. vnica, & in addit. qu. 47. art. 5. Siluester verb. matrimonium 3. num. 2. Hurtadus disp. 7. diff. 6. Augustinus Barbosa collect. ad c. per tuas de condit. appos. nu. 5. tom. 2. Nauarrus in summa c. 22. n. 67.* hæcque assertio est communitèr recepta aduersus *Glosam in cap. per tuas de condit. apposit. verb. præsumendum*, asserentem conditionem de futuro necessariam habere effectum suspensiuum vsq; ad conditionis consummationem, quià non est perfecta, nisi post aduentum diei per textum *in l. heres meus in princip., ff. de condit., & demonst.*

Probatur assertio varijs iuribus, & primo, *ex l. si pupillus §. qui sub conditione, ff. de nouat.* secundo *ex l. impossibilis, ff. de verb. oblig., & §. impossibilis Instit. de inutil. stipul.* Vlteriùs ratione D. Thomæ sic euincitur, quià conditio secundum se præsens in suo esse actuali, & conditio determinata in sua causa naturali, quæ iuxtà cursum eiusdem causæ naturalis non potest non sequi paria sunt, sibique æquiualent quoad effectum intentum à contrahentibus, quandòquidem cum impossibile sit illam non adimpleri, habetur pro iam adimpleta, sed sponsalia concepta sub conditione de facto existente non sunt conditionalia, nec suspenduntur, ergò &c.

Illa conditio habetur ac si esset præsens.

23 *Suspendit, si non cognoscatur vt necessario euentura.*

Dixi, *dummodò ab ipsis contrahentibus dignoscantur vt necessariò euentura*, quia si contrahentes non dignoscerent necessitatem in eadem quoad eorum intentionem esset contingens, & per consequens quoad ipsos esse contractus merè conditionalis, qui ex genere suo suspenditur vsque ad conditionis effectum, *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 12. nu. 4. Petrus de Ledesma de matrim. 943. art. 5. dub. 2.* Neque ijs, quæ hic dicuntur, obesse possunt ea, quæ suprà dicta sunt, quod scilicet quandò adijcitur sponsalibus conditio honesta, & possibilis vel de præsenti, vel de præterito, vt v.g. si dicatur *Si patri placeat, vel placuerit*, & re vera patri nunc placeat, vel verè placuerit, subsistant de facto sponsalia, nec suspenduntur, quantumuis contrahentes de placito patris fuerint ignorantes, ergò etiam quantumuis contrahentes fuerint ignorantes de necessitate conditionis iuxtà cursum causarum naturalium necessariò euenturæ, contractus ipse non euadet conditionalis, nec suspendetur; si enim ignorantia conditionis iam purificatæ non suspendit, cur debet suspendere ignorantia conditionis de necessitate purificandæ? ea quæ confirmanda etiam adduci potest textus *in §. conditiones Instit. de verb. oblig.* vbi sic loquitur, *quando enim per rerum naturam certa sunt, non moratur obligationem, quantumuis nobis incerta sint*; Non, inquam, obesse possunt, quia vt benè notat *Paludanus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 5. concl. 3. num. 31. ad fin. & cum eo Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 2. num. 4. in fin. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contractu cap. 10. nu. 278.* & quæ dicta fuerunt in præcedentibus, & dicuntur in dicto textu §. *conditiones instit. de verb. oblig.* procedunt solummodò de conditionibus de præterito, & præsenti veris, ea autem, quæ hic dicuntur procedunt solummodò de conditione de futuro purificanda, quæque à contrahentibus non cognoscitur, vt necessariò euentura. Si autem inquiras, cur ignorantia conditionis, quæ iam existit, vel extitit, nō suspendat, nec consensum, nec contractū reddat conditionalem, ignorantia verò necessitatis conditionis appositæ suspēdat, reddatque conditionalem contractum, statim respondebo, id ex eo prouenire, quia in primo casu de conditione præsenti, vel præterita, iam res est completa, nec aliud intendunt contrahentes per illius appositionem, nisi quod illa conditio verè, & realiter existat secundum se, nec eorum ignorantia aliquid demit de illius existentia; in secundo vero casu de conditione futura secundùm se necessaria, licet in conceptu contrahentium contingenti cōditio non intelligitur verè, & realitèr purificata, & contrahentes intendunt illius purificationem tanquam complementum intentionis, & cum contractus conditionalis regulari debeat secundùm intentionem contrahentium, & apponentium conditionem, ipsique contrahentes arbitrentur eandem esse contingentem, hinc est, quod ad normam contingentium, & honestarum conditionum sit ille contractus dirigendus.

Paludanus. Sanchez. Bossius.

Aliud est loqui de conditione de præterito, vel de præsenti, aliud de futuro.

Discrimen inter vtrasque conditiones.

Contendunt hic aliqui, an ea, quæ hactenus dicta sunt in hac assertione procedant

dant dumtaxat de conditione ex necessitate euentura iuxtà cursum naturæ, vel naturalium causarum, an verò etiam de conditione necessaria tantum ex suppositione, & secundum se contingente, euentura tamen ex dispositione diuina, vt si dicatur *Contraho tecum sponsalia, si Antichristus nascatur, seù venerit.* Qua in difficultate, *Adrianus in 4. qu. 3. de matrimon. dub. 16. ante §. ad rationes, & tot. dub. 17. Coaruuias 4. decret. 2. p. c. 3. §. 2. num. 11.* existimant per eam conditionem necessariam tantum ex suppositione, & ex natura sua contingente reddi contractum conditionalem, ipsumque suspendi ad conditionis euentũ, cum talis conditio non sit præsens in suis causis, sicuti in eisdem est præsens conditio, qua dicitur, *Contraho tecum, si cras Sol oriatur.* Nihilominus absolutè sentiendũ est per illam conditionem, nec contractũ reddi conditionalem, nec suspendi, *Ludouicus Lopez 2. part. instruct. noui mat. de matrim. c. 43. ad fin. Sanchez de matrim. lib. 5. dis. 2. nu. 7. vers. cætera magis placent Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. nu. 279.* Ratio ex eo deducitur, quia stãte reuelatione Spiritus Sancti per scripturas, ità certum est Antichristum futurum in tempore à Deo præfinito, sicuti certum est Solem cras oriturum, & licet illa conditio Antichristi futuri non sit ità præsens in sua causa, sicuti est præsens in sua conditio Solis cras nasciturì, nihilominus & conditio Antichristi est præsens infallibilitèr, tanquam in causa in præsentia diuina, & de hac infallibilitate certò constat contrahentibus ex testimonio infallibili diuinarum scripturarum. Fortior ratio aduersus hoc nostrum dictum ex eo videtur posse desumi, quod statuũt, *Sanchez d. lib. 5. disp. 2. nu. 5. Ioannes Angelus Bossius d. c. 10.* nempè conditionem illam, *si Sol oriatur*, eatenus non suspendere contractum, quatenus respicit certum diem, quod si diem incertum respiceret, vtique suspenderet, vt si dicatur, *Contraho tecum, si Titius morietur*, ergò cum conditio de Antichristo futuro, non respiciat certũ diem, sed incertum vtique suspendet contractum, eundemque reddat conditionalem. Sed facilè occurrere possum huic obiecto, si asseram etiam in præfato casu de conditione quoad diem incertum contractum non suspendi, sed immediatè sortiri suum effectum, nec prææalegati Doctores quid diuersum sentiunt, vt eosdem legentibus innotescet, cum enim certa sit futura mors Titij, & in sua causa præsens, vtique non habet, quo possit consensum suspendere, *Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 1. post 2. concl. vers. hinc colligitur. Coaruuias 4. decr. 2. part. c. 3. §. 2. nu. 11. Ioannes Angelus Bossius d. c. 10. num. 276.* Neque illa conditio apponitur ad incertum diem indicandum, sed solummodò ad effectum certum significandum. Quamobrem ad tollendas omnes ambiguitates in hoc genere attendendum est, an illa conditio per contrahentes fuerit apposita per modum conditionis necessariæ, an verò per modum dispositionis ad determinandum tempus, quo promissio est adimplenda, si primò modo fuerit apposita, cum ex nunc habeatur pro adimpleta, cũ sit certa, & præsens in sua causa, vndè dicere, *contraho tecum, si Titius morietur*, idem est, ac dicere, *contraho tecum, si Titius est moriturus*, quod hic, & nunc verum est, si secundo modo fuerit apposita; iam tunc non est conditio, sed determinatio temporis ad contrahendum, & tunc re vera consensus suspenditur vsque ad illud tempus præfinitum, vt si dicatur, *contraho tecum, si pater meus moriatur*, tunc etenim sic promittens videtur se obligare post patris solummodò obitum, quasi quod dicat, *Quando pater meus morietur.* Ad dignoscendum autem, quandò per modum conditionis necessariæ, vel per modum dispositionis ad designandum tempus apponatur ad circumstantias, & presumptiones recurrendum est, sic si conditio fuerit apposita in ordine ad mortem patris eius, qui promisit, potest esse præsumptio, quod fuerit apposita ad designandum tempus, quatenus timens de eius displicentia, & contradictione, tempus determinat, quo eidem nequeat contractus displicere; si verò conditio fuerit apposita in ordine ad mortem alterius extranei, cum quo nulla sit connexio, nec timeri possit displicentia, tunc poterit esse præsumptio, & quidem non inefficax, quod fuerit adiectum per modum conditionis necessariæ, sicque nõ suspendet contractum. Regulariter tamẽ ipsi contrahentes, dum agitur de conditione ex genere suo necessariò euentura, spectatis causis naturalibus, quandò alia circunstantia contrarium non indicat, præsumendi sunt illam apponere ad certitudinem indicandam consensus præsentis absoluti, perindè ac si dicant, *tàm infallibilitèr, & absolutè tecum contraho, sicuti infallibile, & absolutum est, quod cras Sol orietur, & Titius morietur.*

Limitanda tamen est assertio, seù conditio illa apposita, *Contraho tecum, si cras sol oriatur* secundum intentionem contrahentium, quatenus vel intelligere possunt de ortu solis reali, & vero, vel de ortu solis visibilitèr, & apparenti secundum radios in terras immittendos; si enim intellexerint de ortu solis reali, & vero, tunc certum est conditionem illam non suspendere, cum ita se habeat, ac si esset de præsenti, vel de præterito purificata; si verò intellexerint de ortu solis apparenti, & secundum radios ad nos dimissos, tunc certè illa conditio est contingens omninò, adeoque

Marginalia (left): Adrianus. Coaruuias. — 24 Conditio ex dispositione diuina necessario endura non suspendit. Lopez. Sanchez. Bossius. — Est præsens infallibiliter in sua causa, quæ est in præsentia diuina. Sanchez. Bossius. — Sotus. Coaruuias. Bossius.

Marginalia (right): Conditio potest apponi vel per modum conditionis necessariæ, vel per modum dispositionis ad determinandum tempus. — 25 Suspendit, si intelligatur de ortu solis visibili.

que de illa illud idem erit dicendū, quod dicetur infrà de conditionibus merè contingentibus, & non pertinentibus ad substantiam sponsalium, seù matrimonij.

Ad id, quod dicebatur *ex Glosa in c. per tuas verb. præsumendum de condit. appositis, & ex l. heres meus in princip. ff. de condit., & demonst.* dicendum est cum *Sanchez d. lib. 5. disp. 2. num. 7. vers. ad arg. num. 1. propositum* ea procedere, quià apponuntur non ad modum conditionis expressæ per particulam conditionalem, *Si*, sed ad modum præfinitionis temporis expressæ per particulam demonstratiuam, *cum*, adeoque tunc verè effectus legati suspenditur vsque ad aduentum temporis definiti. Alias responsiones tu ipse vide apud *Ioannem Angelum Bossium d. c. 10. à num. 270. vsque ad num. 277.*

Explicatur glosa in c. per tuas de condit. ap. Sanchez. Bossius.

26 Assertio V. Si sponsalia contrahantur sub conditione impertinenti, possibili tamen, & contingenti vtique complentur eadem purificata, eademque non purificata non subsistunt. *Henricus c. fin. num. 4. de condit. apposit. Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 26. num. 66. Filliutius tract. 10. c. 1. num. 156. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 18. num. 3. Ioannes Angelus Bossius d. c. 10. num. 289. & alij.*

Conditiones impertinentes possibiles tamen suspendunt. Molinus. Filliutius. Sanchez. Bossius.

Probatur, quia huiusmodi conditiones, nec repugnant naturæ contractus secundum se, nec à iure reprobantur, ergò quià conditiones sunt respicientes euentum futurum contingentem ex genere suo habent contractū suspendere vsque ad eiusdem conditionis adimplementum, quià non repugnant naturæ contractus, nec iuris dispositioni haberi non possunt pro nō adiectis per textum *in c. super eo de condit. appos.* Antecedens quoad primam partem liquet ex ipsa natura conditionum impertinentium, quæ ex genere suo, nec conferunt ad contractum, neque eidem obsistunt; Quoad secundam etiam ex eo deducitur, quòd nullum sit assignabile ius, quod easdem reprobet, & licet afferri possit textus *in c. fin. de conditionib. appos.*, vbi videntur reijci conditiones omnes turpes; ex eo autem, quod huiusmodi conditiones sint inutiles, nullamque afferant vtilitatem, videntur iocosè adiectæ, adeoque cum sint quodammodo illusoriæ sacramenti, seù contra reuerentiam eidem sacramento debitam censendæ sunt turpes vt potè peccaminosæ; ex hoc tamen textu nihil aduersus assertionē euincitur, quandoquidem textus solum reprobat conditiones, quæ inducunt ad peccatum, prout in simili notat *Couaruuias c. cum sibi num. 13. vers. hac tamen de testam.* per huiusmodi autem conditionem, nec vnus, nec alter ex contrahentibus inducitur ad aliquam culpam; quin immò nec malum illud, quod infertur ex instantia, propriè inducitur, quià in primis hic agimus præcisè de sponsalibus, quæ secundum se sacramenta non sunt, deindè non apponitur aduersus sacramentum, adeoque eidem, nec iniuriam, nec irreuerentiam ingerit.

Non obstat textus in c. fin de cōd. appos.

Couaruuias

27 Assertio VI. Conditiones turpes, quæ non sunt contrariæ substantiæ matrimonij, nec bonis eius, immò nec sponsalibus, reijciuntur, & sponsalia habentur pro puris, & absolutis. Procedit pro nunc potissimum assertio in ordine ad sponsalia, nam de matrimonio alibi suo loco dicetur *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. in corpore D. Bonauentura item in 4. dist. 28. q. 3. num. 13. D. Antoninus 3 part. tit. 1. c. 18. §. 2. Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. art. 5. concl. 7. num. 36. Sanchez d. lib. 5. disp. 17. num. 2.*

Conditiones turpes reijciuntur

D. Thomas D. Antoni. Paludanus Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quod, vt alibi videbimus suo loco, conditiones turpes, quæ non sunt contrariæ substantiæ matrimonij ipsum non vitiant, sed potius vitiantur, & habentur pro non adiectis, ergo etiam huiusmodi conditiones turpes adiectæ sponsalibus ipsa non vitiant, sed potius vitiantur, quandoquidem eadem sponsalia sunt initium quoddam matrimonij, & dispositum circa matrimonium intelligitur etiam dispositū quoad sponsalia per textum *in l. oratio ff. de sponsalib. Siluester verb. sponsalia q. 5. Rosela ibid. in fin. Tabien. ibi q. 2. nu. 2.* Neque obesse potest, si afferatur ex dispos. iuris *in c. fin. de cond appos.* reijci huiusmodi conditiones fauore matrimonij; sponsalia autem non sunt in iure ita fauorabilia, sicuti est matrimonium *arg. c. series, & c. cum in tua de testib. & attest.* Non, inquam, obesse potest, quià ex eo, quod huiusmodi conditiones reijciantur à matrimonio per textum *in d. c. fin. de condit. appos.* videtur etiam reijci à sponsalibus, quæ sunt dispositiones ad ipsum, & ad ipsum obligant, nec allegata iura *in c. series, & c. cum in tua* euincunt sponsalia non esse fauorabilia, sed dumtaxat in eisdem dicitur, quod in causa matrimoniali probato impedimento, & publicatis attestationibus illud comprobantibus admittantur fauore matrimonij testes ad improbandum illud impedimentum, quod est quid speciale, vt notat *Glosa in d. c. cū in tua verb. in hoc casu*, in casu, de quo agebatur in dicto textu, cæterum ex eo non euincitur, quod non excludantur in sponsalibus huiusmodi conditiones, sicuti excluduntur in matrimonio; exceptio etenim in vno casu particulari non inducit exceptionem quoad alias causas non expressas.

Dispositum quoad matrimonium censetur dispositum quoad sponsalia. Rosella. Tabiena.

Glosa.

28 Si autem hic inquiras, cur per Ecclesiam excludantur huiusmodi conditiones à matrimonio æquè ac à sponsalibus, & non potius ratione earundem improbatur contractus. Sentio in primis ea ratione excludi ab Ecclesia, quia ad peccandum inducunt, & quodamodò moraliter reputantur

putantur impossibiles; sicuti enim dicimur id posse, quod iustè possumus, ita è contrario id dicimur non posse, quod iustè non possumus, *l. Nepos Proculeff. de verb. significat.* Deindè ea ratione sentio potius improbari huiusmodi conditiones, quam contractum ipsum sponsalium, quia per adiectionem huiusmodi conditionum turpium non aduersantium naturæ contractus non est præsumptio negationis cōsensus, sicuti est, quandò adijciuntur conditiones turpes aduersantes naturæ eiusdem, adeoque stante consensu ad spōsalia, eadem subsistere debent, reiectis huiusmodi conditionibus. Quamobrem ad huius rei euidentiam sciendum est, contrahentes sub huiusmodi conditionibus supponi nouisse eas esse turpes, & à iure reijci, perindè ac si non essent adiectæ, atque adeò si non sint impossibiles à natura, esse impossibiles a iure, quo supposito Ecclesia, cum eidem non constet de contraria intentione, præsumit pro consensu, *Alexander Carrerius de sponsal. lib. 4. cap. 5. Coaruuias 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 2. nu. 6.*

Ratio, cur reijciantur, & non improbetur contractus.

Non est præsumptio negationis consensus.

29 *Procedit de tempore futuro.*

Hæc, quæ in hac assertione dicuntur, procedunt in casibus, quibus contrahentes dicerent, *contraho tecum sponsalia, si furtum commiseris, si hominem occideris, si eris inimicus alicuius*, sumendo has omnes conditiones pro futuro tempore, quatenus quodamodò inducunt ad illas actiones peccaminosas, iuxtà quem sensum potissimum procedit textus *in d. cap. fin. de condit. appos.*, Non enim existimo, huiusmodi conditiones reijci, quandò apponuntur, prout important tempus præsens, vel preteritum, quià tunc non inducunt ad aliquid turpe, & peccaminosum faciendum, sed iam factum supponunt, atque ità sentiunt, *D. Thomas in 4. dist. 29. qu. unica art. 3. quæstiuncula 4., Adrianus 4. q. 3. de matrimon. dub. 9. §. respondeo ad primum vers. ad tertium dico, Alexander de Neuo c. de illis num. 16. de condit. apposit., Alexander Carrerius lib. 4. de sponsalib. c. 5., Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 2. num. 2.*

D. Thomas. Adrianus. Alexander de Neuo. Carrerius. Coaruuias

Aduersus assertionem fortè prima fronte vrgere videtur argumentum situm in eo, quod huiusmodi conditiones solum de iure positiuo Ecclesiastico reijciuntur, cum de iure communi, & naturæ potius vitiarent contractum, quam vitiarentur, ergò, cum in hoc ius Ecclesiasticum sit correctorium iuris communis, debet strictè interpretari, & non extendi vltrà id, in quo exprese corrigit; corrigit autem præcisè quoad matrimonium, adeoque non debet extendi ad sponsalia. Sed facili negotio elidi potest hoc argumentum, si asseratur ius correctorium solummodò, quod est in pœnam, & in alicuius odium non extendi ad casus similes, secus verò, quandò est declaratorium voluntatis ob bonum commune, & fauorem contractus *Sanchez de matrim. d. lib. 5. disp. 17. num. 3.*, clarè autem liquet huiusmodi ius Ecclesiasticum *in d. c. fin. de condit. appositis*, de quo in præsenti loquimur, non esse in pœnam, aut odium alicuius, sed merè declaratorium, & in fauorem contractus, adeoque non est, cur non extendatur ad casus similes.

Ius Ecclesiasticum est merè declaratoriū, & in fauorem contractus. Sanchez.

Hic excitatur difficultas, an etiam vitientur conditiones illæ adiectæ sponsalibus, quibus dicitur *contraho tecum sponsalia, si mecum concubueris, vel contraho tecum, si te virginem inuenero, vel contraho tecum, si in primo concubitu mihi placueris.* Omitto ea, quæ circà hanc difficultatem examinari possunt de matrimonio, quià de ea alibi suo loco erit sermo, & sermonem restringo ad sponsalia, circà quæ *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contractu cap. 10.* asserit primo *num. 168.* per illam conditionem, *contraho tecum, si mecum concuberis*, & sermo sit de concubitu illicito, suspendi sponsalia vsque ad conditionis implementum, eaque completa fieri valida; si verò sit sermo de concubitu licito, asserit probabilius esse non statim effici sponsalia, sed suspendi vsque ad complementum conditionis, eo quod apponatur diuerso modo, ac insit; modum autem diuersum, quo insit ex genere suo, quoque adijcitur, explicat per hoc, quod illa conditio, prout inest ex natura sua, non obligat in matrimonio ad complementum, nisi post duos menses, cum contrahentes non possint intrà bimestre compelli ad consumandum ad finem deliberandi, si velint monasterium ingredi; conditio autem illa, prout expresè apposita per contrahentes importat onus statim consumandi. Deindè *idem Bossius ibid. nu. 174.* quoad illam conditionem, *Contraho tecum sponsalia, si te virginem inuenero*, asserit absolutè illam tanquam turpem ipso facto, & iure reijci, & sponsalia pura remanere, si sit sermo de inuentione per carnalem copulam, suspendi verò sponsalia vsque ad complementum conditionis, si sit sermo de inuentione per inspectionem honestarum fæminarum, eo quià illa sit turpis, non sic ista. Tandem *num. 176.* quoad illam conditionem, *si mihi in primo concubitu placueris*, asserit sponsalia nō suspendi, sed remanere pura, cum illa conditio vtpote semper turpis reijciatur. Adhæreo eidem Bossio quoad ea, quæ asserit de illis conditionibus, *Contraho tecum, si te virginem inuenero*, secundum distinctionem ab eodem assignatam, & *contraho tecum, si mihi in primo concubitu placueris*, eo quià huiusmodi conditiones in eo sensu, in quo sunt turpes, reijciuntur per superiùs probata, & allegata, in eo sensu verò, in quo sunt honestæ non est, cur nō debeant operari suspēsionem, sicuti ope-

Rationes dubitandi circa varias conditiones turpes.

30 *Quomodo suspendat, vel non suspendant.*

31 operantur aliæ conditiones contingentes honestæ, & etiam impertinentes. Quoad illam verò conditonem, *si mecum concubueris*, sentio absolutè aduersus eundem Bossium, si sermo sit de concubitu illicito, non suspendere sponsalia vsque ad conditionis complementum, sed ea reiecta sponsalia remanere pura, si verò sit sermo de licito, suspendere, *Sanchez de matrimonio d. lib. 5. disp. 16. num. 3. Adrianus 4. q. 3. de matrimon. dub. 8. Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. post tertiam concl. vers. censent enim*. Ratio primæ partis ex superius dictis deducitur, quià conditiones turpes, quæ non pertinent ad substantiam contractus reijciuntur ab eodem, & habentur pro non adiectis; talis autem est illa conditio, de qua hic agitur. Ratio secundæ partis ex eo etiam deducitur, quià illa conditio, prout expresse apponitur per contrahentes, potest esse honesta, & quoad modum ex genere suo non inesse, quatenus obliget contrahentes non expectato illo bimestri à iure statuto immediatè concumbere, prout suprà ex eodem Bossio explicuimus. Quod si dixeris, illam conditionem non posse competere sponsalibus, vt sponsalibus, cum concubitus non possit esse licitus respectu sponsalium; si, inquam, hoc dixeris, tunc dicendum, quod quantumvis sponsalibus, vt sponsalibus non sit debita, & legitima copula, adeoque respectu eorundem præcisè sit turpis, possit tamen addi, quatenus referatur ad matrimonium; vndè vt benè notant, *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. n. 13., Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 11. num. 51.* res ità componitur. Contractis sponsalibus eo modo conditionatis potest esse copula licita affectu coniugali, adeout initio eiusdem sponsalia fiant pura, & in aliquo signo rationis, & naturæ purificata fiunt posteà matrimonium per textum, *in c. is qui fidem de sponsalibus*, sicque est licita prout coniungitur cum matrimonio. Hęc quamuis verificentur tantum quoad ius antiquum, secundum quod per copulam affectu coniugali subsequtam post sponsalia, eadem transibant in matrimonium sine interuentu Parochi, & testium; nihilominus secundum quod notat *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 10. n. 171.* verificari etiam possunt quoad ius nouum Concil. Trid., si scilicet dicta sponsalia conditionata contrahantur coram Parocho, & testibus, & coram eisdem sequatur copula affectu coniugali.

Sanchez. Adrianus. Sotus.

Illa conditio potest esse honesta quoad modum, & quomodo.

Quomodo illa conditio possit competere sponsalibus Coaruuias Antonius Cucus.

Bossius.

Pro complemento eorum, quæ hactenus dicta sunt in hac assertione, soluendum remanet argumentum, quod directè contrà eandem assertionem maximam vim habere videtur fundatum in supradictis, quod scilicet sponsalia concepta sub promissione de re illicita sint ipso iure nulla, sicuti inualida est & eadem promissio, ergò promissio cum conditione turpi concepta irritabitur, non reddet irritam conditionem. Sed facilè occurro asserens, quod ea, quæ dicta sunt in præcedentibus, procedant dumtaxat, quandò sunt de obiecto secundum se turpi, quodque nequeat à turpitudine depurari, à quo propterea promissio ipsa inficitur; ea vero quæ hic dicuntur procedunt non de obiecto secundum se turpi, sed de conditione extrinseca, quæ vtiq; potest separari ab eodem obiecto, adeoq; Ecclesia acceptata præsumptione consensus ad substantiam, seù ad obiectum reijcit consensum quoad accidentia turpia, seù conditiones turpes appositas, perindè ac si non essent appositæ.

Soluitur argumentum contrarium

32 Assertio VII. Conditiones contrariæ substantiæ matrimonij, & bonis eius, quantumvis siuè fuerint honestæ, siuè turpes semper irritarent idem matrimonium, non tamen semper irritant sponsalia. In hanc assertionem propendet expresse, *Sanchez de matrim. disp. 14. lib. 5. n. 3., & Petrus de Ledesma de matrim. q. 47 art. 5.*, quamuis isti iuxtà diuersas considerationes diuersa statuant.

Non semper irritant sponsalia.

Sanchez. Ledesma.

Pro notitia tamen assertionis aduerto, illas potissimum dici conditiones contrarias substantiæ, seù naturæ matrimonij, quæ sunt contrariæ eiusdem bonis per textum, *in c. omne 27. q. 2. D. Thomas in addit. ad tertiam part. q. 49. art. 1., & 2., & in 4. dist. 31. q. 1. art. 1., & 2.* Tria autem sunt bona matrimonij, quibus huiusmodi conditiones possunt esse contrariæ. Primum est bonum prolis, hoc est eiusdem procreatio, & educatio. Secundum bonum fidei, quod respicit onus reddendi alteri debitum, & negandi corpus cuicunque alteri ad concubitum. Tertium est bonum sacramenti, ratione cuius insurgit indissolubilitas contractus matrimonialis.

Quanam sint bona matrimonij eisque contraria.

Aduerte secundo, aliud esse loqui de huiusmodi bonis matrimonij, quibus contrariæ esse possunt conditiones, quoad actus, & quoad executionem, aliud quod principiū, & quoad obligationem. Quoad actum, & executionem, si indissolubilitatem excipias, huiusmodi bona non sunt de essentia matrimonij, cum possit etiam esse matrimonium, quamuis per copulam carnalem coniuges non coniungantur, & quamuis proles non suspiciatur, & per consequens, nec educetur. Quoad principium, & quoad obligationem sunt de eiusdem essentia, pront rectè notauit, *D. Thomas in 4. dist. 31. quæst. 1. art. 5. in corpore* - Ibi - *Fides, & proles secundum, quod considerantur in suis principijs, vt pro prole accipiatur intentio prolis, & pro fide debitum seruandi fidem, sine quibus matrimonium esse non potest, & sic accipiendo fidem, & prolem sunt essentialissima in matrimonio.* Ex ijs, quæ dicta

33 *Bona matrimonij quoad actum, & exercitiū, si indissolubilitatem excipias, nō sunt de essentia eiusdem.* D. Thomas

dicta sunt facilè colligitur, quod si adijciantur conditiones, quæ ex genere suo aduersentur eisdem bonis matrimonij quoad principium, & quoad obligationem, vtique matrimonium ipsum irritum reddatur, quià non potest esse consensus ad ipsum, vbi est expressus dissensus ad ea, quæ sunt de essentia eiusdem, sed de his suo loco erit sermo; Nunc controuersia est præcisè quoad sponsalia; in ordine ad quæ sic

Probatur assertio, quià huiusmodi conditiones, quæ supponuntur contrariæ bonis matrimonij, vel sunt adimplendæ, antequam contrahatur matrimonium; vel post ipsius adimplementum; si post ipsius adimplementum, vtique vitiātur sponsalia, sicut & ipsum matrimonium *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. in corpore D. Bonauentura in 4. dist. 28. q. 3. nu. 13. Riccardus in 4. dist. 27. art. 3. q. 2. Angelus verb. sponsalia num. 18.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem huiusmodi conditiones irritant matrimonium, vt latè suo loco videbimus, ergò etiam irritant sponsalia, quando sunt adimplendæ post eiusdem matrimonij contractum, seù adimplementum. Consequentia probatur, quià ideò irritant matrimonium, quià eiusdem contrariantur substantiæ, sicque non esset consensus ad eiusdem matrimonij substantiam, sed etiā, quando huiusmodi cōditiones sunt adimplendæ post contractum matrimonij, aduersantur naturæ eorundem, quandoquidem aduersantur fini, ad quem ordinantur eadem sponsalia, ergò &c. Si verò conditiones sint adimplendæ antequam contrahatur matrimonium, tunc vel huiusmodi conditiones sunt aduersus insolubilitatem eiusdem matrimonij, vt si dicatur *Contraho tecum sponsalia, & postea contraham tecum matrimonium, si ante matrimonium non inuenero aliam ditiorem, vel pulcriorem, vel nobiliorem te*, & tunc huiusmodi conditio, nec vitiat contractum, nec vitiatur, sed suspendit contractum vsque ad ipsius complementum, vel huiusmodi conditiones sint aduersus fidem matrimonij, & tunc eadem conditio vitiabitur, sed sponsalia subsistēt, si verò sint contra bonum prolis, vt si dicatur *Contraho tecum sponsalia, si ante matrimonium sumas ferculum, quo sterilis efficiaris*, & tunc sponsalia absolutè irritantur. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià talis conditio ex vno capite non tollit indissolubilitatem matrimonij, nec aduersatur naturæ sponsalium, & ex alia parte ex genere suo non est turpis, nec inducens ad peccatum; non primum quià non efficit, quod matrimonium contractum dissoluatur, vel quod contrahatur cum iure solutionis, sed tantum, quod non contrahatur, si alia ditior, vel pulchrior, vel nobilior inueniatur, non secundum, quià sponsalia ex genere suo non sunt insolubilia, cum mutuo consensu possint dissolui, ergò poterunt contrahi cum iure dissolutionis, interueniente aliqua conditione apposita in tali contractu, quæ purificetur. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod suprà dicebamus, quià conditiones turpes non aduersantes matrimonio, nec bonis eius adiectæ sponsalibus vitiantur, nec vitiant eadem sponsalia, sed huiusmodi conditio *Contraho tecum sponsalia, si ante matrimonium forniceris*, est ex genere suo turpis, nec aduersatur fidei matrimonij, cum fides matrimonij tantum exigat, ne postquam matrimonium contractum est coniuges sui copiam alteri faciant, non antecedentèr. Ratio tertiæ partis est, quià illa conditio. *Si sumas ferculum quo efficiaris sterilis*, inducit aliquid contrarium bono prolis, quod intenditur per matrimonium promissum per illa sponsalia, ergò per ipsam eadem sponsalia simplicitèr vitiantur.

Quandonā quoad sponsalia huiusmodi conditiones vitientur, & quandonā reijciantur.

Dices primo aduersus hanc tertiam partem. Susceptio prolis non est de essentia, & natura matrimonij, sicuti nec est de ipsius essentia copula carnalis, vndè sine destructione eiusdem matrimonij potest adijci conditio de illa non habenda, & sub illa conditione plerique asserunt contraxisse Deiparam Virginem, & Beatū Ioseph; quinimmò matrimonium potest validè contrahi inter steriles, vt latè alibi videbimus, ergò conditio illa sterilitatis ponendæ per ferculum apposita in contractu sponsalium non est contraria substantiæ matrimonij, & bonorum ipsius, adeoque &c. Sed contrà, quià quantumvis copula carnalis, & susceptio prolis non sit de essentia matrimonij quoad actum, & executionem, est tamen de essentia ipsius quoad radicem, & obligationem per illam autem conditionem non solum tollitur actus, & executio, sed etiam radix, & obligatio, cum antecedentèr apponens illam conditionem intenderit negationem eiusdem; vndè ea, quæ adducuntur in instantia non habent locum aduersus nos, cum procedant dumtaxat quoad actum, non quoad principium.

Copula carnalis, & susceptio prolis quoad radicem, & principium est de essentia matrimonij.

Dices secundò, quandò conditiones sunt adimplendæ ante contractum matrimonij eodem modo se habere videtur illa conditio, qua dicitur. *Contraho tecum sponsalia, si sumas ferculum, quo efficiaris sterilis*, ac illa, qua dicitur, *Contraho tecum, si ante matrimonium fornicèris*, siquidem vtraque purificari debet ante matrimoniū, & post matrimonium illa sterilitas non vitiat contractum, ergò si in casu secundæ conditionis sponsalia absolutè tenent eadem conditione tanquam turpi reiecta, hoc idem dicendum erit de prima. Sed contrà, quià secunda conditio non respicit actu, nec habitu aliquid, quod sit repugnans

Non currit paritas, & quare.

gnaus bonis matrimonij; prima autem quoad habitum, seu principium in intentione respicit aliquid, quod est contrà bonum eiusdem matrimonij promissi, & futuri, & aduersatur directè principio, & obligationi eiusdem, adeoque non est par ratio de vtraque.

34 *Conditiones impossibiles irritantur.* Adrianus. Paludanus D. Antoni. Sotus. Viguerius. Phyliarch.

Assertio VIII. Conditiones impossibiles adiectæ contractui sponsalium, vel matrimonij regulariter habentur pro non adiectis, sicque non vitiant contractum, sed potius vitiantur, *Adrianus 4. materia de matrim. q. 3. dub. 7. vers. respondeo in foro iudicij, Paludanus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 3. concl. 7. num. 22. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 19. §. 5. paulò post princip. Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 2. vers. mens ergo Pontificis, Viguerius lib. instit. c. 16. §. 7. vers. sexto ad fin. Phyliarchus de officio Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 1. §. tres conditiones, & alij magis communiter.* Procedit assertio quoad forum externum per præsumptiones, nam in foro interno, si contrahentes per appositionem huiusmodi conditionum verè non consentirent contractui, certè in eodem foro iste non subsisteret. Procedit item de conditione, siuè impossibili à natura, vt si dicatur *Contraho tecum, si cælum digito attigeris*, siuè impossibili de facto, vt si dicatur filiæ pauperi. *Contraho tecum, si dederis mihi centum millia aureorum*; quidquid aliqui dixerint, assertionem dumtaxat procedere quoad conditionem impossibilem à natura, quià hæc non apponitur, vt adimplenda, sed irrisoriè, nō verò quoad impossibilem de facto, quià adijcitur, vt adimpleatur, cum hæc natura sua sit possibilis, & impossibilis tantum pensata contrahentium qualitate. Procedit, inquam, de vtraque, quià respectu talis personæ, in ordine ad quam debet considerari præcisè cōtractus, æque est impossibile deferre promittenti centum millia nummorum aureorum, ac cælum digito attingere, vndè si in prima conditione Ecclesia præsumit primo consensu ad contractum reiecta eadem conditione, ità præsumere debet pro eodem in secunda.

Procedit de conditionibus, siue impossibilibus à natura, siue impossibilibus de facto.

Assertio vim habet *in pracis. cap. fin. de condit. appofit.* vbi sic legitur. *Si conditiones contrà substantiam coniugij inserantur puta, si alter dicat alteri. Contraho tecū si generationem prolis euites, vel adulterandam te tradas, matrimonialis contractus quantumcunq; fauorabilis caret effectu, licet aliæ conditiones appositæ matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant propter eius fauorem pro non adiectis haberi.*

Iura euincentia assertionem.

Prolixam hic intexunt Doctores disputationem in inquirendo rationem, cur Ecclesia in tali textu præsumat pro consensu, reiecta illa conditione impossibili, potius quàm pro dissensu, præcipuè cum in alijs omnibus contractibus conditiones impossibiles vitient, & vitientur, *l. non solum ff. de act. & oblig. & in §. si impossibilis Instit. de inutil stipulat.* & non habeātur pro non adiectis. Quamobrem alij dicunt Ecclesiā non præsumere pro cōsensu, sed solū inducere præceptum, vt posteà animo vero contrahatur, *Paludanus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 5.* Alij Ecclesiam præsumere pro consensu in hypothesi dumtaxat, qua contrahentes arbitrarentur illam conditionē non esse impossibilem, sed possibilem, *Adrianus in 4. in mat. de matrim. qu. 2. dub. 7.* Alij Ecclesiam non decernere pro consensu, reiecta illa conditione impossibili, sed tantum asserere nullam habendam esse considerationem de illa conditione, adeò vt si interueniant coniecturæ aliæ pro consensu pro eodem sit præsumendum, si cōiecturæ pro dissensu, pro eodem sit coniectandum, *Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 2. conclus. vnica vers. mens ergo Pontificis.* Alij Ecclesiam per eum textum tantum velle in conditionibus impossibilibus affirmatiuis præsumi pro negatione consensus, secus verò in negatiuis. *Franciscus Molinus lib. 2. diff. 1. nu. 21.* Alij Ecclesiam præsumere pro consensu, eo quia præsumat vnumquemque contrahere iuxtà eiusdem Ecclesiæ intentionem, quæ cum reijciat illas conditiones, & illi præsumuntur reijcere, *Sanchez de matrimonio disp. 3. nu. 18.*

Cur conditiones impossibiles in sponsalibus vitientur, & non vitient. Paludanus

Adrianus. *Varia extic rationes, & rationes DD.*

Sotus.

Molinus.

Sanchez.

His tamen pro nunc minimè consideratis, cum de illis fusè sit agendum, dum de matrimonio, sentio in præsenti Ecclesiā potius pro consensu, quàm pro dissensu præsumere, propter eam rationem, quam commendat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 10. num. 120.* quià scilicet, cum contrahentes potuerint, vel possint habere animum serio contrahendi, Ecclesia statuit, & hoc in fauorem matrimonij, vt, vbi aliud signa, & coniecturæ non denotant quoad forum externum præsumptiuè ille consensus habeatur pro vero, & reali, non verò pro iocoso, & illusorio, & conditionem illam adiectam fuisse vel per errorem, vel per iocum, ne de facili coniūcti separentur, nec in hoc vlterius immoror, cum alibi erit sermo vberior ex professo.

35 *Assignatur ratio, cur Ecclesia potius præsumat pro consensu, quā pro dissensu.*

Solùm pro complemento hic remanet dubitandum, an ea, quæ dicta sunt de conditionibus impossibilibus de futuro, intelligenda etiam sint de similibus conditionibus de præsenti, vel de præterito. Negant aliqui, inter quos *Petrus de Ledesma de matrim. qu. 47. art. 5. dub. 1. §. hoc fundamento posito. Siluester verb. matrimonium 3. q. 1. in fin.* ea ducti ratione, quod cum scilicet illa decretalis *in c. fin. de condit. appos.* sit correctoria quodammodò iuris communis, est strictè interpretanda, non extendenda vltrà propriam, & formalem significationem verborum, conditio autem

Petrus de Ledesma. Siluester.

pro-

propriè, & formaliter sumpta non intelligitur, nisi de futura. Affirmant alij cum communiori sententia, & quidem congruentius, *Hurtadus de matrimonio disp. 7. difficult. 10. n. 42. Coaruuias de sponsal. part. 2. c. 3. §. 2. nu. 2. August. Barbosa collect. ad c. fin. de condit. apposit. num. 11. Sanchez de matrim. lib. 5. disput. 4. nu. 3.* Ratio est, (& per hoc etiam desumitur responsio ad fundamentum contrariæ opinionis negatiuæ) quia dicta dispositio *in d. c. fin. de condit. appos.* non reijcit illius conditiones, quia obligent ad aliquid impossibile, sed quia impossibiles sunt: æquè autem sunt impossibiles, siuè sumantur de futuro, siuè de præterito, siuè de præsenti. Confirmatur, quia eodem modo huiusmodi conditiones à matrimonio, ac ab vltima voluntate reijciūtur, sed ab vltima volūtate etiā conditio impossibilis de præsenti per textū *in l. si Mauia 45. ff. de hæred. instit.* ergò &c. sicq; textus *in d. c. fin. de condit. appos.* non respicit ad proprietatem conditionis, sed ad impossibilitatem, quæ æquè est in conditione de futuro, ac de præsenti, & præterito.

36 *Reijciuntur etiam si fuerint de præsenti, vel de præterito.* Hurtadus. Coaruuias Barbosa.

SECTIO X.

De consensu ad sponsalia sub pœna.

SVMMARIVM.

Pœna duplex, alia propria, alia impropria. 1.
Pœna propriè adiecta contractui sponsalium irritatur, non irritat inter ipsos contrahentes. 2.
Huiusmodi pœna non irritatur, quando est adiecta aduersus iniustè resilientem. 3.
Iura irritantia pœnam propriam in contractu sponsalium irritant & pœnam, & contractum, quando vterque ignorans est dispositionis legalis, secus quando est conscius. 4.
Stipulatio pœnalis in sponsalibus irritatur non solum quando apponitur per ipsos contrahentes, sed etiam per coniunctos sanguine. 5.
Etiam per coniunctos amicitia, & familiaritate. Ibid.
Etiam dominio, & subiectione Ibid.
Etiam cura, & administratione. Ibid.
Limita in casibus, in quibus prædicti se obligauerunt sub pœna, si non curauerint matrimonium exequi. 6.
Stipulatio pœnalis adiecta per extraneos, qui contrahentes non attingunt, regulariter non irritatur. 7.
Excipe, nisi extraneus esset suppositus ex dolo. 8.
Item nisi contrahentes promitterent pœnam extraneo. 9.
Non irritatur huiusmodi stipulatio pœnalis inter extraneos, siuè adijciatur per viam principalis obligationis, siuè per modum cuiusdam conditionis ad pœnam. 10.
Non irritatur huiusmodi pœna, si extraneus illam promitteret contrahenti. 11.
Extraneus si promittat pœnam pecuniariam, si non contraxerit matrimonium, pœna non caret, siuè contrahens antecedenter promiserit, siuè non promiserit. 12.
Pœna apposita inter coniunctos contrahentium irritatur; quamuis fuerit iurata. 13.
Stipulatio pœnalis est peccaminosa lethaliter. 14.
Si quis pœnam in casibus, in quibus à iure irritatur, soluerit, potest eam repetere. 15.
Etiam si promissionem iuramento firmauerit. 16.
Pœna impropria consistens in lucro non acquirendo interposita vel per ipsos contrahentes, vel per alios in ordine ad matrimonium contrahendum regulariter tenet. 17.
Pœna impropria apposita per extraneum irritatur in hypothesi, qua promissarius non posset honestè nubere cum nominata ab ipso extraneo. 18.
Legatum, vel hæreditas relicta per extraneum filia familias sub conditione si nupserit determinatæ personæ, vel sub modo, vt eidem nubat, non amittitur, si filia iubente patre alteri nubat. 19.
Legatum relictum viduæ, vel hæreditas sub ea conditione, vel modo, vt nubat personæ, quæ indigna supponitur, & eidem non nupserit, sed alteri ab ipso, amittitur. 20.
Legatum, vel hæreditas relicta sub conditione, vel modo, si nupserit, vel vt nubat cum certa persona, non amittitur, si per legatarium vel institutum non, stetit quominus eidem nubat. 21.
Fallit in ijs, quæ fiunt, vel relinquuntur in contractu irreuocabili. 22.
Legatum relictum in fauorem vnius, si certa persona nupserit, non amittitur, si illa persona noluerit eidem nubere, & alteri nupserit, quamuis posteà primo marito præmortuo voluerit legatario nubere, & ipsa renuat. 23.
Si fœmina nominata renuerit contrahere cum grauato, & postea non transiens ad alias nuptias annuerit, & legatarius renuerit, hic non amittit legatum. 24.
Intellige, siue legatum fuerit quantitatis, siue speciei, siue grauatus illud fuerit consecutus, siue non. 25.
Legatarius si nuptias cum persona nominata recusauerit, & posteà pœnituerit, priuatur legato. 26.
Excipe, nisi in fauorem reuocantis militaret aliqua legitima excusatio. 27.
Grauatus nubere cum nobili non priuatur legato, si primò nobili nupserit, & successiuè duxerit ignobilem. 28.
Excipe, nisi ex præsumpta testatoris voluntate conditio esset successiua. 29.
Legataria grauata ducere aliquem, nulla habita ratione dotis, acquisiuit legatum, quantumuis antecedenter eidem nupserit. 30.
Legatum relictum per modum dotis fœmina non amittitur, si antecedentèr personæ nominatæ nupserit. 31.

L 2 Si

Si legata fuerit certa pecunia quantitas ob maritandam certam mulierem cum aliqua persona, & eidem iam fuerit nupta, legatum non tenet. 32.

Pœna impropria retrahens à matrimonio, vel à sponsalibus, prout importat conditionem nunquam nubendi respectu viri, vel mulieris, qui nondum matrimonium contraxerunt, absolutè reycitur, & legatum debetur. 33

Intellige quoad conditionem nunquam nubendi quoad substantiam, non autem quoad certas personas in certo loco. 34

Gravatus petere quoad nuptias consilium alterius, non tenetur sequi. 35.

Huiusmodi pœna respectu vidui, vel viduæ potest subsistere. 36.

Legatum relictum fœminæ centum si nupserit, & ducentum si non nupserit, acquiritur eidem quoad ducentum, etiam si nubat. 37

Si mulier marito morienti promiserit, se non transituram ad secunda vota, sub aliqua pœna propria, si transierit, tenetur ad illam pœnam 38.

Legatum factum fœminæ ducentum si nupserit, & centum si religionem ingrediatur, debetur eidem quoad ducentum, etiam si ingrediatur. 39.

Potest validè inter contrahentes constitui conditio, vt amittantur arrhæ à fidei violatore, 40.

1 *Pœna duplex, alia propria, alia impropria, & quid vtraque.*

MVltiplex sub hoc titulo erit articulus discutiendus, sed primò aduertendum est duplicem in hac materia posse considerari pœnam, de qua contenditur, an possit adijci, alteram propriam, alteram impropriam. Prima consistit in eo, quod ex conuentione apponatur diminutio proprij patrimonij aduersus contrauentorem consensus, hæcque in celebratione contractus, Secunda in eo, quod ex eadem cōuentione non priuetur delinquens aliquo iure in re, quo gaudet, sed dumtaxat iure ad rem, seù lucro, quod posset consequi, si non controueniret. De vtraque hac pœna procedit titulus.

Circa quem inquiretur primò, an si consensui fuerit pœna propria idem priuatiua iuris in re adiecta, talis pœna subsistat, & an ipsa irritet consensum, vel potius irritetur, Secundò ex suppositione, quod eadem pœna irritetur, seù habeatur pro non adiecta, an hoc intelligatur solummodo, quando per ipsos contrahentes fuit apposita, an verò etiam quando per alios, & quosnam, tertiò in eadem suppositione, qua pœna imposita in celebratione contractus non debeatur, sed habeatur pro non apposita, an si eadem fuerit persoluta possit repeti, & recipiens teneatur restituere. Quartò, an si talis pœna fuerit iuramento firmata, obliget, & si fuerit persoluta, an possit repeti, siue obtenta prius relaxatione iuramenti, siuè eadem non obtenta. Quintò quid dicendum sit, quando consensui non adijcitur pœna propria, sed impropria, consistens non in diminutione patrimonij, sed in lucro perdendo, & his similia. Vlterius, an si apponatur pœna amittendi arrhas in contractu sponsalium, si fides non seruetur, talis pœna irritet contractum, an verò habeatur pro non adiecta.

Articuli examinandi circa titulum.

2 *Pœna propria irritatur, non irritat sponsalia.*

Assertio I. Si fuerit consensui sponsalium adiecta pœna propria non irritat ipsum contractum, sed irritatur, si fuerit inter ipsos contrahentes, adeovt si quis fidem datam violet, non teneatur ad illam pœnam. Hæc assertio duplicem habet partem. Prima, quod ex genere suo per additionem illius pœnæ non inficiatur cōtractus. Secunda, quod illa pœna non obliget secundum se, adeovt contrahens ad illam non teneatur, si de promissione deflectat, & quoad hanc secundam partem conueniunt communius DD. *Couaruuias de sponsal. part. 2. c. 3. §. 7. nu. 5. Cucus instit. maior. lib. 5. tit. 12. nu. 190. & seqq. Iacob. Cancerius var. tom. 3. c. 11. num. 152. Franciscus Molinus de ritu nupt. lib. 2. diff. 16. num. 25. August. Barbosa collect. ad c. Gemma de sponsal. nu. 2. Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 30. num. 2. Paulus Laiman lib. 5. Theol. mor. tract. 10. pars 1. c. 1. num. 8. Bonacina de matrimon. q. 1. punct. vlt. num 1. & seqq. Hurtadus de matrim. disp. 1, diff. 18. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. num. 414.*

Couaruuias. Cucus. Cancerius. Molinus. Barbosa. Sanchez. Laiman. Bonacina. Hurtadus. Bossius.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia illa pœna supponitur adiecta ad firmandum contractum, & consensum præstitum ab ipsis contrahentibus, ergò iam supponitur consensus liber ad obiectum eiusdem contractus, quinimmò tanto fortior cōsensus supponitur, quanto validius intelliguntur contrahentes illum velle firmare per adiectam pœnam; vbi autem liber est consensus ad obiectum contractus, non est, cur contractus ipse non debeat subsistere; nec illa pœna potest ipsum inficere, quandoquidem eadem non cadit supra contractum sponsalium, sed super matrimonium dependenter ab illis exequendum, & per consequens super executionem, non super obligationem.

Pœna supponit contractum, seu voluntatem ad contractum

Ratio secundæ partis deducitur *ex l. fin. C. de sponsal., & c. gemma eod. tit.*, & ibi etiā redditur ratio, quia promissio talis pœnæ impedit libertatem matrimonij, quod omninò liberum esse debet; neque obesse potest, si afferatur in primis, quod hac ratione etiam destrueret priorem consensum ad contractum sponsalium aduersus ea, quæ mox dicta sunt in probatione præcedentis partis, cum non minus liber debeat esse consensus ad sponsalia, ac ad matrimonium; Non, inquam, obesse potest, quia illa pœna non adijcitur in ordine ad eliciendum consensum ad sponsalia, sed

eum-

eundem extorquendum, sed supponitur consensus liberè elici, & posteà in ordine ad ipsius executionem adijci pœna, quæ respicit executionem, non obligationem primæuam; Neque vlterius obesse potest, si asseratur, quod, cum orta fuerit obligatio ex priori consensu præstito ad sponsalia, iam consentiens non remaneat liber ad resiliendum, adeoque quod illa pœna non tollat libertatem, sed iam ademptam supponat; Non, inquam obesse potest, quià quantumvis præstitus fuerit antecedenter consensus ad sponsalia, & ex illo orta fuerit obligatio; obligatio tamen illa talis non est, vt ex aliqua causa solui non possit, adeoque semper est præsumptio, quod illa pœna adiecta compellat ad matrimonium in quocunque casu contrahendum, etiam si posset nòn contrahere.

Pœna respicit executionem, non obligationem primæuam.

Hic oritur difficultas, an saltem possit in contractu sponsalium adijci pœna aduersus iniustè resilientem; adeovt iura allegata sint dispositiua dumtaxat quoad pœnam stipulatam aduersus iustè resilientem, quatenus eandem stipulationem pœnalem irritent absolutè, non verò quoad pœnam stipulatam aduersus resilientem iniustè, quatenus eandem non irritent.

3 *Non irritatur quando est adiecta aduersus iniustè resilientes.* Molina. Coninch. Laiman. Pontius.

Probabilius sentio per illam iurium dispositionem non irritari pœnam adiectam aduersus iniustè resilientes *Molina de iust., & iur. disp. 151. Coninchus disp. 22. dub. 5. Paulus Laiman lib. 5. Theolog. mor. tract. 10. part. 1. c. 1. num. 8. Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 19.* quidquid in contrarium pluribus allegatis Doctoribus, rationibusque adductis dixerit *Ioannes Angelus Bossius c. 11. num. 432.* Ratio resolutionis ea esse potest, quià in primis huiusmodi pœnæ impositio aduersus iniustè resilientem non aduersatur iuri naturali, nec est contra, sed potius iuxta bonos mores, cum inducat ad id, quod honestum est, & ex iustitiæ debitum, prout etiam rectè adnotauit *Godofredus in l. Titia verb. inhonestum ff. de verb. obligationib.* Deindè huiusmodi pœnæ impositio non tollit libertatem ad sponsalia, & matrimonium requisitum; quandoquidem hæc libertas non est ad iniusta, & peccaminosa, sed ad iusta, & rationabilia; supposita autem obligatione per sponsalia iniustum esset ob eadem sine legitima causa recedere, sicq; non est libertas ad recedendum; ad peccandum etenim nulla est libertas, quod etiam confirmari potest ex eo, quod Ecclesia etiam grauioribus pœnis, & censuris impellit iniustè resilientem à sponsalibus ad contrahendum matrimonium; ex quibus sic arguo. Metus pœnarum, seù censurarum Ecclesiasticarum non tollit libertatem ad validitatem matrimonij requisitam respectu eius, qui iniustè resilire contendit à sponsalibus, ergò nec metus pœnæ appositæ pecuniariæ in celebratione contractus non tollet libertatem ad idem requisitam respectu iniustè resilientis. Consequentia tenet, quià ex vno capite vtraque pœna grauis est, & apta mouere; ex alio vtraque respicit iniustè resilientem, & parum refferre potest, quod vna ingeratur per Ecclesiam, alia inferatur per priuatã pacta ipsorum contrahentium.

Inducit ad id, quod honestum est. Godofred.

Libertas non est ad iniusta.

Nec in hoc audiendus est *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. nu. 432., & seqq.*, & alij communius asserentes iura interdicentia huiusmodi pœnæ appositionem in celebratione contractus sponsalium loqui indistinctè, & indefinitè, & proindè indefinitè, siue respectu iustè, siue respectu iniustè resilientis debere procedere præcipuè cum non dicatur impediri libertas matrimonij, & incuti metus, quando incutitur auctoritate propria; seù priuata conuentione ipsorum contrahentiũ. Non, inquam, audiendus est, quià iura quantumvis secundum modum significandi indistinctè loquantur restringi debent secundum subiectam materiam, & secundum rationem formalem motiuam; ob quam condita sunt. Cum igitur iura illa proscribentia stipulationem pœnalem contra resilientem à promissione eo dumtaxat tendant, vt auferant violationem libertatis iniustam, non autem voluntatis determinationem constitutam per consensum proprium, & liberum eorundem contrahentium, hinc est, quod dumtaxat restringi debeant contra pœnam conuentionalem adiectam contra iustè resilientem, non contrà resilientem iniustè, adeovt aduersus illum irritetur; non sic aduersus istum; nec absolute verum est, quod priuata autoritate non possit incuti metus, quando mutuo consensu obiectum talis metus ex iusta causa inducitur, vt euenit, quando incutitur contrà resilientem iniustè, & hoc est conforme iuri naturæ, & positiuo.

Iura debent restringi secundum rationem formalem matrimonij, sub qua condita sunt.

Alia hinc suboritur difficultas, an præfata iura disponentia de nullitate pœnæ adiectæ in contractu sponsalium aduersus iustè resilientem ità disponant, vt talis pœna habeatur pro nõ adiecta, firmo manente contractu matrimoniali, si initus fuerit, an verò ità vt inficiat contractum eundem matrimonialem, si fuerit initus, cuius difficultatis sensus germanus hic est, an iura voluerint huiusmodi pœnæ appositionem vitiari solummodo, an verò etiam vitiare contractum. Cum distinctione respondendum existimo; vel enim ille, qui contraxit sponsalia cum stipulatione pœnali contraxit postea matrimonium conscius illius dispositionis legalis irritantis huiusmodi appositionem pœnalem, vel ignorans huiusmodi dispositionis; iuxta primum sensum sentio contractum sic initum subsistere, nec vitiari; iuxta secundum absolutè 4

Irritant & contractum quando vterque ignorans est legis irritantis, secus quando est conscius.

tè contractum vitiare, nec tenere. Ratio primæ partis in eo consistit, quiâ in sic contrahente supponitur, & clarè perhibetur consensus omninò liber, quatenus metus illius pænæ non potuit eiusdem libertatem minuere, cum optimè norit pænam illam minimè valere, & haberi pro non adiecta, ergò deficiente respectu eiusdem illo metu, si posteà consensit, validè, & liberè consensisse censendus est, cum pæna non apposita, & pæna habita pro non adiecta in effectu sibi correspondeant. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod, cum non cognoscatur nullitas, seù irritatio illius pænæ contrahens præsumitur ex metu illius pænæ contrahere, cum igitur iura supponant illum metum adimere libertatem requisitam ad validitatem contractus, propter quod pænam illam irritant, ex consequenti sequitur, quod ille contractus initus cum illo metu non sit initus cum sufficienti libertate, adeoque inualidè.

In dubio præsumitur conditio pro non adiecta.

Cæterum in rigore iura precisè intendunt illam stipulationem pænalem irritari, seù haberi pro non adiecta, vndè si contractus matrimonialis postea fuerit initus præsumunt pro illius validitate remota illa pæna, cum non præsumant de ignorantia, quæ cum sit iuris probanda est per allegantem.

5 *Irritatur quamuis apponatur per coniunctos sanguine.*

Glosa. Ioannes Andreas. Rosella. Coaruuias. Lopez. Baldus. Albericus. Speculat. Bartolus. Iason. Alciatus. Alexander de Neuo. Præposit.

Assertio II. Non solum huiusmodi stipulatio pænalis à iuribus irritatur, quando apponitur per ipsos contrahentes, sed etiam quando apponitur per coniunctos cum eisdem sanguine *Glosa in l. Titia in princip. verb. matrimonia ff. de verb. obligationibus Ioannes Andreas in d. c. gemma num. 2., & 9. in fin. de sponsal. Socin. cons. 2. vol. 1. Rosella verb. sponsalia num. 7. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7 num. 5. Ludouic. Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 41. in princip.*, vel etiam stricta amicitia, & familiaritate *Baldus l. fin. num. 10. C. de sponsal., & ibi Alberic. nu. 5. Cumanus in d. l. Titia in princip. num. 8. ff. de verb. obligat.*, vel etiam dominio, & subiectione *Speculator tit. de sponsalib. §. primo igitur nu. 1. Bartolus cons. 45. in fin. vol. 1. Alberic. in l. fin. num. 5. C de sponsalib. Iason in d. l. Titia num. 12.*, vel etiam cura, & administratione *Alciatus in d. l. Titia num. 10. ff. de verb. obligat. Alexander de Neua d. c. Gemma num. 18. & ibi Præpositus num. 7. de sponsalibus.*

Ratio horum omnium in vniuersum esse potest, quiâ militat eadem ratio præsumptæ libertatis ademptæ respectu ipsorum contrahentium, quando illa pæna fuit adiecta, vel per eosdem contrahentes, vel per ipsis coniunctos præenarratis modis, & coniunctionibus in assertione, quandoquidem possunt contrahere, ne huiusmodi coniuncti subiaceant pænis appositis, alioqui non contracturi, si tales pænæ non fuissent adiectæ, ergò &c. In particulari autem quoad coniunctos sanguine euincitur expressè *ex d. c. Gemma de sponsalib.* vbi irritatur pæna constituta à parentibus. Quoad coniunctos stricta amicitia, & familiaritate ea ratione deducitur, quiâ vinculum amicitiæ quandoque fortius stringit, quam ius sanguinis, & plus amici amant, & mouentur ex metu pænæ respectu amicorum, ac respectu sanguine coniunctorum, ergò si respectu sanguine coniunctorum irritatur pæna propter præsumptionem libertatis læsæ, non erit, cur non sit irritanda respectu amicorum. Quoad coniunctos dominio, & subiectione ex eo euincitur, quod si ipsi contrahentes subditi contractum non celebrarent possent iustè timere de graui præiudicio sibi per Dominos inferendo, cuius metus est sufficiens ad adimendam libertatem requisitam ad validitatem contractus. Quoad coniunctos cura, & administratione, cuiusmodi sunt tutores, & curatores ex eo euincitur non solum quiâ pupilli, & minores eisdem debent reuerentiam, & quandoque ex eorum metu plus operantur, ac operarentur ex metu parentum, sed etiam quiâ timere possunt de regressu ad sua bona, si tutores, & curatores compellerentur soluere pænam appositam.

Iura euincentia asser tionem.

6 *Limita quando prædicti se obligauerint tantum sub pæna ad procurandum.*

D. Thom. D. Antoni. Corduba. Sanchez. Immola. Alciatus.

Limitanda tamen videtur assertio in hypotesi, qua coniuncti, vel sanguine, vel amicitia, vel cura, & tutela non conuenerint de pæna, si matrimonium non contraheretur, sed tantum de solutione certæ pænæ, si ipsi non curauerint matrimonium fieri, colligitur limitatio *ex D. Thoma in 4. dist. 29. q. vnica art. 4. ad tertium D. Antonino 3. part. tit. 1. c. 18. ante §. 1. vers. item qui contraxerunt, Corduba in summa q. 171. punct. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 30. num. 4.* Ratio autem ea est, quiâ per hoc nulla ingeritur necessitas eisdem sponsis, qui, si non contrahant non inducunt pænam in eandem stipulantibus, cum talis pæna præcisè respiciat factum promittentium, non negationem facti ipsorum contrahentium, nec ex eo, quod ipsi procurent matrimonium fieri intelliguntur necessitatem, seù coactionem ingerere, cum intelligantur solummodo id præstare per preces, & suasiones, quæ non demunt libertatem. *Immola in d. l. Titia in principio num. 4. & ibi Alciatus num. 11. ff. de verb. oblig.*

7 *Adiecta per extraneos regulariter non irritatur.*

Bartolus. Speculat. Acosta. Sanchez. Bossius.

Assertio III. Regulariter loquendo si pæna fuerit apposita per extraneos respectu contrahentium, qui eosdem contrahentes non attingunt, per allegata iura non irritatur *Bartolus in d. l. Titia ff. de verb. oblig. Speculator tit. de sponsalibus §. primo igitur num. 2. A Costa l. cum tale § si arbitrat. lim. 4. nu. 4. ff. de condit., & demonstr. Sanchez de matrim lib. 1. de sponsalib. disp. 39. num. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. num. 421.*

Ratio huius assertionis ex eo deducitur,

tur, quià in hac suppositione nulla est præsumptio libertatis ademptæ, quandoquidem non est iustus titulus timendi, seu timoris iusti, & rationabilis respectu contrahentium, quod extraneus, qui nullam causam habet cum ipsis, soluat pænam promissam, prout rectè considerauit idem *Bartolus aliique scribentes communiter in d. l. Titia ff. de verb. obligat.*

Non est præsumptio ademptæ libertatis.

Dixi, *regularitèr loquendo*, quandoquidem possunt esse nonnulli casus, in quibus huiusmodi pæna irritetur etiam quoad extraneos; & primò in suppositione, qua extraneus promittens pænam esset suppositus ex dolo, quatenus non spontè, & nomine proprio, sed ex mandato, vel de mente contrahentium talem pænam promitteret, nam tunc posset esse læsio libertatis ex metu, ne soluens in casu propriæ resilientiæ haberet regressum ad propria bona, cum ipse ex mandato teneretur *Hostiensis in summa tit. de sponsal. num. 2. Baldus l. fin. num. 10. C. eod. tit. Altiatus d. l. Titia num. 10. ff. de verb. obligat.* Secundò in suppositione, qua extraneo promitteret pænam contrahens, vt notant *Henricus in d. c. gemma de sponsalibus Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 30. num. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. nu. 422.*, quià tunc verè demitur matrimonij libertas, quandoquidem potest contrahere ex metu pænæ soluendæ, alioqui non contracturus; secus verò se haberet, si extraneus promitteret pœnam contrahenti, quià tunc perindè res se haberet, ac si talem pænam promisisset alteri extraneo, & tunc valet regula generalis posita in assertione. Quamuis autem hæc regula his, & similibus casibus restringatur

8

Nisi esset suppositus, ex dolo.

Hostiensis. Baldus. Altiatus.

9

Vel nisi contrahens promitteret pænam extraneo.

Henricus. Sanchez. Bossius.

Ampliatur tamen primò, vt non irritetur huiusmodi pænæ appositio inter extraneos siuè deducta fuerint sponsalia per viam principalis obligationis, siuè per modum cuiusdam conditionis ad pænam, quidquid dixerint, *Hostiensis, & Henricus in d. c. Gemma de sponsalib. Villalobos in communibus lit. P. nu. 88.* volentes, quod quandò sponsalia adducuntur in viam principalis obligationis irritetur huiusmodi pæna tanquam accessoria matrimonio, quod debet esse omninò liberum, secus autem, quandò deducitur per modum cuiusdam conditionis ad pænam. Quidquid, inquam, dixerint isti DD., huiusmodi pæna non irritatur, *Ancharanus in cap. gemma nu. 6., & ibi Abbas nu. 9. de sponsalib. Siluester verb. sponsalia q. 8. dict. 1. Matthæus de Perusia inter consil. matrimonialia, Zilet. cons. 6. n. 7.* Ratio autem huius ampliationis ea est, quià siuè deducantur sponsalia per viam principalis obligationis, siuè per modum conditionis ad pœnam, nunquam ex genere suo læditur libertas ad matrimonium, quandòquidem semper præsumendum est,

10

Non irritatur, quantumuis adijciatur per viam principalis obligationis.

Hostiensis. Henricus. Villalobos

Ancharan. Abbas. Siluester.

quod contrahentes parui pendant huiusmodi pænam, quandò non per ipsos, vel sibi coniunctos est soluenda, sed per extraneos; nec specialis modus, quo adijcitur huiusmodi pæna, aliquam maiorem vim ingerit ipsis contrahentibus, quandòquidem, sicuti personæ, quæ se obligant ad illam pænam, non attingunt ipsos contrahentes, ità nec modus, quo se obligant, ipsos attingit, nec ad ipsos contrahentes spectat considerare, vtrum hoc, vel illo modo se obligarint extranei, cum ipsi non concurrant.

Contrahentes parui pendēt huiusmodi pænas.

Ampliatur secundò, vt non irritetur huiusmodi pæna, quemadmodum etiam suprà innuimus, si extraneus illam promitteret contrahenti, vt docent *Henricus, Sanchez, & Gutierez apud Ioannem Angelum Bossium d. cap. 11. nu. 422.* Ratio huius ampliationis ea esse potest, quià per hoc non minuitur libertas ad matrimonium requisita, sed potius augetur; non minuitur proptèr rationem superius adductam, quià metus, quod extraneus nullam habens coniunctionem cum contrahente soluat pænam, non afficit ipsum contrahentem, cum de illa non curet, nec est legitimus titulus præsumendi, quod ex illa pæna per extraneū persoluenda moueatur ad contrahendum, cæteroqui non contracturus; augetur, quià motiuum acquirendi illam pænam potius excitat ad assentiendum, quam ad dissentiendum, cum potius alliciat, quam retrahat, vt videre est in similibus de precibus.

11

Non irritatur, si contrahenti extraneus promittat.

Henricus. Sanchez. Gutierez. Bossius.

Hic insurgit ratio dubitandi, an, si extraneus promitteret pænam pæcuniariam contrahenti, si non contraxerit matrimonium, talis pæna teneat. Cum distinctione respondendum existimo, vel etenim ipse promissarius talis pænæ pæcuniariæ antecedentèr per sponsalia promiserat matrimonium, vel ipsum non promiserat. Iuxtà primū sensum dico huiusmodi pænā, quantumvis per extraneum appositam non tenere, *Alberic. in l. fin. C. de sponsalibus.* Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi pænæ appositio est contrà ius matrimonij, & ab eodem contrahendo auertit, ergò vtpotè aduersans libertati eiusdem est absolutè irritāda. Deindè, si quæ mulier promitteret sub certa pæna se non nupturam vtique talis stipulatio pænalis vtpotè irrita non subsisteret, *Altiatus in l. Titia in princip. num. 5. ff. de verb. obligat. Gutierez c. 17. nu. 7. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 30. nu. 8. Bonacina de matrimon. q. 1. punct. vlt. nu. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. n. 126.*, ergò etiam, si extraneus eidem promiserit certam pænam pecuniariam, si non nupserit, talis stipulatio pænalis non subsistet. Consequentia probatur, quià ideò in prima hypothesi illa promissio pænalis non subsistit, quià est

12

Pæna non tenet, si sit per extraneum adiecta ad retrahendum à matrimonio.

Altiatus. Gutierez. Sanchez. Bonacina. Bossius.

est contraria libertati matrimonij, & ab eodem retrahit, sed eadem etiam ratio militat in secunda hypothesi, quandòquidem ex fine acquisitionis illius pœnæ pecuniariæ recederet à contractu, ad quem se obligauerat per sponsalia, ergò &c. Neque valet in hoc disparitas, quod in prima hypothesi promissio sit de pœna propria, seù de proprio patrimonio amittendo, in secunda autem de pœna impropria, seù de lucro nō acquirendo, Non valet, inquam, ad hunc effectum disparitas, quià metus de lucro promisso amittendo potest valdè de voluntario diminuere, valdèque à matrimonio retrahere, quod cæteroqui fuisset celebratum. Sed de hoc secundum varias acceptiones, & distinctiones infrà vberior erit sermo. Iuxtà secundum sensum etiam absolutè tenendum est, non tenere proptèr eandem rationem, quià retrahit à matrimonio contrahendo.

13 Assertio IV. Etiam si talis pœna apposita per personas, inter quas ex dispositione iuris irritatur, fuerit iuramento firmata, non obligat, sed habetur pro non adiecta. *Bartolus in l. si quis pro eo n. 6. ff. de fideiuss., & in d. l. Titia in princip. num. 11., & ibid. Altiatus ff. de verb. oblig. Anton. Gomez var. tom. 2. c. 14. nu. 24. vers. etiam infertur, quod donatio, Franciscus Molin. lib. 1. de ritu nupt. comp. 34. n. 4. Sanchez lib. 1. disp. 32. nu. 21., Bonacina de matrim. qu. 1. punct. vlt. num. 2. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. num. 443., & alij plures apud eandem, Sanchez loc. cit.*

Irritatur, quamuis fuerit iurata. Bartolus. Altiatus. Gomez. Molinus. Sanchez. Bonacina. Bossius.

Ratio ex eo deducitur, quià talis stipulatio pœnalis est ex se peccaminosa, vel læthalitèr, vt docet *Bonacina de matrimon. qu. 1. punct. vlt. nu. 3. vers. sed mihi probabilius*, vel saltèm venialitèr, vt volunt *Caietanus verb. sponsalia, Sanchez disp 30. num. 2. Gutier. c. 17. n. 1. Coninchus disp. 22. dub. 5. n. 23.*, ergò iuramentum cadens suprà ipsam non potest eam firmare, cum iuramentum non possit obligare ad rem ex se illicitam, & peccaminosam; Neque obesse potest, si asseratur, iuramentum non cadere suprà promissionem, sed suprà executionem eiusdem promissionis in solutione; quamuis autem promissio ipsa sit peccaminosa, non tamen est peccaminosa executio, ea proportionali ratione, qua promissio facta mulieri de certa pecuniæ quantitate, vt copiam sui faciat, est peccaminosa, non tamen solutio ipsa, vndè sicuti in iure benè dicitur, quod meretrix turpitèr faciat, quod sit meretrix, ità potest rectè dici, quod turpitèr offerat promittens fœminæ, vt sic meretrix, non tamen turpitèr soluat ex eo, quod facta sit meretrix, ergò iuramentum vtpote cadens suprà rem non illicitam ipsam firmabit; non, inquam, obesse potest, quià non solum dicta promissio, sed etiam solutio pœnæ appositæ est peccaminosa, & contrà bonos mores naturales; non enim minus opponitur libertati matrimonij solutio, quam promissio, & promittens potius mouetur ad contrahendum ex eo, quod debeat soluere, quam ex eo, quod promiserit. Ad illud, quod subditur de promittente mulieri pecuniam, vt copiam sui faciat, ac de illam soluente dispar omninò est ratio, quandòquidē habita copia corporis mulieris est actus omninò iustitiæ soluere, quod promissum est, & malitia est in inductione ad peccatum per illam promissionem, non in ipsa solutione, quæ nullo modo vestitur malitia; soluere autem pecuniam promissam ex non adimplemento promissionis, nullum habet ius, nisi ex ipsa promissione, quæ omninò illicita est, adeoque, &c.

Stipulatio pœnalis est peccaminosa. Caietanus. Sanchez. Coninchus

Iuramentū non obligat ad rem illicitam.

Ipsa promissio est peccaminosa lethalitèr.

Solum hic remanet dubitandum, an illa stipulatio pœnalis sit peccaminosa læthalitèr, an tantum venialitèr, quod est id, quod fuit insinuatum in probatione assertionis incidentèr, & tantum inquirendo, non decidendo. Sanchez suprà relatus *d. disp. 30. num. 2.* ex eo, quod ea pœna minimè valeat, cum reprobetur à iure, & ex eo, quod non compellat ad matrimonium, docet non esse peccaminosam, nisi venialitèr; sed debuisset aduertere Sanchez rationem malitiæ potissimum consistere in opere, in intentione potiùs, quam in executione, vndè ex eo, quod ex dispositione iuris huiusmodi pœna in effectu non valeat, non tollit, quin quantum ad affectum contrahentium in illa promissione concepta fuerit malitia, quatenus voluerint, quantum est ex se, opus contrà mores naturales, & etiam contrà prohibitionem Ecclesiæ. Quamobrem videndum est, an ex obiecto illud opus intentū per contrahentes sit tale, vt inducat noxam tantum venialem, an verò læthalem. Qua in re probabiliorem existimo opinionem Bonacinæ suprà allegatam asserentis inducere noxam læthalem, quod non solum ex eo euinco, quod talis appositio pœnæ sit contrà bonos mores naturales, vt firmat idem *Sanchez d. lib. 1. disp. 32. nu. 21. vers. ea promissio, & cum eo alij magis communitèr*, & contrà legem in materia libertatis matrimonij per superiùs probata, quæ certè ex obiecto est materia grauis; actio autem contrà legem respicientem grauem materiam est grauitèr peccaminosa, adeoque læthalitèr; sed etiam ex eo, quod huiusmodi stipulatio pœnalis est contrà vtilitatem publicam, cum sit contrà libertatem matrimonij per textum, *in l. fin. C. de sponsalib., & c. gemma eod. tit.*, maximè autem expedit Reipublicæ matrimonia esse libera, nam ex coactis iurgia, & dissensiones consurgant inter coniuges, non bona puerorum educatio, & pessimi exitus per textum, *in c. requisiuit de sponsal.*, *Iason in d. l. Titia*

14 *Huiusmodi stipulatio pœnalis est contra vtilitatem publicam.*

Titia in princip. n. 17. ff de verb. oblig., quæ autem sunt contrà vtilitatem publicam cum tot incommodis, & perturbationibus non possunt non esse, nisi grauitèr peccaminosa ex obiecto; quamobrem meritò iura *in d. c. gemma de sponsalibus*, appellant dictam stipulationem improbam, ibi, *& ideo talis stipulatio propter pænæ interpositionem sit meritò improbanda*, idest tanquam improba damnanda, & *in d. l. Titia ff. de verb. oblig.* dicitur inhonesta, ibi *Inhonestum* vbi ly *improba, & inhonestum* non stant merè negatiuè, quatenùs idem sonent, & nõ probum, & non honestum, qua ratione importarent actionem præscindentem ab honestate, & probitate, & ab inhonestate, & improbitate, sed priuatiuè, quatenus important priuationem debitæ honestatis, & probitatis, improbum autem, & inhonestum priuatiuè sumptum indefinitè, & fine vlla restrictione regularitèr importat peccaminosum graue, cum in communi hominum conceptu ex culpa leui nec quis, nec opus eius dicatur improbus, vel improbum, inhonestus, vel inhonestũ, nisi ad summum cum additamento; vndè non audiendus est *Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. c. 13. n. 5.* asserens quod illa particula *in d. c. gemma de spõsalibus* relata, *improbãda*, idem sonet, ac irritanda, seù irrita declaranda, non, inquam, est audiendus, quandoquidem illa interpretatio est contra verborum proprietatem, quæ importat turpitudinem, & inhonestatem, *Ioannes Angelus Bossius d. c. 11. nu. 415. in fin.*

Talis stipulatio in iure dicitur improba.

Suarez.

Bossius.

Assertio V. In ijs casibus, in quibus huiusmodi pænę impositio irritatur à iure, si resiliens à sponsalibus promissam pænam soluerit, & alter receperit, non potest hic iustè illam retinere, sed tenetur restituere. *Hurtadus de matrim. disp. 1. n. 78. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. n. 449.* aduersus *Gutierez c. 17. nu. 15. Rebellum lib. 4. q. 7. nu. 2. Coninckum de matrim. disp. 22. dub. 5. n. 25. Bonacinam de matrimon. q. 1. punct. vlt. num. 4. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 31. num. 2. qui tamen appellat nostram assertionem satis probabilem.*

15 *Pæna soluta potest repeti.* Hurtadus. Bossius.

Probatur primò ex discrimine, quod assignat idem Sanchez inter solutionem factam mulieri, quæ copiam sui fecit promittenti dependentèr à promissione, & inter solutionem factam à promittente promissariò dependentèr à promissione, si non contraxerit matrimonium, quod per sponsalia promisit; nam; inquit ipse *d. lib. 1. de sponsalib. disp. 32. n. 23. vers. ad confirmationem*, solutio pecuniæ promissæ proptèr vsum corporis mulieris nullo modo est mala, immò bona, & actus iustitiæ, cum sit solutio mercedis promissæ, & debitæ pro vsu corporis venali, & malitia, quæ induxit ad actum peccaminosum, non afficit ipsam solutionem, at solutio pænæ, de qua hic loquimur, est omninò illicita, cum sit contrà libertatem matrimonij, quod latè probat *d. disput. 32. n. 21. vers., & confirmatur*. Quo supposito discrimine sic argumentor. Nullus est assignabilis titulus in recipiente huiusmodi pænam, sicuti est assignabilis in recipiente mercedem ex vsu venali proprij corporis, ratione cuius illam pænam possit retinere, ergò tenetur illam restituere. Antecedens probatur, quià recipiens nullum opus præstat, vel aliquid tradit, quod sit pretio æstimabile, ratione cuius illa pæna sit ipsi debita; nec potest dici, quod illam retinere iustè possit titulo donationis, nec titulo promissionis, non donationis, quià supposita illa promissione promittens non præsumitur habuisse animum donandi, & si non promisisset, vtique non tradidisset; non promissionis, quià illa promissio nullius penitùs roboris fuit, & omnino irrita.

Non est assignabilis titulus, quo possit retinere.

Probatur secundo, quià *ex eodem Sanchez d. disp. 32. nu. 21. vers., & confirmatur* non solum promissio illius pænæ culpabilis est, sed etiam eiusdem solutio, quià est quodamodò approbatio promissionis, ergò ex eodem capite, quo promissio ipsa est irrita, & non obligatoria, erit etiam irrita, & non obligatoria eiusdem solutio; Neque dicas *ex eodem disp 31, n. 2.* iura omninò irritare promissionem soluendi illam pænam, non verò dominij translationem, neque inhabilem reddere recipientem ad retinendum solutum promissum; Contrà enim impugnaberis, quià in primis irritant promissionem, quià culpabilis est, & contrà bonos naturales per superiùs allegata, & probata, sed non minus culpabilis est, & contra bonos mores naturales solutio eiusdem, vt fatetur ingenuè ipse Sanchez, ergò, &c. Deindè irrisoria esset irritatio promissionis, si solutio ipsa non irritaretur. Tandem non minus est læsiua libertatis ad matrimonium eadem promissio pænæ, ac solutio eiusdem pænæ supposita promissione, & contrahentes plus mouet onus solutionis, quam promissio.

Irrisoria esset irritatio promissionis, si teneret solutio.

Probatur tertiò, quià si quis ex conuentione etiam vsuras receperit ex mutuo non potest iustè illas retinere; sed tenetur absolutè illas restituere, vt est in confesso apud omnes, & nos latè docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus III. de mutuo, & vsuris sparsim per praenot., & disq.*, ergò etiam, si quis ex promissione iniusta, & nulla pænam promissam receperit nõ poterit iustè illam retinere, sed tenebitur illam restituere. Consequentia tenet, quià nonminus irrita est conuentio illa solutionis vsurarum, ac promissio solutionis pænæ appositæ, & sicuti ex illa conuentione nullum ius tributum est vsurario, ita ex illa promissione nullum ius collatum est promissario, & in vtroque casu conuentionis

Recipiens vsuras ex mutuo non potest illas detinere.

nis scilicet vsurarum, & promissionis pœnæ appositæ nullus alius potest esse titulus retentionis, nisi conuentio, & promissio, quæ in vtraque irrita est.

Dices, si quis ludo vetito, pecunia credita sine vi, dolo, vel mendatio aliquid lucratus fuerit, illudque receperit, non tenetur illud restituere, quamuis qui amisit, potuisset illud non soluere *Alphonsus à Castro lib. 2. de potest. leg. pæn. c. 2. conclus. 2. Coaruuias leg. peccatum part. 2. §. 4. Lessius de iust. c. 26. dub. 3. & 4. Nauarrus in man. c. 10. & alij*, ergo etiam si quis promissione vetita, pœnam aliquam promiserit, & alter pœnam illam receperit, non tenebitur hic restituere, quantumuis promittens non teneretur illam soluere. Sed contrà in primis antecedens non ita verum est, vt non negetur, & quidem non irrationabilitèr à pluribus, vt videre est *apud Sanchez d. disp. 31. nu. 1. vers. secundo recipiens*, qui pro hac opinione refert *Sotum lib. 4. de iust. qu. 5. art. 2. in fin. Alcozer lib. de ludo c. 30. Metinã lib. 1. summæ c. 14. §. 29. Gutierez de iuram. 1. part. c. 53. nu. 1. Ludouicum Lopez lib. 2. de contract. cap. 22.* Deinde dato etiam antecedente, negat consequentiam *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 11. nu. 449.* & assignat disparitatem inter vtrumque casum sitam in eo, quod lucrari per ludum vetitum non est iure naturæ illicitum, sed tãtum iure positiuo per textum *in l. alearum vsus C. de relig. & sumpt. fun.* promissio vero pœnalis, eiusque solutio est iure naturæ vetita, adeoque ex eo, quod lucrum per ludum vetitum sit contrà ius positiuũ, habet hoc, quod non habeat actionem ciuilem, nec eiusdem iuris assistentiam, ex eo, quod non sit contra ius naturæ habet hoc, quod possit detineri, quod non militat in solutione pœnæ promissæ, quæ cum sit vetita iure naturæ, nec habet iuris assistentiam, nec ius naturale.

[margin: Alphonsus à Castro. Coaruuias Lessius. Nauarrus.]

[margin: *Lucrum per ludum vetitum est tantum prohibitum iure positiuo, promissio vero pœnalis, eiusque solutio est vetita iure naturæ.*]

Probatur quartò, quia si quis ex errore soluat, quod metu coactus promisit, existimans se illud debere ex promissione, recipiens tenetur illud restituere, vt latè probat *Molina tom. 2. de iust. disput. 267.* sed soluens pœnam promissam ex promissione inualida in præsenti hypothesi illam soluit ex errore, cum non teneretur soluere, nam si sciens se non teneri nihil omninò soluere, præsumeretur conferre ex gratuita donatione, ergò &c. Neque obesse potest, si asseratur, quod hac ratione nec ipse posset repetere, quantumuis ignorans soluerit, nec recipiens restituere saltem in foro exteriori, quia ignorantia iuris notissimi, quale est illud *in d. l. Titia ff. de verborum obligat. & l. fin. C. de sponsalib. & c. gemma eod. tit.* non præsumitur, & in iure paria sunt scire, & scire debere, *l. quod te mihi ff. si cert. petatur.*

[margin: *Quodamodo soluerit ex errore.*]

Non, inquam, obesse potest, quià in materia donationis facilius præsumitur ignorantia, quàm in alijs omnibus contractibus, & per consequens in dubio debet donatio probari, vt latè probat *Mascard. de probationibus concl. 555. nu. 1. & seq. Gutierez de matrim. c. 17. nu. 16. per textum in l. Campanus ff. de oper. libert. l. cum de indebito vers. qui enim soluit ff. de probat.* & potius præsumitur stultitia, & error, quam donatio, *Mascard. loco quo supra n. 5. & 7.* nec in hac materia sufficit scientia præsumpta, sed requiritur vera, & realis, *Gutierez d. c. 17. nu. 17. Ioannes Angelus Bossius d. c. 11. nu. 454.*

[margin: Mascardus Gutiérez.]

[margin: *Potius præsumitur stultitia, & error, quam donatio.*]

Hæc adeò vera existimo, vt, quantumuis promissor talis pœnæ iuramento promissionem confirmauerit, & soluerit, teneatur recipiens pœnam illam receptam restituere, quamuis ille promissor, & solutor nõn obtinuerit relaxationem à iuramento *Salicetus l. fin. nu. 11. C. de sponsalib. Hurtadus de matrimonio disp. 1. nu. 78. Sanchez de matrimonio d. lib. 1. de sponsalib. disp. 32. num. 22.* Ratio huius ampliationis est, quia sicut ipsa promissio, ità & iuramentum ipso iure sunt inualida, ergò ad hoc, vt non obligent, non indigent relaxatione. [16]

[margin: *Nec obstat quod iuramento firmauerit.*]

[margin: Salicetus. Hurtadus. Sanchez.]

Assertio VI. Pœna impropria consistens in lucro non acquirendo interposita, vel per ipsos contrahentes, vel per alios ab ipsis contrahentibus per ordinem ad matrimonium contrahendum, regularitèr valida est. Quoad pœnam impositam per ipsos contrahentes præcisa turpitudinis præsumptione docet *Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 3. num. 1.* Quoad pœnam interpositam per alios à contrahentibus, *Anton. c. gemma nu. 7. de sponsalibus, Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. t. 18. nu. 1. Bartolus in l. si stipulatus fuero vt sisti §. si tibi nupseris ff. de verbor. obligat.* [17]

[margin: *Pœna impropria regularitèr non irritatur.*]

[margin: Coaruuias Antonius. Mantica. Bartolus.]

Probatur prima pars, quia ex genere suo, quantumuis metu pœnæ non possint validè homines compelli ad nubendum, possunt tamen spe lucri allici ad matrimonium, vndè si quis alicui dixerit *Dabo tibi centum, si nupseris*, valet conditio, nec promissum debetur, nec peti potest, nisi contractis nuptijs, *Baldus in l. generalitèr num. 9. C. de Episc. & Cleric. Spinus in specul. testam. glos. 12. nu. 18. per textum in l. sancimus C. de nupt. & l. cum fuerit ff. de condit. & demonstrat.* hæc etenim conditio, cum respiciat fauorem publicum, idest augmentum Reipublicæ, non potest esse nisi honesta, ergo si ex genere suo potest quis spe lucri allici ad nubendum, nec talis conditio est illicita, nec erit illicita conditio, qua quis promisit alteri centum, si secũ nupserit, quod enim ex genere suo nõ est illicitũ, nec potest esse illicitum in casu particulari, nisi interueniant ex alio capite conditiones deturpantes.

[margin: *Allicitur spe lucri ad matrimonium.* Baldus. Spinus.]

Dices

Dices cum *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 33. num. 3.* vbi alios plures pro se citat, quod, quandò quis ex contrahentibus interponit huiusmodi pœnam, seù promittit alteri tot, si secum nupserit, semper sit præsumptio, quod illa promissio fiat intuitu explendæ libidinis, & ad inducendum alterum hoc fine ad matrimonium, & per consequens illa promissio, cum sit de re turpi, & illicita, non potest esse valida. Sed contrà ad eludendas omnes difficultates, quæ in hoc genere possunt excitari, & simul ad tollendam vim instantiæ placet secundum varios casus rem examinare; vel etenim masculus dicit fœminæ, *promitto tibi matrimonium, si centum mihi dederis*, vel masculus dicit fœminæ. *Promitto tibi centum, si mecum nupseris*. Rursus in hoc secundo casu, vel promissio facta per masculum fœminæ est cum expressione promissi ad finem donationis proptèr nuptias, vel sine illa expressione cum sola obligatione ad nuptias; si primo modo res se habeat, nulla potest esse turpitudo, & per consequens conditio non potest esse vitiosa, quandòquidem illud, quod exigitur, intelligendum est causa dotis, vt per se patet, cum hæc regularitèr in omnibus contractibus matrimonialibus interueniat, & de ipsa conueniatur *Couaruias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 3. nu. 1. Sanchez d. lib. 1. de sponsal. disp. 33. num. 4.*, si secundo modo res se habeat, tunc si fuerit expressum, quod illa quantitas promittatur tanquam donatio proptèr nuptias, nulla est inordinatio, nullaque resultat turpitudo, adeoque non redditur vitiosa conditio, *Bartolus in d. l. si ita stipulatus fuero te sisti §. si tibi nupserit, ff. de verb. oblig.*, si verò non fuerit facta expressio, sed res indefinitè concepta, tunc asserunt *Bartolus in d. l. si ita stipulatus fuero §. si sibi nupserit, Antonius in c. gemma nu. 7., & ibi Abbas nu. 9. Alexander de Neuo nu. 16. Præpositus nu. 7. de sponsalib. Rosella verb. sponsalia nu. 7. Angelus in l. Titia in princip. num. 2., & ibi, Immola n. 4. ff. de verb. oblig. Ioannes Lupus cap. per vestras de donat. inter vir., & uxor. §. 21. nu. 1, & 2.*, quod, si vir promittens fœminæ centum, si secum nupserit, fuerit senex, vel ignobilis comparatiuè ad eandem fœminam iuuenem, & nobilem tenet promissio illa conditionata, & posita conditione nuptiarum quantitas promissa est soluenda; quià tunc illa quantitas data supponitur, & promissa in compensationem iuuentutis, & nobilitatis; si verò vir promittens fuerit in conditionibus æqualis fœminæ promissariæ asserunt, quod promissio non teneat eo, quià supponatur facta causa libidinis explendæ, per textum *in d. l. si ita stipulatus fuero §. si sibi nupserit ff. de verb. oblig.*, sed in hoc contrarium absolutè sentio; quià in primis in hoc est dubium, an promiserit causa libidinis explendæ, an verò ex alio fine iusto; in dubio autem potius est præsumendum pro honestate, quam pro turpitudine *Couaruias 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 3. n. 1.* Deindè, vel præcisè promisit ad finem inducendi alterum ad matrimonium ex causa sola libidinis explendæ in matrimonio præciso quocunque alio fine honesto, vel procreationis filiorum, vel concupiscentiæ sedandæ in eodem matrimonio, vel ad finem sedandæ libidinis in matrimonio modo licito, non præcisis alijs finibus intentis ex natura sua in eodem matrimonio; iuxtà primum sensum, vtique promissio videtur inualida, quià ordinatur ad finem illicitum, maximè stante declaratione Sanctiss. Domini nostri Innocentij XI. Pontificis nunc regnantis, qua in congregatione S. Romanæ Generalis Inquisitionis habita sub die 29. Martij 1679. damnauit propositionem illá, quæ est in ordine, & numero nona, quæ dicebatur licitum esse coitum coniugalem ex solo fine explendæ libidinis; sed hoc non aduersatur nostræ assertioni, quæ procedit iuxtà cursum regularem præcisa quacunque præsumptione turpitudinis, & prauitatis, & iuxtà hunc sensum procedit solummodò textus, *in d. l. si ita stipulatus fuero §. si tibi nupserit*; iuxtà secundum verò sensum non elucet in illa promissione aliqua prauitas, & turpitudo, quantumuis interuenerit finis explendæ libidinis, quandòquidem stantibus alijs finibus cohonestatur actus, & libido ex natura sua expletur in actu coniugali, quantumuis intento ex alijs finibus honestis.

Secundum varios casus, secundum quos potest adijci illa pœna impropria, semper verificatur quod sit illicita.

Bartolus. Antonius. Alexander de Neuo. Præposit. Rosella. Angelus. Immola. Lupus.

Non elucet, quod fuerit ex causa libidinis.

Probatur iam secunda pars *ex l. Titio §. 1. ff. de condit. & demonst., & l. 1. C. de instit., & substit.*, nec incongruæ rationi huiusmodi iura innituntur, quandoquidem talis promissio non impedit libertatem matrimonij, sed solum inuitat virum, vel mulierem ad matrimonium sub spe illius lucri promissi, vt si vult illud lucrum v. gr. legati, & institutionis consequi, liberè contrahat cum persona in legato, vel institutione nominata *Aimon Crauetta cons. 1. num. 5. Minsinger cent. 6. obseru. 31. Marta de success. part. 4. q. 18. art. 2. num. 85. Rota Romana in vna Mediolanensi indulti 27. Octobris 1591. coram Pamphilio apud Richium collect. 1351. part. 4.*, & illa spes lucri non cogit, sed potius allicit ad contractum. Hoc idem euincitur *in l. cum ita legatum sit vers. si Titio nupseris ff. de condit., & demonst.*, vbi dicitur, quod si testator præcipiat fœminæ, vt alicui nubat sub pœna hæreditatis, vel legati amittendi valeat conditio *Ioannes Lupus c. per vestras not. 2. §. 2. num. 1. de donat. inter vir., & vxor. Pelaez de Meres de maior. 1. part. q. 50. num. 1. Molina tom. 1. de instit. tract. 2. disp. 207.* Hæc, quæ dicuntur in hac probatione non solum verificantur, quando promissio per lega-

Crauetta. Misinger. Marta. Rot. Rom.

Illa spes lucri allicit non cogit. **Lupus. Pelaez. Molina.**

legatum,& institutionem ponitur per modum conditionis, vt cum dicitur *Promitto, vel lego tibi centum nummos aureos, si duxeris Caiam*, si promissarius sit masculus, *vel si duxerim Octauium*, si promisseria fuerit fœmina, sed etiam quando promissio fit per viam modi, vt si dicatur *Lego Titio, vel instituo Titium hæredem, vt ducat Mariam*.

Valet etiã, si pœna impropria fiat per viam modi.

Ratio est, quià legatum, seù hæreditas, vel alio quocunque modo relictum non habet vim, nisi secundum intentionem legantis, instituentis,& relinquentis, & ad modum, quo ipse legauerit, instituerit, seù reliquerit, nec aliter, nec alio modo; cum etenim sit in potestate ipsius legantis, vel instituentis legare, & instituere,& non legare, & instituere secundum substantiam, esse debet etiam in potestate ipsius legare, & instituere sub tali, vel tali modo, & non alitèr. Neque obesse potest, si asseratur, quod legatum, seù hæreditas per modum relicta statim acquiratur, adeòque, quod non currat paritas de ipso, ac de conditione, respectu cuius non acquiritur hæreditas, nisi ipsa purificata; Non, inquam, obesse potest, quià licet hæreditas sub modo statim acquireretur, non propterea tollitur, quin, si non adimpleuerit legatarius, vel institutus illum modum, possit priuari illo iure, quandoquidem non esset formatum, nec radicatum *Gutierez. cons.18.num.3. & 4. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib.11. tit.18.num 3.*

Legatum sub modo statim acquiritur, si sit formatũ & radicatum.

Gutierez. Mantica.

Dixi, *cum sit in potestate ipsius legantis, vel instituentis legare, & instituere, vel non legare, & non instituere*, nam si teneretur relinquere ex aliquo onere iustitiæ, vt legitimam respectu filiorum, vel fideicommissaria bona respectu vocatorum, tunc si relinqueret sub modo, vel conditione, nec modus, nec conditio subsisteret, cum enim tàm legitima, quàm fideicommissum essét debita; vel debitum non possét cadere sub conditione, vel modo *Coaruuias 4. decret. 2.part.c.3.§.3.nu.7. Mantica de coniect. vltim. volunt.lib.11. tit.18. num.12. Molina lib. 1. de primog.c.13.num.4. Sanchez de matrimon.lib.1. de sponsalib. disp.33. num.10.*

Legatum debitum nõ potest cadere sub modo, vel conditione.

Coaruuias. Mantica. Molina. Sanchez.

Limita tamen primò hanc secundam partem essertionis in hypothesi, qua pro-
18 missarius non posset honestè contrahere cum persona in legato, vel institutione nominata, tunc etenim non teneretur adimplere conditionem, vel modum appositum, & tamen consequeretur legatum, & hæreditatem *Morotus cons. 97. num. 19. Oldradus cons.16. Hercul. Marescot. var. resol. lib.1.c.73.num.9. Marta de succes. part.4.q.18. art.2.num. 85. Ioannes Angelus Bossius de matrimon.contract.c.11. num. 467.* Ratio ex eo deducitur, quià talis conditio, vel modus tanquam turpis à iure reijcitur,& habetur pro non adiecta, vel adiecto.

Morotus. Oldradus. Marescot. Marta. Bossius.

Hinc infert primò *Sanchez d.lib. 1. de sponsalib.disp.33.num.13.*, quod legatum, vel 19
hæreditas relicta filiæ familias sub conditione, si nupserit alicui determinatæ personæ, vel sub modo, vt eidem nubat, non amittatur, si filia ex paterno consensu alteri nubat. Ratio autem deducitur ex præsumpta voluntate legantis, & instituentis, qui præsumitur velle legatariam, seù institutam tales nuptias inire, si honestè possit; non videtur autem posse honestè sine consensu Patris, vel potius contra eiusdem consensum, quod etiam confirmat idem *Sanchez loc.cit.* paritate quam adducit *Baldus cons. 357. vol. 1.* in materia statutorum Mediolanensium, in quibus præscribitur, quod mulier Mediolanensis extra Ducatum non nubat sub pœna amissionis hæreditatis, & tamen si nubat extra ex iussu paterno hæreditate non priuatur *Baldus in l.1.num.9.C.de instit.,& substit. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 16 in fin. Coaruuias 4.decret.1.part.c.3.§.8. num.2.* Verum aduersus hanc illationem militare videtur efficax argumentum deductum ex superius dictis, quod scilicet filia in causa matrimonij sit sui iuris, nec dependeat à voluntate Patris, ac proindè, si nubat contra eius voluntatem, non peccet, nec inhonestè agat. Sed facilè occurri potest huic argumento, si asseratur, quod quamtumuis filia nubendo contra voluntatem Patris, seù sine eius consensu non peccet cõtra virtutes morales, peccet tamen contra bonos mores saltem ciuiles, sicque non honestè agit tali pacto nubendo; quando autem dicitur, quod fœmina grauata cum tali persona nubere, teneatur cum eadem nubere, si honestè possit, intelligendum est de honestate non solum quoad virtutes morales, sed etiam quoad mores politicos & ciuiles, vt infrà fusiùs videbimus.

Sine consensu Patris honestè illi non nuberet

Baldus. Mantica.

Peccat contra bonos mores saltẽ ciuiles.

Infert secundò *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. num. 468.*, quod legatum, vel hæreditas non amittatur relicta sub conditione nuptiarum cum tali determinata persona, si honestè, & decenter cum persona nominata grauatus, vel grauata nubere non possit per textum *in l.cum ita legatum ff.de condit.,& demonst.* rationemque huius illationis,& iuris, in quo fundatur, affert *Sanchez d. disp. 33. num 11*, quià id dicimur posse, quod honestè possumus *l.Nepos Proculo ff.de verb.oblig.*, quod autem honestè non possumus tanquam turpe à iure reijcitur *Coaruuias de sponsal. part.2.c.3.§.3. Simon de Pretis de interpreta. vlt.volunt.lib.4. interpret.2.dub.1. Fontanella de pact.nupt.claus.7.glos.3. part.4. Franciscus Molinus de ritu nuptiali lib.2.diff.16, num.11. Molina de iust, & iur. tract.2. disp.207. Paulus Laiman Theol.mor.lib.3. tract.5. c.10.* Hic tamen notat *Sanchez d.disp.33.nu.12.* quod, si legatum, vel hæreditas fuerint relicta fœminæ viduæ sub ea conditione, vel modo,

Coaruuias. Simon de Pretis. Fontanella. Molinus. Molina. Laiman.

ve nubat personæ, quæ indigna supponitur, & ipsa eidem non nupserit, sed alteri ab ipso, amittat legatum, vel hæreditatem, secus verò, si nec ipsi, nec alteri nupserit, rationemque ex eo adducit, quod in legato, vel hæreditate sic relicta ex præsumpta mente legantis, vel testatoris duplex quodamodo virtualiter conditio includitur; altera, qua iubetur nubere tali, quæ vt turpis reijcitur, cum persona illa præsumatur indigna, altera implicita, qua iubetur alteri non nubere per textum *in l. cum tale ff. de condit., & demonst.*, sicque hanc conditionem non adimplendo, quæ non inhonesta supponitur, priuatur legato, vel hæreditate. Si autem hic inquiras, cur hoc specialiter dicatur in vidua, adeovt si alteri nubat, amittat relictum sub illa conditione implicitè inclusa, non autem in virgine, quæ, si non nubat personæ in legato, vel hæreditate nominatæ, eo quod sit indigna, nubat tamen alteri dignæ, non priuetur relicto; si, inquam hoc inquiras, respondet idem Sanchez hoc prouenire, quia honestum est à secundis nuptijs abstinere per textum *in c. fin. 31. q. 1.* non sic autem à primis, quando impedimentum prouenit ab extrinseco *auth. de nuptijs §. quæ verò collat. 4. auth., cui relictum C. de indict. vid. Couarruuias 4. decret. 2. part. c. 4. §. 9. nu. 11. Acosta l. cum tale § si arbitratu lim. vlt. num. 1. ff. de condit., & demonst.* Nomine autem virginis quoad præsentem effectum venit fæmina, quæ nulli nupsit, quantumvis fuerit corrupta *Antonius Gomez var. c. 12. num. 76. Matienzo lib. 5 recopil. tit. 1. l. 3. glos. 2. num. 14. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 207.*, & item vidua, quæ matrimonium non consummauit *Baldus auth. cui relictum num. 2. C. de secundis nupt. Gratianus reg. 83. nu. 1. Acosta d. l. cum tale §. si arbitratu ff. de condit., & demonst.*, Sed hæc duo videntur ad inuicem militare; si enim nupta, & non corrupta non priuatur legato, & hæreditate, si alteri à nominato indigno nubat, ergò non nupta, sed corrupta erit eodem legato, vel hæreditate priuanda; sed si res attentè perpendatur secundum id, quod iura intendunt, dum volunt honestum esse abstinere à secundis nuptijs, non sic à primis, quando impedimentum prouenit ab extrinseco, innotescet, quod eadem ratio militat in vtraque, quando fæmina non fuit nupta, & corrupta, ac quando fuit nupta, sed non corrupta, quandoquidem iura respiciunt præcisè fauorem primi matrimonij ex vtraque parte completi, & consummati, propter quod dicunt honestum esse à secundis nuptijs abstinere; in casu autem, quo fæmina non fuit nupta licet corrupta non potest militare ratio fauoris primi matrimonij, vt per se patet; in casu verò quo fuit nupta, sed non corrupta, non fuit complementum eiusdem primi matrimonij, adeoque &c.

20 *Vidua amittat legatũ sibi relictũ sub conditione, vt nubat indigno, si alteri ab ipso nupserit.*

Ratio discriminis inter virginem, & viduam.

Couarruuias. Acosta.

Nomine virginis venit fæmina, quæ nulli nupsit quamuis fuerit corrupta. Gomez. Matienzo. Baldus. Gratianus. Acosta.

Sed corrupta quoad hoc non venit sub hac dispositione

Limita secundo in casu, quo per legatarium, vel legatariam, institutum, vel institutam nó staret, quominus matrimonium contraheretur cum persona in legato, vel hæreditatis institutione nominata, tunc etenim per non adimplementum sponsalium, vel matrimonij legatarius, vel institutus non amitteret legatum, vel hæreditatem *Menochius de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 183. nu. 25. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. nu. 37. Fontanella de pact. nupt. claus. 6. glos. 3. part. 4. num. 32. Molina de iust. & iur. d. tract. 2. disp. 207. Oddus conf. 92. num. 1.*, rationemque adducit *Ioannes Angelus Bossius d. c. 11. num. 472. vers. item per legatarium*, quia scilicet in conditionibus pendentibus à duorum voluntate eædem conditiones, si nó ex culpa grauati, sed alterius deficiant, habeantur pro impletis *l. in testamento ff. de condit., & demonst., l. 1. C. de instit., & substit. Mantica de coniecturis vltimar. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 37. Molina tract. 2. disp. 206. in fin.* Hic tamen aduertendum est, ea, quæ dicuntur in hac limitatione, procedere dumtaxat, quando ea conditio in vltima voluntate ponitur, secus quando ponitur in cótractu irreuocabili, tunc etenim huiusmodi conditio non reijcitur, sed absolutè irritat contractum per textum *in l. non solum ff. de act., & oblig.* rationemque adducit *Sanchez d. disp. 33. num. 21.*, quia quod est extraordinarium in vltimis voluntatibus non trahitur ad contractus *l. 1. C. de instit., & substit.* Si autem inquiras, à quonam desumatur hæc diuersa dispositio in contractibus, ac in vltimis voluntatibus, communitèr respondent DD. hoc fauore vltimarum voluntatum inductum esse eo, quia Reipublicæ vtilitati maximè congruit, vt vltimæ voluntates, quantum fieri possit, adimpleantur, nec incongrua sanè ratione hoc DD. decernunt, quandoquidem, vt benè notat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 12. num. 92.* contractus mutuo contrahentium consensu perficiuntur, testamentum autem per quod hæreditas, vel legatum defertur, à testatoris dumtaxat voluntate dependet, adeoque mirum non est, quod iura tolerent lubricum, & incertum vnius hominis in testamento animum, non verò duorum, vel plurium in contractibus *Spino in specul. testam. glos. 14. princip. num. 136.*, quod etiam considerauit *I.C. in l. non solum ff. de act., & oblig. Cuiacius in l. impossibilis ff. de verb. oblig. Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. compar. 26. nu. 147. in fin. Ludouicus Lopez de contract. c. 44. dicto 1.*

21 *Non amittitur, si per legatarium non stetit quominus illa nuptia celebraretur.* Menoch. Mantica. Fontanella. Molina. Oddus. Bossius. *Huiusmodi conditio, vel modus habetur pro impleto.* Mantica. Molina.

22

Non valet in vlt. quæ cauent sub contractu irreuocabili

Bossius.

Spino. Cuiacius. Molinus. Lopez.

Ex dictis in hac limitatione multæ insurgunt rationes dubitandi in præsenti currenti calamo dissoluendæ. Prima est, an, si testator disposuerit legatum in fauorem Titij, si nupserit Caiæ eiusdem testatoris consobrinæ, & ipsa renuerit, sed alteri

ri nupserit, & deindè hic alter occubuerit, an, inquam, si posteà Caia annuerit, & Titius adhuc liber sit, teneatur eam ducere, & si non ducat, amittat legatum. Respondendum est absolutè, nec teneri eam posteà ducere, & si non ducat, non amittere legatum. Itá sentiunt plures apud *Ioannem Angelum Bossium de matrim. contract. c. 11. num. 475. in fin.* Ratio non solum ex eo deducitur, quod testator præsumédus est, quod intellexerit de primis, non de secundis nuptijs, & in ordine ad primas non stetit per legatarium, quin eas impleuerit, sed etiam quià illa conditio per reluctantiam Caiæ alteri nubentis intelligitur sublata.

23 *Post primas nuptias cū altero non amittitur legatum.* Bossius.

Quid verò dicendum sit in hac hypothesi, si Caia prius renuerit nuptias cum Titio grauato, non tamen alteri nupserit, & posteà pænitentia ducta, antequam Titius alteram duxerit, annuerit eiusdem Titij grauati nuptijs, an scilicet, in hac hypothesi, si Titius cum eadem nō nubat, amittat legatum, vel hæreditatem. Respondendum est absolutè conditionem haberi pro impleta, & Titium in ea hypothesi non amittere legatum, siue illud fuerit quantitatis, siue speciei, siue Titius in re illud fuerit consecutus, siue adhuc quoad possessionem illud non acquisierit *Baldus in l. 1. nu. 3. C. de institut., & substit., & ibi Salicetus nu. 5. Bartolus cons. 112. num. 1. Campegius de dote part. 1. q. 43. Emanuel à Costa in l. tale pactum §. si arbitratu limit. 6. num. 4. ff de condit., & demonstrat. Simon de Pretis lib. 4. interpret. 2. dub. 12. num. 69. Surdus de aliment. tit. 5. q. 5. num. 25., & seqq. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. num. 496.* Ratio ex eo deducitur, quià ex eo, quod Caia recusauerit nuptias cum Titio, conditio apposita per testatorem habetur pro impleta, & purificata, quandoquidem non stetit per Titium grauatum, quominus nuptiæ illæ contraherentur, hocque expressè habetur *in l. 1. C. de instit., & substit.*, Neque in hoc audiendi sunt aliqui volentes allegatum textum verificari solummodo, quando renuens perseuerat in contradictione, secus autem quando primò renuit, & posteà assentiendo retractat contradictionem altero permanente in statu libertatis; non, inquam, audiendi sunt, quià, cum conditio semel per repudium sit adimpleta, & purificata, & alteri ius quæsitū, iam non est locus pænitentiæ *l. illud cum simul ff. de peric., & com. rei vend. l. si ita quis §. sciā ff. de verb. oblig.*, & conditio, quæ semel adimpleta est, non reuiuiscit *l. cūm vxori C. quando dies legat. ced.*, & quod semel repudiatum est, non potest amplius reintegrari *Surdus de alim. tit. 5. q. 5. num. 25. ex d. l. 1. C. de instit., & substit.* Deinde ex superius dictis conditio per testatorem apposita semper intelligitur obligare, si grauatus possit honestè

Conditio per reluctā. tiam feminæ intelligitur sublata.

24 *Non amittit legatarius, quantumvis fæmina, quæ respuit nuptias cum ipso, alteri non nupserit.* Baldus. Salicetus. Bartolus. Campeg. Emanuel à Costa. De Pretis. Surdus. Bossius.

Conditio intelligitur per repudiū adimpleta.

adimplere, non aliter, nec alio modo, sed posito repudio facto per Caiam in datá hypothesi Titius honestè non nuberet, quià per repudium fit iniuria petenti, & interpellanti, & matrimonium redditur vilius, sicque non est præsumendum, quod, si testator hunc casum præuidisset, aliter disposuisset.

Dixi *siuè illud fuerit quantitatis, siuè speciei, siuè grauatus illud legatum fuerit consecutus, siuè non*, quià semper illud est debitum grauato quotiescunque, vel adimpleta fuerit conditio, vel eadem ex dispositione iuris reiecta, & sicuti, si conditio fuerit in effectu adimpleta, & verè purificata debetur legatum, siuè illud fuerit quantitatis, siuè speciei, siuè traditum, siuè hactenus non traditum, vt tenetur fateri Aduersarij, quià ex dispositione testatoris grauatus ius habet ad illud, ità si illa conditio per repudium alterius non purificetur, adhuc debetur, quià conditio purificata, & conditio non adimpleta non quidem defectu grauati, cum per ipsum non steterit, sed ex parte alterius in iure quoad hunc effectum sibi æquiualeant. 25

Procedit de legato, siuè fuerit quantitatis, siuè speciei.

Secunda ratio dubitandi est, an, si quis per testatorem grauatus in legato, vel hæreditate eidem relictis cum aliqua persona nubere requisitus ab eadem persona, cui ex testamento nubere tenetur, nuptias recusauerit, possit posteà pænitere de recusatione, moram purgare, & consequi legatum, vel hæreditatem. Negatiuè respondendum est propter rationes superius adductas, quià scilicet conditio, quæ semel defecit non potest amplius adimpleri, & in fauorem actoris mora non purgatur *Bartolus in l. si insulam col. penult. & ib. Iason num. 39. q. 9. Ripa nu. 115. ff. de verb. oblig. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 18. nu. 42.* Neque dicendum est, non currere hic paritatem de grauato renuente contrahere, & posteà resiliente à recusatione, & annuente, ac de grauato, quando alter ab ipso renuit, & posteà pænitentia ductus resilit à negatione, & annuit, quandoquidem quando alter renuit, ipse ius acquirit ad legatum, vel hæreditatem ex præcisa alterius resilientia, quando verò ipse grauatus renuit, alter nullum ius consequitur, nec ipse quid magis acquirit, adeoque hic videtur res adhuc integra, non ibi; Non, inquam, dicendum est, quià sicuti alter resiliendo amittit ius, quod habebat ex dispositione testatoris, ita ipse etiam renuendo contractui ius, quod acquisiuit ab eiusdem testatoris voluntate, debet amittere: nō enim potior ratio est, quod alter renuendo ius amittat, & grauatus etiā recedendo illud non amittat; Nec item dicendum est cum *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 33. num. 15. vers. ex hac doctrina*, ea, quæ dicta 26

Legatarius amittit legatum, si contrahere respuerit, & posteà pæniteret. Bartolus. Iason. Ripa. Mantica.

dicta sunt in hac ratione dubitandi dumtaxat verificari, quando testator apponens illam conditionem priuat ipso iure grauatum, si requisitus nō assenserit nuptijs, hocque ea ratione, quià immediatè per illam negationem political assensus, alter successor, seù hæres ius acquisiuit in illo legato, sicque quando iam ius est alicui quæsitum, non est amplius locus pænitentiæ, *Glos. in c. nosti verb. reuocare de elect. Peralta l. 3. nu. 1. ff. de leg. 2.* non verò verificari, quandò ipso iure non priuat, quia tunc nulli ius acquisitum est, tunc enim proderit pænitentia *Pelaez de Mieras de maioratu prima part. qu. 50. num. 13.* Non, inquam, dicendum est, quia ex natura ipsa conditionis consequitur eadem priuatio; eo ipso etenim, quod testator apposuit illam conditionem, intelligitur implicitè voluisse negationem legati, si grauatus conditionem illam non adimpleuerit, sicque legatum immediatè cedit, vel hæredi, si fuerit in testamento nominatus, vel succedenti ab intestato, si in testamento nullus hæres fuerit vocatus.

Peralta. *Amittit, quantumuis testator alterum nō substituerit*

27 Limitanda tamen est hæc nostra responsio in casu, quo in fauorem recusantis militaret aliqua legitima excusatio, & primò, quando grauatus requisitus ad nubendum, non esset conscius dispositionis testatoris, tunc etenim purgari posset mora per pœnitentiam habita notitia illius dispositionis, *Fontanella de pact. nupt. claus. 6. glos. 3. part. 4. nu. 41. Oddus cons. 79. nu. 26. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. nu. 487.* non enim potest esse legitima pœna, vbi non est delictum aduersus mentem testatoris, delictum autem non est, vbi mens eiusdem non est nota. Secundò, quando mulier grauata esset minor, & allegaret se nuptias cum persona nominata à testatore recusasse ex ætatis, & sexus fragilitate, iudicijque imperfectione, & peteret ad cautelam restitutionem in integrum, *Oddus, & Fontanella loco cit. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 33. nu. 15. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contractu d. c. 11. nu. 488.* quod idem dicunt verificari, quandò assereret se metu reuerentiali patris dictis nuptijs primò renuntiasse.

Nisi intercederet legitima excusatio. Fontanella. Oddus. Bossius.

Enumerantur excusationes legitimæ.

Sanchez. Bossius.

28 Tertia ratio dubitandi est, an si quis grauatus fuerit à testatore sub pœna amissionis legati ad nubendum cum persona nobili, & re vera primò duxerit nobilē, sed posteà eadem defuncta ignobilem duxerit, amittat legatum, seù hæreditatem. Respondeo probabilius esse in ea hypothesi, per nuptias secundas cum ignobili non priuari legato, seu hæreditate, nisi de præsumpta voluntate testatoris ex rationabilibus coniecturis conditio esset quodammodò successiua, & exigeret perseuerantiam *Acosta in l. cum tale si arbitratu ampl. 3. nu. 10. ff. de condit. & demonstrat. Simon de Pratis lib. 4. de interpret. vlt. voluntatum interpr. 2. dub. 12. nu. 66. & seqq. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. n. 503.* aduersus *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 33. nu. 4. vers. dicendum est*, & alios asserentes in tali conditione apposita per testatorem semper inuolui præceptum negatiuum, quod obligat ad semper, & pro semper. Deducitur satis clarè responsio ex *l. si quis hæredem ff. de instit. & substit. & l. in substitutione ff. de vulgar. & substit.* & ex eo, quod communitèr dicitur, quod conditio apposita à testatore sufficiat quod fuerit semel impleta, quantumuis posteà non duret, *l. rogo in princip. ff. de fideic. lib. Bald. in auth. sed si quis nu. 2. C. de secund. nupt.* vbi asserit conditiones non requirere actus permanentes, sed executionem in actibus transeuntibus, nec absolutè verum est, quod ex Sanchez circumfertur, quod scilicet conditio, de qua loquimur, implicitè, & ex natura sua inuoluat præceptum negatiuum, quandoquidem nec ex natura sua, nec ex mente testatoris arguitur illud præceptum negatiuum, non ex natura sua, nam illa conditio concepta verbis affirmatiuis, non negatiuis, & secundum se potius est ordinata ad affirmationem, quàm negationem, secùs si alitèr esset, verificaretur etiam, quod quādo testator apponeret legatario conditionē semper intelligeretur de cōtinuata, & successiua, cum posset præsumi, quod in eadem inuolueretur præceptum negatiuū, quod non est dicendum, quia sermo simplicitèr prolatus intelligitur de prima vice per textum *in l. boues §. hoc sermone ff. de verber. signif.* nec item ex præsumpta mente testatoris, cum non arguatur ex aliqua circumstantia in eadem conditione apposita voluisse illam successiuam, permanentiam, & cōtinuatum onus, quinimmò cum illa conditio sit quodammodò onerosa etiam ex mente apponentis, non potest admittere, nisi mitiorem interpretationem.

Nubens primò nobili non priuatur legato, si posteà duxit ignobilem.

Acosta. Simon de Pratis. Bossius.

Conditio sufficit, si fuerit primò, & semel impleta.

Non inuoluit præceptum negatiuum.

Dixi *nisi ex præsumpta testatoris voluntate ex rationabilibus coniecturis conditio esset quodammodò successiua*, tunc etenim locū haberent ea, quæ asserit *Sanchez loco cit.* & verificaretur inuolui præceptum negatiuum; hoc autem contingeret primò, quando testator conciperet conditionem sub illis terminis, vt non nuberet, nisi personæ nobili, vt notant *Oddus cons. 16. num. 3. Simon de Pratis de interpret. vlt. voluntat. lib. 4. interpr. 2. dub. 1. nu. 9. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 8. num. 3. Stephanus Gratianus discept. for. tom. 1. c. 5. nu. 11. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 11. num. 507.* in hac etenim suppositione inuolueretur præceptum negatiuum 29

Excipe, nisi conditio esset successiua. Oddus. De Pratis. Mantica. Gratianus. Bossius.

ctiuum conceptum verbis negatiuis, quod propterea importat successiuam perseuerantiam. Contingeret secundò in casu, quo testator obligaret legatarium ad cōtrahendum cum aliqua de Agnatione, *Simon de Pretis d. lib. 4. interprat. 2. dub. 12.* túc etenim præsumeretur testator voluisse vt bona per se relicta permanerent in sua agnatione, & familia. Quoad has tamen limitationes aduerte, quod si contracto primo matrimonio juxta dispositionem testatoris, nulla alia esset persona nobilis, nullaque de cognatione eiusdem testatoris, cum qua legatarius posset licitè, & honestè contrahere, tunc sine amissione legati posset cum alia quacunque contrahere, quià tunc reicitur talis conditio, vel habetur pro impleta, vt notant *Simon de Pretis de interprat. vlt. volunt. lib. 4. in c. 2. dub. 1. num. 7. & dub. 12. nu. 69. Ioannes Angelus Bossius d. c. 11. num. 508.* & iuxtà hunc sensum verificantur ea, quæ superius dicta sunt, quod scilicet non staret per istum legatarium grauatū, quominus cum personis à testatore deputatis nuberet.

Simon de Pretis. Bossius.

Quarta ratio dubitandi est, an, si testator legatarium grauauerit ad nubendum cum certa persona, cum qua antecedentèr nupserat, ipse legatarius gaudeat legato sibi per testatorem relicto. Respondeo cum distinctione, vel etenim testator præcisè legauit nulla habita ratione dotis, vel præcisè legauit pro dote constituenda mulieri, si nupserit tali personæ. Iuxtà primum sensum sentiendum est deberi mulieri legatariæ, iam nuptæ viuente testatore. *Marta de success. part. 4. qu. 18. num. 14., & seqq. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 18. num. 36., & seqq. Baldus in l. si filia legatorum num. 1. vers. tu dic indistinctè C. de legatis, Coaruuias in c. officij num. 10. de testamentis.* Ratio ea esse potest, quià illa conditio, *si nupserit tali* includit omne tempus, *Natta cons. 485. nu. 6. Riminaldus Iun. cons. 638. nu. 48. Paulus de Castro cons. 309. n. 2. vol. 1.*, nec restringitur ratione alicuius conditionis appositæ dotis, vel alicuius alterius rationis ad aliquod tempus determinatum; nec in hoc locum habet id, quod asserit *Bartolus in l. Lucius ff. de leg. 2.* vbi ait, quod si mulier viuente testatore iam nupserat, causa legati sit extincta, adeoque etiam ipsum legatum. Non, inquam, locum habet, quià vt benè notat, *Baldus in d. l. filia legatorum C. de legatis*, in ea hypothesi dicitur causa legati extincta, quià impleta est conditio, non extincta, quià finita, adeout nullam vim habeat; quandò autem conditio est impleta, potiùs confirmat legatum, quam destruat; Neq; item locum habet textus, *in l. statu liber §. stychum ff. de leg. 2., & l. fi. vnus §. si cum rei ff. de pact.* vbi dicitur,

30 *Acquirit quamuis antecedenter nupserit persona nominata.* Marta. Mantica. Baldus. Coaruuias

Illa conditio includit omne tempus. Natta. Riminald. Castrensis.

quod, vbi legatum collatum est ad tempus nuptiarum, censeatur post illud tempus prohibitum; Non, inquam, habet locum, quandòquidem allegata iura procedunt dumtaxat, quandò tempus est adiectum ad terminandam obligationem, non verò quandò tempus est adiectum ad differendam solutionem, vt notat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. n. 544. in fin.* Iuxtà secundum sensum adhuc distinguendum existimo, vel enim testator legauit mulieri dotem, seù dotis legatum fecit, vel legauit certam pecuniæ quantitatem ob maritandam certam mulierem; primo modo legatum tenet, siuè testator fuerit extraneus, siuè Pater, & ascendens eiusdem mulieris, siuè sciuerit mulierem fuisse nuptam, siuè ignorauerit *Cancerius var. tom. 3. c. 20. nu. 189. Marta de success. part. 4. qu. 18. nu. 16.*, secundò modo legatum non tenet, si testator ignorauerit mulierem illam esse iam nuptam, secùs verò si sciuerit. Ratio primæ partis huius secundi membri ex eo deducitur, quià causa dotis non est finita, quantumvis fœmina illa iam fuerit nupta, cum dos etiam constante matrimonio possit constitui, & augeri *l. penult., & auth., sed iam Cod. de donat. ante nuptias.* Ratio autem secundę partis quoad primum membrum diuisionis, quam sequuntur. *Coaruuias in c. officij num. 10. de testam. Simon de Pratis de interpret. vlt. vol. lib. 4. interpret. 1. dub. 9. n. 47.* ex eo deducitur, quià tunc cessat finis, & causa legati, quandòquidem videtur testator intendisse præcisè nuptias talis fœminæ quasi, quod diceret *lego eidem centum nummos aureos, vt possit nubere*. Ratio eiusdem secūdæ partis quoad secundum membrum ex eo deducitur, quod, cum testator sciuerit iam legatariam esse nuptam, non potuit habere pro fine præcisè nuptias, seù addidisse præsumendus est doti iam constitutæ, vel constituisse de nouo, si non erat dotata.

31 *Etiam si legata fuerit dos.* Cancerius. Marta.

32

Coaruuias. Simon de Pretis.

Alias limitationes, & rationes dubitandi adducunt, *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 23. à n. 14. vsque ad fin., & Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. à nu. 455. vsque ad num. 556. inclusiuè*, quos vos ipsi consulere poteritis; non enim vacat in his diutius immorari.

Assertio VII. Pœna impropria, seù de lucro non acquirendo retrahens à matrimonio, vel à sponsalibus, quatenus importat conditionem nunquam nubendi respectu viri, vel mulieris, qui nondum matrimonium contraxerint, absolutè reijcitur, & legatum, seù hæreditas purè debetur, *Antonius Gomez var. tom. 1. c. 12. n. 78. Molina de iust., & iur. tract. 2. disp. 207. Spinus in specul. testam. glos. 14. à n. 43. ad 80. Sanchez lib. 1. de matrimon. disp. 34. Laiman lib. 3. Theologia moral. tract. 1. c. 10. n. 14. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. nu. 558.*

33 *Pœna retrahens à matrimonio, vel sponsalibus reijcitur.*

Gomez. Molina. Spinus. Sanchez. Laiman. Bossius.

558. *Villalobos 2. part. summa tract. 30. difficult. 3.*

Iura euincentia assertionem. Expresse euincitur ex dispositione iuris *in l. quoties 22. l. cum tale 71. §. mania l. sed si hoc §. vlt. ff. de condit. & demonstr.* hocque fundatur in ratione boni publici, quod exigit, vt non constituatur impedimentum, ratione cuius non procreentur liberi ad constituendos, & augendos ciues in eadem Republica, hocque idem habetur *in auth. cui relictum C. de indac. vidu. tol.*, & *in auth. de nuptijs §. qua vero vers. sancimus*.

34 *Procedit de conditione absoluta, non limitata in certo loco.* Dixi, *quatenus importat conditionem nunquam nubendi*, quod intellige quoad substantiam, si enim importaret solummodò conditionem restrictam non nubendi in tali loco, tempore, vel cum determinatis personis, vtique non reijceretur, & sic non deberetur legatum, vel hereditas, nisi impleta, & purificata tali conditione *Iason in l. turpia ff. de legat. 1. Simon de Pretis lib. 2. interp. vlt. vol. interpret. 2. solut. 2. n. 108. Stephanus Gratianus discep. for. tom. 5. c. 5. nu. 9. Coaruuias tom. 3. var. c. 7. nu. 293.* Ratio ea esse potest, quià, quantumvis illa conditio sit restrictiua, non est tamen impeditiua libertatis matrimonij, vel sponsalium, hocque expressè habetur *in l. cum ita legatum 62., & l. hoc genus 65. ff. de condit., & demonst.* Neque in hoc audiendus est *Riccius in praxi var. resol. resol. 107., & collect. part. 5. collect. 1568.* asserens huiusmodi conditiones prohibentes matrimonium in certo loco, & tempore, & cum determinato genere personarum inducere viduitatem, ac proindè non valere per textum *in l. cum ita legatum, & in l. hoc modo, ff. de condit., & demonstrat.*, Non, inquam, audiendus est, quià huiusmodi conditiones non important, vt præfertur, perpetuam viduitatem, quotiescunque extrà talem locum, tempus, & agnationem commodè grauatus nubere potest; vndè ad summum verificantur ea, quæ adducit Riccius, quandò grauatus extrà talem locum, tempus, & agnationem honestè nubere non posset.

Iason. De Pretis. Gratianus. Riccius.

35 *Non tenetur sequi, nec amittit legatum.* Hic oritur difficultas, an si testator respectu legatarij, seù hæredis apposuerit conditionem non nubendi, nisi de consilio talis personæ, talis conditio teneat, & legatarius eam seruare teneatur. Absolutè sentiendum existimò, talem conditionem reijci, si importet, quod grauatus debeat sequi tale consilium; & in hoc consentiunt ferè omnes, quià huiusmodi conditio adimit libertatem ad sponsalia, seù matrimonium requisita; nec obesse potest, si asseratur, quod filius teneatur sequi etiam quoad sponsalia, & matrimonium consilium Patris, nec tamen ex hoc demitur libertas requisita ad validitatem contractus, ergò etiam non adimetur, si ex præcepto Patris teneatur sequi consilium alterius, quandòquidem sequens consilium alterius de mandato Patris videtur sequi consilium eiusdem Patris; Non, inquam, obesse potest, quià in causis matrimonialibus filius non tenetur sequi consilium Patris ex necessitate, sed tantum ex honestate per ea, quæ superius diximus, cum filius in huiusmodi causis sit sui iuris. Dixi, *si importet, quod grauatus debeat sequi tale consilium*, secùs enim esset, si teneretur solummodò consilium requirere, nõ sequi, quià consilium ex genere suo non infert necessitatem, *Bartolus in l. 1. §. si plures n. 6. ff. de execut. act. Abbas in c. venerabili de offic. deleg Fontanella clauf. 6. glos. 3. part. 5. nu. 83. Simon de Pretis lib. 4. interpret. vlt. vol. interpr. 2. dub. 10. n. 10. Marta de success. p. 4. q. 2. ar. 2. n. 53. Meres de maior. p. 1. q. 50. n. 5. Menoch. cons. 69. nu. 29. lib. 1.*, & ad hoc maximè facit textus *in l. cum Pater §. mando, ff. de legat. 2., & c. cum olim de arbitris*.

Consilium non infert necessitatē. Bartolus. Abbas. Fontanella. De Pretis. Marta. Meres. Menoch.

36 *Respectu viduarum subsistit.* Dixi, *respectu viri, vel mulieris, qui nunquam matrimonium contraxerint*, quià respectu vidui, vel viduæ talis conditio non nubendi sub pæna impropria potest subsistere, *Gulielmus Benedictus c. Raynutius nu. 100., & seqq. verb. qui eum alia de testam. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 4. §. 9. nu. 11. Acosta l. cum tale §. si arbitratu limit. vlt. n. 1. ff. de condit., & demonst. Mantica de coniect. vlt. vol. lib. 11. tit. 19. n. 2. Molina tom. 1. de iust. & iur. tract. 2. disp. 207.*, atque expressè colligitur *ex auth. de nuptijs §., qua vero tollat. 4., & ex auth. cui relictum C. de indict. viduit.* per quæ iura docent DD. corrigi iura antiqua digestorum per quæ huiusmodi conditiones etiam respectu viduarum interdicebantur; nec incongrua sanè ratione huiusmodi iurium correctio inducta est, quandòquidem honestum est à secundis nuptijs abstinere per superiùs allegata, & per textum *in c. fin. 31. quæst. 1.* Hinc DD. deducunt, quod, si maritus aliquid vxori legauerit, si non transierit ad secundas nuptias, amittatur legatum, si conuolauerit vxor spreta conditione ad secunda vota, *Coaruuias de sponsal. part. 2. c. 3. §. 9. n. 11. Marcus Antonius Cuccus lib. 5. instit. maior. tit. 12. n. 190. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 19. nu. 22.*

Benedict. Coaruuias. Acosta. Mantica. Molina.

Honestum est à secundis nuptijs abstinere.

37 *Acquirit ducentum, etiam si nubat.* Ex hoc etiam assertione plures insurgunt rationes dubitandi, & primo, si per aliquem testatorem legentur Virgini centum, si nupserit, & ducentum, si non nupserit, an si virgo legataria nubat acquirat tantum centum, an ducentum. Ex dictis in præcedentibus absolutè dicendū est, etiam si nupserit acquirere ducentum, *Coaruuias lib. 1. var. c. 19. n. 9., & 10. Siluester verb. hæreditas 4. in fin. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 34. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià illa conditio apposita legato sub pæna amissionis tamquam turpis à iure reijcitur, ac perindè est, ac si

Coaruuias. Siluester. Sanchez.

N non

non fuerit apposita, ergò, sicuti si nō esset apposita, legatum integrè deberetur, ità etiam debetur integrè, quantumuis fuerit apposita, cum fuerit nullitèr apposita. Neque dicas, in hac hypothesi esse alternatiuam, vel ad nubendum cum sola promissione centum, vel ad non nubendum cum promissione ducentum, adeoque non esse coactionem ad non nubendum, sicuti esset, si non esset alternatiua, quæ sola dependet ab arbitrio legatarij; contrà enim impugnaberis; quià etiam quando alternatiua non esset proposita, sed præcisè adiecta conditio non nubendi sub pœna amissionis vel legati, vel hæreditatis esset libertas legatarij, vel hæredis instituti ad acceptandam conditionem non nubendi cum acquisitione lucri, & nubendi cum amissione eiusdem, & tamen talis conditio à iure reijcitur per superius allegata, & probata, ergò etiam quantumuis sit apposita talis alternatiua, adeòque respectu legatarij adsit libertas vel ad vnum, vel ad alterum reijcietur talis conditio, quandoquidem etiam aduersatur bono matrimonij, & iura sicuti irritant in illo casu, irritant etiam in hoc.

Est conditio contra bonū publicum.

38 Secundò insurgit ratio dubitandi, an non solum spe lucri possit retrahi vidua à secundis nuptijs, sed etiam metu pœnæ propriè sumptæ. Sensus est, an si marito morienti mulier promiserit se non transituram ad secunda vota sub aliqua pœna consistente, non in lucro acquirendo, sed in damno, seu dimissione proprij patrimonij, teneatur ad talem pœnam, si ad secūda vota conuolarit. Tres circa propositū dubium inuenio opiniones, duas quasi extremè oppositas, alterā quasi mediam. Prima est *Alberici in l. fin. nu. 10. & ibidem Alciati in princip. nu. 5. C. de sponsal. Ioannis Turenis rub. C. de secundis nuptijs in noua edit. num. 545. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 30. nu. 8.* asserentium mulierem viduā non teneri ad talem pœnam propter eam rationem, quod licet quidem spe lucri retrahere viduam à secundis nuptijs, non autem metu pœnæ propriè sumptæ, cum hæc à iure in sponsalibus reijciatur. Secunda extremè apposita est aliorum apud eundem *Albericum in d. l. fin. C. de sponsalib. & in l. cui relictum C. de indic. vid. tol.* asserentium talem pœnam, seù conuentionem pœnalem obligare, adeout si mulier transeat ad secunda vota, teneatur eā soluere, & ea ratione mouentur, quià ex superius dictis in viduis non reijcitur conditio non nubendi. In hac duarum opinionum contrarietate inuenio Sanchez sibi ipsi directè contrariantem, dum loco citato, nempè *d. disp. 30. nu. 8.* asserit huiusmodi pœnam tenere propter allegatam rationem, *lib. verò 7. disp. 88. nu. 37. in fin.* videtur saltem implicitè contrarium tenere. Tertia quasi media, vt asserebam est *Laiman. in sua Theologia morali lib. 3. de matrimonio tract. 5. c. 10. nu. 14. vers. hoc loco dubium moueri potest*, qui fauet primæ sententiæ in hypothesi, qua viduæ promittenti sub tali pœna imminerent pericula incontinentiæ, tunc etenim asserit, non obstante conuentione pœnali posse conuolare ad secunda vota, quià non præsumitur se voluisse obligare homini cum tanta difficultate, fauet verò secundæ opinioni in hypothesi, qua facilè, & laudabilitèr posset seruare viduitatem. Quid iam in hac difficultate concludendum? Tutiorem existimo secundam opinionem asserentē ex vi talis conuentionis pœnalis teneri viduam seruare promissionem, & si non seruet obligari ad pœnam propter textum *in auth. de nuptijs §. quæ vero col. 4. & ex auth. cui relictum C. de induc. vid. tol., & ex c. fin. 31. qu. 1.* quià huiusmodi conditio pœnalis respectu viduæ honesta est; nec valet dicere huiusmodi iura procedere solum quoad pœnam impropriam, quatenus hæc retrahit à secundis nuptijs sub spe lucri, non quoad propriam, quæ retrahit ab eisdem sub pœna damni, seù sub metu pœnæ in proprijs bonis matrimonialibus: non, inquam, valet, quià huiusmodi iura indefinitè, & absolutè loquuntur de pœna, quæ non debet restringi ad impropriam, Cæterum distinctio Laiman valdè congruit æquitati.

Triplex sententia refertur. Albericus, Alciatus, Garron.

Præfertur sententia asserens teneri ad talem pœnā

Tertiò insurgit ratio dubitandi, an si alicui legentur ducentum, si nupserit, & centum si Religionem ingrediatur, & legatarius re vera transeat ad Religionem, acquirat dumtaxat centum, an verò ducentum relicta, si nupserit. Absolutè sentiendum existimo, eidem deberi ducentū; vtroque foro inspecto. *Bartolus in l. 2. nu. 5. ff. de his, quæ pœnæ nom. Romanus in l. stipulatio hoc modo concepta nu. 17. ff. de verbor. obligat. Albericus in l. Deo nobis C. de Episc. & Cler. Marta de success. p. 4. qu. 18. art. 3. num. 4.* & ex Theologis *Rebellus de oblig. iust. p. 2. lib. 18. qu. 16. nu. 3. versic. si item Titia, Lessius de iust. lib. 2. c. 18. dub. 5. nu. 123. vers. nihilominus, Ioannes Valerus de diff. inter vtrumque for. verb. testamentum diff. 10. Siluester verb. hæreditas 4. qu. 8. nu. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. nu. 700.* quidquid ex aduerso dixerit *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 34. nu. 13.* Arbitrantur nonnulli hanc rationem dubitandi pendere præcisè ex præsumpta testatoris voluntate, adeo vt, si coniiciatur ex coniecturis eum voluisse, quod ingrediens monasterium consequatur dumtaxat centum non sit consecuturus nisi centum, ducentum verò, si ex cōiecturis dignoscatur non voluisse potiùs statum coniugalem, quam Religiosum, & per consequens in præsenti hypothesi docent 39

Ingrediens Monasteriū acquirit legatum quoad maiorē summam. Bartolus. Romanus. Albericus, Marta, Rebellus,

cent

tent, quod cum expresserit centum, si Religionem elegerit, ducentum, si matrimonium, standum sit adamussim tali dispositioni testamentariæ. Nihilominus ex hoc capite nihil euincitur, quandòquidem etiam, quandò testator imponit conditionem aliquam non honestam manifestè conjicitur eiusdem voluntas ad complementum sub tali conditione, & tamen conditio ipsa à iure reijcitur. Videndum igitur est, an talis conditio in illa alternatiua, si nupserit cum legato ducentum, vel si Religionem ingressus fuerit cum legato tantum centum, vt honesta sit admittenda, vel vt turpis sit reijcienda, & in hoc sensu valet assertum, quod vtpotè turpis reicijatur. Ratio ex eo deducitur, quià talis alternatiua cum illa disparitate legati est secundum se impeditiua Religionis, à qua quodamodò retrahit; quod autem Religioni aduersatur pro non adiecto habetur; ad quod etiam non modicū facit, quod à matrimonio carnali ad spirituale valet argumentum, *Euerard. loc. 33. à carnali matrim. &c. vers. 4. istud, Acosta in l. cum tale §. si arbitratu ampliat. 11. ff. de condit., & demonst. Marcus Antonius Genuensis tract. pract. Eccl. q. 149. nu. 3. Marta de success. part. 4. q. 18. art. 3. num. 3., & seqq.* sicuti igitur conditio retrahens à matrimonio carnali præcipuè quoad virgines reijcitur à iure, ità non est, cur non reijciatur conditio retrahens à spirituali. Confirmari potest ex textu *in auth. de Sanctiss. Episcop. §. sed & hoc præsenti*, vbi donatio, fideicommissum, & quodcunque relictum sub conditione, *si nupseris*, debetur eidem, si Religionem ingrediatur, & hoc vtique non ex præcisa præsumpta voluntate testatoris, sed ex dispositione iuris in fauorem Religionis.

Illa conditio est secundum se impeditiua Religionis.

Euerardus Acosta. Genuensis. Marta.

Hæc, quæ dicta sunt in hac ratione dubitandi, adeò vera sunt, vt extendantur non solum, quandò legatum est relictum in fauorem filij testatoris, sed etiam quandò relictum est in fauorem legatarij extranei, vt notat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contractu d. c. 11. n. 401.* Aduersus *Albericum in tract. statut. part. 2. q. 104. n. 6.*, atque hoc euincit textus *in d. §., sed & hoc præsenti auth. de Sanctiss. Episcop. col. 9.* vbi verba non solum sunt concepta generalitèr, & indefinitè, sed etiam cum expressione ad rem præsentem «Ibi- *siuè reali quæris suis liberi, siuè alicui cuicunque personæ*.

Extenditur etiam ad legatarium extraneum Bossius.

Limitant aliqui assertum in hypothesi, secundum quam esset per testatorem apposita conditio non impeditiua Religionis quomodocunque, sed impeditiua Religiosis talis, seù particularis monasterij, *Acosta l. cum tale §. si arbitratu, ff. de cond. & demonst. Euerardus loc. à matrimonio carnali ad spirituale*. Sed nō libentèr acquiescerem huic limitationi, quandòquidem talis conditio demit quodamodo libertatem in ordine ad talem determinatam Religionem, eidemque est iniuriosa.

Acosta. Euerardus.

Neque in hoc audiendus est, *Sanchez d. disp. 34. n. 11. vers. cæterum*, qui asserit ex dispositione iuris magis attendendum esse fauorem matrimonij, quam Religionis, potissimum cum per illam conditionem legatarius non videatur aptè reuocari ab eadem Religione, cum ad id ingrediatur, vt sæculo, & bonis sæcularibus, & temporalibus per tria vota substantialia Religionis renunciet; Non, inquam, audiendus est, quandoquidem nullibi constat iura magis matrimonio fauere, quam Religioni, quinimmò, cum huius status sit perfectior, fauorabiliora videtur exigere. Neque obstat id, quod subditur, quandòquidem licet Religionem ingrediatur, vt bonis temporabilibus renunciet, potest tamen habere animum, vt bona illi Religioni cedant, & potest appetere vsum reuocabilem ad nutum Superioris, qui non repugnet statui Religionis, vt docent magis communitèr.

Iura non magis fauent matrimonio, quā Religioni.

Assertio VIII. Potest validè inter contrahentes constitui conditio, vt amittatur arrhæ per sponsalium fidei violatorem. In hanc ferè omnes consentiunt *Franciscus Molinus de ritu nupt. lib. 3. q. 2. num. 61., Gutierez de matrimon. c. 18. Sanchez lib. 1. disp. 35. Egidius Coninchus disp. 22. num. 5. Laiman lib. 5. Theologia moralis tract. 10. p. 1. c. 1. num. 8. Basilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 19. Ioannes Angel. Bossius c. 11. num. 430.*

Arra potest per conuentionem à violatore fidei amitti Molinus. Gutierez. Sanchez. Coninchus. Laiman. Pontius. Bossius.

Expressè euincitur assertio *ex l. arrhis, & l. fin. aliisque consonantibus C. de sponsalib.*, nec incongrua sanè ratione hoc iura decernunt, quandoquidem fides seruanda est. Hic tamen obseruandum est, quod si per culpam dantis arrhas sponsalia dissoluantur, eædem ipsi amittantur; si verò ex culpa recipientis in duplo reddantur, vel prout conuentum fuerit. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 11. num. 430.* Ad hoc autem, vt huiusmodi arrhæ valeant, & obligent, debent necessario esse traditæ per textum *in l. fin. C. de sponsalib.*

Solum hic remanet difficultas in explicando, cur pœna propriè sumpta reijciatur à contractu sponsalium, & matrimonij non verò priuatio, & amissio arrharum. Varia discrimina cōtendunt assignare DD. sed vnum præ cæteris eligo, quod est *Francisci Molini lib. 3. q. 2. num. 66.* consistens in eo, quod arrhæ à contrahentibus dantur principalitèr ex intentione, vt sint signum fœderis, & sponsalium initorum *l. si quis officium ff. de rit. nupt. l. arrhis, & l. fin. C. de sponsalib.* pœna verò principalitèr ad eum finem apponitur, vt teneatur contrahentes contractum obseruare *l. si pacto C. de pactis, & c. gemma de sponsal.*, & proinde non est mirum, si reijciatur pœna à sponsalibus,

Cur reijcitur pœna nō amissio arrhæ.

quæ exigunt omnimodam libertatem, non verò arrhas.

SECTIO XI.

De consensu ad sponsalia sub modo, demonstratione, & causa.

SVMMARIVM.

Quid sit modus, quid demonstratio, quid causa. 1.

Regulariter loquendo demonstratio, & causa adiecta sponsalibus, siuè fuerint turpes, siuè impossibiles non vitiant, sed vitiantur. 2.

Si in tali causa, vel demonstratione inuolueretur error in persona, & conditio seruilis vtique sponsalia irritarentur. 3.

Modus contrarius substantiæ sponsalium vitiat eadem. 4.

Modus impossibilis, & turpis vitiatur. 5.

Si modus appositus contractui fuerit honestus, & possibilis, sitq; in fauorem apponentis contractus ipse immediatè tenet, & alter tenetur adimplere modum, si verò fuerit appositus in fauorem alterius ab eo, qui apponit, contractus tenet, non tamen apponens tenetur adimplere modum. 6.

Procedit quoad communem sententiam, cæterum in rigore etiam apponens tenetur adimplere. 7.

1 NON solum conditiones solent quandoq; adijci contractibus, sed etiam modi, demonstrationes, & causæ. Est autem modus moderamen contractui adiectum explicatum per particulam, *vt* v. g., si dicatur, *contraho tecum, vt diuitias, & honores consequar*; demonstratio verò est explicatio alicuius qualitatis in altero cõtrahente importatæ, vel per particulam relatiuam, vel per dictionem æquiualentem, vt si dicatur *Contraho tecum, quæ libera es, quæ virgo es*; Causa autem est significatio causæ, propter quam contrahitur, & regularitèr importatur per particulam *Quià*, vt si dicatur, *contraho tecum, quià diues es, quià nobilis es, quià pulchra es*. De his omnibus fit expressa mentio in corpore iuris, & quidem de modo *in l.* 1., *& per totum tit. C. de condit.*, *quæ sub modo l. quibus diebus* §. *Termili* in *l.* 1. *ff. de condit.*, *& demonst.* de demonstratione *in l. demonstratio falsa, & in l. falsa demonstratio per tot. tit. ff. de condit.*, *& demonst.* de causa *in tot. tit. C. de falsa causa adiecta legat.* Circa has qualitates, modum scilicet, demonstrationem, & causam comparatiuè ad conditionem conueniunt communiter DD., & præcipuè *Antonius Gomez var tom.* 1. *c.* 12. *num.* 57., *& seqq. Molina de iust., & iure tom.* 1. *tract.* 2. *à quæst.* 201 *ad* 205. *Sotus in* 4. *dist.* 29. *q.* 2. *art.* 1. *Laiman lib.* 3. *Theologia moral. tract.* 4. *part.* 3. *q.* 4. *Rebellus part.* 2. *lib.* 2. *q.* 10. *sect.* 7., quod differant in eo, quod non suspendant dispositionem, seù contractum, sicuti suspendit conditio vsque ad eiusdem purificationem. In ordine autem ad huiusmodi qualitates, vt contradistinctas à conditione sub præsenti titulo contrauertendum remanet primò, an demonstratio, & causa, siuè sit contraria substantiæ contractus, siue sit turpis, & impossibilis vitiet contractum, an verò vitietur; secundò, an modus, contrarius substantiæ contractus ipsum annullet, an verò annulletur. Tertiò si sit impossibilis, vel turpis, an reijciatur, an verò vitiet. Quartò quid dicendum sit, si modus fuerit honestus, & possibilis.

Modus quid sit. *Quid demonstratio.* *Quid causa* *Non suspendunt contractum, sicuti suspendit conditio* Gomez. Molina. Sotus. Laiman. Rebellus. *Articuli examinandi circa titulum.*

2 Assertio I. Regularitèr loquendo demonstratio, & causa adiectæ contractui sponsalium, vel matrimonij, si secundum se sumantur, siuè sint turpes, siuè impossibiles non vitiant eundem contractum, sed vitiantur, seù habentur pro non adiectis. *Siluester verb. matrimonium* 3. *q.* 12. *Rebellius part.* 2. *lib.* 2. *q.* 10 *sect.* 7. *nu.* 49. *Hurtadus disp.* 7. *diff.* 15. *num.* 57. *Paludanus in* 4. *dist.* 29. *qu.* 2. *art.* 1. *concl.* 1. *num.* 5. *D. Antoninus* 3. *part. tit.* 1. *c.* 19. §. 5. *paulo post princip. Petrus de Ledesma de matrimonio q.* 47 *art.* 5. *dub.* 3. *in fin. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 10. *num.* 208.

Demonstratio, & causa, si fuerint turpes, & impossibiles vitiantur. Siluester. Rebellus. Hurtadus. D. Antoni. Bossius.

Ratio huius assertionis ex eo deduci potest, quià demonstratio, & causa non sunt obiectum, nec pars obiecti consensus sponsalium, vel matrimonij, ergò non est, cur ex illis, siuè falsæ fuerint, siuè turpes debeat irritari contractus. Antecedens ex eo euincitur, quià demonstratio, & causa pertinent tantum ad opiniones rerum, quas contrahentes conceperunt, & ad causas, quæ ad contrahendum ipsos mouerunt; cæterum consensus tendit in ipsas personas secundum se. Rursus huiusmodi qualitates, & causæ secundum se non irritant contractum, quià non pertinent ad substantiam, sed tantum ad qualitates, nisi apponantur per modum conditionis, vt infrà latè videbimus. Consequentia item sic euincitur, quià stante consensu perfecto ad substantiam non est cur contractus non debeat subsistere. Verumtamen est, quod quantumvis sponsalia sub tali demonstratione, vel causa inita in effectu subsistant, si tamen demonstratio, vel causa sint falsæ, tribuant fundamentum ad sponsalia irritanda, licet non matrimonium, vt si credebatur virgo, & non sit, vel diues, aut nobilis, & est pauperima, & vilis, prout notat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. cont. d. c.* 19 *nu.* 208. *in fin.*, nec incongrua ratione hoc statuit, quandoquidem, vt infrà videbimus, dum de dissolutione sponsalium, illæ qualitates constituunt sufficientem vim, & rationem ad eadem annullanda.

Non sunt obiectum, nec pars obiecti. *Tribuunt tamen fundamentum, si fuerint falsa, ad rescindenda sponsalia.*

Dixi *regularitèr loquendo, & si secundum*

3 *Secus si interueniret error in persona, vel conditio seruilis.* Nauarrus. Paludanus. Sotus. Sanchez. Bossius.

sic sumantur, quià si in tali demonstratione, vel causa inuolueretur error in persona, vel conditio seruilis, vtique sponsalia, & matrimonium irritarentur, quandoquidem etiam tali demonstratione, vel causa non apposita in contractu ex tali errore, vel conditione seruili contractus esset ipso iure irritus, prout rectè notarunt *Nauarrus in manual. c. 22. num. 62. in fin. Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. concl. 5. nu. 9. Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. Sanchez de matrim. lib. 5. disp 19. num. 1. in fin. Ioannes Angelus Bossius d. c. 10. num. 209.*, & alij communitèr.

Hæc, quæ dicta sunt in præsenti assertione, intelligenda sunt, quando illæ qualitates apponuntur præcisè per modum demonstrationis, & causæ, secus autem quando apponuntur per modum conditionis, quià tunc de illis iudicandum est, sicuti iudicatur de conditionibus.

4 *Modus contrarius substantiæ vitiat.* Nauarrus. Decius. Paludanus. Sanchez. Bossius.

Assertio II. Modus contrarius substantiæ sponsalium vitiat eadem sponsalia *Nauarrus in manual. c. 22. num. 62. Decius auth. ingressi nu. 23. C. de sacrosanct. Eccl. Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. concl. 1. num. 16. Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 19. num. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. num. 208.*

Ratio ex eo deducitur, quià modus adiectus contractui sponsalium, & matrimonij in eodem includitur tanquam obiectum quodamodo partiale eiusdem contractus, ergò, si fuerit contrarius substantiæ eiusdem eundem penitus irritabit. Antecedens non vertitur in dubium, quià modus afficit rem, cuius est modus, & quodamodo cum eadem constituit, quid vnum ad differentiam demonstrationis, & causæ, quæ pertinent tantum ad opiniones circa rem, & ad motiuum assensus circa eandem rem. Consequentia verò probatur, quià, cum modus sit partiale

Modus afficit rem, cuius est modus.

obiectum contractus, consensus ad eundem inducit obligationem omninò contrariam substantiæ eiusdem contractus, adeoque ipsum in sua radice perimit. Neque solum modus adiectus cõtractui sponsalium, eorundemque substantiæ contrarius perimit eundem contractum, sed etiã modus eorundem sponsalium, seù matrimonij bonis aduersans perimit, vt notant *Ioannes Angelus Bossius d. c. 10. num. 208.*, & *Sanchez de matrimon. d. lib. 5. disp. 29. num. 5.*, vt si dicatur *contraho tecum, vt elapsis duobus mensibus contractum dissoluamus, vel vt generationem prolis euites, vel vt venena sterelitatis sumas*, quià vt suprà innuebamus, dum de conditionibus, quantumvis in executione huiusmodi modi non destruant contractum, appositi tamen secundum intentionem contrahentium in ipsa celebratione contractus afficiunt consensum requisitum ad validitatem eiusdem contractus, ipsum

Bossius. Sanchez.

vitiant, & irritum reddunt; ad quod comprobandum maximè faciunt iura *in c. fin. de conditionibus appos.*, & *in l. per seruum §. 1. iuncta l. sequenti ff. de vsu, & habit.*

5 *Modus impossibilis, & turpis vitiatur.* Molina. Padilla. Paludanus. D. Antoni.

Assertio III. Modus impossibilis, & turpis adiectus contractui sponsalium vitiatur, & habetur pro non adiecto *Molina lib. 2. de primog. c. 12. num. 42. Padilla in l. cum donationis num. 8. C de transact. Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. concl. 7. num. 22. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 19. § 5. in princip.*

Ratio ex eo deducitur, quià rationes, & iura, quæ militant pro conditionibus impossibilibus, & turpibus, militant etiam de modis talitèr conceptis, quinimmò in fortioribus terminis, quandoquidem conditio suspendit contractum, modus autem afficit immediatè eundem contractum, ergò, si quià conditio impossibilis, cum habere non possit effectum, & turpis, quià incitat ad peccatum, reijcitur ab eodem contractu, ità quià modus non potest effectum sortiri, & secundum se actu inducit ad peccatum, erit reijciendus, potissimum, cum de facto afficiat ipsum contractum, atque hac ratione etiam demonstratio, & causa turpis est reijcienda.

Etiam demonstratio, ac causa turpis est reijcienda.

Assertio IV. Si modus appositus contractui fuerit honestus, & possibilis, sitque in fauorem apponentis, contractus ipse immediatè tenet, & alter tenetur adimplere modum, si verò fuerit appositus in fauorem alterius ab eo, qui talem modum apponit, contractus tenet, non tamen apponens tenetur adimplere modum secundum communem sententiam. Conueniunt in hoc *Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. concl. 7. num. 22. Siluester verb. matrimonium 2. q. 12. Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 19. num. 9. vers. quare dicendum est, Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 10. num. 207.*

Quomodo modus honestus afficiat contractum, & obliget. Paludanus. Siluester. Sanchez. Bossius.

Prima pars ex eo euincitur, quià ex genere suo modus non suspendit actum, cui adijcitur *l. cum ab eo 41. ff. de contrah. empt.*, & ex eo, quod alter acceptat contractum cum appositione illius modi obligatur ad adimplementum eiusdem ex vi promissionis, & acceptationis, quæ secundum se obligat, & ad hoc maximè facit textus *in l. Titio 70. in princip. ff. de condit., & demonst.*

Secunda pars etiam euincitur *ex eod. textu in l. Titio ff. de condit., & demonst.*, & ratione vlterius sic probatur, quià quantumvis, quando modus est appositus in fauorem apponentis, teneatur alter adimplere, hoc est, quià iustè potest exigi id, quod per illum modum apponitur, vt si sponsus dicat sponsæ. *Contraho tecum, vt des mihi centum*, nam potest illud exigi titulo dotis ad onera matrimonij sustinenda, non tamen, quando modus est appositus in fauorem alterius, puta mulieris, quià illud, quod per modum apponitur

non

non habet titulum, quo possit exigi.

7 Dixi, *secundum communem sententiam*; nam, si in rigore res accipiatur, non videtur cur etiam modus appositus in fauorē alterius non sit adimplendus. Ratio ex eo deducitur, quià alter, in cuius fauorem est appositus, acceptauit contractum sub illo modo, sine quo fortè non acceptasset, & apponens ex sua promissione ad illum se obligauit, ergò non est, cur non debeat modum illum adimplere, quod præcipuè verificaretur, si promissarius, seù ille, in cuius fauorem est appositus esset longè melioris conditionis, & nobilitatis, ac sit apponens illum modum, nam tunc esset præsumptio, quod esset appositus in compensationem quodamodo illius conditionis, & super excedentis dignitatis.

In rigore etiam apponens tenetur adimplere modū.

SECTIO XII.

De Consensu interpretatiuo ad sponsalia.

SVMMARIVM.

Subbarratio annuli secundum se sumpta non coniungitur infallibilitèr cum consensu ad sponsalia. 1.

Secus, si consuetudo, vel precedens tractatus limitet eius significationem. 2.

Traditio manus respectu fæmina viro, qui immediatè promiserat eidem matrimonium, habetur pro consensu. 3.

Ad validitatem sponsalium in foro externo non sufficit consensus præsumptus quemodocunque, sed requiritur præsumptio efficax. 4.

PLurima de hoc consensu attigimus sparsim in præcedentibus. Nunc ex professo examinanda res est, & præcipuè, quandonam sit præsumendum pro consensu, & quandonam pro dissensu. Pro quo

Aduerte primò, consensum non solum verbis indicari, sed etiam nutibus, signis, & actionibus, quæ omnia, vel possunt naturaliter, vel ad placitum significare, & per mores patrios, & consuetudinem restringi, vt optimè notauit *Doctissimus Caramuel in sua Critii hoc est tomo 4. trimegisti Theologici art. 10. sect. 7. vers. ego autem ad quæstionem*. Porrò signa, & actiones quandoque certum, & expressum consensum inducunt, quandoque solum præsumptum, & interpretatiuum; certum quidem, quando habent ex hominum placito, & communi approbatione infallibilem conexionem cum eodem consensu; interpretatiuum verò, & præsumptum, quando talem conexionem ex genere suo non habent, sed solummodò aliqualem, & probabilem, quæ tamen in re possunt non coniungi cum eodem consensu. Porrò huiusmodi signa, & actiones, quæ non connectuntur infallibiliter cum consensu, sed tantum præsumptiuè, tripliciter possunt se habere, & iuxta hunc triplicem sensum, triplicem quodamodo inducunt præsumptionem; altera est temeraria, & tunc est, quandò huiusmodi signa, & actiones sunt remotæ à consensu, & ex sola puerili apprehensione, & leui suspitione possunt referri ad consensum, & in iure repellitur, & reprobatur *c.16.2.q.1., & c.inquisitioni de sent. excommunic.*, altera est probabilis, & verisimilis, & tunc est, quando huiusmodi signa, & actiones ex probabilibus causis, & verisimilibus coniecturis habent congruentem conexionem cum eodem consensu, atque hæc inseruit ad semiplenam informationem iuxta textum *in c. sollicitè de restit. spol.* multumque confert ad probationem, si alia interueniant adminicula *c. à nobis, qui mai. accus. pos.*, atque inseruit ad purgationem inducendam *c. si quis de purgat.*, altera efficax; quam iuris interpretes appellant violentam, & tunc est, quando huiusmodi signa, & actiones talitèr secundum communem hominum consensum coniunguntur assensui, vt moueant ad præsumendum pro eodem, & sufficientes ad iudicandum reputentur, *c. dixit Dominus 32. q. 1. l. filium ff. de his, qui sui, vel alieni iuris sunt, & c. literis de præsumpt.*

Quot modis indicentur conceptus per verba, & nutus. Caramuel.

Præsumptio triplex, & qualis.

Aduerte secundò. Nos quandoque non solum mentis nostræ conceptus per verba exprimere, sed etiam tacitè, quandoque taciturnitate significare animi nostri notas, sicque quandoque tacere est moralitèr, & virtualitèr loqui, quod tunc euenit, quando prudentum suppositione taciturnitas habetur pro affirmatione, vel negatione, quandoquidem sicuti ens morale, seù virtuale est, quando reuerà, & realitèr non est, quale dicitur, in prudentum tamen suppositione, & iudicio ità se habet, ac si quale dicitur, esset, ità moralis locutio tunc est, quando quidem formalitèr non sunt verba, taciturnitas tamen est talis apud prudentes, vt ità se habeat, ac si formalitèr essent verba, ex quibus ortum habet illud Iuristarum adagium, quod *qui tacet, consentire videatur*.

Quandoque tacere est virtualiter loqui.

Aduerte tertiò, consensum interpretatiuum adhuc duplicitèr posse haberi, primò quatenus non habeatur expressè in se ipso, sed in aliquo alio, quod cum ipso naturalitèr coniungitur, quod potest esse, vel sequela, vel oppositione; sequela, quatenus ponatur aliqua actio, ex qua inferatur ex infallibili connexione idem consensus; oppositione, quatenus ponatur aliqua actio, ex qua propter oppositionem non possit non sequi consensus; Secundò in se ipso, quatenus ponatur aliquid quod directè connotet ipsum consensum.

Quandoq; consensus interpretatiuus habetur in seipso, quandoque in alio.

Quibus

Quibus pro notitia suppositis

Id, quod primò in hac sectione controuertendum proponitur, est an traditio annuli secundum se importet consensum ad sponsalia. Secundò, quandonam taciturnitas inducat sufficientem consensum ad eadem sponsalia, & quandònam non. Tertiò, an ex aliqua alia actione inducatur sufficiens ratio contrahendi pro consensu, & alia similia, in quibus tamen diutius non immorandum, cum sparsim de ipsis suprà fuerit actitatum.

Articuli examinandi circa titulum.

1 Assertio I. Subarratio annuli secundùm se sumpta non coniungitur infallibilitèr cum consensu ad sponsalia. De hac assertione latè actum est *sub hoc eodem titulo Cõtractus XIV. de sponsalibus I. prænot. 3. assert. 5. vers. de subarratione*, atque de ipsa præter Doctores ibidem allegatos latè agit *Caramuel in sua Criti hoc est in tom. 4. Trimegisti Theologi art. 10. sect. 7.* vbi latè probat annulum sine aliquo alio vel præcedentèr, vel simul apposito, quod limitet significationem ad hunc finem sponsalium nihil determinatè significare, sed posse ad varios fines referri, quandoquidem teste Tullio in Verr. Imperatores superatis hostibus scribas suas annulis aureis donabant, & modò Doctores annulo promouentur ad lauream, & hæredes olim constituebantur per annulos *Plautus in Curcul. scen. 2. act. 5.* & per annulum Cancellarius summus creabatur teste *Iustino lib. histor.*

Subarratio est actio ambigua. Caramuel.

2 Dixi *secundum se sumpta*, quia cum alijs adminiculis coniuncta propriè infert spõsalia, vt si consuetudo loci obtinuerit vt traditio annuli habeatur pro consensu ad sponsalia, vel tractatus aliquis ad talem subarrationem præcesserit de eisdem spõsalibus per ea, quæ diximus loco supra allegato, & notat *Leander tract. 9. de matr. disput. 1. qu. 43. pag. 211.*

Significat sponsalia mixta adminiculis. Leander.

De taciturnitate autem, quando inducat sponsalia, & quando non, & quid requiratur postea, vt talis taciturnitas habeatur pro consensu, actum est supra *sub hoc eodem tit. de sponsalibus I. d. prænot. 3. assert. 4. per totum*, & ad ibi dicta vos remitto.

De actionibus, ex quibus indirectè venire potest consensus ad sponsalia controuertendum potissimum occurrit, an traditio manus, & corporis alteri promittenti sufficientèr constituat sponsalia. Qua in controuersia asserendum est, quod, si

3 præcesserit tractatus de sponsalibus, & vir eadem fæminæ promiserit, eademque fæmina requisita spontè manum tradiderit eidem viro promittenti, sit præsumendum pro veris sponsalibus *Abbas c. cum virum nu 3. de Regul. Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 1. num. 4. D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 18. Rosella verb. sponsalia nu. 5.* Idem intellige, si vir promiserit matrimonium fæminæ sub conditione, si corpus tradiderit, & ipsa immediatè tradidit. Ratio horum omnium ea est, quia spontanea illa manus, & corporis traditio ad aliud referri non potest, nisi ad repromissionem, ex quo enim fæmina viro promittenti non solum tacet, sed etiam erga eundem actum positiuum exercet spontaneæ & manus, & corporis traditionis, videtur eidem fidem dare, & repromittere, quantumuis etenim illa manus, & corporis traditio secundum se possit ad alios fines ordinari, prout tamen immediatè ponitur ad promissionem, videtur ad eandem restringi, eandemque per repromissionem complere. Si autem supponas, quod eadem fæmina viro promittenti spontè manum, & corpus non tradat, sed vir ipse manum fæminæ, & præsens dicat do tibi fidem de matrimonio contrahendo, & fæmina nihil respondeat, tunc certè non esset præsumendum pro repromissione *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. in princip. Tabiena verb. sponsalia qu. 3. nu. 4. & alij*, tunc etenim nullus est actus positiuus ex parte fæminæ, qui taciturnitatem referat ad repromissionem.

Traditio manus præcedente tractatu habetur pro consensu. Abbas. Paludanus. D. Antoni. Rosella.

Idem dic de traditione corporis.

D. Antoni. Tabiena.

4 Assertio II. Ad validitatem sponsalium in foro externo non sufficit consensus præsumptus quomodocunque, sed requiritur præsumptio efficax, & vt loquuntur Iuris interpretes, violenta. In hoc sensu existimo locutos *Leandrum d. tract. 9. de matrimon. disp. 1. qu. 43. & Caramuelem d. c. 10. sect. 7. vers. primò enim occurrit in fin.* Dixi, *in foro externo*, in quo attenduntur præsumptiones, non in interno, in quo attenditur pura veritas, si verè adsit consensus quoquomodò expressus subsistent spõsalia.

Requiritur præsumptio efficax. Leander. Caramuel.

Ratio huius assertionis ex eo deducitur, quia cum agatur de vinculo in materia ex parte obiecti graui, & considerabili, cũ importet obligationẽ in corpora, nõ ex quacũq; causa præsumẽdum est esse adiectum, ergò, vbi certitudo absoluta non est, requirenda tamen est præsumptio saltem valida, efficax, & violenta, vbi enim de grauioribus obligationibus agitur, cautiori iure procedendum est. Accedit primò, quod præsumptio temeraria innixa leuibus coniecturis à iure reijcitur per allegatum textum 2. q. 1. c. 16. præsumptio verò probabilis, & verisimilis non inducit, nisi semiplenam probationem: semiplena autem probatio sufficiens non est ad firmandum iudicium humano modo infallibile, sicut requiritur ad validitatem sponsalium, ergò &c.

In grauioribus cautiori iure procedendũ est.

SEC.

SECTIO XIII.

De consensu clandestino ad sponsalia.

SVMMARIVM.

Sponsalia sine Parocho, & testibus celebrata non sunt irrita. 1.
Soluuntur rationes contrariæ sententiæ. 2.
Sponsalia clandestina nullam secundum se noxam inuoluunt. 3.

Matrimonium clandestinum est irritum ipso iure.

EX dispositione *Concil. Trident. sess. 24. de matrimonio cap. prim.* declaratur irritum matrimonium, quod initum est sine præsentia Parochi, & duorum testiũ. Hinc iam oritur difficultas, an in prohibitione matrimonij sine Parocho, & testibus intelligantur etiam prohibita sponsalia sine illis, idest clandestina, adeò vt, sicuti illud est irritum, intelligantur etiam irrita sponsalia, & ex suppositione, quod non sint irrita, sint tamen peccaminosa, & qualiter.

Sententia afferens irrita etiam sponsalia clãdestina, eiusque rationes.

Alexander de Neuo rub. de sponsalibus nu. 6. Menochius cons. 69. nu. 66. & sequens. vol. 1. docent eodem iure, quo irritatur matrimonium clandestinum, irritari etiam sponsalia, tum propter textum *in l. oratio ff. de sponsalibus*, tum propter commune effatum, quod prohibito consequente, intelligatur etiam prohibitum antecedens, per quod ad illud peruenitur; tum propter proportionem, quam seruant ad inuicem matrimonium, & sponsalia, ratione cuius itá se habet matrimonium absolutum ad sponsalia absoluta, ac matrimonium clandestinum ad clandestina, sed prohibito matrimonio absoluto, sunt prohibita & sponsalia absoluta, ergo &c. Nihilominùs sit

1 *Sponsalia clandestina non sunt irrita.*

Assertio I. Sponsalia clandestina, hoc est celebrata sine Parocho, & testibus, non sunt irrita. Consentiunt communitèr tùm Theologi, tùm Iuris Canonici Interpretes.

Non militat eadem ratio in spõsalibus, ac in matrimonio.

Facilis est probatio huius assertionis, consideratis, tùm verbis *Concilij Tridentini dict. session. 24. cap.* 1. tùm ratione causæ finalis, propter quam idem Concilium irritauit matrimonium sine Parocho, & testibus celebratum; & quidem si verba attendantur, expressè patet ea dirigi dumtaxat ad matrimonium, ergo non sũt extendenda ad sponsalia, verba etenim prohibitoria, cum ex genere suo sint odiosa, non sunt ex vulgatis iuribus extendenda, sed restringenda; si verò consideretur causa finalis talis prohibitionis, quæ expressè ex proemialibus *dicti Concil. in d. cap.* 1. elucet, expressè etiam innotescet, præfatum Concilium aliud non intendisse, quam auertere concubinatum, quandò quidem clam contrahebatur matrimoniũ, & posteà eodem spreto aliud initur, in quo erat certè concubinatus, & Ecclesia, cum ipsi non constaret de primo, cogebat perseuerare in secundo; sed hæc ratio non militat in sponsalibus, quibus semel celebratis non est concubinatus, si posteà eisdem spretis ad aliud matrimonium fieret transitus, ergò &c. Accedit communis praxis ab omnibus acceptata, secundum quam nemine reluctante sponsalia de facto contrahuntur sine præsentia Parochi, & testium, nec tamen siuè in foro ciuili, siuè Ecclesiastico declarantur inualida.

2

Quamobrem ad rationes, quæ ex aduerso afferebantur, dicendum est, & quidem ad textum *in d. l. oratio, ff. de sponsalibus*, in quo sic legitur. *Oratio, quæ quasdam nuptias senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est, rectè tamen dicitur sponsalia in his casibus nullius esse momenti*, quod idem repetitur *in l. si quis tutor vers. quamuis, ff. de ritu nupt.* respondendum est, eum non procedere absolutè, sed dumtaxat in ijs casibus, de quibus agebatur, vt patet ex illis verbis *in his casibus*; casus autem illi, vel continebant absolutè impedimenta, in qua hypothesi, sicuti nec tenet matrimonium itá nec sponsalia per superiùs allegata, & probata, cum essent promissiones de re illicita, vel nulla ibi erat spes, quod sponsalia illa transire possent in matrimonium, *Decianus resp. 66. n. 14. vol. 5.* in nostra autem hypothesi sponsalium clandestinarum non est exclusio spei, quin matrimonium possit, & debeat reduci ad actum, adeoque &c. Ad secundum dicendum est, non valere, quod prohibito consequenti censeatur etiam prohibitum antecedens, quandò diuersa militat ratio pro antecedenti, & consequenti, quod euenit in casu nostro per ea, quæ notant *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 5. n. 58. in fine, & Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 12. n. 3.*, non enim militat ratio concubinatus in sponsalibus, quæ militat in matrimonio clandestino. Deindè valet ad summum, quandò ex necessitate ab antecedenti peruenitur ad consequens, sine quo ad illud non perueniretur, *Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. n. 20. Canales commun. contra commun. q. 604. nu. 124. August. Barbosa collect. ad c. ex literis n. 3., & c. requisiuit n. 2. de sponsalib.*, ex necessitate autem à sponsalibus non peruenitur ad matrimonium, cum sine sponsalibus possit contrahi matrimoniũ. Ad tertium dicendum est, illam proportionem Geometricam non militare in hac hypothesi, nam licet valeret argumentum à prohibitione matrimonij absoluti ad sponsalia absoluta, non valet tamen à matrimonio clandestino ad sponsalia item clandestina, nam prohibito matrimonio absolutè spon-

Satisfit rationibus oppositis.

Decianus.

Bossius. Sanchez.

Cucus. Canalos. Barbosa.

Sponsalia clandestina possunt habere materiam licitã

sponsalia non possunt habere per obiecto materiam licitam, prohibito autem matrimonio clandestino adhuc sponsalia clandestina possunt habere materiam licitam, quandòquidem possunt respicere matrimonium non clandestinè incundum, sed ipsum celebrandũ cum debitis solemnitatibus à iure requisitis.

3 *Sponsalia clandestina non sunt secundum se peccaminosa.*

VeraCrux. Petrus de Ledesma. Lopez.

Assertio II. Sponsalia clandestina non solum non sunt irrita, sed etiam secundum se sunt immunia ab omni labe peccati, *VeraCrux append. ad specul. dub. 9. §. ad dubium, Petrus de Ledesma de matrim quæst. 45. art. 5. circà secundum punctum dub. 4. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. mat. de matrim. q. 45. art. 5. col. 2.*

Probatur assertio, quià huiusmodi sponsalia, nec præseferunt aliquam fœditatem ex natura sua, nec ex iuris positiui dispositione, seù quod idem est, nec sunt contra ius naturæ, nec contrà ius Ecclesiasticum, seù ciuile, ergò non sunt aliqua labe infecta. Antecedens quoad primam partem ex eo facilè liquet, quod antecedentèr ad dispositionem Concil. Trident. ne dum sponsalia licitè celebrabãtur seruatis cæteris conditionibus sine præsentia Parochi, & testium, sed etiam matrimonium, ergò, quià non sunt contrà ius naturæ, cæteroqui, nec tunc licitè potuissent celebrari. Quoad secundam verò sic euincitur, quià non est assignabile ius huiusmodi sponsalia interdicens; non enim potest assignari *Concil. Trid. d. sess. 24. c. 1.*, quià loquitur præcisè de matrimonio, &, cum sit correctorium iuris communis, non est extendendum ad sponsalia, cum præcipuè non militet in vtroque eadem ratio; nec item assignari potest *c. fin. de clandest. despons.* vbi, cum prohibeatur clandest. matrimoniũ, intelligi videntur prohibita, & clandestina sponsalia: Non, inquam, potest assignari, quià ex superius dictis non valet argumentum à matrimonio ad sponsalia, nec textus allegatus hoc euincit, vt patet consideranti, & licet *Hostiensis in d. c. fin. de clandestina despons.* fateatur quidem casum hunc de sponsalibus clandestinis in textu non comprehendi, comprehendi tamen in ratione textus; nihilominus in præsenti hæc ratio non militat, quià tunc eadem inconuenientia prouenicbant à sponsalibus, quæ à matrimonio, cum per copulam tunc transirent in matrimonium; nunc autem post Tridentinum hæc non militant, cum nullo modo transeant in matrimonium, nisi per consensum expressum de præsenti manifestatum coram Parocho, & testibus prout rectè adnotauit, *Sanchez d. l. 1. de sponsalib. disp. 13. n. 2.*

Concilium Trid. nihil innouauit circa sponsalia.

Hostiensis.

Sanchez.

SECTIO XIV.

De obiecto proprio consensus sponsalium.

SVMMARIVM.

Refertur sensus difficultatis. 1.

Consensus verus constituens sponsalia in ratione propria eorundem refertur ad ius quoddam incohatum ad coniunctionem matrimonialem posteà complendam per matrimonium. 2.

Non est necesse, quod respiciat actualem copulam expresiè de futuro ponendam. 3.

Sensus difficultatis propositæ in hoc titulo consistit in eo indagando, quod directè intenditur, & acquiritur per contrahentes in tali consensu. Dixi *sponsalium*; non enim hic instituitur quæstio de obiecto consensus ad matrimonium, de quo suo loco agetur. Doctores nonnulli sentientes in matrimonio consensum essentialitèr referri in actualem copulam inter quos *Gratianus c. institutum 27. q. 2.* sentiunt etiam in sponsalibus consensum referri in ius ad copulam de futuro, quod tamen ius non est perfectum, & completum, cum indigeat per alium consensum compleri in matrimonio. Hi tamen DD. non sano innituntur fundamento, quandòquidem, nec in matrimonio necesse est, vt consensus referatur in actualem copulam, quià actualis copula non est de essentia matrimonij, nec de eius perfectione essentiali, vt latè suo loco videbimus, sed ad summum de accidentibus eiusdem, veluti operatio, & executio eiusdem. Quamobrem sit

1 *Reponitur sensus difficultatis.*

Gratianus.

Ipsius sententia refertur, & reprobatur.

Assertio. Consensus verus, & constituens sponsalia in ratione propria eorundem refertur propriè ad ius quoddam incohatum ad coniunctionem matrimonialem posteà complendam, & perficiendam per matrimonium, vndè vltimò refertur in matrimonium, & ad ea, quæ sunt de ipsius essentia tanquam ad vltimum finem. Eruitur *ex D. Thoma in addit. ad 3. partem qu. 48. art. 1. ex August. Barbosa collect. ad cap. institutum 27. qu. 2. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 28. nu. 3. Ioanne Angelo Bossio de matrim. contract. c. 10. n. 233.*

2 *Obiectum est ius quoddam incohatum ad coniunctionem matrimonialem.*

D. Thomas. Barbosa. Sanchez. Bossius.

Ratio ex eo deducitur, quià sponsalia tanquam medium ordinantur ad matrimonium tanquam ad finem, illudque quodamodò incohant, sed matrimonium, seù consensus matrimonialis respicit coniunctionem matrimonialem, cuius quasi passio quædam est ius, & potestas in corpora coniugum per ea, quæ habet *Apostolus 1. ad corinth. 7. Vxori vir debitum reddat, similitèr autem, & vxor viro. Mulier sui cor-*

Explicatur in quo consistat illud ius.

corporis potestatem non habet, sed vir, similitèr autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, ergò consensus ad sponsalia respicere debet ius quoddam quasi incohatum ad illam coniunctionem matrimonialem posteà complendam, quod ius potest quasi dici ad rem; non in re. Consequentia probatur, quià medium sortitur idem obiectum vltimatò, quod respicit finis, cum sit quasi quædam tendentia in finem.

3 Hic tamen aduerte, quod sicuti consensus ad matrimonium non debet esse ex sui essentia explicitè in copulam, sed sufficiat quod sit ad ius, & potestatem in corpora coniugum, quamvis implicitè, & virtute dicat ordinem ad copulam tanquam ad effectum, ita consensus ad sponsalia, qui est consensus incohatus ad idem matrimonium non ex necessitate debeat habere pro obiecto ipsam actualem copulam de futuro, sed solummodò futuram coniunctionem matrimonialem, ex qua tanquam passio oritur ius, & potestas in copulam, & quidem ex parte contractus matrimonij, qui intrinsecè ordinatur ad eandem copulam. Dixi, *ex parte contractus matrimonij*, qui tanquam causa non potest præscindere ab ordine ad suum effectum, nam ex parte contrahentis potest à tali copula præscindi, cum quis possit contrahere animo non consummandi, sed ingrediendi Religionem; hoc tamen intelligendum est quoad præcisionem ab actualitate consummationis, seù animo actualitèr consumandi, seù etiam ab ordine implicito ex parte contrahentis, non autem ab ordine implicito ex parte contractus.

Actualis copula non est essentiale obiectum

Hinc clariùs explicare possumus ea, quæ suprà diximus de sponsalibus, seù de matrimonio Deiparæ Virginis cum D. Ioseph; dicendum quippe est, quod quantumvis Deipara Virgo antecedentèr emiserit votum castitatis, nō propterea eidem cōtrouenerit cum eodem D. Ioseph sponsalia, seù matrimonium ineundo, quandòquidem, nec explicitè consensit in copulam, cùm hæc non sit de perfectione essentiali eorundem, nec implicitè quantum est ex parte contrahentis, cum potuerit habere animum non consummandi, prout de facto habuit maximè existente diuina reuelatione, cum hoc tamen stat, quod ex parte contractus fuerit ordo implicitus ad eandem copulam, à quo non potuit præscindere, hicque sufficiens est ad validitatem contractus.

Sufficit, quod sit ordo ad copulam ex parte contractus.

Ex quibus etiam inferri potest, posse Gratianum suprà allegatum excusari à nota improbabilitatis, dum docuit carnalem copulam pertinere ad perfectionem matrimonij, hocque perfectum non esse sine illa, si dicatur ipsum locutum fuisse de perfectione integrali, & accidentali, non de essentiali, prout eundem explicat in hoc sensu locutum *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. cap. 10. num. 235.*

Excusatur Gratianus à nota improbabilitatis. Bossius.

SECTIO XV.

An consensus ad sponsalia possit sufficientèr defferri per epistolam.

SVMMARIVM.

Seruatis alijs omnibus validè sponsalia constitui possunt per epistolam. 1.

Ad perficienda sponsalia non est necesse, vt ille, cui delata est alterius promissio per epistolam repromittat per rescriptum, vel per nuntium ad id specialitèr deputatum, sed sufficit, quod acceptet promissionem, & declaret suum mutuum consensum coram quocunque, 2.

In suppositione, quod promissarius acceptet promissionem sibi factam per epistolam, & rescribat, substantialitèr tunc perficitur contractus, quandò exprimit suum consensum in litera rescripti, non quandò rescriptum peruenit ad promittentem. 3.

Promittens per Epistolam sponsalia, si ante acceptationem promissarij reuocauerit consensum non obligatur, nec tenent sponsalia. num. 4.

Promissarius repromittens per epistolam non potest reuocare repromissionem, antequam epistola perueniat ad promittentem, & quare. 5.

SVB hoc titulo multæ difficultates maximè ad praxim spectantes, & scitu dignæ examinabuntur. Prima erit, an re vera sponsalia teneant, si consensus vnius sit delatus per epistolam, Secunda, an ille, cui delatus est consensus per epistolam ad perficiendum contractum debeat eidem promittenti rescribere, vel sufficiat, quod repromissionem deferat per nuntium ad id deputatum, an verò sufficiat, vt coram quocunque suum exprimat consensum. Tertia, quandonam tunc perficiatur contractus, quandò scilicet, vel per rescriptum, vel per nuntium defert promittenti repromissionem, an scilicet, quandò rescribit, vel dirigit nuntium, an verò, quandò nuntius, vel epistola repromissionis peruenit ad promittentem. Quarta quid sentiendum sit, quandò primò promittens per epistolam antequam hæc peruenerit ad promissarium, reuocauit consensum.

Proponuntur difficultates examinandæ.

Assertio I. Probabilius est validè constitui sponsalia etiam per epistolam cæteris omnibus alijs requisitis interuenientibus *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 2. num. 6. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrimon. c. 35. Nauarrus lib. 4. consil. tit. de cognat spirituali in priori edit. consil. 2. num. 9. Molina tom. 2. de inst. disp. 254. in princip. Vega lib. 4. summa* 1

Constituuntur etiam valida sponsalia per epistolam. Henriquez. Lopez. Nauarrus, Molina. Vega.

cas.

Glosa. Coaruuias. Sannazar. Giurba.

cas. 264. *Glosa in c. nec illud 30. q. 5. verb. vxor. vers. sed quid dicet in præsenti, textu Coaruuias part. 2. de sponsalib c. 4. num. 11. in fin. Iulius Sannazarius de sponsalib. c. 3. art. 4. num. 113 Marius Giurba in statuta Messana part. 1. c. 1. num. 19.*

Paritate aliorum cötractuum conuincitur.

Probatur primò, quià cæteri omnes contractus perfici possunt per literas, vt est in confesso apud omnes, ergò etiam eisdem confici poterit validè contractus sponsalium, cum non minus hic sit contractus de iure gentium, ac cæteri omnes, ac proindè ad normam legis ciuilis, & canonicè debet regulari, quo etiam regulantur cæteri contractus, vbi aliud expresè non statuitur.

Item paritate matrimonij. Glosa. Coaruuias Triuisanus Molinus. Lopez. Barbosa. Sanchez. Bossius.

Probatur secūdo, validè contrahi potest matrimonium etiam per epistolam, vbi alia omnia requisita, tum ex natura eiusdem, tum ex dispositione iuris interueniunt *Glosa in c. nec illud 30. q. 5. verb. vxor vers. sed quid dices in præsenti textu Coaruuias part. 2. de sponsalib. c. 4. num. 11. in fin. Triuisanus de sponsalib. priuil. 6. nu. 5. Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comparat. 25. num. 55. Gregorius Lopez l. 5 glos. vlt. tit. 2. p. 2. Augustinus Barbosa tom. 4. collect. ad decret. p. 2. caus. 30. q. 5. c. nec illud n. 1.*, prout expresè etiam deducitur ex textu *in l. mulierem ff. de ritu nupt., & c. nec illud 30. q. 5. c. honorantur 32. q. 1., & c. veniens, qui Cleric. vel vouent*, & latè probant *Sanchez de matrim. deb. 2. disp. 12. num. 3., & Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 3. num. 306.*, qui etiam respondent aduersantium obiectis, ergò à fortiori validè contrahi poterunt sponsalia per epistolam, vbi alia requisita ad essentiam ipsorum interuenient. Consequentia tenet, tum quià strictius obligat matrimonium, quam sponsalia, tùm quià plura requiruntur ad constitutionem illius, quam istorum.

Ex sensibilis consensus humano modo.

Probatur tandem ratione fundamentali, quià ad constitutionem huiusmodi contractus ex natura eiusdem aliud non requiritur, quam consensus contrahentium humano modo expressus, & vtique liber, nec iuris dispositio potius requirit expressionem vno, vel altero modo, dummodò tamen sit humano modo sensibilis, sed cōsensus verè supponitur, & expressio sufficienter defertur per epistolam, quæ non minus apta est significare internas animi notas, ac sint nutus, & alia signa extrinseca, ergò &c.

2 *Promissarius per epistolam potest repromittere coram quocūque.* Archidiac.

Assertio II. Ad perficiendum contractum sponsalium non est necesse, vt ille, cui delatus est alterius consensus, seù promissio per literam repromittat per rescriptum, vel per nuntium ad id specialitèr deputatum, sed sufficit, quod acceptet alterius promissionem, & declaret suum mutuum consensum coram quocunque. *Archidiaconus c. nec illud 3. q. 5. num. 5., & c. fin. propè fin, & ibi Ioannes Andreas, & Anchæranus de procurat. in 6. Zasius cons. 3. nu 8. vol. 2. Alexander cons. 146. num. 11. vol. 5. VeraCrux prima parte specul. art. 16. dub. 7. vers. sed modo, Franciscus Molin. lib. 1. de ritu nupt. compar. 29. num. 35. Basilius Pontius lib. 2. de matrimonio c. 16. nu. 8. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 3. num. 310.* aduersus *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 7. num. 35. vers. cæterum dicendum est*, vbi pro se citat *Hostiensem in summa tit. de sponsalibus §. qualiter contrahantur num. 6. Alexandrum de Neuo c. dilectus de sponsal. num. 21. Sotum in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. vers. postremo tandem, & alios plures.*

Zasius. Alexander VeraCrux. Molinus. Pontius. Bossius.

Probatur primò hæc assertio, quià ad validitatem sponsalium nil aliud requiritur, quam promissio vnius legitimè delata ad promissarium, & consensus alterius sensibilis, & expressus, nec est necesse, vt consensus vtriusque sit simultaneus per superius allegata, & probata, sed sufficit quod prior consentiens perseueret moralitèr in consensu, quando alterius consensus accedit ex post facto; in hac autem hypothesi iam constat de consensu promittentis expresso legitimè delato ad promissarium per Epistolam, & ipsius promissarij acceptatio facta est expresè nota ex eo, quod fuerit manifestata coram testibus, ergò non est cur sponsalia non debeant esse valida.

Sunt omnia requisita ad validitatem.

Dices ex *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 7. num. 35. vers. cæterum* non sufficere acceptationem promissarij quomodocunq; sensibilem, sed requiri, vt sit sensibilis legitimè ei, cui fit repromissio, nam sicuti promissio debet esset sensibilis ei, cui fit, ità & acceptatio, & repromissio, adeoque sicuti promissio debet deferri, vel per epistolam, vel per nuntium ad id specialitèr deputatum per superius probata, ità repromissio, quæ est complementum contractus, vel per epistolam, vel per nuntium legitimum debet deferri, vel saltèm exprimi coram eo, qui deputatus fuerat à primo promittente ad deferendum eiusdem promittentis consensum, qui ex quo deputatus fuit, vt denuntiaret promissario, videtur sufficientèr etiam deputatus ad recipiendam alterius acceptationem, & repromissionem. Sed contra; in primis non valet argumentum à primo promittente deferente suum consensum, vel per epistolam, vel per procuratorem ad promissarium, & à promissario acceptante, & repromittente ad ipsum promittentem. Ratio disparitatis in eo consistit, quià quando promittens per Epistolam, vel nuntium alteri promittit iam quantum est ex se ponit quidquid requiritur ad validam promissionem, & implicitè etiam acceptationem alterius repromissionis, si talis repromissio ponatur, cæteroqui, quando contrahentes præsentialitèr contraherent,

Instantia Sanchez refertur.

In prima promissione inuoluitur etiam acceptatio repromissionis conditionaliter

& vnus diceret *Contraho tecum sponsalia, & promitto matrimonium de futuro*, & alter responderet *Accepto* posset promittens repetere *Et ego non accepto*, quod est ridiculum; in promissione igitur primi promittentis inuoluitur etiam implicitè acceptatio alterius consensus, si ponatur; sicque ipse promittens ad consumandam promissionem alio non indiget, nisi acceptatione promissarij; ad hunc autem legitimè habendam debet per legitimam delationem proprij consensus excitare eundem promissarium, quod fieri nequit, nisi vel per nuntium ad id deputatum, vel per Epistolam; quando verò repromittens acceptat primi promittentis promissionem, & repromittit non indiget excitare eundem promittentem ad suam repromissionem acceptandam, quandoquidem in ipso actu promissionis implicitè includitur eadem acceptatio, adeoque satis est, quod acceptationem primæ promissionis sensibiliter, & externè ponat; Neque vrgeas ex hoc inferri solummodo, quod non requiratur noua acceptatio repromissionis facienda per ipsum promittentem, sicuti requiritur acceptatio primæ promissionis à promittente ponenda, non autem quod non requiratur legitima dilatio repromissionis facienda, vel per rescriptum, vel per nuntium ad id deputatum, vel coram nuntio à primo promittente misso, sicuti requiritur in delatione primi consensus eliciti ab eodem promittente; sicuti enim in hoc non sufficit consensus, nisi legitimè deferatur, ità nec videtur sufficere acceptatio, & repromissio in promissario, nisi etiam legitimè deferatur; contra enim impugnaberis, quià primus consensus requiritur ad excitandum alterum ad repromittendum, adeoque non completur, quantum ad effectum obligandi, nisi per repromissionem, ad validè autem excitandum debet esse non solum legitimus quoad se, sed etiam quoad delationem; repromissio autem non est ad excitandum, adeoque non requiritur eiusdem delatio ad obligandum ipsum promittentem, cum per expressum præcisè consensum, & acceptationem promissarij obligetur, sed tantum vt promittens sciat se esse legatum, nec refert quocunque modo fiat notificatio, sed sufficit quæcunque notitia aliunde habita, quæm à parte, quæ consensit, & in controuersia inter promittentem, & promissarium de tali repromissione, seù acceptatione posita sufficienter ipse promissarius euincet intentum, si per testes alios ab ipso nuntio promittentis probat se mutuum consensum externum posuisse, & repromisisse.

Repromissarius non indiget excitare promittentem.

Repromissio non est ad excitandũ.

Vlterius ad hominem probatur assertio aduersus eundem Sanchez, & reijcitur ipsius probatio; quià eisdem iuribus, & regulis metienda, & regulanda est promissio matrimonij futuri, quibus metiuntur donationes, cæterique contractus de iure gentium, vbi aliud expressè statutum non reperiatur *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 6. num.* 24., quod in materia matrimonij, alijsque Ecclesiasticis vbi leges non sunt canonibus contrariæ iudicandum esse secundum leges per textum *in c. 1. de nou. op. nunt.* - Ibi - *Sacrorum instituta canonum principum constitutionibus adiuuantur*, quinimmò idem *Sanchez loc. cit.* expressè asserit nihil speciale inueniri statutum de promissione matrimonij; sed in donatione, & promissione sufficit, si donatarius, & promissarius acceptet donationem, & promissionem sibi legitimè factam, vel per Epistolam, vel per nuntium ad id specialiter deputatum, & exprimat suam acceptationem coram quocunque, vt sentit idem *Sanchez d. l. 1. de sponsalib disp. 6. num.* 29., dum dicit quod *si mittam nuntio domum statim vt donatarius acceptat irreuocabile est, nec opus est vt mittenti de acceptatione, constat ergò similiter in promissione gratuita matrimonij*.

Argumentum efficax ad hominẽ contra Sanchez.

Sanchez.

3

Perficiuntur sponsalia, quando promissarius exprimit suum consensum, non quando rescriptũ peruenit ad promittentem.

Assertio III. In suppositione, quod promissarius acceptet promissionem matrimonij futuri per Epistolam, vel nuntium sibi factam, & rescribat, vel alium nuntium mittat, substantialiter tunc perficitur contractus sponsalium, quando exprimit suum consensum in litera rescripti, vel suum consensum defert nuntio. In hanc assertionem consentire debent, quotquot sustinent iuxtà præcedentem assertionem, perfici contractum, quando coram quocunque promissarius exprimit suum consensum.

Deducitur manifestè ex ijs, quæ dicta sunt in præcedenti assert., quandoquidem tunc contractus perficitur, quando est consensus ex vtraque parte expressus, nec posito consensu promittentis legitimè denuntiato promissario requiritur ad ipsum obligandum denuntiatio repromissionis, sed tantum vt sciat se esse ex illa repromissione, seù acceptatione obligatum, sed posita rescriptione, vel declaratione consensus coram nuntio à ipso promissario deputato ad denuntiandum promittet, si ipsius consensum est perfectè consensus ex vtraque parte expressus, quià sicuti potest perfectè, & validè exprimi coram quocunque, ità potest sufficienter exprimi, vel per Epistolam, vel coram nuntio deputato ad deferendum, ergò non erit cur tunc contractus non debeat subsequi, & consequi suũ effectum, tunc etenim contractus perficitur, quando ponuntur essentialia ad ipsum, non quando innotescunt contrahenti, qui posuit quantum est ex se, vt videre est in eo, qui deputauit procuratorem ad contrahendum proprio nomine, tunc etenim con-

Est consensus ex vtraque parte expressus.

contractus perficitur, quando procurator contrahit, non quando constituens nouit contractum esse initum.

4 *Reuocato consensu ante acceptationem non tenent sponsalia.* Glosa. Vera Crux Bossius.

Assertio IV. Promittens matrimonium de futuro, qui per Epistolam suum consensum denuntiauit, si ante acceptationem suum consensum reuocauerit, non obligatur ad contractum, nec tenent sponsalia. Consentiunt in hoc quotquot sustinent consensum per Procuratorem delatum posse validè reuocari per constituentem ante acceptationem *Glosa in clem. vnic. de renunt. verb. ignorantem Glosa c. nec illud 30. q.5. VeraCrux prima parte speculi art. 16. dub. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. num. 264., & seqq.* de quibus latè egimus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. praenot. 5. sect. 7. assert. 4. per totum*, ad quæ vos remitto. Hunc breuiter sic

Probatur. Non maior vis inest Procuratori deferentis consensum sui constituentis principalis ad promissarium, ac insit Epistolæ ab ipso constituente exaratæ, & deputatæ ad deferendum suum consensum, cum vtroque modo licitè deferatur, sed delato consensu per Procuratorem, si reuocetur ante acceptationem promissarij validè intelligitur reuocatus quantum ad effectum, vt ipse constituens amplius non remaneat obligatus per ea, quæ latè dicta sunt loc. cit. ergò delato eodem consensu per Epistolam, si reuocetur, erit validè reuocatus; Neque obesse potest, si asseratur Epistolam permanenter perseuerare, non sit consensum nuntio, seù Procuratori commissum, vt per eum deferatur;

Eluditur paritate procuratoris deferentis consensum sui principalis.

Non, inquam, obesse potest, quià quousque Procurator perseuerat, continet virtualiter scriptum in se ipso mandatum constituentis, cuius propterea si ante acceptationem potest, mandatum deleri per reuocationem, quantum ad effectum eximendi ipsum constituentem ab obligatione, non videt, cui quantum ad illum effectum non possit deleri scriptura, quantumvis materialitèr non deleatur.

5 Hic solum remanet pro complemento ratio dubitandi, an sicuti quando defertur, vel per Epistolam, vel per nuntium consensus constituentis, seù scribentis ad promissarium, potest idem consensus reuocari per eundem scribentem, vel constituentem ante acceptationem promissarij, ità quando repromissio, seù acceptatio promissarij per rescriptum, vel per nuntium ad id deputatum refertur ad ipsum promittentem, antequam sit denuntiatus eidem promittenti, possit validè ab eodem promissario reuocari, adeovt ipsum promissarium eximat ab obligatione.

Non tamen promissarius potest reuocare repromissionẽ.

Respondendum est absolutè negatiuè. Ratio est, quià quando præstito consensu per promittentem sufficienter, & in valida forma delato promissario ipse promissarius acceptat expressè, & in actu externo promissionem iam intelligitur per superius probata contractus sufficientèr completus, nec denuntiatio promittenti ad aliud requiritur, nisi ad hoc, vt sciat se remanere obligatum, sed contractu iam perfectè completo non amplius liberum est contrahentibus ab eodem recedere, vt est manifestum apud omnes, ergò &c., & hinc patet discrimen, quod intercedit inter promittentem ante acceptationem promissarij, & inter promissarium ante delationem repromissionis ad eundem promitentem; nam in primo casu contractus non est perfectus, & hoc est ex genere promissionis, vt ante acceptationem reuocari possit *l. absenti ff. de donation. l. nec ambigi C. eod. tit. §. in his instit. de empt., & vendit. l. contractus C. de fid. instrum. l. 1. in fin. ff. de contrah. empt. l. 2. ff. de act., & oblig.*, in secundo autem contractus est completus quoad substantialia, & proindè reuocari nequit.

SECTIO XVI.

Per quænam verba possit consensus sponsalium manifestari validè.

SVMMARIVM.

In foro interno animæ, vbi constat de mente contrahentium, si verba sint dubia, illi intentioni standum est, & iuxta illam explicanda sunt verba. 1.

Si verba ex genere suo non sint apta ad manifestandum consensum, quantumvis hic ex vtraque parte interuenerit sponsalia in neutro foro tenent, nisi extrinsecè constet de eodem consensu. 2.

Quandonam verba importent matrimonium, & quando sponsalia. 3.

Quando dicitur accipio te in meam, *& alter respondet*, & ego accipio te in meum *constituitur matrimonium*. 4.

Verba concepta de præsenti, sed propter adiunctum connotantia futurum constituunt tantum sponsalia. 5.

Verba quibus dicitur, promitto me te ducturum in vxorem, vel ducam in vxorem *constituunt sponsalia*. 6.

Verba quibus dicitur Promitto me te desponsaturum, seù desponsabo te *in rigore non importãt sponsalia, sed tantum promissionem de eisdem*. 7.

Verba quibus dicitur Habebo, tenebo, tractabo te, vt vxorem prouidebo tibi vt vxori *constituunt sponsalia non matrimonium*. 8.

Verba, quibus dicitur, ex nunc, & semper habebo te in meam *constituunt matrimonium*. 9.

Verba, quibus dicitur, volo tecum contrahere, in te consentire, te ducere *sine alio*

alio addito constituunt solum sponsalia. 10.
Verba, quibus dicitur. Volo te habere, te tenere in vxorem *probabilius constituunt solum sponsalia*. 11.
Verba, quibus dicitur. Volo te in vxorem, volo te vxorem meam *intelligenda sunt, vel pro matrimonio, vel pro sponsalibus ex præsumpta contrahentium voluntate, vel ex præcedentibus*. 12.
Si verba, quibus concipitur contractus sint dubia, nec potius significent sponsalia, quam matrimonium, & non constet de voluntate contrahentium interpretanda sunt potius pro matrimonio. 13.

QVantumvis consensus possit exprimi, vel per nutus, vel per signa, vel per epistolã, vel per nuntios regularitèr tamen exprimitur per verba inter præsentes; circa quæ omnes conueniunt ea sufficere ad sponsalia, quæ significant expressionem futuri matrimonij cum promissione. Hic multa circa huiusmodi verba examinanda occurrunt, & præcipuè in hac sectione sermo erit de verbis affirmatiuis, nam de negatiuis occurret sermo in subsequenti, & primò examinabitur, quando verba sunt dubia quid sentiendum sit, an pro intentione, si hæc innotescat, an pro aliquo alio, præcipuè, si verba eadem non explicent consensum, & hoc siuè in foro interno, siuè in externo. Secundò, quando intentio non constat, & verba sunt dubia, quid sentiendum sit. Tertiò, quandonam sit præsumendum pro sponsalibus, & quandonam pro matrimonio, vbi variæ formulæ adducentur consensus per verba expressi, circa quas erit specialior ratio dubitandi, & earum explicatio planiorem reddent vniuersam hanc materiam, & alia his similia, prout in processu sectionis.

Procedit de verbis affirmatiuis.

Articuli examinandi circa titulum.

1 Assertio I. In foro interno animæ, vbi constat de mente contrahentium, si verba sint dubia, illi intentioni standum est, & iuxta illam explicanda sunt verba *Gutierez lib. 3. de matrim. c. 3. num. 17., & seqq. Basilius Pontius lib. 2. c. 8. num. 2. Cardinalis c. ex literis 1. num. 1. de sponsalib. Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 18. num. 1. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 3. num. 247. Tiraquel. in l. si vnquam verb. libertis nu. 48. C. de reuoc. donat. Franciscus Molinus lib. 3. de ritu nupt. qu. 85. num. 50.*

Verba dubia sunt explicanda iuxta intentionem expressam contrahentiũ.
Gutierez. Pontius. Cardinalis. Sanchez. Bossius.

Ratio assertionis facilè ex eo deduci potest, quod dicitur *in c. intelligentia de verb. signif.* scilicet *intelligentiã dictorum ex causis esse assumendam dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus*, ex quo Doctores communitèr docent, verba esse intelligenda non secundum quod sonant, sed secundum materiam, & intentionem loquentis, vndè *Menochius conf. 97. nu. 44.* ait, quod verba pendent ex mente, non mens à verbis, & in eo potissimum fundatur ratio, quod verba se habent vt corpus, mens autem vt spiritus, & anima, ergò vbi de mente, & intentione proferentium verba constat, verba ipsa ambigua sunt intelligenda ad normam mentis eorundẽ proferentium.

Sermo est rei subiectus, non res sermoni.

Menochius

Verba pendent à mente, non è contra.

Dices, non sufficere mentem, & intentionem contrahentium ad validitatem contractus tam in foro externo, quam interno animæ, cum consensus debeat humano modo esse sensibilis, sed requiri expressionem aptam ad significandum humano modo eandem mentem, & intentionem; verba autem dubia secundum se non sunt apta ad significandum determinatam intentionem contrahentium, ergò &c. Sed contrà, quià, quantumuis ex genere suo verba dubia possent referri vel in vnum, vel in alterum sensum, restringuntur tamen ad sanum sensum sponsalium per mentem contrahentium, non simplicitèr, & quomodocunq; sumptam, sed secundum quod constat, sicque redduntur extrinsecè apta ex eiusdem mentis externa notificatione, & sicuti taciturnitas ipsa, quandò est adminiculis suffulta per superiùs notata, apta est ad validè manifestandum contrahentium consensũ, ità non est, cur verba ipsa, quandò sunt dubia, non possint per mentem aliundè manifestatam quoquo modo extrinsecè reddi apta, & determinata ad eundem consensum manifestandum. Ex his

Redduntur apta ex mẽte proferentis notificata.

Ratio potest esse secundò, quià non solis verbis, sed etiam signis, aut alia quacunque significatione extrinseca potest deferri consensus sufficiens ad validitatem sponsalium, ergò vbicunque extrinsecè constet de tali intentione, prout supponitur in præsenti hypothesi constare, sat erunt qualiacunque verba, quia sumenda sunt secundum quod eadem intentio manifestatur; atque iuxtà hunc sensum loquuntur *Sotus in 4. dist. 27. qu. 2. art. 1. post secundam conclusionem versic. quod si, Bartholomæus à Ledesma de matrim. dub. 8. propè finem, Palatios in 4. dist. 27. disp. 1. Petrus de Ledesma de matrim. qu. 45. art. 3. dub. 2. ad tertium*,

Sotus. Bartolom. à Ledesma Palatios. Petrus de Ledesma.

2 Assertio II. Si verba ex genere suo non sint apta ad manifestandum contrahentium consensum, quantumvis re vera interuenerit ex vtraque parte consensus, sponsalia neque in foro externo, neque in interno propriè tenent, secus verò si extrinsecè de eodem consensu constet. Ità quoad primam partem intelligendi sunt *Sotus in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. post secundam conclusionem*, & alij magis communitèr, & quoad secundam patet quodammodò ex dictis in præcedenti assertione.

Verba non apta non constituunt sponsalia.

Sotus.

Probatur prima pars. Consensus purè internus non est sufficiens, neque in foro, ex-

externo, neque in interno ad constituenda validè sponsalia, cum hæc sint contractus humani, in quibus contrahentes debent proprium animum vicissim communicare, quod certè efficere non possunt, nisi per signa sensibilia, & externa, cum intentio mente retenta nihil operetur in humanis commercijs per textum *in l. cum in plures 62. §. locator horrei ff. locati, & ibi Bartolus in princip.* ergò vbi aliundè de tali consensu non constat, quantumuis interuenerint verba non apta secundum se ad illum manifestandum, non erit propriè contractus sponsalium. Consequentia probatur, quià, quod verba non fuerint apposita ad manifestandos internos animi motus, vel quod fuerint apposita, sed non apta ad easdem exprimendas, paria sunt, quià, si quandò non fuerunt apposita, non tenet contractus, nec tenebit, quando fuerunt apposita verba, sed inepta ad significandum talem consensum. Antecedens probatur, quià ratio formalis verborum est significatio rei in mente cōceptæ, ergò vbi deficit talis significatio, siuè verba fuerint apposita, siuè non, perindè semper erit, ac si non essent apposita.

Verba non apposita, & apposita, sed non apta paria sunt.

Non negauerim tamen, quod, quamuis talia verba non essent secundum se apta ad significandam intentionem ad sponsalia, si tamen ex modo, quo proferuntur, alijsque concurrentibus adminiculis ipsi contrahentes ex illis dignoscerent suam mutuam voluntatem ad illa in foro interno animæ eadem sponsalia subsisterent, quià tunc adessent & sufficiens intentio, & congrua expressio per illa verba, sicuti enim possunt sibi sufficientèr animos significare per nutus, ità etiam possunt sibi significare per qualiacunque verba, dummodò referantur per eosdem contrahentes ad tales animi notas exprimēdas, & talis relatio ad inuicem per eosdem cognoscatur. Hinc docent nonnulli apud Indos valere sponsalia, in quibus adinuicem dixerint, *sepeliam te, quando morieris*; quæ certè secundum se non sunt apta ad significandum consensum ad eadem sponsalia, & tamen, quia ibi ex consuetudine assumuntur ad hoc significandum, propriè constituunt sponsalia; cum igitur etiam in casu nostro verba, de quibus loquimur, assumantur ex contrahentium placito ad talem consensum, qui eisdem per eadem innotescat, non video, cur per illa non validè constituatur contractus.

Limita nisi verba non apta secundum se ex adminiculis manifestarent consensum.

Mos Indorum celebrandi sponsalia.

Hæc verificantur quidem in ordine ad sponsalia, in quibus sufficit consensus expressus inter contrahentes, non tamen verificari possunt in ordine ad matrimoniū, quod, cum ex dispositione Concilij Tridentini debeat fieri ex necessitate coram Parocho, & testibus, debet ità celebrari, vt consensus eisdem innotescat, quod certè non eueniret in illa hypothesi, secundum quam, cum verba non sint apta ad significandum consensum, vtique eisdem Parocho, & testibus talem consensum non aperirét, nisi fortè eisdem ex alijs circumstantijs talis consensus innotesceret, sicuti innotescit ipsis contrahentibus.

Probatur secundò eadem prima pars, quià, vbi dubitatur de mente contrahentium, nō est à verborum proprietate recedendum per textum *in c. ex literis de sponsalib. l. Labeo ff de suppel. leg. Coaruuias c. 2. de sponsal. c. 4. §. 1. n. 1. August. Barbosa tom. 2. collect. ad decret. lib. 4. tit. 1. c. 7. n. 2. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 18. nu. 4. Joannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 3. num.* 248., ergò à fortiori, vbi non constat de mente eorundem contrahentium, standum erit propriæ verborum significationi, quià talis est contractus, qualem verborum signat proprietas, *l. ille ait esse §. cum in verbis, ff. de leg. 3. Cassanaus in consuet. Burgund. rub. 1. §. 8. in princip. n. 10., & rub. 9. §. 17. n. 8. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 3. tit. 8. num. 1.*

Non est à verborum proprietate recedendū. Coaruuias. Barbosa. Sanchez. Bossius.

Probatur secunda pars, quià verba regulari possunt ad normam intentionis aliundè sensibilitèr manifestatæ, ergò vbi aliundè cōstat inter eosdem contrahentes de tali intentione verba poterunt ad normam eiusdem intentionis referri. Confirmatur, quià, vbi dubitatur de mente contrahentium, verba sunt accipienda secundum formalem eorundem significationem ex dicto textu, *in cap. ex literis de sponsalib.. & in l. Labeo, ff de suppellect. leg.*, ergò vbi constat de eorundem mente, & intentione erunt secundum eandem interpretanda; & ad hoc facit illud, quod superiùs dicebatur, quod scilicet verba pendeant à mente, non mens à verbis, prout asserebat *Menochius d. cons. 97. nu. 44.*, & quod non sermoni res, sed sermo rei sit subiectus, *cap. intelligentia de verb. signif.*

Verba regulantur ad normā mentis expressa.

Assertio III. Si verba, quæ concipiuntur in celebratione contractus quoad sonum, & significationem importent consensum de præsenti ad matrimonium, vt si dicatur inter habiles ad idem Matrimonium, *Accipio te in meam*, & alter respondeat, *& Ego accipio te in meum*, propriè constituunt matrimonium, *Paludanus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. nu. 25. Palatios in 4. dist. 27. q. 1. Hostiensis cap. si inter in princip. de sponsalib. Coaruuias 4. decret. part. 2. c. 4. §. 1. num. 1.*, si verba concipiantur de præsenti, sed proptèr adiunctum connotent futurum, constituunt tantum sponsalia, vt si dicatur *accipio te in crastinum*, *Victoria in summa de matrimonio n. 251. Petrus de Ledesma de matrimonio q. 45. art. 3. dub. 1.* Si verò verba concipiantur de futuro, vt si dicatur, Promitto me ducturum te in vxorem, vel

3 *Quandonā verba importent matrimonium, & quandonam sponsalia.* Paludanus. Palatios. Hostiensis. Coaruuias. Victoria. Ledesma.

acci-

accipiam te in meam, quandoque constituunt sponsalia, quandoque tantum promissionem sponsalium; si verò verba quoad sonum significent de futuro, sed ratione adiuncti restringuntur ad tempus præsens, vt si dicatur, ex nunc habebo te in meam, vel semper, vel omnibus diebus vitæ meæ probabilius constituunt matrimonium, *Palacios in 4. dist. 27. q. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 18. nu. 14.*, si verò verba fuerint dubia, vt si dicatur *volo tecum contrahere, in te consentire, te ducere, te accipere, te habere in vxorem, esse vxorem meam, & similia*, quandoque pro sponsalibus præsumendum est, quandoque pro matrimonio, & quandoque etiam pro sola sponsalium promissione.

Palatios. Sanchez.

4 *Quando verba mutua concipiuntur de præsenti constituunt matrimonium.*

Explico iam, & probo primam partem, quià in illa formula suppositis alijs omnibus requisitis ex dispositione iuris nihil deficit, quod requiratur ad substantialia matrimonij; consensus etenim hoc modo conceptus respicit actualem coniunctionem de præsenti, quod idem verificatur, quandò quis dicit. *Accipio te in meam*, & alter respondet, *placet*, quià per hoc ad normam promissionis coadunat de facto consensum suum cum illo promittentis. Solum hic remanet ambigendi locus circà illam particulam possessiuam, *meam*, æquè enim potest verificari siuè de coniunctione ratione amicitiæ, siuè titulo matrimonij, siuè titulo cuiusdam quasi spontaneæ subiectionis, adeò vt æquè possit intelligi. *Accipio te in meam amicam, in meam dominam, ac in meam coniugem*. Nihilominus sentiendum est, quod ex circunstantijs interuenientibus illa indifferentia ad huiusmodi significationes restringatur ad specialem coniunctionem matrimonij, vt si præcesserit tractatus de eodem, si data fuerit carta dotis, vel ex alijs huiusmodi circumstantijs, prout notat *Caramuel in sua Criti hoc est in Trimegistri Theologici tom. 4. art. 10. sect. 7. vers. 3. illa verba.*

Limitatur significatio ex interuenientibus, & quomodo

Caramuel.

5 *Verba de præsenti, sed connotantia futurum constituunt sponsalia.*

Explico iam, & probo secundam partem, quià quandò dicitur *accipio te in crastinum*, quamuis verbum *accipio* importet tempus præsens, adiunctum tamen scilicet *in crastinum* protrahit significationem verbi ad tempus futurum, nec potest in rigore dici, quod ex tempore, quo spondens protulit illa verba, fæmina promissaria sit sua, sed tantum pro tempore particulæ adiunctæ, quæ importat adiectionem in diem, atque ita præter præcitatos DD. sentiunt *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 18. num 11. Basilius Pontius lib. 2. de matrim. c. 8. Filliutius part. 1. tract. 10. c. 7. nu. 40. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 188. propè med.*, nec mirum, quià ex genere suo adiuncta habent limitare, & extendere significationes nominum, & verborum secundum quod eadem adiuncta sonant.

Sanchez. Pontius. Filliutius. Bossius.

6 Explico iam tertiam partem, eandemq; amplio, & restringo vel ad sponsalia, vel ad matrimonium secundum communem verborum, quibus concipitur, acceptionem, & primo secundum quod verba concipiuntur hoc modo. *Promitto me ducturum te in vxorem*, vel *ducam, & accipiam te in vxorem* important propriè sponsalia, seù matrimonium de futuro, non vero de præsenti *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. in corpore, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. §. 2., Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. concl. 3. Goffredus in summa tit. de sponsalib. n. 4. Turrecremata c. vbi non est 30. q. 2. art. 3. n. 4.*, nec in hoc dubium esse potest, quandòquidem promissio respicit obiectum, seù executionem de futuro, vt manifestè ex se patet; secundò iuxtà quod verba hoc pacto concipiuntur. *Promitto me te desponsaturum, seù desponsabo te*, tunc in rigore locutionis non importantur sponsalia, sed tantum promissio de sponsalibus contrahendis, *Antonius c. si inter n. 8. de sponsal. Coaruuias 4. decret. part. 1. c. 4. n. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 18. num. 12. vers. dicendum tamen est, Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 117., & n. 188.*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quià à verborum proprietate in dubio recedendum non est, *l. non aliter, ff. de leg. 3.* cum proprietas sit validior significatio; desponsare autem secundum proprietatem, & propriam significationem nô significat propriè nuptias contrahere, sed dumtaxat sponsalia, ac proindè sponsi appellatione in rigore non comprehenditur maritus, *l. si quis officium, ff. de ritu nupt. l. solut. ff. de his, qui not. infam. l. non sine C. de bon. quæ lib.*, ergò illa particula futuri temporis *desponsabo*, seù *promitto me te desponsaturum*, non importat actualia sponsalia, sed solummodò promissionem de ijsdem, quasi quod idem sit dicere *te desponsabo, ac promitto me te desponsaturum*, ac *contraham tecum sponsalia*, *seù promitto me tecum contracturum sponsalia*. Tertiò secundum quod verba concipiuntur hoc modo, *habebo, tenebo, tractabo te, vt vxorem, prouidebo tibi, vt vxori* importantur solummodò sponsalia, non verò matrimonium, *Ioannes Andreas c. ex parte n. 3. de sponf. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 4. §. 1. num. 5. Paludanus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. concl. 4. num. 26. VeraCrux 1 part. speculi art. 17. dub. 4. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 18. n. 18. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 188. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quià ly *habebo te in vxorem* non dicit, quod actu habeat, sed quod sit habiturus, sicque importat promissionem de futuro, non consensum de præsenti, & licet dicatur huiusmodi verba respicere executionem actus præsentis ponendam de futuro, non tamen hoc aliquid euincit; vndè etenim coniectatur hic actus præsens? certè verbum

D. Thomas. D. Antoni. Sotus. Gofredus. Turrecre.

7 Antonius. Coaruuias. Sanchez. Bossius.

8 Ioannes Andreas. Coaruuias. Paludanus. VeraCrux. Sanchez. Bossius.

bum, *habebo*, importat tempus futurum, ad cuius ſignificationem cætera verba ſequentia regulantur, ſeù regulari debent; Neque aduerſari poſſunt textus *in cap. ex parte de ſponſalib.*, *& c. ſi quis diuinis* 30. q. 5. vbi huiuſmodi, vel ſimilia verba acceptantur, vt perfectiua matrimonij de præſenti; nō, inquam, aduerſari poſſunt, quià in primo textu illa verba non accipiuntur nudè, ſed cum additio, ad cuius normam reſtringuntur ad tempus præſens; illud autem eſt *ex hoc tempore*, quæ particula denotat ſtatim executionem, & conſenſum de præſenti; in ſecundo verò textu etiam illa verba reſtringuntur ex præcedentibus, & ſubſequentibus, nempè ex præcedenti tractatu, & traductione ſubſequenti, &c. Proptèr eandem rationem, qua dicuntur conſtitui tantum ſponſalia, quandò dicitur *habebo te, tenebo te in vxorem*, dicuntur etiam ſolummodò eadem conſtitui, quandò dicitur, *promitto, quod te in vxorem tenebo*, quià illud verbum, *promitto*, non cadit ſuprà matrimonium de præſenti, ſed ſuper verbum de futuro, ſcilicet, *te habebo in vxorem, te tenebo vt vxorem*. Quod ſi dicatur, quod licet illa verba ſignificent de futuro, non tamen denotent initium, ſed executionem actus conſūmari, non enim poteſt teneri, & haberi, vt vxor, niſi prius ſit vxor, adeoque in illis verbis, quamuis importetur executio de futuro, implicitè tamen inuoluitur conſenſus ad ſubſtantiam actus de præſenti, quià qui vult conſequens non poteſt præſcindere ab antecedenti connexo cum illo; ſi, inquam, hoc dicatur dicendum erit, gratis omninò dici per illa verba importari actum præſentem, nam licet executio ſupponat actum, cuius dicitur executio, non tamen ſequitur, quod ſi executio ex forma verborum debeat eſſe de futuro, actus ipſe debeat eſſe de præſenti, cum tam executio, quam actus poſſit eſſe de futuro, ità tamen vt primò ponatur actus, poſteà executio eiuſdem; vndè ad illud, quod dicitur, quod, qui vult conſequens, debet velle, & antecedens, dicendum eſt verificari in eo ſenſu, quod qui vult conſequens de præſenti debet etiam velle antecedens de præſenti, non autem qui vult conſequens de futuro debet velle antecedens de præſenti, cum poſſit illud velle de futuro, licet antecedentèr ad executionem.

Obijciuntur nonnulla iura, & diſſoluuntur.

Tam executio, quam actus eſt de futuro.

9 Explico iam quartam partem, eamque probo, quià quandò dicitur *ex nunc, & ſemper habebo te in meam*, quantumuis verbum ex genere ſuo reſpiciat tempus futurum, ratione tamen adiuncti *ex nunc*, reſtringitur ad tempus præſens, quantumuis ſimul, & ſemel importet tractum ſucceſſiuum, quod præcipuè verificatur, quandò verba important executionem. Hoc expreſsè definitur *in c. ex parte de ſponſalibus*, *& ex c. ſi quis diuinis* 30. q. 5.; Neque, obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, non eſſe verum, & actualem baptiſmum, ſi dicatur *Ex nunc te baptizabo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ergò neque erit verum, & actuale matrimonium, ſi dicatur *Ex nunc te habebo, te tenebo in vxorem, & in perpetuū, ſeù omnibus diebus vitæ meæ*, Non, inquam, obeſſe poteſt, quià Sacramentum Baptiſmatis verba habet determinata, non ſic matrimonium, ad quod ſufficit, quod concurrat manifeſtatio conſenſus præſentis, ſiuè talis manifeſtatio fiat per nutus, ſiuè per ſigna, ſiuè per verba, quæ quomodocunque ſufficientèr ſit ad manifeſtandum humano modo talem conſenſum de præſenti, vndè matrimonium per nutus legitimè fit, & validè, non ſic Baptiſmus, vt eſt in confeſſo apud omnes; & licet dicatur in quæſtionibus de Sacramentis in genere, quod variatio formæ accidentalis, quæ non tollit ſubſtantialem eiuſdem ſignificationem, non vitiet ſubſtantialitèr ſacramentum, nec illud tollat, adeòque quod ſi verum eſt, quod illa verba, *ex nunc te habebo in vxorem*, æquiualeant verbis præſentis temporis, *ex nunc te habeo in vxorem*, ità etiam verum ſit, quod illa verba in ſacramento Baptiſmatis, *Ex nunc te baptizabo in nomine Patris &c.* æquiualeant illis, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* quod cum verum non ſit in hoc caſu de Baptiſmo, neque poteſt eſſe verum in caſu præcedenti de matrimonio, licet, inquam, hoc dicatur, non tamen aliquid euincit, quandoquidem Baptiſmus importat actionem aliquam determinatam ad tempus, quo fit, nec vllam aliam reſpicit executionem, quæ preſupponat aliquam actionem exercitam, quæ conſiſtere debet in functione aliqua extrinſeca ſecundū ritū S. Romanæ Eccleſiæ, & proindè executio ipſius, ſeù manifeſtatio eiuſdem executionis futuræ non habeat ea, quæ requiruntur ad validitatem Baptiſmatis de præſenti, matrimonium autem, quantumuis conſiſtat in aliqua actione extrinſeca, ſcilicet in mutuo conſenſu extrinſecè manifeſtato, poteſt tamen per conſenſum celebrari, qui importat executionem, quæ executio poteſt præſupponere actum ſubſtantialem de præſenti, qui non conſiſtit in alio, niſi in conſenſu ad eundem actum, qui certè indicatur per illam particulam, *ex nunc*, vno verbo ly, *ex nunc te habebo in vxorem*, importat actum exercitum conſenſus, & omnia requiſita ad ipſius validitatem matrimonij; illa verò clauſula, *Ex nunc te baptizabo*, non importat actum exercitum in ſuo conceptu, nec omnia requiſita de præſenti præſuppoſita, ſicuti præſupponit illud *te habebo* in caſu matrimonij.

Adiunctum reſtringit ad tempus præſens.

Diſcrimen inter illa verba, ex nunc te habebo in meam, in matrimonio, & illa alia, ex nūc te baptizabo in nomine Patris, &c. in baptiſmo.

Baptiſmus reſpicit actionem determinatā ad tempus, quo fit, nec aliam reſpicit executionem.

Explico iam quintam partem, & caſus refero, in quibus importat matrimonium, 10

In quibus tantùm sponsalia, & in quibus tantùm promissionũ eorundẽ,& primò, si dicatur, *volo tecum contrahere, in te consentire, te ducere* sine aliquo alio addito, cõstituuntur solummodò sponsalia,& matrimonium de futuro, non verò de præsenti, *Antonius c. ex literis al primo nu. 9. de sponsalibus, Iason l. serui in princip. nu. 4. & 23. ff. de legat. 1. Siluester verb. matrimonium 2. qu. 9. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 11. num. 42.*, & ratio est, quià quantumvis verba illa concipiantur in tempore præsenti,apta tamen sunt significare de futuro, & secundum communem hominum existimationem aliud significant hæc verba, *Duco te in uxorem*, ac illa, *volo ducere te in uxorem*, nam prima significant actum exercitum, seù exercitium actus, secunda verò actum ex voluntate ponendum,seù voluntatem actus; quod discrimen optimè notauit scriptura in illo leproso mandato à Christo Domino, qui volens eundem actu à lepra mundare, & eum ipso facto mundum constituere, non dixit; *Volo mundare* coniungendo infinitum cum verbo volo, sed *volo, mundare*, actu inferens exercitium propriæ potestatis, & voluntatis imperando, *Mundare*, quasi quod illud *volo mundare*, dicat solum voluntatem mandandi, ly verò *Volo, mundare* actuale exercitium virtutis Diuinæ importatæ per illud imperatiuum, *mundare*; Hæc procedunt considerata præcisè verborum communi acceptione, nam si alia concurrant, quæ vel ex præcedentibus, vel ex concomitantibus, vel ex subsequentibus significent consensum de præsenti, tunc certè constituunt matrimonium, sic in particulari, si præcedant alterius verba, quibus quis interrogetur, an velit secum contrahere matrimonium, & ipse respondeat, *volo contrahere* per huiusmodi verba constitui matrimonium docet, *Antonius c. ex literis el 1. num. 9. de sponsalib.*, sed adhuc libentèr non assentirer huic doctrinæ, quià adhuc potest esse voluntas de contrahendo de futuro, nõ consensus actualis de præsenti; Certius igitur constituerent matrimonium per huiusmodi verba,si præcessisset tractatus de eodem contrahendo de præsenti, & posteà subderentur illa verba *Volo tecum contrahere*, quià tunc per præcedentem tractatum huiusmodi verba sumunt suam significationem de præsenti, *Cardinal. clem. 1. q. 20. de consang. VeraCrux prima part. specul. art. 17. concl. 3.*

Antonius, Iason. Siluester, Cucus.

Intellige, nisi præcesserint verba indicantia tempus præsens.

Cardinalis VeraCrux.

11 Secundò, si dicatur, *Volo te tenere, te habere in uxorem*, docent quam plurimi, constitui matrimonium, assignantque discrimen inter hunc modum exprimendi consensum, & modum præcedentem, quià in hoc verba denotant executionem actus perfecti, in præcedenti verò solum initium actus, *Ioannes Andreas in c. ex literis 1. propè finem de sponsalib. Speculator tit. de sponsalib. in initio n. 6. Angelus verb. matrimonium 2. n. 8. Siluester eod. verb. matrimonium 2. q. 9.* Nihilominus iuxtà præcedentèr dicta sentio probabilius,per huiusmodi etiam verba non constitui,nisi sponsalia *Antonius c. ex literis nu. 9. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 5. nu. 496. Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 18. nu. 25. Gutierez lib. 1. can. qq. c. 21. nu. 25.* Ratio ex ijs deducitur, quæ superius dicebamus, quià quantumuis illa verba denotent executionem actus, non tamen supponunt nec propriè, nec indirectè actum præsentem, & executio potest poni, quando ponetur actus, quantumuis hic,& nunc non fuerit positus, & ly *tenere, habere, & tractare* potest coniungi cum quocunque tempore.

Ioannes Andreas. Speculat. Angelus. Siluester.

Constituuntur solum sponsalia. Antonius. Menoch. Sanchez. Gutierez.

12 Tertiò, si dicatur, *volo te in uxorem, volo te uxorem meam*, volunt aliqui propriè cõstitui matrimonium, quià, quantumuis quandò verbum, *Volo*, coniungitur infinitiuo significante vel initium actus, vel futuram executionem, importet per superius dicta tantum sponsalia, quandò tamen coniungitur cum accusatiuo rei indicat consensum de præsenti, adeòque matrimonium, *Coarunias 4. decr. p. 2. c. 4. §. in 4. Gutierez qu. canon. lib. 1. c. 21. nu. 27. Palacios in 4. dist. 27. qu. 1. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. c. 36. de matrim.* Nihilominus asserendum est, huiusmodi verba esse æquiuoca, & interpretãda esse vel pro matrimonio, vel pro sponsalibus ex præsumpta contrahentium voluntate, vel ex præcedentibus, vel ex subsequentibus, vel ex adiunctis, deducta, atque iuxta hunc sensum existimo loqui *Ioannem Angelum Bossiũ de matrimonio contract. c. 3. nu. 195. & seqq.* Ratio ex eo deducitur, quià ly *volo te in meam* æquè indiferens est ad significandã possessionem de præsenti, vel de futuro.

Coaruuias. Gutierez. Palacios. Lopez.

Sunt indifferentia vel ad matrimonium, vel ad sponsalia. Bossius.

13 Assertio VI. Si verba,quibus concipitur contractus, sunt dubia, nec potius significant sponsalia, quàm matrimonium, & nõ constat de voluntate contrahentium pro vna potiùs, quàm pro altera parte, congruentiùs facienda est interpretatio pro matrimonio *Ioannes Andreas c. ex parte n. 3. de sponsalibus, Cardinal. c. fin. nu. 1. in fine de clandest. desponsf. Alciat. lib. 1. respõs. cons. 13. nu. 15. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 3. nu. 16. Brunellus de sponsalibus concl. 5. nu. 5.*

In dubio præsumendum est potius pro matrimonio. Ioannes Andreas. Cardinalis Altiatus. Menoch. Brunellus.

Clarè deducitur ex textu *in c. ex literis de probat.* vbi dicitur, quod existentibus paribus probationibus ex vtraque parte, Iudex debeat absoluere, prærerquam in causa liberali, vbi Glosa pro causa liberali explicat causam matrimonialem, nec sanè incongruè hoc decernitur, quandòquidem fauor matrimonij omnibus iuribus suffragantibus est maximus. Verũ tamen est, quod si ille, qui talia verba

dubia

Fauor matrimonij est præferendus

dubia protulit, re verâ non habuerit animum contrahendi de præsenti, quantumvis in foro externo huiusmodi verba esset interpretanda contrà proferentem, in foro tamen interno non esset verè matrimonium, quià non esset cum consensu requisito ad validitatem ipsius, vndè rectè dicitur, quod in foro externo stetur allegatis, & probatis, in interno tamen stetur confessioni propriæ.

SECTIO XVII.

De consensu præstito per verba negatiua.

SVMMARIVM.

Verba negatiua neque implicitè, neque explicitè includentia affirmationem, nec constituunt matrimonium, nec sponsalia, nec obligant secundum se ad contrahendum absolutè, sed tantùm conditionatè cum ea, ad quam directa sunt, si promittens voluerit contrahere vel sponsalia, vel matrimonium. 1.

Si verba fuerint simul negatiuè, & affirmatiuè concepta, quatenus negationi addita fuerit affirmatio, & verba illa significent de præsenti, constituunt matrimonium, si verò de futuro, sponsalia. 2.

Verba negatiua, addita exceptione quandoque importans matrimonium, quandoque sponsalia, quandoque solum promissionem conditionatam. 3.

Verba, quibus dicitur, non ducam aliam, nisi te, *importans solummodò obligationem conditionalem.* 4.

In suppositione, quod sic proferens decernat nubere, illa promissio cum illa exceptione transit in sponsalia sine alio actu. 5.

Verba, quibus dicitur de præsenti, non duco aliam, nisi te, *constituunt matrimonium, si alia concurrant.* 6.

VErba negatiua, quantum pertinere potest ad præsens institutum, possunt multiplicitèr concipi, primò merè negatiuè, quatenus in eisdem nec implicitè, nec explicitè includatur affirmatio, vt si dicatur, *nunquam aliam, quàm te ducam*. Secundò, negatiuè simul, & affirmatiuè, quatenus verbis negatiuis addatur particula affirmatiua, vt si dicatur, *non aliam, sed te ducam*. Tertiò negatiuè explicitè, sed implicitè cum aliqua affirmatione, vt si dicatur, *nullam aliam ducam à te*, sed hoc modo coincidit cum verbis merè negatiuis.

Quot modis verba negatiua possint sumi.

Rursus verba exceptiua, *nisi*, *tantum*, *quam*, *præter*, *præter quam*, æquiualent quoquomodo negatiuis, atque hæc possunt adiungi, vel verbo connotanti contractum de futuro, vel de præsenti; hæc item possunt addi vel propositioni affirmatiuæ, vt si dicatur *promitto contrahere matrimonium, & non cum alia, nisi tecum*, vel addi orationi negatiuæ, vt si dicatur, *non ducam aliam, quàm te*. Porrò vel adduntur propositionibus significantibus de præsenti, vel significantibus de futuro. Quibus pro notitia suppositis sit

Verba exceptiua æquiualent quoquomodo negatiuis.

1 Assertio I. Verba negatiua neque implicitè, neque explicitè includentia affirmationem, nec constituunt matrimonium, nec sponsalia, nec obligant secundum se ad contrahendum absolutè, sed tantum conditionatè cum ea, ad quam directa sunt huiusmodi verba, si promittens voluerit contrahere vel sponsalia, vel matrimonium. Ità quoad primam partem, *Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. nu. 10. Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 3. vers. de hac autem negatiua, Vera Crux prima part. speculi art. 17. dub. 5.* Quoad secundam *Adrianus qu. 2. de matrim. dub. 12. Bartholomaus à Ledesma dub. 9. de matrimonio, Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 11. nu. 45. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 19. nu. 1. vers. rogabis tamen.*

Verba simpliciter negatiua non constituunt sponsalia, nec matrimonium.

Paludanus. Sotus. VeraCrux. Adrianus. Bartolom. de Ledesm. Cucus. Sanchez.

Probatur quoad primam partem, quià verba illa sic formalitèr sumpta nec explicitè, nec implicitè important consensum terminatum ad substantiam matrimonij, vel sponsalium, ergò per illa nec matrimonium, nec sponsalia formalitèr constituuntur. Antecedens probatur, quià consensus formalitèr deferri nequit per meram negationem, qui enim absolutè omnia negat, nulli formalitèr assentitur, cum nihil positiuè affirmet, & ex eo, quod quis nuptias cum quacunque alia neget, non affirmat nuptias se contracturum cum ista. Consequentia item tenet, quià nec matrimonium, nec sponsalia constitui possunt sine consensu. Confirmatur, quià per huiusmodi verba purè negatiua non obligatur illa proferens ad contrahendum cum aliqua, nec cum ea, quam ab alijs quodamodò excepit, ergò à fortiori non actu contraxit. Antecedens patet, quià per illa verba, *nullam aliam ducam, quam te*, non inuoluit consensum absolutum ad illam ducendam, sed tantum conditionatum, idest, si voluero contrahere, cum nulla alia, quam tecum contraham, ergò &c.

Negans cum quacumque alia nuptias non affirmat cum ista.

Probatur quoad secundam partem, quià illa verba apposita in illa propositione negatiua, *quam tecum*, non debent præsumi inutilitèr posita, & sine effectu, ergò debent operari, vt in aliquo casu verificentur, si conditio implicitè apposita per illorum prolatorem constituatur, sed in nullo casu operarentur, nec verificaretur, si ille volens contrahere, vel sponsalia, vel matrimonium posset illam non ducere, ergò in casu, quo voluerit contrahere, tenebitur

Verba illa debent intelligi, vt non inutiliter prolata.

eum illa contrahere. Subsumpta minor probatur, quia non est assignabilis alius casus, in quo possit verificari illa particula exceptiua; non enim operatur de facto, vt probatum est in præcedenti parte, nec obligat absolutè ad contrahendum, vt etiam patet ex dictis, ergò in casu, quo velit contrahere, operabitur, vt teneatur cum illa contrahere, quam à cæteris omnibus excepit. Confirmatur, quia, si diceret nullam penitus se ducturum, teneretur à quibuscunque sponsalibus, & matrimonio se abstinere, ergò si dixerit, seù spoponderit se nullam aliam ducturum, quam te, quod idem sonat, ac excepta te, eo ipso, quod velit cum aliqua contrahere, tenebitur cum ista, quam excepit ab exclusione aliarum omnium, contrahere.

2 *Verba includentia affirmationem constituunt vel sponsalia, vel matrimonium.* Sotus. Lopez. Adrianus. Couaruuias Gutier.

Assertio II. Si verba fuerint negatiuè simul, & affirmatiuè concepta, quatenùs negationi addita fuerit affirmatio, & verba illa significent de præsenti constituunt matrimonium, si verò de futuro constituunt sponsalia, *Sotus in 4. dist. 29 q. 2. art. 3. verf. de hac autem negatiua, Ludouicus Lopez 2. part. instruct. c. 36. de matrim. Adrianus q. 2. de matrimon. dubio 2. Couaruuias 4. decret. part. 2. c. 4. §. 1. nu. 8. Gutierez qq. canon. lib. 1. c. 21. num. 17.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia, quandò dicitur, *Duco te, & non aliam*, verè, & propriè constituitur matrimoniū, quia consensus ponitur de præsenti, & respicit determinatum obiectum, seù personam, & illa exclusio aliarum omnium est conformis naturæ contractus, cum contractus cum vna excludat ex genere suo pro eodem tempore contractum cum quacunque alia, ergò etiam, quandò dicitur. *Nullam aliam duco, sed te* propriè constituitur matrimonium de præsenti, quia in hac etiam hypothesi concurrunt ea omnia, quæ militant in casu antecedentis.

Negatio cadit supra aliud obiectum.

Ratio secundæ partis etiam ex eo deducitur, quia illa propositio. *Non ducam aliam, sed te*, verè, & realitèr importat promissionem de futuris nuptijs, & quidam cum certa, & determinata persona, nec illa clausula negatiua. *Non ducam aliam* destruit affirmatiuam, *sed te*, cum cadat super aliud obiectum exclusum per eandem, ergò per eandem verè, & propriè importantur sponsalia, quæ sunt de obiecto determinato cum promissione de futuris nuptijs.

3 *Quando præsumendum sit pro matrimonio, quando pro sponsalibus.*

Assertio III. Si verba fuerint negatiua, sed eisdem addita fuerit exceptio, vt si dicatur *nullam aliam ducam, nisi te*, ex coniecturis præsumendum est, vel pro matrimonio, si eadem verba concepta fuerint, vt significantia tempus præsens, vel pro sponsalibus, si tempus futurum indicant, vel pro negatione vtriusque; vbi verò ex coniecturis intentio contrahentium non potest dignosci, probabilius præsumendū est pro sola promissione conditionali, non pro matrimonio, nec pro sponsalibus. Ità quoad primam partem *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contractu d. c. 3. nu. 224.* à quo non dissentit, *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 19. n. 7.* qui pro se citat *Speculatorem, Alexandrum de Neuo, Cepolam, & alios.* Quoad secundam, *Speculator tit. de sponsalib. in princip. nu. 3. Alexander de Neuo c. ex parte n. 53. de sponsalib. Altiatus l. actione n. 16. C. de transact. Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 4. §. 1. n. 8. VeraCrux 1. parte specul. art. 17. dub. 5. Vega lib. 6. summa c. 92.*

Bossius. Sanchez. Speculat. Alexander de Neuo. Altiatus. Couaruuias VeraCrux. Vega.

Ratio primæ partis ex ea deducitur, quia vbi constat quoquo modo sensibilitèr de mente contrahentium per superius allegata, & probata, verba potius subijciuntur menti, quam mens verbis, & quandò verba sunt dubia, & trahibilia ad vnum, vel alterum sensum non est fortior ratio restrictiua, & declaratiua eorūdem, quam mens proferentis sensibiliter adminiculata coniecturis, ergò, si verba significent de præsenti, & consensus ex coniecturis sensibilitèr eisdem correspondeat, non erit, our præsumi non debeat pro matrimonio, si verò de futuro, eisque concors fuerit consensus, erit pro sponsalibus sentiendum, si tandem ex coniecturis voluntas solummodo conditionata appareat, nec pro matrimonio, nec pro sponsalibus erit præsumendum, sed solummodò pro voluntate ducendi personam exceptam, si voluerit matrimonium contrahere: Ex quibus habes, propositionem illam negatiuam cum illa exceptione, quandoque posse sumi, vt purè negatiuam, quandoque vt includentem affirmationem, vel absolutam, vel conditionalem.

Verba limitantur secundum intentionem proferentis.

4

Ratio secundæ partis ex eo deduci potest, quia si aliquis dixerit, *non vendam rem meam alteri, nisi tibi*, nec de facto contrahit venditionem, nec obligatur ad eandem contrahendam, vt colligunt *DD. ex l. Hercilis §. penult. ff. de act. empt.* ergò etiam si quis dixerit *non ducam aliam, nisi te*, nec propriè contrahit matrimonium, nec obligatur ex vi illius dictionis ad contrahendum cum illa; Neque dicas, illam particulam non esse merè conditionalem, sed exceptiuam, adeoque nec tollere, nec suspendere consensum, & proptereà debere aliquid de præsenti operari, si non tribuendo ius in re, saltem conferendo ius ad rem; contra enim impugnaberis, quia illa particula est exceptiua simul & conditionalis, & sic quatenus est exceptiua non negat positiuè consensum erga personam exceptam, sicuti positiuè negat alijs ab ipsa, quatenus verò est conditionalis suspendit quodamodò consensum vsque ad purificationem conditionis, si scilicet posteà decreuerit nubere

Est exceptiua simul, & conditionalis, & quomodo.

nubere, quinimmò tunc requiritur nouus consensus actualis, per quem perficiatur contractus matrimonialis.

Hic oritur difficultas, an in ea suppositione, qua quis dixerit *Non ducam aliã, nisi te*, secundum quam diximus non obligari ad contrahendum cum persona excepta, nisi in suppositione, qua promittens per huiusmodi verba negatiua posteà decerneret nubere, an, inquam, si posteà decreuerit nubere immediatè illa promissio cũ illa exceptione transeat in sponsalia sine nouo consensu positiuo, an verò requiratur nouus consensus positiuus, Sentio absolutè, si interuenerit promissarij consensus immediatè transire in sponsalia, quandoquidem ille actus conditionatus purificata conditione fit purus, & absolutus, vt euenit in cæteris omnibus conditionibus appositis in conuentionibus, & contractibus correspectiuis.

5 *Transit in sponsalia sine nouo actu.*

Neque obesse potest, si asseratur, non sufficere illam purificationem conditionis, vt illa promissio conditionalis transeat in sponsalia immediatè quod euincitur ex paritate *in reg. peccatum de reg. iur. in 6.*, vbi dicitur *non remitti peccatum, nisi restituatur ablatum*, & tamen facta restitutione rei ablatæ peccatum non dimittitur, ergò etiam &c. Non, inquam, obesse potest, quià illa conditio apposita in illa regula *peccatum* non est totum id, quod requiritur ad dimissionem peccati, sed inter cætera requisita ad illius ablationem, adeoque eadem posita, si cætera requisita non ponantur, certè non fit remissio peccati, conditio verò apposita in præsenti hypothesi supposito præcedenti consensu conditionali, si fuerit purificata, est totum id, quod requiritur ad validitatem sponsalium, adeoq; non est, cur immediatè non debeant sponsalia verificari.

Ius oppositũ dissolutum.

Probatur vlterius eadem secunda pars, nam si quis promittat, nullam se Religionem ingressurum, & professurum, nisi D. Dominici non obligatur dictam Religionem ingredi ex vi illius promissionis absolutè, sed tantum sub conditione, qua eligeret statum Religionis, vt de communi testatur *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 19. num 3. prope medium*, vbi pro nostra opinione allegat DD. innumeros, ergò etiam si quis promittat se nullum ducturum, nisi Titiam v. gr. non obligabitur absolutè ad illam ducendam, sed tantum in suppositione, qua elegerit statum coniugalem, Neque dicas, in nostra assertione particulam *nisi* adijci orationi negatiuæ, & proindè importare affirmationem, sicuti quando adjicitur affirmatiuæ importat negationem *l. si eum §. qui iniuriarum ff. si quis cautionibus l. in actione C. de transaction. l. feriatis C. de ferijs*, quod etiam verificatur ex illo *Lucæ 11. Non dabitur signum, nisi signum Ionæ Profetæ*, quod communitèr explicant DD. affirmatiuè, quatenus hoc importetur, quod solum signum Ionæ Profetæ dabitur, & non aliud, quod pluribus alijs scripturæ locis euincitur; contra enim impugnaberis, quià, quantumvis daremus particulam exceptiuam additam orationi negatiuæ inuoluere affirmationem, & additam affirmatiuæ importare negationem, hoc ad summum verificaretur, quando esset purè exceptiua, secus quando simul, & semel esset conditionalis, vt in casu nostro.

Ex paritate euincitur dictum superius. Sanchez.

Est exceptiua simul, & conditionalis.

Deindè *Couaruuias 4. decret. part. 2. de sponsalib. c. 4. §. 1. num. 8.* absolutè negat, nisi ex accedentibus inferatur affirmatio, particulam exceptiuã additã propositioni negatiuæ importare affirmationem, qui per cõsequens dicit in illa propositione *Nullus, nisi Socrates currit* non valere hanc illationem *Nullus nisi Socrates currit, ergò Socrates currit*, vndè ad textum desumptum ex illo Lucæ 11. meo videri responderet, & ad alia similia, si afferantur, importari affirmationem ex præcedentibus, quatenus vel præcessit interrogatio de signo, vel aliqua alia coniectura indicans talem affirmationem. Congruentius respondet *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp.* 19. ea, quæ dicuntur in instantia, verificari ad summum in simplicibus affirmationibus, non sic in promissionibus, & contractibus, in quibus regularitèr sensus est conditionalis, vt videre est in illa propositione *Non vendam alteri nisi tibi*.

Non valet in promissionibus, & contractibus.

Contendunt hic aliqui, secundum diuersum modum, quo enunciantur huiusmodi propositiones cum exceptionibus variari conceptus, & differentias constitui, & diuersitatem modi desumunt, vel ex verbo, cui additur negatio, vel ex ipsa particula exceptiuã; sic asserit *Antonius c. ex parte nu. 10. de sponsalib.*, & cum eo *Angelus verb. matrimonium 2, q. 12.*, quod si dicatur *Non habebo aliam nisi te*, non constituantur sponsalia, quià per ly *habebo* importatur voluntas solummodo habitualis, constituantur verò, si dicatur non ducam aliam, quam te. Sic *Speculator tit. de sponsalib. in princip. num. 3. Gregorius Lopez l. 2. verb. e prometto tit. 1. part. 4. num.* 5. asserunt, quod si dicatur *Nolo aliam sine te* inuolui matrimonium, quià æquiualet huic *Volo te, & non aliam*; sic *Sotus in 4. dist. 26. q. 2. art. 3.*, & *Bartolomæus de Ledesma de matrim. dub. 25. in fin.* docent, quod si dicatur *Nullam aliam, quam te ducam* importare æquiuocam locutionem; item alij dicunt particulam *praeter* importare affirmationem, & constituere sponsalia, vel si addatur affirmationi importare negationem, siuè negationi affirmationem *Bartolus in l. si eum §. qui iniuriarum num. 7. ff. si quis cautionibus*. Nihilominus in his omnibus sentio currere eandem rationem, atque in omnibus non inuolui, nec matrimonium, nec sponsalia, ni-

Enumerantur varij modi, quibus per particulas exceptiuas asserunt DD. importari vel matrimonium, vel sponsalia.

Speculator. Lopez. Sotus. Bartolom. de Ledes.

Bartolus.

In his omnibus non importatur nisi promissio conditionalis.

si secundum conditionalem supra expositam, & quidem ad primum adductum *ex Antonio, & Angelo* dicendum est, quod, quantumvis illa propositio negatiua, *Non habebo aliam, nisi te*, non inuoluat, nisi voluntatem habitualem, non propterea sequatur, quod illa alia, *Nullam aliam ducam nisi te*, inuoluat actualem, & propriam sufficientem ad validitatem sponsalium, quandoquidem non exceptiuè tantum sumitur, sed simul, & semel conditionalitèr, ex quo solum eruitur, quod, si hæc excluditur à ratione formali contractus, à fortiori sit illa excludenda ex suppositione, quod in aduersantium sententia minorem vim habeat ad obligandum. Cæterum, vtramque propositionem pro eodem accipit *Sanchez d.lib.1.de sponsalib.disp.19.nu.3.vers.constituunt tamen Antonius, & Angelus.* Ad secundum *ex Speculatore, & Gregorio* Lopez desumptum dicendum est gratis omninò dici, illã propositionem, *Nolo aliam nisi te* resolui in istam aliam, *volo te, & non aliam*; vt bene considerarunt *Altiatus lib.1. respon. cons.13. num.13. Gutierez lib.1. qq. canon.c.21. num.21.*, quià illa particula, *Nolo*, ex genere suo nullam affirmationem inuoluit, & equò potest coniungi cum conditionali, sicuti coniungitur illa alia, *Non ducam*, per superius dicta. Ad tertium desumptum *ex Soto, & Bartolomæo Ledesma* dicendum esse particulam, *Quam*, & particulam, *nisi*, in præsenti hypothesi non diferre, nisi secundum sonum verborum, non secundum formalem significationem, vt notat *Laurentius Valla lib.3.elegant. c.54. Coaruuias 4. decret.part.2.c.4.§.1.num.7.& alij magis communitèr*, & ex se patet; idem dic ad vltimum, cum particulæ *nisi, quam, præter*, & aliæ huiusmodi inter se æquiualeant in formali significatione *Rota Rom. apud Farinacium decis.639. Henriquez lib.11. de matrim. c.13. nu.4. in fin.*

Sanchez. Antonius. Angelus.

Altiatus. Gutierez.

Sotus. Bartolom. à Ledesma

Valla. Coaruuias Rot.Rom. Henriquez

Maior ratio dubitandi videtur consistere, quando propositio illa negatiua cum exceptione concipitur pro tempore præsenti, vt cum dicitur. *Non duco aliam, nisi te, vel nullam duco, quam te*, in hac etenim hypothesi videtur actualitèr consensus in illam determinatam personam exceptam cum ly, *non duco*, cum exceptione non importet solummodo voluntatem habitualem, sed exercitium formale, & actuale eiusdem voluntatis, neque potest referri ad conditionem de futuro ponendam ex libertate eiusdem promittentis sub illis verbis negatiuis, sicuti refertur, quando dicitur, *Non ducam aliam, nisi te*, quando enim negatiuè promittens sub exceptione pro tempore futuro promittit, liber est ad ponendam, vel non ponendam conditionem, quæ cadit sub exceptione, quando verò promittit per verba negatiua de præsenti sub illa exceptione non videtur liber, cum consensus de præsenti positus non possit cadere sub conditione de futuro. Quamobrem in hac hypothesi probabilius sentio constitui matrimonium, si alia concurrant requisita ad validitatem eiusdem, & illam propositionem æquiualere huic affirmatiuæ. Non aliam, sed te duco in vxorem, in oratione autem affirmatiua ponit actum in casu excepto, & remouet exceptio ab alijs omnibus, atque in hoc consentire videntur *Coaruuias 4.decret.part. 2.de sponsalib. c.4. §.1. num.7., & 8. Gutierez can qq.lib.1. q.9. c.21.num.1., & seqq. Basilius Pontius lib.2 c.10.num.14.*, quinimmò in hac hypothesi ly, *Non duco aliam, quam te*, idem sonat ac non duco aliam, sed te. Si autem inquiras, cur quando illa verba, *Non ducam aliam, quam te*, concipiuntur de futuro, non constituant sponsalia, seù matrimonium de futuro; constituant verò matrimonium de præsenti, si concipiantur de præsenti sub hac forma *Non duco aliam, quam te*, cum ità se habeat sponsalia, seù matrimonium de futuro ad tempus futurum, sicuti se habet matrimonium actu ad tempus præsens; Si, inquam, hoc inquiras, statim responsum accipies, discrimen ex eo prouenire, quod tempus futurum aptum est ad admittendam conditionem de futuro, nempe si promittens sub negatione deliberauerit nubere, tempus autem præsens adiectum illi propositioni negatiuæ videtur ex se importare illam deliberationem saltem implicitè, & non admittere temporis extensionem, seù prorogationem ad deliberandum, cum ponat hic, & nunc actum determinatum.

6 *Constituitur probabilius matrimonium.*

Coaruuias Gutierez. Pontius.

SECTIO XVIII.

An verba inter puberes clandestinè prolata de præsenti, vel inter impuberes etiam notoriè, vel inter puberem, & impuberem malitia non supplente ætatem habeant vim sponsalium.

SVMMARIVM.

Verba clandestinè prolata de præsenti inter puberes etiam in vim sponsalium non obligant, nec eadem constituunt. 1.

Explicatur textus in l. tam angusti ff. de seruit., *vbi dicitur, quod actus, qui non valet, sicut agitur, valeat eo modo, quo potest valere.* 2.

Matrimonium inter impuberes clandestinum per verba de præsenti transit in sponsalia. 3.

Matrimonium clandestinum inter puberes non transit in sponsalia, quantumuis subsecuta fuerit copula carnalis. 4.

Matrimonium clandestinum inter puberes transit in sponsalia, si ipsi contrahentes habuerint

buerint animum se obligandi eo modo, quo possunt. 5.
Non obligat in vim sponsalium, quantumvis fuerit iuramento firmatum. 6.
Matrimonium siuè clandestinum, siuè publicum contractum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, quantumvis non obliget in vim matrimonij, obligat tamen in vim sponsalium, & de iure antiquo, & de iure nouo. 7.

CErtum est stante dispositione Concilij Tridentini, quod matrimonium clandestinè contractum sinè præsentia Parochi, & testium non teneat in vim matrimonij, cum ab eodem absolutè declaretur irritum, item quod initum ante legitimam ætatem à iure requisitam non teneat, nisi quodammodo malitia suppleat ætatem. Supposito igitur, quod in his casibus contractus non teneat in vim matrimonij, quæritur, an saltem teneat, & obliget in vim sponsalium.

1 *Verba de præsenti clandestina non constituunt sponsalia.* Nauarrus, Menoch. Gutierez. Peregrinus Belarmin. Vega. Diana. Sanchez, Bossius.

Assertio I. Verba clandestinè prolata de præsenti inter puberes etiam in vim sponsalium non obligant, nec eadem constituunt, *Nauarrus lib. 4. consil. in 2. edit. tit. de cland. sit. desp. cons. 3. nu. 3., & in tit. de sponsal. in 1. edit. cons. 1. num. 3. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. n. 102. Gutierez de iuram. confirm. c. 51. n. 21., & in pract. quæst. lib. 2. q. 4. n. 12. Peregr. tract. de fideicom. art. 24. n. 65. Belarminus in addit. ad c. 1. Concil. Trid. sess. 24. n. 23. Rebellus de oblig. iust. lib. 2. q. 9. nu. 7. Vega lib. 6. summa cas. 104. Antoninus Diana part. 3. tract. 4. resol. 258. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 20. n. 4. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. nu. 12.*, & alij innumeri apud eundem.

Contractus nullus nullum parit effectum. Zasius.

Ratio assertionis ex eo deduci potest, quod contractus matrimonij sic initus ex dispositione eiusdem Concilij est absolutè irritus, & sic contrahentes redduntur inhabiles in ordine ad tale matrimonium, ergò nullum potest parere effectum, nullamque gignere obligationem, cum sit in sua radice nullus *l. sicut ff. de oper. lib. Zasius in l. cum quærebatur num. 3. de re iudicata*. Confirmatur, quià, vbi ius resistit contractui, nulla prorsus oritur ex eo obligatio siuè ciuilis, siuè naturalis per textum *in l. non dubium C. de legib., & l. cum lex 47. ff. de fideiuss.* vbi decernitur, quod, quandò lex venditionibus occurrere voluerit, fideiussor quoq; liberatur; ex quo argumentum efficax sic desumo. Existente obligatione naturali in principali reo, seù debitore fideiussor ipse non remanet liber, cum fideiussio possit in obligatione naturali radicari, ergò, si liberatur absolutè signum est, quod obligatio nulla etiam naturalis oriatur. Neque obesse potest, si afferatur actum, qui non valet, sicuti agitur, valere eo modo, quo potest valere per textum, *in l. iam augusti ff. de seruit.*, quod etiam confirmari potest ex eo, quod dicitur *in c. vnico de desponsat. impub. in 6.* nempè matrimonium inter impuberes, si non obligat vt matrimonium, obligare saltem in vim sponsalium, ergò etiam, si matrimonium clandestinum non obligat in vim matrimonij, obligabit saltem in vim sponsalium, & per hoc eluditur ratio assertionis, licet enim matrimonium sit nullum in ratione matrimonij, non erit tamen sine obligatione in vim sponsalium, nec Concilium Tridentinum annullat sub alia ratione à matrimonio; Non, inquam, obesse potest, quià illud axioma, quandò actus non valet, vt agitur, valet tamen, vt valere potest, verificatur solummodò, quandò nō valet, vt agitur ex defectu causæ efficientis præcisè, secùs autem, quandò non valet, vt agitur tàm ex parte causæ efficientis, quàm ex parte causæ formalis, vt euenit in casu nostro, prout optimè considerarunt, *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 20. n. 4. vers. tertiò, quià quandò actus, Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 1. n. 12.*, nam non solum deficit causa efficiens, quià sic contrahentes per idem Concil. Trident. redduntur inhabiles ad contrahendū, sed etiam forma essentialitèr requisita, nempè solemnitas per præsentiam Parochi, & testium, quæ requiritur tanquam forma à iure nouissimo eiusdem Trident. requisita. Ex quibus habes, quid respondeas ad textum *in c. vnico de desponf. impub. in 6.* dic etenim, vt infrà fusius dicetur, matrimonium inter impuberes deficere tantum ex parte causę efficientis, adeoque &c.

2 *Explicatio textus in l. iam augusti ff. de seruit.*

Deficit causa efficiens, & formalis Bossius.

3 *Opinio Bossij refertur, eiusque rationes.*

Hic immediatè suboritur difficultas, an si impuberes contraxerint matrimonium per verba de præsenti, sed clandestinè, matrimonium illud transeat in sponsalia. Affirmatiuè sentit *Bossius de contract. matrim. c. 1. n. 12.* duplici motus ratione; primo, quià impuberes sic contrahendo præsumuntur se voluisse obligare eo modo, quo possunt; secundo, quià *Concilium Trident. d. c. 1. sess. 24.* voluit irritare matrimonium, quod antecedentèr erat validum, non autem matrimonium, quod ex alio capite est absolutè inualidum; cum enim præscripserit formam, qua subsequentèr debebat, vt esset validum, celebrari, non est præsumendum, quod voluerit formam ingenere pro eo, quod aliundè non poterat subsistere. Ex aduerso alij docent, absolutè illud matrimonium, nec subsistere in ratione matrimonij, nec in vim sponsalium, tùm quià non sufficit præsumptio, quod contrahentes voluerint se obligare eo modo, quo possunt, quandòquidem etiam hoc potest præsumi de puberibus clandestinè contrahentibus, sed requiritur obseruantia formæ, cum contrà formam

Contraria sententia, eiusque fundamenta.

mam à iure præscriptam non iuuet contrahentium intentio; tùm quià concilium indefinitè disponit contrà quodcunq; matrimonium clandestinè celebratum, adeoque, si fuerit clandestinè inter impuberes non solum erit irritum ex deficientia causę efficientis habilis, sed etiam ex defectu causæ formalis, nempè solemnitatis à iure requisitæ. Quid iam in hac controuersia concludendum? Vtramque opinionem probabilem existimo; probabiliorem tamen duco opinionem, Bossij, quià concilium voluit consulere matrimonijs, quæ antecedentèr reputabantur valida, & ex quorum præsumpta validitate oriebantur incommoda, quæ in proemialibus *cap. 1. sess. 24. eiusdem Concilij*, prouenire posse referuntur, quæ ratio non militat, quandò ex alio capite euidentèr sunt inualida, nam tunc illa incommoda ex clandestinitate non possunt oriri Ecclesia irritante.

Præfertur opinio Bossij.

4 Amplia primo assertionem, vt matrimonium clandestinum inter puberes initum non transeat in sponsalia, quantumvis subsecuta fuerit copula carnalis, *Sanchez lib. 1 de sponsalib. disp. 20. n. 6. Zipeus lib. 4. tit. de sponsalib. n. 3. Nauarrus consil. lib. 4 in prima edit. cons. 1. n. 4. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. d. c. 1. n. 16.* Ratio ex eo deduci potest, quià eadem copula, nec vim habet secundum se ad constituenda sponsalia, nec ex vi præcedentis contractus; non secundum se, quià ex quacunq; coniunctione carnali non oriuntur sponsalia, quantumvis fuerit inter liberos; non ex tractatu præcedenti, quià fuit absolutè, & in sua radice nullus; nec potest dici, quod masculus tunc teneatur ratione iniuriæ illatæ fæminæ defloratæ; quandòquidem in primis non præsumitur illa iniuria, si qua fuit, cum deceptione, quià lex Tridentini adeò trita est, & nota, vt de illa merito non præsumatur ignorantia, adeoque ipsa præsumitur conscia nullitatis contractus initi, quæ propterea, si permiserit deflorari, debet sibi imputare, cum volenti, & consentienti nulla fiat iniuria ex vulgatis iuribus.

Etiam si secuta fuerit copula carnalis. Sanchez. Zipæus. Nauarrus. Bossius.

Copula non inducit sponsalia.

5 Limita, vt matrimonium clandestinum inter puberes celebratũ transeat in sponsalia, si ipsi contrahentes animum habuerint se obligandi eo modo, quo possunt, *Nauarrus cons. 1., & 2. de desponsat. impub. Molinus de ritu nupt. lib. 1. c. 11. n. 31. Bellarminus ad c. 1. sess. 24. de reformat. in declaration.* vbi refert pro se declarationem Sacræ Congregationis contrà *Sanchez de lib. 1. de sponsalib. disp. 21. n. 7. vers. sed credo adhuc non teneri, Ioannem Angelum Bossium de matrim. contract. c. 1. n. 14*, qui tamen sinistrè allegat pro contraria sententia Sanchez. Ratio ex eo deducitur, quià ille animus mutuo se obligandi, qui supponitur in contrahentibus, est sufficiens secundum se ad validitatem sponsalium, & prout coniungitur cum matrimonio illo clandestino sit sensibilis, ergò obligat eosdem contrahentes in vim sponsalium. Neque obstare potest, quod intentio in mente retenta nihil operatur, & per consequens non sit apta ad constituendos humanos contractus, & quod, cum matrimonium illud sit omninò nullum, non possit secundum se conferre vim aliquam illi intentioni internæ; non, inquam, obstare potest, quià, quantumvis ille contractus matrimonialis sit nullus, & non aptus conferre aliquam vim secundum se, est tamen aptus conferre eidem intentioni illam sensibilitatem requisitam ad valorem sponsalium, præcipuè, cum in matrimonio virtute claudantur sponsalia, vndè tota vis non est à contractu præcedenti, sed ab illa intentione mutuo se obligandi eo modo, quo possunt contrahentes supposita illa sensibilitate exhibita per eundem præcedentem actum; Ea proportionali ratione, qua dictum est de consensu fictè exhibito, qui quamvis, secundùm se sit nullus confert sensibilitatem.

Etiam si habuerint animum obligandi se modo quo possunt. Sanchez. Bossius.

Non deficit sensibilitas externa.

Contractus quoad totũ suum esse desinit, sed remanet sensibilitas.

6 Amplia secundo, vt etiam matrimonium clandestinum non obliget contrahentes in vim sponsalium, quantumvis fuerit iuramento firmatum, *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 20. n. 4. vers. idem dicendum est, Ioannes Angelus Bossius d. c. 1. nu. 13.* aduersus, *Vera Crucem append. ad speculum dub. 9. concl. 2., & Henriquez lib. 11. de matrim. c. 5. nu. 4.*, qui ex vna parte asserunt iuramento inesse virtutem, vt faciat valere actus alias inualidos, eo modo quo valere potuerunt, ex alia afferunt declarationem Sacræ Congregationis. Sed ampliatio nostra facilè euincitur, quià iuramentum nullam vim tribuit contractui, quandò eidem contractui ius positiuè resistit, ipseque contractus stante tali iuris resistentia est contrà bonos mores, in quo casu iuramentum ipsum omni prorsus robore destituitur per textum, *in reg. non est obligatorium de reg. iur. in 6.* Quamobrem ad id, quod ex aduerso opponebatur, dicendum est, iuramentum ad summum supplere defectum ætatis, & vim conferre, quando ius eidem contractui quoad substantiam non resistit, secùs si positiuè resistat, vt DD. allegati.

Etiam si fuerit iuratum. Sanchez. Bossius.

Iuramentũ ad summũ supplet defectum ætatis.

Assertio II. Matrimonium siuè clandestinum, siuè publicum contractum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, quantumuis non obliget in vim matrimonij, obligat tamen contrahentes in vim sponsalium, & hoc siuè spectato iure antiquo, siuè nouissimo *Concil. Trident. d. c. 1. sess. 24. de matrimonio.* Ita quod ius antiquum *Glos. in c. fin. de desponsat. impub. verbo subbarrata, Gofredus in summa tit. de sponsalib. n. 5. Hostiensis c. à nobis de desponsat. impub.*

Inter impuberes obligat in vim sponsalium. Glosa. Gofredus. Hostiensis.

Silvester. D. Antoni. Sotus. Henriquez Nauarrus. Lopez. Sanchez. Bossius.

impub. Siluester verb. sponsalia quæst. 1. dict. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. in princip. Sotus lib. 4. dist. 35. q. vnica art. 5. vers. ad quæstionem, Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 113. n. 2., & seqq. Quoad ius nouissimum Concil. Trid. *Nauarrus in summa cap. 22, n. 57. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. c. 37. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 21. n. 5. in fin. Ioannes Angelus Bossius* suprà citatus in præcedenti assert. *vers. hic immediatè suboritur*.

Potissimum colligitur quoad primam partem *ex c. fin. de desponsat. impub. & cap. vnico §. idem quoque eod. tit. in 6.*, & in hoc locum habet illud iuristicum axioma, quod, quandò actus non valet, vt geritur, valeat tamen eo modo, quo valere potest, quià defectus, si qui est, est tantum ex parte causæ efficientis, non ex parte causæ formalis, vt in casu præcedentis assertionis, in quo etiam deficiebat forma à iure requisita, & quidem hoc fundatur etiam in contrahentium intentione manifestata in illo contractu, in quo implicitè inuoluuntur sponsalia ex eorundem contrahentium mente interpretatiua, & quodamodò ex natura contractus, qui secundum formam, seù defectu formæ non destruitur, sicuti in casu præcedenti; Nec in hoc audiendus est *Bartolus in l. si quis ità nu. 5. ff. de verb. obligat.*, qui asserit, quod quoties agitur de contrahenda obligatione mutua, quandò actus non valet eo modo, quo fit, non valere eo modo, quo fieri potest, vel potuit; Non, inquam, audiendus est, quià hoc ad summum valet, quandò actus, qui geritur non valet defectu formæ à iure requisitæ, secus quandò non valet ex defectu causæ efficientis.

Bartolus.

Quoad secundam deducitur ex his, quæ dicta sunt in præcedenti assertione *vers. hic immediatè suboritur*, quæ tu recole; non enim Concil. Trident. loc. cit. aliquid in hoc correxit quoad matrimonium clandestinum inter impuberes, sed tantum præscripsit formam seruandam in celebratione contractus inter puberes, inter quos de iure antiquo validè subsistebat matrimonium clandestinum, nec falcem ponit in contractu, qui antecedentèr nullo penitus discrepante erat irritus, & in communi conceptu, iurisque interpretatione habebatur pro meris sponsalibus.

Concilium Tridentinū nihil innouauit.

Dixi, *siuè inter impuberes, siuè inter puberem, & impuberem*, quandòquidem, cum hic contractus sit vltrò, citroque obligatorius non solum irritatur ex inhabilitate vtriusque ad contrahendum, sed ex inhabilitate vnius dumtaxat, cum contractus, vt sit subsistens, non debeat claudicare.

PRÆNOTIO VI.

An in sponsalibus possint interuenire fideiussores, & pignora.

SVMMARIVM.

Fideiussores in sponsalibus possunt adijci sine læsione libertatis. 1.

Si principalis ex iusta causa resiliat, fideiussor non obligatur. 2.

Fideiussores non possunt adijci matrimonio clandestino inter puberes, benè tamen inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem. 3.

Pignora possunt validè adijci sponsalibus, & matrimonio clandestino inter impuberes, non inter puberes. 4.

Nec fideiussores, nec pignora possunt adijci pro pæna, benè tamen pro arris, & pro interesse damni emergentis. 5.

De pæna vel propria, vel impropria, an, & quandò possit adijci sponsalibus, necne, latè dictum fuit suprà in precedentibus sectionibus. Nunc specialiter agendum remanet de fideiussoribus, & pignoribus, an hi, seù hæc possint validè, & efficacitèr adijci, ne post fidem datam matrimonij contrahendi paciscentes audeant à promissis recedere, & primo in ordine ad fideiussores quoad effectū magis obligandi ad persistendum in contractu primo inquiretur, an validè sponsalibus secundum se sumptis possint adijci. Secundò, an possint adijci matrimonio clandestino. Tertiò, an matrimonio inter impuberes, vel puberem, & impuberem inito. In ordine verò ad pignora inquiretur primo, an possint interuenire pro assecuratione matrimonij. Secundò, an pro assecuratione pænæ impositæ. Tertio, an pro arrhis. Quartò, an pro interesse damni emergentis. Quinto, an in matrimonio clandestino. Sit iam

Rationes dubitandi exponuntur

1 Assertio I. Fideiussores in sponsalibus licitè, & validè exigi, & dari possunt pro securitate matrimonij sine læsione libertatis eiusdem matrimonij, *Hostiensis in summa de sponsalibus §. 1. n. 2. Alexander de Neuo in c. gemma n. 31. de sponsalib. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. n. 17., & c. 11. n. 441. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 38. n. 1.*

Possunt adijci pro securitate contractus. Hostiensis. Alexander de Neuo. Bossius. Sanchez.

Probatur, quià talis adiectio fideiussorum facta sponsalibus nec repugnat dispositioni iuris, nec naturæ contractus, nec libertati matrimonij futuri, ergò non est, cur non possit esse licita, & valida. Antecedens quoad primam partem patet, quià nullum est assignabile ius, quod resistat tali adiectioni, & si aliquid afferatur est in ordine ad fideiussores ad pænam, vt infrà dicemus, non in ordine ad securitatem con-

contractus; quoad secundam, & tertiam sic euincitur, quià per talem adiectionem fideiussorum non inducitur aliqua obligatio, quæ non fuerit inducta ex spontanea voluntate contrahentium sibi ad inuicem compromittentium, quam obligationem tenentur ipso iure naturæ, & quocunque iure positiuo compellente adimplere; Neque dicas, quod per adiectam fideiussionem inducatur quasi noua quædam species obligationis, ratione cuius magis coarctatur voluntas eorundem compromittentium, adeovt ratione eiusdem non recedāt, cæteroqui recessuri; contrà enim impugnaberis, quià gratis omninò dicitur, quod sit noua obligatio, sed solummodò eadem firmata per fideiussionem, & sicuti non repugnat, quod promissio firmetur iuramento, quod solum addit robur obligationi, non nouam obligationem inducit, ità non repugnat, quod firmetur fideiussione, quæ solum firmat eandem promissionem non nouam inducit. Adhoc faciunt maximè, quę dicta sunt *tom 4. sub tit. contractus XII. pranot. 3.*

Non inducitur noua, & distincta obligatio.

Sed solummodo firmatur.

Hic oritur difficultas, an in hypothesi, quod ille, qui promisit matrimonium futurum alteri acceptanti, adiecerit fideiussorem, & posteà vel ex inæqualitate, vel ex aliquo alio capite à iure permisso resiliat à sponsalibus, fideiussor adiectus adhuc remaneat obligatus. Probabilius sentio in ea hypothesi, eximi etiam fideiussorem ab obligatione, si legitimè per principalem dissoluantur sponsalia. Ratio ex eo deducitur, quià perempta legitimè principali obligatione tollitur etiam fideiussoria tanquam accessoria per ea, quæ latè docuimus *tom. 4. sub tit. Contractus 12. de fideiuss., & assecurat. sparsim per pranot., & disquis.* quæque sunt apud omnes acceptata, ergò, si ex iusta causa, & legitima dissoluantur sponsalia inter ipsos contrahentes, fideiussor ad ipsos non poterit obligatus remanere. Hæc procedunt regularitèr, in suppositione scilicet, quod alter ex contrahentibus, qui fideiussorem adiecerat, resiliat legitimè à contractu ex inæqualitate, vel alia simili causa; nam si contraxisset cognoscens talem inæqualitatem, liberè adijciens talem fideiussorem, videtur quodamodò cessisse iuri suo ex illa inæqualitate prouenienre, nam sciens se non teneri, & nihilominus se obligans expressè per contractum, eaque efficiens, quæ inferunt talem voluntatem, verè & propriè obligatur arg. eorum, quæ tradit *Baldus in l. 2. n. 10. ff. de rescind. vendit. Bertazolus in tract. clausul. instrum. claus. 39. glos. 3. n. 1.*, ergò sicuti ipse illegitimè recedit, & in iure remanet obligatus, obligatus etiam remanet fideiussor pro eo adiectus.

2 *Recedente principali ex legitima causa, fideiussor liberatur.*

Si cognouisset principalis inæqualitatē, & tamen contraxisset adhuc fideiussor obligatur.
Baldus.
Bertazolus

Alia hic suboritur difficultas in explicando ad quid teneatur fideiussor in hypothesi, qua principalis contrahens sine legitima causa recederet à sponsalibus. Respondendum est, vt infrà, teneri ad compensationem cuiuscunque interesse, & ad arrhas, sed de hoc in seqq. dum de pignore.

Tenetur ad compensationem interesse.

Assertio II. Fideiussores non possunt adijci matrimonio clandestino celebrato inter puberes, bene tamen inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, *Gomez lib. 2. c. 13. in princip. Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nuptiarum comparat. 33. n. 3. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. n. 27.*

3 *In matrimonio clandestino possunt adijci inter impuberes, non inter puberes.*
Gomez.
Molina.
Bossius.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià matrimonium clandestinum in ordine ad principales contrahentes nullam parit obligationem nec ciuilem, nec naturalem ex superius probatis, quià eidem ius nouissimum Concil. Trident. resistit; ergò fideiussio eidem adiecta non potest subsistere. Consequentia probatur, quià non potest subsistere obligatio accessoria sine principali, & vbi obligatio saltem naturalis non viget, non potest esse fideiussoria. Confirmatur, quià matrimonium clandestinum, nec subsistit in vim sponsalium, nec in vim matrimonij, & cum in sua radice sit nullus nullam potest gignere obligationem, nec parere actionem, ergò non potest admittere obligationem fideiussoriam.

Non extante obligatione principali cessat fideiussoria.

Ratio secundæ partis ex eo deduci potest, quià ex dictis in præcedenti assertione sponsalibus, vt sponsalibus potest adijci fideiussor, ergò etiam matrimonio clandestino inter impuberes, seù inter puberem, & impuberem. Consequentia probatur, quià huiusmodi matrimonium inter impuberes, seù inter puberem, & impuberem habet vim sponsalium per superiùs probata, ergò &c.

Assertio III. Pignora possunt validè, & efficacitèr adijci sponsalibus; & matrimonio clandestino inter impuberes, seù inter puberem, & impuberem, non matrimonio clandestino inter puberes. Ita quoad primam partem, *Franciscus Molinus de ritu nupt. comp. 33., & 34. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 38. num. 3., & 4.* Quoad secundam, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. n. 28., & c. 11. n. 441.*, & alij magis communitèr.

4 *Pignora possunt adijci matrimonio clandestino inter puberes.*
Molinus.
Sanchez.
Bossius.

Probatur in vniuersum ex *l. 1. C. si rector prouincia*, & etiam ratione sic euincitur; quià fideiussores possunt adijci sponsalibus, & matrimonio clandestino inter impuberes, seù inter puberem, & impuberem per superius probata, non verò matrimonio clandestino inter puberes, ergò etiam seruata proportione poterunt, & non poterunt adijci pignora, cum ad eundem finem referantur pignora, ad quem fideiussores, & eadem militet ratio de vtrisq;

Pignora adijciuntur eodem fine, quo adijciuntur fideiussores.

Neque

Neque dicas absolutè reijcitur à sponsalibus conuentio, seù stipulatio pœnalis, ergò etiam adiectio pignorum, cum hæc habeat rationem pœnæ in hypothesi, quà alter à contractu resiliret; contrà enim impugnaberis, quià, vt mox subdàm, pignora dantur pro arrhis; arrhæ autem licitæ sunt in contractu sponsalium, non sic pœna conuentionalis; si autem inquiras, cur in iure permittantur arrhæ, non pœnæ, respondebit *Coaruuias de sponsalibus part.2. c.3.§.7. nu.5.* hoc prouenire, quià arrhæ ex se, & regularitèr minus impediunt libertatem matrimonij, quam pœna, tùm quià arrhæ maturiori consilio traduntur, cum statim tradantur, quam pœna, quæ statim non traditur, sed post resilientiam à contractu; tùm quià minor est timor amittendi arrhas iam traditas, quam sit timor soluendi pœnas adiectas de futuro; tùm quià regularitèr minores sunt arrhæ, quà pœnæ; tandem, quià communi praxi sic suadente præscripta est ratio arrarum, non sic pœnæ.

5 Assertio IV. Nec fideiussores, nec pignora possunt adijci contractui spōsalium pro pœna conuenta, benè tamen pro arrhis, & pro interesse damni emergentis.Ità quoad primam partem, *Glosa in l.Titia verb. matrimonia, ff. de verb. obligat.*, *& ibi Bartolus in princip. nu.2. Alberic. l. fin. nu.3. C. de sponsalib. Alexander Carrerius lib.1. de sponsalib c.15.* Quoad secundam, & tertiam, *Speculator tit. de sponsalib. §. primo igitur n.4. Innocentius in cap. gemma num. vnica, & ibi Ioannes Andreas n. 7. de sponsalib. Immola l. Titia in princip. n.5 ff. de verb. oblig. Sanchez de matrimon. d. lib.1. de sponsalib. disp.38. n.4. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.11.n. 437., & seqq., & n. 445.*

Ratio primæ partis ex ijs deducitur, quæ superiùs dicta sunt, quià adiectio pœnæ inter contrahentes contractu sponsalium omninò illicita est, & inualida; *Bartolus cons. 45. Franciscus Molinus de ritu nupt. lib.2. diff.16. nu. 25. Augustinus Barbosa collect. ad c. gemma de sponsal ib. n.2. Molina de iust., & iur. disp. 151. vers. dubium in fine Laiman lib.5. Theologia moralis tract.10. part. 1. c.1. n.8. Bonacina de matrim q. 1. punct. vlt. num. 1. Hurtadus de matrim. disp.1. diffic.8.* hocque expresse habetur *in d. l. Titia, ff. de verb. oblig.*, & hoc proptèr eam rationem, quià huiusmodi pœna minuit de libertate matrimonij per superius allegata, & probata, ergò neque adijci poterunt fideiussores, nec pignora pro huiusmodi pœna. Consequentia tenet, quià ex superius etiam probatis non subsistente obligatione principali, non potest subsistere accessoria; tùm quià non possunt in plus obligari fideiussores, & pignora, quam obligentur principales per ea, quæ latè docuimus *tom. 4. sub tit. Contractus 12. de fideiussione, & assec. prænot. 3. assert.1. num.2.* per textum *in §. fideiussores Insti. de fideius. & in l. græce §. illud commune, ff. de fideiuss.* ad plus autem obligarentur, si obligarentur ad pœnam, ad quam non obligantur principales contrahentes.

Ratio secundæ partis etiam ex ijs deducitur, quæ superius dicta sunt, quià in contractu sponsalium huiusmodi arrhæ nō reprobantur à iure per textum, *in l.1. C. si rector prouinciæ, & ibi Glosa verb. pign.*, & superius etiam indicata est ratio, cur à iure admittantur arrhæ, non verò pœnæ, ergò, nec reprobari præsumenda sunt pignora pro huiusmodi arrhis; quià ex superius dictis cuicunque obligationi siuè ciuili, siuè naturali possunt accedere fideiussores, & pignora, & subsistente onere principalis non est, cur non possit subsistere etiam onus accessorij.

Hæc adeo vera sunt, vt etiamsi tradantur pignora, vel adijciantur fideiussores, nullaque fiat specialis mentio, vel de stipulatione pœnali, vel de stipulatione arrharum, præsumenda sit eorum traditio, vel adiectio pro arrhis, *Henricus l. fin. n.8., & ibi, Salicetus C. de sponsalib. Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalib. disp. 38. nu. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià in dubio præsumendum est pro eo, quod regularitèr fit, & iustè fieri potest, non autem pro eo, quod honestè fieri non potest; non enim potest esse congrua præsumptio, vt quis eligat viam, vt sua dispositio subuertatur *l. 3. ff. de milit. testam.*

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià licitum est inter contrahentes conuenire; vt vbi, & quoties proptèr matrimonium non secutum altera pars, quæ aliquas expensas fecit ratione sponsalium damnum pateretur, tale damnum à resiliente compensetur, *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp.30. nu.14. Gutierez de matrimon. cap. 17. num. 14. Hurtadus disp.1. num. 79. Dinus in l. Titia in princip. ff. de verb. signific. Baldus in l. sponsalia, ff. de sponsalib. n. vnico, Salicetus in l. fin. num. 13. C. de sponsal. Alexander de Neuo d. cap. gemma num. 20. de sponsalib.* ad hoc etenim iure naturæ videtur obligari iniustè recedens; vndè non obstat libertati matrimonij obligatio soluendi hoc interesse, cum oriatur intrinsecè ex ipso contractu sponsalium eo ipso, quod alter iniustè recedit; ergò etiam licitum erit in ordine ad tale interesse damni emergentis adijci ex conuentione pignora, & fideiussores proptèr rationes superius adductas, quod subsistente obligatione principali possit subsistere, & accessoria.

Margin notes: Coaruuias. — Adijciuntur validè pro arris, & pro interesse damni emergentis. Glosa. Albericus. Carrerius. Specular. Innocent. Ioannes Andreas. Immola. Sanchez. Bossius. — Minuit de libertate. — Arra non reprobantur à iure. — Henricus. Sanchez. — Sanchez. Gutierez. Hurtadus. Dinus. Baldus. Alexander de Neuo.

PRÆNOTIO VII.

Quandonam sponsalia contracta sine termino sint adimplenda.

SVMMARIVM.

Refertur status quæstionis, & rationes dubitandi. 1.

Non tenetur contrahens sponsalia adimplere, nisi quatenus ab altero contrahente fuerit requisitus, & tunc, quam primum commodè potest. 2.

Ad constituendum in mora saltem in foro conscientiæ sufficit interpellatio virtute. 3.

Soluuntur rationes, quæ in contrarium adducuntur. 4.

1 *Status controuersiæ, & rationes dubitandi.*

CONtraxerat sponsalia Octauius cum Calidonia non adiecta die, nec aliquo determinato tempore ad eadem adimplenda. Dubium modo est, an teneatur immediatè, ac opportunitas euenerit eadem adimplere contrahendo matrimonium, an verò possit diferre ad quodcunque tempus, seù ad beneplacitum proprium. Hæc quæstio valdè vtilis est, & accomoda ad alias in alijs contractibus difficultates dissoluendas, quandò scilicet debita, promissiones, donationes, seù stipulationes sine die sint adimplendæ, seù adimplenda per debitorem, promittentem, donantem, seù stipulantem in fauorem alterius. Contendunt aliqui, teneri statim adimplere, ac opportunitas adimplendi euenerit vlteriori tempore non expectato, nisi altera pars dilationi assentiatur per textum, *in l. in omnibus obligationib. ff. de reg. iuris; & in l. cum, qui §. quoties ff. de verbor. obligat.* paritate præcipuè desumpta a vouente Religionem, qui statim tenetur, si tempus non sibi præscripserit ad adimplendum, adimplere, cuius rationem adducunt DD., quià ex eo, quod se obligauerit sine tempore, videtur se obligasse pro omni tempore, *Paludanus in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. concl. 2. in fin. Syluester verb. votum 2. q. 5. Suarez tom. 1. de sacramentis q. 71. art. 4. disp. 31. sect. 2.* Nihilominùs sit

2 *Non tenetur nisi requisitus.* Paludanus, Nauarrus, Manuel, Sanchez.

Assertio. Non tenetur contrahens sponsalia ea adimplere, nisi quatenus ab altero contrahente fuerit requisitus, & tunc, quam primum commodè potest, *Paludanus in 4. dist. 38. q. 3. art. 2. Nauarrus in summa c. 17. num. 79. Manuel tom. 2. summæ c. 43. n. 4. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalibus disp. 28. n. 1. & alij plures apud ipsum.*

Ratio ex eo deduci potest; quià vbi nullum adest impedimentum, nullaque temporis præfinitio obligatus ad aliquod opus exequendum, seù debitum persoluendum tunc primo constituitur in mora, quandò requisitus ab habente causam non adimplet, cum enim determinata dies secundum se nò interpellet, interpellatio potest poni ab habente causam in illo contractu, & sicuti, quandò dies adiecta interpellat pro creditore, seù habente causam, debitor, seù obligatus non adimplens pro eadem die dicitur in mora constitui, ità quandò habens causam verè, & personalitèr interpellat obligatum, & debitorem ad adimplendum, & hic non adimplet, verè in mora constituitur. Confirmatur, quià in contractibus correspectiuis, qui respiciunt de futuro executionem ponendam, ex mutuo consensu potest non poni executio, ergò etiam potest differri, vbi alitèr, vel explicitè, vel implicitè conuentum non sit; ex mutuo autem consensu difertur, quandò neuter agit ad eandem executionem, ergò tunc tantum tenebitur adimplere, quandò alter petet adimplementum, & tunc constituetur in mora, quandò ab altero contrahente requisitus non adimplet. Confirmatur secundò paritate debitoris sine temporis præfinitione, qui non tenetur soluere, nisi, cum dies non interpellat, interpellat ipse creditor, cum hoc generale sit in omni debito per textum, *in l. debitores præsentis C. de pignorib., & ibi. Glosa verb. conueniendi; Abbas in c. fin. nu. 10. de præscript., & c. licet, Heli de simonia n. 13. Angelus verb. mora nu. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. d. disp. 28. n. 2.*

Mora non currit, nisi posita interpellatione, vel à iure, vel ab homine.

Glosa, Abbas, Angelus, Sanchez.

Dixi, *& tunc, quam primum commodè potest*: tunc etenim, si legitimè impeditur ab adimplendo, excusabitur, vt est in confesso apud omnes. Hic solum oritur difficultas in inquirendo, quale debeat esse huiusmodi impedimentum, vt dicatur legitimum, & interpellatus possit legitimè differre, an solum ratione turpitudinis, & infamiæ, quatenus scilicet sine aliqua turpitudinis nota sponsalia non posset ad effectum perducere, an verò etiam ratione maximæ indignationis, & maledictionis, quatenus de eadem sibi comminata retraheretur ad adimplendum; & quidè legitimè impediri ratione turpitudinis, & infamiæ certum est, vt habetur *ex l. Nepos Proculis, ff. de verb. signif. l. auiis ff. de iur. dot.* ratione verò paternæ indignationis, & maledictionis etiam legitimè excusari definiuit *Rota Romana in vnà Tullensi matrimonij 13. Maij 1596. coram Penia*, cuius verba, cum valdè sint accomoda ad præsens institutum in ea parte, quæ ad rem concernunt, verbalitèr recito: *Paternæ tamen maledictionis timor metus, & pœna à Patre comminata, qui in bonorum successione, legitima excepta, poterat ei valdè præiudicare, iustam excusationis causam præbere visa est, vt non deberet compelli ad matrimonium contrahendum præsertim, cum eadem causa antecedentem iùuenis consensum in contrarium dissensum commutasse videretur.*

Impeditus excusatur.

Excusatur ratione paternæ indignationis, & maledictionis.

Rur-

Rursus hic dubitatur, an ad constituendum promissorem in mora requiratur alterius contrahentis expressa interpellatio, an verò sufficiat implicita, & interpretatiua. Hæc difficultas potissimum excitatur in ordine ad inuestigandum, an, si alter contrahens, vel ex metu siuè vero, siuè reuerentiali dumtaxat non interpellet, cæteroqui interpellaturus, alter excusetur, si expresse non interpellatus non adimpleat. Pro qua dicendum est non excusari, saltem quantum pertinet ad forum conscientiæ, *Angelus verb. mora n.1. Siluester eodem tit. n.1. Sanchez d. lib.1. de sponsalib. disp. 38. n. 2. in med.*, & ratio est, quià licet tunc alter contrahens actu non petat, petit tamen virtute, & interpretatiuè: vndè optimè asserit *Siluester eodem verb. mora q.1.* quod tunc debitor incurrit pænam morosi post instans, in quo arbitrio boni viri debet promissionem ad effectum reducere. Ex quibus deducitur, quod, si alter contrahens optimè conscius alterius obligationis, & potens sine vllo respectu petere non petat, videatur consentire dilationi per textum, *in l. in omnibus dilationibus, ff. de reg. iuris.*

3 *Sufficit in foro conscientia interpellatio virtute.* Angelus. Siluester. Sanchez.

Ad rationes, quæ ex aduerso in principio prænotionis adductæ sunt, nunc respondendum est, & quidem ad primum dicendum est, allegata iura tantum procedere, quandò creditor, vel alter habens causam expresse, vel interpretatiuè modo suprà exposito interpellat; non autem absolutè, cæteroqui iura iuribus obuiarent. Ad secundum dicendum est disparem esse omninò rationem inter votum factum Deo sine tempore, & obligationem inter homines etiam nullo tempore præfinito ad adimplendum, quandòquidem facta promissione Deo per votum, semper Deus interpellat pro adimplemento eiusdem; facta verò promissione homini, cum hic possit interpellare, & non interpellat, præsumitur liberè dilationi consentire.

4 *Soluuntur rationes contrariæ.*

PRÆNOTIO VIII.

An post promissionem sponsalium acceptatam ab eadem recedens sine legitima causa possit per Iudicem compelli ad eandem adimplendam.

SVMMARIVM.

Potest Iudex Ecclesiasticus, si prius placidè monuerit, iustè compellere per censuras resiliente causa sine legitima à sponsalibus, si tamen maiora indè scandala non timeantur, & dummodò prudenter procedat absque strictissima coactione. 1.

Intellige, siuè sponsalia fuerint iurata, siuè non. Ibid.

Constante de validitate sponsalium non solum Iudex Ecclesiasticus potest compellere, sed etiam laicus. 2.

Vbi non agitur de validitate sponsalium, & cognitio fit ad instantiam electio Iudicis pertinet ad actorem, vbi proceditur ex officio, ad præuentorem. 3.

HÆC difficultas originem trahit ex ijs, quæ superius dicta sunt, nempè, cum matrimonia debeant esse omninò libera, non posse admittere coactionem, sicuti non admittunt pænam, vndè *in cap. requisiuit de sponsalibus* dicitur, quod, *cum libera debeant esse matrimonia monenda sit potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus habere.* Dubitatur igitur, in præsenti, an si alter ex contrahentibus citrà iustam causam recedat à promissione, possit sine læsione libertatis ad matrimonium requisitæ compelli, vel per Iudicem Ecclesiasticum, vel per sæcularem ad promissionem adimplendam, & quomodo.

Assertio I. Potest Iudex Ecclesiasticus, si prius placidè monuerit, compellere iustè resilientem sine legitima causa à sponsalibus per censuras ad eadem adimplenda, si tamen maiora indè scandala non timeantur, & dummodò prudenter procedat absque strictissima coactione; hocque intellige siuè sponsalia fuerint iurata, siuè non *Glosa c. 2. de sponsalib. verb. interpositione, Hostiensis c. de illis 1. de despons. impub. in fin. Felinus c.1. de pactis nu. 12. Couarruias 4. decret. 1. part. cap. 4. nu. 3. Menochius cons. 386. nu. 1. vol. 4. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. n. 4. Gutierez de iuram. 1. part. c. 51. n. 4. Carrerius lib. 1. de sponsalib. c. 11.* 1

Potest compellere cum moderamine tamen, & quomodo Glosa. Hostiensis. Pelinus. Coaruuias. Menochius Henriquez Carrerius.

Expresse colligitur *ex c. ex litteris 2. de sponsalib.* vbi sic legitur, *Quià contra iuramentum venire periculosum est, mandamus, vt eum moneas, & si monitis non acquieuerit censura compellas, vt in vxorem recipiat*, & licet dicatur in præsenti texto contrà iuramentum, non propterea excluditur promissio non iurata, quandò legitima est, quià textus ille procedit secundum facti contingentiam, in quo interuenit iuramentum, cæterum non excludit tale remedium, quandò illud non interuenerit, quandòquidem Ecclesia non tantum iurantem, sed simpliciter promittentem compellit iuxtà textum *in c. 1. 2. & 3. de pactis, & c. iuramenti 22. q. 5.*

Vlterius sic coniicitur, quià ex vi promissionis acceptatæ secundum communem formã, & nõ solum iuratæ, sed etiam simplicis, tenetur ex iustitia promissa seruare, & promissarius ex illa promissione, per acceptationem, & repromissionem ius acquisiuit aduersus promittentem, sed Iudex ex officio tenetur compellere quemcunque ad seruandum ius alteri acquisitum

Iudex ex officio compellit ad servandum ius alteri acquisitum

situm ex iustitia, ergò sic exigente eo, cuius ius læditur, tenebitur iudex cogere ad seruandam promissionem, & sic etiam in sponsalibus; neq; dicas nō possunt partes se ad inuicem per pænas compellere ad adimplenda sponsalia, quià hoc lædit libertatem matrimonij, ergò, nec poterit Iudex per pænas Ecclesiasticas cogere eosdem contrahentes ad promissionem sibi inuicem præstitam adimplendum; contrà enim impugnaberis, quià pæna adiecta in celebratione contractus innoluit coactionem quodamodò originalitèr in ipso primo consensu; omnes autem contractus in sua origine, & principio debent esse voluntatis, & vbi initi sunt dicuntur esse necessitatis quoad executionem per textum, *in l. sicut C. de act.*, *& oblig.* coactio è contrà per Iudicem per censuras, & alias pænas supponit contractum liberè celebratum in sua origine, & per consequens non lædit libertatem à iure requisitam, sed solum conformatur necessitati prouenienti ex contractu iam inito, vndè talis coactio originalitèr prouenit à principio intrinseco, nempè à consensu iam præstito earundem partium, qui quamuis fuerit liber in origine, ex post facto inducit necessitatem.

Coactio per Iudicem supponit contractum liberè initū.

Ratio primæ limitationis, *si tamen maiora indè scandala non timeantur*, ex eo deducitur, quià non est ab intrinseco malum recedere à sponsalibus, quandò grauia damna imminent contrahenti, vt videre est in ijs, qui resiliunt non solum ratione turpitudinis, & infamiæ, sed etiam ratione indignationis grauis parentum, & maledictionis cum periculo exhæredationis excepta legitima, ergò in fortioribus terminis nō erit ab intrinseco malū, si recedat ex grauioribus damnis, qualia esset perpetuæ dissensiones, & iurgia præuisa inter coniuges, recessus viri ab vxore, & consensus fictè præstitus; sed in ijs, quæ nō sūt ab intrinseco mala expedit Ecclesiæ minus malum permittere, & maius vitet; ergò, si minus malum est recedere à sponsalibus, quam enumerata damna subire, expediet eidem Ecclesiæ recessum à sponsalibus permittere potius, quam illa damna inferre per coactionem.

Sponsalia nō sunt insolubilia interuenientibus legitimis causis.

Ratio secundæ limitationis, *dummodò prudentèr procedat absq; strictissima coactione*; prudentèr, inquam, quatenus scilicet debet præmittere monitionem, vt dicitur *in d. c. ex litteris 2. de sponsalib.*, deindè hac non iuuante debet procedere ad alias pænas, etiam si opus fuerit carceris, hac item minimè sufragante tandem ad censuras Ecclesiasticas deuenire; cum etenim hæ inter pænas sint ex maximis, non sunt nisi post alias, quandò sunt ad coercitionem, seù ad compulsionem adhibendæ, vt etiam præcepit Concil. Trident. Dixi etiam *absque strictissima coactione*, quandòquidem remedium hoc debet esse ad salutem, non ad internectionem animæ, & potiùs excommunicatio medicinalis, quam pænalis per textum *in c. 1. de sent. excommun. in 6.* Hinc fit, quod, si Iudex seruato ordine prædicto deuenerit ad excommunicationem ad finem compellendi renitentem ad persistendum in conuentis, eaque adimplenda, & nihilominus ipse renitens constantèr, & efficacitèr perseueret in negatione adimplementi non debeat vlterius procedere, quinimmò etiam nolentem debet absoluere, vt pluribus in locis definiuit *Rota Romana*, & præcipuè *decis.* 1112. *apud Seraphinum n.* 3. vbi sic habet. *Et parte persistente in recusatione pertinacitèr Iudex tenetur à coactione desistere*, & hoc proptèr duplicem rationem, primo ne Ecclesiastica censura deflectatur in contemptū; secundo ne renitens strictissima coactione compulsus contrahat matrimonium apparentèr sine debito, & legitimo consensu, & illa mala oriantur, de quibus suprà. Quinimmò docet *Sanchez de matrim. d. lib. 1. de sponsalib. disp. 29. n. 7.*, quod, si Iudex ante latam excommunicationem dignouerit renitentem esse adeò pertinacem, vt ecclesiasticis mandatis etiam per censuras expressis non sit pariturus, abstinere debeat ab eisdem cesnuris, & monitione potius vti, quam coactione, & in hoc solummodò ait procedere textum *in c. requisiuit de sponsalib.*, & per hoc conciliandi sunt ad inuicem textus *in d. c. ex literis 2.*, *& c. requisiuit de sponsalibus*, dum in primo dicitur, quod sint renitentes per Ecclesiasticas censuras compellendi; in secundo verò, quod monitione potius, quam coactione vtendum; conciliandi, inquam, sunt, quatenus primus procedat, quandò est spes resipiscentiæ in renuente, secundus verò, quandò ex nimia reluctantia nulla penitus spes vigeret, quinimmò periculum abusus eiusdem censuræ, & dissensus realis, quantumvis non expressi ad matrimonium. Dici etiam potest textum *d. cap. requisiuit*, ità esse interpretandum, vt sonet monenda est priùs, quam cogenda, & in hoc fit etiam conciliatio cum textu *in d. c. ex literis*, vbi dicitur, *mandamus, vt eum moneat, & si monitis non acquieuerit, censura compellas*, & iure quidem meritò consonat interpretatio, vt vitetur iurium contrarietas, quantum fieri potest, & seruetur ordo suprà præfinitus.

Quomodo prudenter se gerere debeat Iudex Ecclesiasticus.

Remedium debet esse ad salutem non ad perditionem.

Persistente reo in contumacias Iudex tenetur desinere.

Rationes propter quas debet desistere.

Conciliantur textus apparenter oppositi.

Assertio II. Constante de validitate sponsalium non solum Iudex Ecclesiasticus potest seruata forma compellere, sed etiam Iudex laicus seruato iuris ordine, *Abbas c. ex literis 2. nu. 4. de sponsalib. Rosella verb. sponsalia num. 3. Brunellus de sponsalib. concl. 16. num. 6. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 29. n. 9. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij*

Iudex laicus etiam potest procedere.

Abbas. Rosella. Brunellus. Sanchez. Bossius.

monij contract. cap. 11. num. 51.

Ratio ex eo deduci potest, quià contractus sponsalium in ordine ad finem matrimonij quem respicit, aliquid saltem incohatiuè habet de spirituali, vndè ex D. Thoma dicuntur quodamodò sacramentalia matrimonij, & cum ex alio capite secundum substantiam sint contractus merè temporales, inuoluunt conditionem etiã temporalis, quatenus sponsalia, vt sponsalia, non sunt eleuata ad esse sacramenti, ergò, quià saltem incohatiuè habent de spirituali, pertinere possunt, quoad iudicium, ad iudicium Ecclesiasticum, quià inuoluunt potiorem rationem de temporali non subterfugiant iudicium Iudicis laici. Confirmatur, quià Iudex sæcularis iustè, & legitimè compellit ad fidem in alijs contractibus seruandam, ergò non est, cur non possit etiam compellere ad eandem seruandam in contractu sponsalium.

Et voluunt rationem temporalis.

Dixi, *constante de validitate sponsalium*, nam similis esset super eorundem valorem cognitio solum pertineret ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè quoad alios, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 11. num 52. Sanchez d. disp. 29. nu. 9.* Ratio ex eo deduci potest, quià regularitèr impedimenta, ob quæ sponsalia redduntur inualida, inducta sunt ab Ecclesia, ex quo praxis obtinuit, vt validitas, vel eorum inualiditas cognoscatur ab Ecclesia, nec in hoc est dissidium inter forum Ecclesiasticum, & sæculare.

In causa validitatis solus Iudex Ecclesiasticus procedit. Bossius.

Assertio III. Vbi non agitur de validitate sponsalium, & cognitio fit ad instantiam ad actorem pertinet eligere Iudicem, vel Ecclesiasticum, vel sæcularem, & quam elegerit ipse legitimus est, vbi verò ex officio agitur cognitio pertinet ad præuentorem. Est communis.

Electio Iudicis pertinet ad actorem vbi agitur ad instantiam.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià vbi vterq; Iudex competens est, vterque potest agere, nec in hoc opponitur regula, quod actor debeat sequi forum rei, quandòquidem vtrumque forum in hac causa est forum rei; & sicuti, quandò in eodem foro sunt plures Iudices competentes, actor potest adire quemcunque voluerit, nemine in hoc reluctante,ità quandò vtrumque forum in aliqua causa est competens actor potest adire, quodcunque voluerit, nec de hoc reus potest conqueri.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià regularitèr in omnibus causis mixti fori datur locus præuentioni, ergò vbi agitur ex officio, poterit cuicunque Iudici præuenire.

Regulariter in omnibus causis mixti fori datur locus præuentioni.

Hic solum remanet dubitandum, an pro eodem tempore possit tàm Iudex Ecclesiasticus, quàm Laicus cõueniri, & vterque in hac causa simul agere, an item vnus post alterum. Quoad primum assero non posse simul vtrumque agere, sed præuentorem, vel electum debere agere. Ratio est, quià iura postulant, vt iudicia non confundantur, nec Iudices mutuo se confundant; quod vtique euenire posset, si vterque simul ageret. Quoad secundum cum distinctione, si etenim postquam Iudex laicus egerit, probabilis sit spes, quod agente Ecclesiastico absque strictissima coactione renitens sit contenturus verè, & realitèr, non renuerem eundem Ecclesiasticum posse agere, quià per hoc non exceditur in modo, & altèr innocens ex contrahentibus ius habet, vt modis quibuscunque licitis alter compellatur ad adimplenda sibi promissa; si verò postquam Iudex laicus egerit, nulla subsit spes, quod etiam Ecclesiastico agente renitens sit consensurus, tunc certè non posset idem Ecclesiasticus agere per superius dicta, quià, quandò dignoscitur sponsus ità obstinatus, vt liberè matrimonio consentire repugnet, monitione potiùs, quam coactione cum ipso agendum est per textum, *in c. requisiuit de sponsal.* Si igitur coactione laicali vrgente adhuc contumax fuit, præsumendum est, quod erit contumax censuræ Ecclesiasticæ. Quamobrem regularitèr in hoc casu ab vlteriori coactione abstinendum, quià esset strictissima.

Non potest vterque simul agere.

Vnus post alium potest, agere quando est spes resipiscentiæ.

PRÆNOTIO IX.

An sponsalia contracta, vel ex calore iracundiæ, vel ex exuberantia nimis amoris sint valida.

SVMMARIVM.

Regularitèr loquendo sponsalia inita ex exuberantia nimij amoris non irritantur. 1.

Excipe nisi tanta esset exuberantia, vt iudicium absorberet. 2.

Si calor iracundiæ fuerit talis, & tantus, vt absorbeat rationem inualidat, secus si non fuerit talis, regularitèr tamen non absorbet, num. 3.

Enumerantur congruentiæ inferentes vsum rationis in iracundo. 4.

Ratio dubitandi, ex eo potissimum desumitur, quod nimius amor excęcat, & quodamodò amantem constituit furiosum, vt ait *Plato in Phædro, Menochius de arbitrar. Iud. lib. 2. cent. 4. cas. 324. Triuis. decis. 17. part. 1.* cum igitur furiosi non sit voluntas determinata, & libera *l. furiosi ff. de reg. iur.* ità nec videtur esse posse voluntas libera respectu amantis in amore obcæcati. Adde, quod nimio amore obcæcatus æquiparatur Ebrio, *Glos. in c. fin. de condit. appositis*, ebrius autem non potest validè contrahere. Porrò calor iracundiæ animum

Amor nimius excæcat.

animam impedit, seu rationem, ne quicquam rectè discernere possit; vndè benè dicitur *in l. quidquid calore 48. ff. de regulis iuris*, quod factum calore iræ ratum non sit. Nihilominus sit ...

1 *Amor nimius non irritat.* Iason. Felinus. Bossius.

Assertio I. Regularitèr loquendo sponsalia inita ex exuberantia nimij amoris non irritantur, *Iason in l. Titia 134. n. 8. ff. de verb. obligat. Felinus consil. 26. n. 2. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 14. n. 2.*

Probatur, amor ex genere suo, quantumuis exuberans, non ità animum obcæcat, vt non habeat sufficientem deliberationem ad læthalitèr peccandum, ergò nec ità obcæcat, vt non possit præberi consensus cum sufficienti deliberatione ad constituenda sponsalia, quandoquidem eà libertas sufficit ad constituenda sponsalia, quæ sufficit ad peccatum læthale comittendum; *Nauarrus in summa c. 12. nu. 24. & c. 18 nu. 7. Molina Theologus tom. 2. de iust. disput. 267. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 8. nu. 5. Basilius Pontius lib. 4. de matrim. c. 1. nu. 1.* nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem sponsalia, & matrimonium obligāt sub læthali ad exequendum promissum, ergò illa deliberatio sufficiet ad contrahandum, quæ sufficiens est ad læthalitèr peccandum. Antecedens primi argumenti probatur, primò, quià amor quantumuis vehemens, & exuberans potiùs allicit ad consensum, quàm ipsum destruat, sicut suprà dictū est de precibus, & nimijs blanditijs; secundò, quià nimius amor libidinis non excusat à noxa læthali committentem ex eodem actum fornicationis, ergò &c.

Nauarrus. Molina. Pontius.

Amor exuberans potius allicit, quam remoueat à consensu.

2 *Excipe nisi tanta esset exuberantia, vt iudicium absorbeat.*

Dixi, *regularitèr loquendo*, quià si exuberantia amoris talis, & tanta supponatur, vt rationis iudicium penitùs absorberet, tunc certè sponsalia ex eodem inita claudicarent, quià sine ratione non potest esse deliberatio, sine deliberatione non potest esse validus consensus. Verum tamen est, quòd in motu amoris vix potest præsumi tanta exuberantia, vt per eandem absorbeatur rationis vsus, & exercitium, cum, vt dicebam, amor potiùs alliciat, quàm destruat, & vix possit percipi, quod quis fornicationem committat ex nimio libidinis amore, & non peccet. Hoc taman facilius potest contingere in calore iracundiæ, cuius motus aptior est ad supprimendum rationis lumen, vt infrà videbimus.

In motu animi vix potest præsumi talis exuberantia.

Soluuntur rationes oppositæ.

Ad rationes, quæ ex aduerso in principio tituli afferebantur, dicendum est exuberantem nimio amore dici obcæcatum, furiosum, & ebrium per quandam analogicam similitudinem, quatenus scilicet amor nimius quoquo modo conturbat animum, & lædit libertatem sub ea ratione, qua non sinit comprendere obiectum contrarium eidem amori, non secundum proprietatem, quatenus non relinquat sufficientem cognitionem, & iudicium ad deliberandum cum peccato læthali, adeoque etiam ad validè contrahenda sponsalia, quamobrem optimè dixit *Iulius Clar. in pract. crimin. lib. 5. §. fin. qu. 60. num. 4.* quod amor vehemens possit operari diminutionem pœnæ in delictis, non tamen excusare à culpa.

Assertio II. Si calor iracundiæ fuerit talis, & tantus, vt in illo absorbeatur ratio, & deliberatio, absolutè inualidat contractum sponsalium, secùs verò si talis, & tantus non fuerit, regularitèr tamen præsumitur, quòd non fuerit talis, *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 8. nu. 9. Basilius Pontius lib. 4 de matrim. cap. 1. nu. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 14. n. 17. & 18. item Molinus lib. 1. de ritu nupt. comparat. 30. nu. 16. & seqq.*

Quando calor iracundiæ irritet. Sanchez. Pontius. Bossius. Molinus.

Ratio primæ partis ex eo deducitur quià quandò iracundiæ ardor iudicium omninò absorbit, non potest esse tanta deliberatio, quæ sufficiat ad peccatum læthale, & in hoc casu iracundus omninò comparatur furioso, cuius non est voluntas libera per textum allegatum in *l. furiosi ff. de reg. iur.* ergò neque tanta esse poterit, quæ sufficiat ad constituenda sponsalia propter allegatas superius rationes, & iuxtà hunc sensum verificantur iura in *c. diuortium de pœnit. dist. 1. & c. si quis iratus 2. qu. 4. & l. quidquid calore ff. de reg. iur. & l. 3. ff. de diuort.* Confirmari potest *ex l. 2. ff. ad l. Iul. Maiest.* vbi dicitur quod iuramentum præstitum calore iracundiæ minimè valet, monet tamen, nec incongruè *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. cap. 14. nu. 17.* rarò id contingere posse, quandoquidem rarò potest euenire, quod iræ calor adeò efferbeat, vt absorbeat rationis iudicium.

Iracundus æquiparatur furioso.

Bossius.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià cum ardore iuracundiæ, qui non absorbeat vsum iudicij, potest coniungi talis & tanta deliberatio, quæ sufficiat ad peccatum læthale, ergò etiam talis, & tanta, quæ sufficiat ad constituenda valida sponsalia, cum non maior requiratur ad constituenda sponsalia, quam ad patrandum læthale per superius dicta; Neque dicas hanc rationem nullo modo subsistere, quià cum metu graui potest coniungi talis, & tanta deliberatio, quanta sufficiat ad peccatum læthale, & tamen sponsalia per metum grauem elicita non intelliguntur valida per superius dicta, ergò etiam quātumuis cum ardore iracundiæ possit esse sufficiens deliberatio ad peccatum læthale, non propterea poterunt cum eodem compati sponsalia; contrà enim impugnaberis, quià quoad metum est specialis ratio, quandoquidem metus supponitur incussus in ordine ad extorquendum consensum

In ardore iracundia potest committi peccatum læthale.

sensum

Diuersa ratio de motu, ac de iracundia. sensum ad eadem sponsalia, adeoque in ordine ad eadem solummodò potest tollere sufficientem deliberationem, relinquēs in ordine ad alia plenam libertatem; ardor autem iracundiæ cum conturbet potentiam in ordine ad omnia, si relinquit sufficientem vim, & deliberationem in ordine ad lethaliter peccandum, non est, cur non relinquat etiam in ordine ad validè contrahenda sponsalia.

Ratio secundæ partis, quod scilicet regularitèr non obstante ardore iracundiæ, supponatur sufficiens libertas, & deliberatio ad contrahenda sponsalia ex eo deducitur, quod qualitas, quæ naturalitèr inest homini semper præsumitur inesse, nisi probetur contrarium, *Mascardus de probat. tom. 2. verb. furiosus in concl. 824. n. 5. & seqq. Menochius de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 45. nu. 18. & seqq.* sicque cum libertas ex genere suo homini secundū naturalem dispositionem sit ingenita, non potest præsumi ab eodem abesse in dubio, nisi probetur.

Iudicium semper supponēs inesse. Mascardus. Menochius.

4 *Enumerantur congruentia euincentes vsum rationis in iracundo.* Ad concludendum autem non solum negatiuè, sed etiam positiuè pro existentia sufficientis libertatis ad contrahenda specialitèr sponsalia in homine ardore iracundiæ percito multùm conferent coniecturæ, præcipuè in dubio existentiæ eiusdem libertatis, seu sufficientis deliberationis, & primò, si post elicitum consensum in ardore iracundiæ ratificet perseuerando in eodem consensu, satis concluditur eundem consensum elicitum in tali ebullitione fuisse sufficientem, quod euincitur *ex ead. lege quidquid calore ff. de reg. iur.* & nemo ratum habet, quod primò assentiens non approbauerat, *Molinus de ritu nupt. lib. 1. compar. 30. nu. 35. Ioannes Angelus Bossius de matrimonio contract. c. 14. nu. 28.* Secundò, si post elicitum consensum in tali iracundiæ ardore ad alia deuenerit, quæ ex genere suo referantur ad eadem sponsalia, puta si iocalia miserit, annulum, & denuntiationes permiserit, hæc etenim omnia connotant præcessisse sufficiens iudicium *arg. l. certi cōditio §. si nummos, & ibi glos. & Bartolus ff. de reb. credit. & c. constitutus de rescript.* Neque obesse potest, si ex hoc inferatur, quod, si quis in ardore iracundiæ consenserit, & posteà immediatè pænituerit, non contraxerit cū sufficienti libertate; si etenim eadem libertas sufficiens arguitur, quandò post præstitum consensum in eodem perseuerat, à contrario sensu arguenda est negatio sufficientis deliberationis, quando post consensum præstitum immediatè ab eodem resilit per pænitentiam; Non, inquā, obesse potest, quia quamuis hoc daremus, prout admittunt *Molinus d. lib. 1. de ritu nupt. lib. 1. comparat. 30. Angelus verb. votum in 6. Tabiena eodem verb. q. 1. supplementum. Gabriel. 3. dist. 38. qu. 1. nu. 1.* nihil contrà nos; nihilominus probabiliùs sentiendum est ex hac etiam coniectura immediatæ resilientiæ non sufficientèr argui insufficientiam deliberationis habitæ in consensu, nam sæpè nos pænitet eorum, quæ cum matura deliberatione elegimus, *Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. nu. 10. Gutier. lib. 1. qu. canon. c. 22. nu. 14. D. Antoninus 2. part. tit. 11. c. 2. in princip. vers. nota sextò. Aragonius secunda secundæ qu. 88. art. 1. Manuel. 2. tom. summa c. 92. num. 1.* Fateor tamen, quod hæc subita resilientia sit coniectura multum conferens ad annullandū contractum, si coniungatur cum alijs causis secundùm se leuioribus, & non ità certis, & validis secundùm se, nàm inducit vehementem præsumptionem, si alijs causis fuerit adminiculata de negatione sufficientis deliberationis, prout etiam adnotauit doctissimus *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. d. c. 14. num. 36.* Addi etiam potest cū *Sanchez d. lib. 1. de sponsal. disp. 8. num. 8. in fin.* quod dicta coniectura immediatæ pænitentiæ, seu resilientiæ multū conferat in dubio sufficientis, vel insufficientis delibeeationis ad præsumendum pro insufficientia.

Si ratificet Molinus. Bossius. *Si ad alia deuenerit quæ referātur ad sponsalia.* Glosa. Bartolus. Molinus. Angelus. Tabiena. Gabriel. Palludan. Gutierez. D. Antoni. Aragon. Manuel. Bossius. Sanchez.

PRÆNOTIO X.

An sponsalia inter raptorem, & raptam tempore raptus teneant.

SVMMARIVM.

Status difficultatis exponitur. 1.
Sponsalia inita inter raptorem, & raptam tēpore rapta non tenent. 2.
Limita in casu, quo rapta consensum præstiterit raptui. 3.
Limitatio nonnullorum asserentium hæc procedere quando raptis fuerit causa contrahendi matrimonij, non causa explenda libidinis, repellitur. 4.

EXcitatur potissimum hæc difficultas, proptèr *Concil. Trid. sess. 24. de reformat. matrimonij c. 6.* vbi decernitur inter raptorem, & raptam pro tempore, quo eadem rapta remanet sub potestate illius, matrimonium non tenere, per quam Cōcil. declarationem correctum videtur ius *c. fin. de raptoribus, & l. vnica C. de rapt. virg. & auth. de rapt. mulier. vers. quia enim;* ex quo excitatur dubium an talis Concil. dispositio extendatur ad sponsalia, seu ad matrimonium de futuro. Non hic longam intexemus disputationem in inquirendo, quandonam propriè, & in rigore sit crimen raptus; an raptus dicatur respectu cuiuscunque mulieris, siuè fuerit virgo, siuè corrupta, an requiratur dissensus tàm mulieris raptæ, quàm parentum 1

R ipsius,

ipsius, vel tutorum, an sit raptus, si puella abducatur illecebris, precibus, & blanditijs, an requiratur abductio raptæ de loco ad locum, & quod peruenerint ad locum, quænam sint pœnæ raptoris, & an ad has incurrendas requiratur quòd raptor abduxerit ad finem matrimonij ineundi, an verò sufficiat, si abduxerit ad finem solius libidinis explendæ, & alia similia, de quibus alibi fusiùs, & ex professo agetur, dum de matrimonii impedimentis, & aliquid etiam infrà in disquis. Hic solùm difficultatem reduco ad hoc caput, an, sicuti quãdo est verè, & propriè raptus, matrimonium inter raptorem, & raptam tempore raptus absolutè non tenet, stante dispositione Concilij suprà allegata, itá nec teneant inter eosdem sponsalia inita pro eodem tempore raptus, seù existente fæmina sub potestate raptoris.

In quo sensu procedat difficultas.

2 Assertio. Sponsalia inita inter raptorem, & raptam tempore raptus absolutè nõ tenent. *Nauarrus lib. 4. tit. de raptoribus cons. 4. in nouis, Franciscus Zipeus in analyt. ennarat. iuris nou. lib. 4. tit. de sponsalib., & matrim. n. 25. Augustin. Barbosa collect. tom. 4. part. 2. decret. 36. q. 2. c. si quis virginem, Bellarminus ad d. c. 6. Trident. in obseru. verb. quamdiu, Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 13. n. 17. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 13. n. 7.*

Sponsalia huiusmodi non tenent. Nauarrus. Zipæus. Barbosa. Belarmin. Sanchez. Bossius.

Ratio assertionis ex eo deducitur, quià ratio finalis, proptèr quam Concil. Trident. loc. cit. irritauit matrimonium inter raptorem, & raptam durante tempore raptus fundatur in præsumptione defectus plenæ libertatis in rapta, dum existit in potestate raptoris, vt scribunt communitèr *DD. ad d. cap. 6. sess. 24. de reformat. matrimon.*, & præcipuè, *Marcus Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 12. n. 109. Sanchez loc. cit. d. n. 17.*, sed hæc eadem ratio militat quoad sponsalia, quæ etiam exigunt plenam libertatem, sicuti exigit matrimonium, quandòquidem sicuti præsumitur, quod matrimonio assentiatur ex metu, dum est sub potestate raptoris, itâ etiam præsumitur, quod assentiatur ex tali metu sponsalibus, ergò &c.

In rapta nõ supponitur plena libertas. Cucus. Sanchez.

Dices, quod huiusmodi dispositio Concil. Trident. sit correctoria iuris communis, *in d. cap. fin. de raptorib., & l. vnic. C. de rapt. Virgin.* dispositiones autem peculiares corrigentes ius commune sunt strictè interpretandæ, nec extendendæ de casu in casum similem per text. *in reg. quæ à iure de reg. iuris in 6.* prout alibi nos etiam commendauimus, & videre est in multis alijs etiam ex eodem Trident. desumptis, & præcipuè in irritatione matrimonij clandestini, quæ per superius allegata, & probata non extenditur ad sponsalia. Sed contrà, quià in inuicem ordinatis, quandò eadem militat omninò ratio dispositio quoad vnum afficit etiam alterum, quod ad ipsum ordinatur, vt videre est in dispositionibus quoad alienationem bonorum Ecclesiasticorum, secundum quas prohibita alienatione, prohibetur omnis actus ex quo possit sequi alienatio, & alijs similibus. Nec valet paritas adducta de matrimonio clandestino in ordine ad sponsalia clandestina, quià in his non militat eadem omninò ratio, quandòquidem non est in sponsalibus clandestinis illud motiuum adulterij, quod est in matrimonio clandestino, adeoque &c.

In inuicem ordinatis dispositio quoad vnũ afficit alterum.

3 Limitandum est tamen in primis in casu, quo ipsa sponsa consensum præbuisset raptui, & suæ abductioni, quià in rigore non potest consentiens dici rapta, cum raptus debeat esse per iniuriam; iniuria autem non fit volenti, & consentienti, *Monaldus cons. 76. n. 21. vol. 1. Augustinus Barbosa ad decret. tom. 2. lib. 5. tit. 17. c. 6. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 12. n. 7. Lessius de iust. lib. 4. c. 3. n. 20. Bonacina de matrimon. q. 4. punct. 18. n. 5. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 13. n. 16.* hocque etiam intelligitur parentibus dissentientibus. *Quintilianus Mandosius de signat. grat. Coninchus de sacrament. tom. 2. disp. 11. n. 48. Diana part. 3. tract. 4. resol. 66. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 13. n. 21.* Ratio ex eo deducitur, quià Tridentinum in tali depositione respicit libertatem matrimonij, sed hæc libertas non pendet à voluntate parentum prout definit idem *Concil. Trident. c. 1. sess. 24. de reformat. matrim.*

Consentiẽs non dicitur rapta. Monaldus. Barbosa. Sanchez. Lessius. Bonacina. Bossius. Mandosius. Coninchus.

4 Limitandum est secundo iuxtà aliquorum placitum, quandò raptus esset factus de fæmina non ad finẽ contrahendi matrimonium, sed ad finem explendæ libidinis præcisè, atque itá sentit *Reginaldus lib. 31. n. 165. Diana part. 3. tract. 4. resol. 261. Coninch. disp. 31. dub. 4. qui etiã quoad hoc refert declaratione Sacræ Congregationis apud Marzillã.* Sed non libentèr acquiescerem huic limitationi, quià Concilium Tridentinum loquitur generalitèr, & indefinitè, & ratio eadem præsumptionis libertatis diminutæ æquè militat, siuè raptus fuerit ad finem matrimonij, siuè ad finem explendæ libidinis, ad quam rationem respexit Tridentinum, quandòquidem in vtroque casu potest præsumi de metu, ratione cuius rapta assentiatur, ergò cum indefinitè loquatur, dispositio erit intelligenda generalitèr, cum militet eadem ratio, eodem modo est interpretanda. Ad hoc maximè facit declaratio Sacræ Congregationis relata à Prospero Farinacio in declarationi *ad d. cap. 6. Tridentini* sub his verbis. *Quomodocunque sit fuit decisum per Sacram Congregationem die 23. Ianuarij 1586. Raptores in aliam causam, quam vt in vxores ducant comprehendi à Concilio propter eãdem, vel maiorem rationem, & constitutio pœnalis etiam exten-*

Nonnullorum limitatio reijcitur. Rot. Rom.

extenditur tali casu. Scio Coninchum referre aliam Sacræ Congregationis declarationem huic omninò contrariam; sed de hac authenticè non constat, vel vbi constaret, intelligenda est in alijs terminis.

DISQVISITIONES I.

A prima ad quintam prænotionem exclusiuè.

§. I.

An sponsalia excludant à successione fœminam, quandò statuto cautum est fœminam maritatam non succedere.

SVMMARIVM.

Refertur status quæstiones, & rationes dubitandi pro vtraque parte. 1.
Rationes excludentes fœminam post sponsalia à successione in hæreditate. 2.
Rationes ex aduerso admittentes ipsam ad hæreditatem. 3.
Præferuntur rationes sororis contendentis ad hæreditatem. 4.
Soluuntur rationes opposita. 5.

1 *Status controuersiæ.* DIsquisitio I. Inita fuerant sponsalia inter Caium, & Seiam cum promissione de matrimonio contrahendo pro determinato tempore. Statuto cautum erat in loco, in quo fuerant celebrata huiusmodi sponsalia, quod maritata sit ipso iure exclusa à successione parentum. Decessit non adhuc contracto matrimonio Pater Seiæ relictis cum eadem duobus filijs masculis. Orta hic fuit controuersia inter eandem Seiam, & fratres superstites, an eadem cum eisdem succederet, an verò excluderetur, vbi Pater nihil per testamentum disposuerit.

2 *Rationes pro fratribus ad eandem excludendam ab hæreditate.* Vrgebant Fratres super exclusionem eiusdem ea moti ratione, quod eadem ratio, idemque finis dispositionis statutariæ militat respectu nuptæ de præsenti, ex respectu nupturæ supposita necessitate nubendi ex vi sponsalium iam initorum, quandòquidem ex eo, quod habeat obligatam fidem nubendi habitis iam conditionibus nuptiarum per sponsalia perindè est, ac, si de facto nupserit, præcipuè, si eidem, vel per Patrem ante mortem congrua dos fuerit constituta, vel per eosdem fratres constituatur; finis etenim statuti prohibentis nuptam succedere est, ne bona transeat extra familiam; parum autem refert, quod transeant immediatè, vel quod sint transitura ex necessitate factis sponsalibus. Accedit, quod in iure sponsa de futuro appellatur vxor per textum, *in c. iuuenis de sponsalibus l. non sine C. de bonis, qua lib. Abbas c. tertio loco de præsumpt. in fin., & cap. an publico de conuers. coniug.* hocque idem habetur apud sacras paginas *Genes. 19.* vbi Iacob dixit ad Laban. *Da mihi vxorem meam*, quæ tamen tantum erat promissa. Accedit secundò, quod in plerisq; iura, quæ aliquid statuunt circà matrimonium, indiuisibilitèr etiam attingunt sponsalia per ea, quæ sparsim suprà attigimus, cum dispositiones circà finem attingant etiam media ordinata ad eundem finem etiam in pœnalibus, & correctorijs, quandò militat eadem ratio, vt videre est in raptu, de quo suprà diximus, alijsque similibus.

Ex aduerso vrgebat eadem Seia pro successione, quod dispositiones pœnales, & odiosæ sint strictissimè interpretandæ, nec extendendæ vltrà verborum sonum, & strictam eorundem significationem per vulgatissima iura, *Panormitanus c. ex publico de conuers. coniug.* sicque cum verba statuti respiciant præcisè maritatas, quas excludunt, non possunt afficere sponsas de futuro, quæ in rigore non sunt maritatæ, *Tabiena verb. sponsalia n. 1. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib disp. 1. nu. 2. vers. sed hoc sanè.* Addebat, quod stante statuto, vt vxore absque liberis decedente vir partem dotis lucretur, si sponsa per verba de futuro ante contractum actu matrimonium præmoriatur sponso, hic non acquirat partem illius dotis, quinimmò etiam, si fuerit contractum matrimonium, sed non consumatum, *Abbas in d. c. ex publico de conuers. coning. n. 7., & cons. 1 num. 4., & seqq. vol. 1. Felinus d. c. tertio loco n. 2. de præsumpt. num. 2. Costanus tract. de sponsalib. tit. quod sint sponsalia n. 11. Tabiena verb. sponsalia nu. 1. in fin. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp 1. n. 7. in fine*, quidquid ex aduerso dixerit, *Gomez Arias. l. 79. Tauri n. 1.* existimans hanc esse materiam fauorabilem, quod tamen verum non est, cum sponsa sine causa eam dotis partem amitteret, ergò etiam stante statuto, quod maritata non succedat, non propterea ex vi dispositionis statutariæ à successione excludetur etiam sponsa de futuro. Consequentia ex eo tenet, quià in prima hypothesi ideò vir non acquirit partem illam dotis, quià quandò fœmina est præcisè sponsa de futuro non est in rigore vxor, & quandò etiam est per verba de præsenti nupta, non tamen corrupta, licet dici possit vxor, quià nuptias non concubitus facit, sed consensus *l. nuptias, ff. de reg. iur.* non tamen est vxor in potiori significato, quod est, quandò matrimonium est consummatum, *Tabiena d. verb. sponsalia n. 1. in fine*, sique, cum versemur in odiosis, cum fœmina sine causa amitteret partem illam dotis, verba sunt accipienda in strictiori significato, sed etiam in hypothesi eiusdem Seiæ sponsæ tantum de futu-

[Right margin: 3 *Rationes pro sorore contendente ad hæreditatem.* — Tabiena. Sanchez. — Abbas. Felinus. Costanus. Tabiena. Sanchez. — Tabiena.]

ro non est in rigore vxor non tantum in strictiori significato, sed nec etiam quoad verborum formam, ergò &c. Quid iam concludendum

4 Respondeò absolutè esse potiora iura Seiæ agentis ad successionem, quam fratrum contendentium ad eiusdem exclusionem. Ità DD. præallegati, hocque satis, superque euincunt rationes pro eadem adductæ, quibus vlterius adde textum *in l. non sine C. de bon. quæ lib.* vbi solumodò in fauorabilibus sponsa venit nomine nuptæ, seù vxoris. Addi etiam potest, quod eidem sponsæ debentur alimenta, omniaque requisita ad congruam sustentationem ex bonis hæreditarijs eiusdem Patris defuncti, non ex bonis sponsi de futuro, ergò ad eadem bona adhuc ius retinet, ac si non esset sponsa de futuro, adeoque non est, cur debeat excludi à successione.

Præfertur fæmina quoad successionem.

5 Ad rationes fratrum contendentium ad exclusionem sororis in matrimonium promissæ à successione, iam patet, quid sit respondeadum, finem, & rationem dispositionis statutariæ non esse vt bona hæreditaria non possint transferri extra familiam, sed ne ab intestato succedant, qui nõ sunt de agnatione, & extrà familiã, fæmina autem maritata est potiùs principium alterius familiæ, & agnationis, & finis paternæ, non sic autem non maritata, quãuis sit sponsa de futuro, quià est adhuc de agnatione, & familia Patris, sicque non succedit, vt extra agnationem. Ad id, quod subditur, dicendum est vt suprà, sponsam de futuro dici vxorem in fauorabilibus, non sic in odiosis, vt in præsenti hypothesi. Ad id, quod subditur secundo loco, dicendum est in hoc casu non militare eandem rationem de sponsis de futuro, ac de coniugatis de præsenti quoad dispositionem statutariam, quæ solùm intendit prohibere, ne nupta succedat ad excludendos eos, qui sunt extrà agnationem à successione ab intestato.

Fæmina non maritata non est principium alterius agnationis.

§. II.

An post contracta sponsalia violans sponsam, si sit extraneus, committat adulterium.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.

Violans sponsam non committit propriè adulterium. 2.

Violans sponsam alterius non consentientem, sed inuitam, tenetur circumstantiam illam in confessione aperire, si fuerit Virgo. 3.

Violans sponsam alterius consentientem contrahit specialem malitiam, vtique in confessione aperiendam. 4.

Si sponsus fornicetur cum alia fæmina, probabilius tenetur circumstantiam sponsalium in confessione aperire. 5.

Filij ex concubitu cum sponsa per alterum à sponso non sunt propriè adulterini, sed naturales cum addito. 6.

Disquisitio II. Contraxerat matrimonium per verba de futuro Theododoricus cum Berta, quod certè resoluitur in sponsalia. Non contracto adhuc matrimonio de præsenti inter eosdem Caius carnalitèr cognouit Bertam, siuè consentientem, siuè inuitam. Dubitatum fuit, an Caius in hac hypothesi cõmiserit adulterium, & ex suppositione quòd propriè adulterium non commiserit, an saltem ità adauxerit malitiam, vt exprimenda sit talis circumstantia supra simplicem fornicationem. 1

Facti series exponitur.

Respondeo primò, Caius in præsenti hypothesi propriè non commisit adulterium *Antonius c. discretionem nu. 6. de eo, qui cogn. consang. Anun. c. 1 de adult. nu. 2. in fin. Coaruuias 4. decret. prima part. cap. 1. nu. 8. Viuald. candelab. Sacram. prima part. materia de sponsalib. nu. 9. Iulius Clarus lib. 5. recept. §. adulterium vers. sed hac omnia. Henriquez lib. 1. de matrim. c. 13. num. 4. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 2. nu. 2. & alij magis communitèr* aduersus *Paludanum in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. in princip. Sacramentum lib. 1. select. cap. 5. nu. 1. Albericum in l. miles §. quærebatur nu. 3. in fin. ff. ad l. Iul. de adulterio.* 2

Non committit propriè adulterium. Anan. Coaruuias Viualdus. Clarus. Henriquez Sanchez.

Ratio huius assertionis ex eo deducitur, quià adulterium est violatio alieni tori, *c. lex illa ad finem 36. qu. 1. D. Thomas secunda secunda q. 154. art. 8. in corpore*, sed qui carnalitèr cognoscit sponsam alterius de futuro, non violat alienum torum, quià sponsa de futuro quoad torum non est sub potestate sponsi, cum eidem non concedatur ante contractum matrimonium vsus coniugalis, tùm quià *ex l. inter 6. in princip. ff. ad l. Iul. de adult.* adulterium nonnisi in nuptam committitur; Nupta autem non est, quæ est sponsa de futuro; Neque obesse potest textus *in l. vxor 13 in princip. ff. ad l. Iul. de adul.* in quo fuit rescriptum etiam in sponsam, *hoc idem vindicandum* (& erat ibi sermo de concubitu cum coniugata) *quia nec matrimoniũ qualecunque, nec spem matrimonij violari permittitur*; Non, inquàm, obesse, potest, quià in allegato textu solùm dicitur, quòd conceditur vindicta æquè sponso, & coniugi, non ratione adulterij commissi, sed ratione atrocis iniuriæ sibi illatæ.

Sponsa de futuro quoad torum non est sub potestate sponsi.

Concedit solum vindictam.

Respondeo secundò. Caius si cognouerit Bertam non consentientem, sed inuitam, vtique tenetur circumstantiam illam in confessione aperire si fuerit virgo, non quidem præcisè ratione sponsalium 3

Si fuerit inuita circumstantia est in confessione aperienda.

Est quasi species stupri.

llum, si ex genere suo hæc circumstantia non est aperienda, de quo infrà, sed ratione coactionis. In hoc consentiunt omnes, tùm Theologi, tùm Iuris Canonici Interpretes. Ratio ex eo deducitur, quià per talem circumstantiam inducitur species stupri, stuprum autem ex genere suo est species distincta à simplici fornicatione, hocque euenit in quacunque alia virgine, quantumuis non fuerit sponsa de futuro.

Et etiam si fuerit consentiens. Sarmento. Lopez. Cucus. Manuel.

Respondeo tertiò, si cognouerit spon-
4 sam alterius de futuro consentientem, vtique ratione talis circunstantiæ sponsalium contrahit specialem malitiam ex necessitate in confessione aperiendam *Sarmento lib. 1. select. c. 5. nu. 3. Ludouicus Lopez prima part. instruct. c. 29. §. ad hæc libet Antonini Cucus lib. 1. instit. maior. tit. 10. num. 7. Manuel. tom. 1. summæ secunda edit. c. 53. num. 3. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi violatio non solùm est contrà castitatem, vt ex se patet, sed etiam contrà iustitiam, & contrà fidem fractam, ergò inuoluit circumstantiam necessariò in cōfessione aperiendam. Antecedens quoad secūdam partem probatur, quià talis violatio est vsus rei alteri debitæ contrà voluntatem habentis ius ad rem illam; neq; dicas, sponsum non habere ius in re quoad corpus suæ sponsæ, nec hæc potest dici esse sub potestate illius, ergò per fornicationem non læditur ius ipsius; cōtra enim impugnaberis, quià quantumuis ante contractum matrimonium non habeat ius in re in corpus sponsæ, habet tamen ius ad rem, quatenus corpus sponsæ remanet obligatum eidem sponso, & est ex conuentione illi debitum, & sicuti emptor equi non habet ius in re quoad illum ante actualem traditionem, & tamen si tali æquè alter erueret oculum, læderet contrà iustitiam ius eiusdem emptoris per ea, quæ notat *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disput. 2. num. 5. vers. probatur primò*, ità quāuis sponsus non habeat ius in re quoad corpus sponsæ, quià tamen habet ius ad rem in illo, si in illa per fornicationem lædatur, læderur contrà iustitiam, & fides sponso debita violabitur. Confirmatur, quià sponsus, & sponsa de futuro licitè communicant in osculis, & amplexibus, ergò, quià ex sponsalibus acquirūt aliquod ius, saltem incohatum ad inuicem in propria corpora, quod violare certè importat aliquam noxam vtique considerabilem supra simplicem fornicationem, cum importet læsionem illius iuris, ad quod refertur illud, quod habetur *in d. l. si vxor 13. in principium ad l. Iul. de adult.* atque huic opinioni propter has, & similes rationes assentitur *Homobonus part. 1. tract. 7. cap. 36. qu. 140.*

Violat non solum castitatem, sed etiam iustitiam.

Habet ius ad rem, si non in re.

Sanchez.

Sponsus habet ius ad oscula, & ad amplexus.

Homobon.

Neque audiendi hic sunt *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 13. n. 4. Diana part. 1. tract. 7. resolut. 5.* asserentes per talem circumstantiam non induci nouam speciem, neq; eandem circunstantiam esse ex necessitate in confessione aponendam, quandóquidem fornicatio sponsi, vel sponsæ non est aliqua ex speciebus luxuriæ, vt distinctæ à simplici fornicatione, non enim est adulterium per superius dicta, non stuprum, quià supponitur violatio facta cum consensu defloratæ, &c. nec est contrà reuerentiam debitam sacramento, quià sponsalia non sunt sacramentum; nec ex tali violatione oritur aliqua infamia alteri sponso, nam vel est occulta, vel publica; si occulta, quæ infamia esse potest? si publica, innocens potest resilire à sponsalibus, & sic se subtrahere ab infamia; Non, inquam, audiendi sunt, nam quamuis non constituatur noua species peccati luxuriæ sub proprio nomine alicuius ex vulgatis speciebus, constituitur tamen species quodamodò reducibilis ad speciem adulterij, non præcisè sub ea ratione, qua adulterium est contrà reuerentiam debitam sacramento, cum sponsalia sacramentum non sint, vt benè dicitur in instantia, quamuis à D. Thoma dicantur sacramentalia matrimonij, sed quatenus est contrà ius alteri debitum, in quo violatio sponsæ de futuro, & violatio eiusdem de præsenti conueniunt saltem quoad analogicam quandam proportionem, quatenus, sicuti matrimonium confert plenum ius ad vsum coniugalem, & sponsalia non nisi incohatum, ità læsio eiusdem matrimonij per fornicationem vxoris inferat plenè adulterium, læsio verò sponsalium non nisi incohatum; quarè adulterium est quasi quæddam species subalterna in ratione contractus continens sub se aliam speciem saltem imperfectam. Ad illud, quod subdunt de infamia, dicendum est, non constitui nouam speciem peccati præcisè ratione ipsius, cæteroqui non constitueretur adulterium, quandò vxor de præsenti occultè fornicaretur, sed ratione læsionis iuris alterius coniugis, quæ certè læsio, licet non ità perfecta interuenit, quandò læditur sponsa de futuro, respectu alterius sponsi. Quod si supponas alterum sponsum assentiri fornicationi suæ sponsæ de futuro, tunc aliqui sentiunt, adhuc esse circunstantiam ex necessitate in confessione aperiendam, quià quamvis non sit contrà voluntatem habentis ius saltem incohatum in corpus sponsæ, est tamen contrà naturam eorundem sponsalium, quæ exigunt fidem seruari; nihilominus in ea hypothesi, non incongruè sentiendum est, non constitui nouam speciem, nec circunstantiam in confessione ex necessitate aperiendam, sicuti constitueretur in fornicatione vxoris de præsenti etiam consentiente

Henriquez Diana.

Rationem eninc entes non importare speciem, & distinctam malitiam.

Est reducibilis ad speciem adulterij, impropriè tamen.

Adulterium est quasi species subalterna.

Si sponsus consentiat violationi sponsæ non contrahitur specialis malitia.

tiente viro, quià in hac fornicatione, quamuis non fiat iniuria consentienti, fit tamen iniuria sacramento, & bonis matrimonij, in illa verò, nec iniuria sacramento cum sponsalia sacramentum non sint, nec alteri, cum scienti, & consentienti non fiat iniuria.

Tenetur hanc circumstantiam in confessione aperire.

Ex dictis inferes, quod, si sponsa de futuro fornicata fuerit non consentiente sponso non solum ipsa, sed fornicator cum eadem, si tamen hic esset conscius sponsalium præcedentium, teneretur hanc circunstantiam in confessione aperire, sicuti tenetur concubitor cum vxore alterius de præsenti; vterque etenim lædit ius, ille sponsi de futuro, iste mariti de præsenti, cum maiori tamen, vel minori grauitate prout ius alterius est magis, & minus perfectum, dempta tamen maiori grauitate, quæ est in violatione coniugis de præsenti contrà reuerentiam debitam sacramento.

Sententia asserens spõsum teneri talem circunstantiã aperire. Sarmiento. Lopez. Petrus de Ledesma.

Hic oritur difficultas, an non solum
5 consurgat circunstatia ex necessitate in confessione apponenda, quandò sponsa de futuro fornicatur cum altero à sponso, sed etiam quandò sponsus item de futuro fornicatur cum altera fœmina. Aliqui docent inter quos *Sarmiento lib.1. selecti. c.5. num. 3. Ludouicus Lopez 1.part. instruct. c.29. §. ad hoc libet, Petrus de Ledesma de matrim. q.43. art.1. dub. vlt.* respectu vtriusque oriri obligationem aperiendi talem circumstantiam in confessione proptèr rationes superius adductas, quià scilicet non minùs per fornicationẽ sponsæ violatur ius sponso acquisitum, sed etiam per fornicationem sponsi læditur ius sponsæ, & in vtroque casu fornicatio non solum aduertatur virtuti castitatis, sed etiam iustitiæ, & fidelitati.

Sententia negans, eiusque rationes. Sanchez. Cucus. Manuel.

Ex aduerso *Sanchez lib.1. de sponsalib. disp.2. num.6.*, qui pro se refert, *Antonium Cucum lib.5. instit. maior. tit.10. n.7. Manuelem 1. tom. summæ 2. edit. c.53. n.3. in fin.* docet non esse talem circunstantiam ex necessitate respectu sponsi aperiendam, & in primis fatetur, & concedit priori sententiæ hanc circumstantiam inducere nouam speciem iniustitiæ, sed posteà asserit, hanc iniustitiam non esse talem, ac tantam, vt debeat subijci clauibus, cum iniuria facta per sponsum sponsæ de futuro secundum communem hominum conceptum reputatur leuis, nec excedat limites culpæ venialis, ad quod comprobandum adducit exemplum de eo, qui fornicatur cum fœmina ad furandum aliquod modicum; talis enim fornicatio habet etiam adnexam malitiam furti, quæ tamen cum sit leuis non obligat ad illius confessionem.

Præfertur sententia prima.

Probabiliorem existimo priorem sententiam; neque enim tam leuem reputo illam adnexam fornicationi malitiam iniustitiæ, vt non excedat limites venialis culpæ, quandòquidem tale ius acquirit sponsa de futuro in corpus sponsi, vt sibi fides promissa seruetur, quale acquirit sponsus, vt eadem fides sibi seruetur in corpus sponsæ, & si grauitas, vel leuitas culpæ per ea, quæ diximus in quæstionibus tum de actibus humanis, tum de vitijs, & peccatis desumitur à fundamento grauis, vel leuis indignationis personæ læsæ, & ex obiecto, in quo læditur, certè non potest esse, nisi grauis culpa, nam si quælibet sponsa nosceret fidem sibi fractam per spõsum rationabilitèr grauitèr indignaretur, & obiectum, circa quod versatur læsio, est æquale tàm respectu fœminæ fornicantis, quam sponsi. Accedit quod in ratione fidei fractæ, & iniustitiæ, æqualis est culpa mariti adulterantis, & fœminæ coniugatæ mœchantis, quantumuis postea ex accidentibus maior constituitur in fœmina, ac in viro propter prolem, ac dubietates eiusdem, ergò etiam in ratione fidei fractæ, & iniustitiæ erit æqualis secundum se fornicatio sponsi de futuro, ac sponsæ, & licet in fœmina insurgat defloratio, si fuerit virgo per fractionem claustri virginalis, quæ non consurgit in viro, nihilominus hoc est ex conditione status, non ex maiori, vel minori malitia, quæ respicit læsionem iuris vtriusque secundum modum proprium respectu status, & conditionis, quæ est in vtroque.

Est talis læsio ex genere suo, & ex obiecto grauis.

Ex dictis inferas, quod, si contigerit ex fornicatione sponsæ de futuro, vel etiam sponsi cum altera, à sponsa fornicantis progigni filios, vel filias, eosdem, seù easdem non esse in rigore adulterinos, nec solùm simplicitèr fornicarios, quia illa fornicatio non est in rigore adulterium, nec solum simplex fornicatio, vt supra dictum est *Couaruuias 4. decretal. 1. part. c. 1. nu. 13. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. mat. de matrimonio c. 36. §. aduertendum cap. 3.* 6

Non sunt adulterini, sed naturales cum adduo.

Couaruuias. Lopez. Sarmiento

sed an in rigore dicendi sint spurij, & naturales, Doctores prællegati non definiũt, & alij in appositas sententias abierunt. *Sarmiento lib. 1. selecti. cap. 5. nu. 5.* per textum *in l. 1. in fin. ff. de his, qui not. infam.* vbi enumerantur inter infames, qui bina sponsalia, binasque nuptias pro eodem tempore contraxerunt, asserit absolutè non esse naturales, hocque confirmat ex eo, quod qui contraxit sponsalia, non potest pro illo statu dici solutus, sicque illa proles non est ex soluto, adeòque spuria.

Asserentes non esse illam prolem spuriam.

Henriquez. Molina.

Contrarium nihilominus docent *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 20. nu. 3. Molina primo tom. de iust. & iur. disp. 167.* per textum *in c. porrò de diuortijs*, hocque probant ex eo, quod, quando dicitur proles spuria est, quæ progignitur à non solutis, intelligendum sit de non solutis, qui obstringuntur aliquo vinculo indissolubili, vel aliquo impedimento dirimente, vt notat *Sãchez lib. 1. de sponsal. disp. 2. n. 8. vers. cæterũ dicendum est*

Sanchez.

est, & colligit ex l.5. tit. 19. part. 4. vbi enumerantur solum impedimenta dirimentia, contradistinguentia filios spurios à naturalibus; inter sponsos autem de futuro nõ est impedimentum dirimens in ordine ad aliud matrimonium cõtrahendum per ea, quæ suprà diximus, & infrà dicemus.

Ad contrahendam infamiam requiritur crimen vndequaque completum.

Aliam addo rationem pro hac opinione, cui adhæreo, quià hic versamur in materia odiosa, quæ ad constituendam infamiã spurietatis exigit rem vsquequaque completam, sicque adulterium propriè sumptum; quamuis autem delictum sponsorum de futuro excedat limites simplicis fornicationis, non attingit tamen in rigore malitiam adulterij, adeoque &c. Ad textum, qui adducitur à *Sarmiento in l.* 1. *in fin. ff. de his, qui not. infam.* dicendum est prout notat *Sanchez lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 2. *num.* 8. *in fin.* cum procedere, non de sponsis de futuro, sed de sponsis de præsenti, non consumato matrimonio.

Sarmiento Sanchez.

§. III.

An vouens actu merè interno contrahere sponsalia cum aliqua determinata persona, ad eandem ducendam obligetur.

SVMMARIVM.

Exponitur factum, & articuli examinandi. 1.
Votum contrahendi matrimonium per actum internum, non obligat secundum se vouentem. 2.
Votum internum de contrahendo matrimonium cadens sub præcepto propriè, & in rigore in ratione voti non obligat. 3.
In ratione tamen promissionis fortius obligat. 4.
Violans tale votum non contrahit specialem malitiam sacrilegij ratione voti, sed auget priorem scellam ratione iuramenti, in quod resoluitur illud votum. 5.
Votum merè internum contrahendi matrimonium, sed cum animo ante consumationem ingrediendi Religionem, & in ea profitendi absolutè non tenet. 6.
Votum matrimonij de futuro etiam ex causa pia non tenet, nisi conceptum fuerit sub conditione, si vouens voluerit vxorem ducere. 7.
Votum de matrimonio ad sedandos stimulos carnis, quibus vouens crebrò succumbit, tenet. 8.
Votum de nuptijs contrahendis ad finem publicæ vtilitatis probabilius tenet. 9.

Disquisitio III. Vouerat Caius per promissionem purè internam cõtrahere matrimonium de futuro cum Calidonia.
1 Quantumvis certum sit, votum illud, seù promissionem purè internam non tenere in vim sponsalium, tùm quià consensus ad illa debet esse aliquo signo externo manifestatus, tùm quià non supponitur repromissio Calidoniæ, dubitatum tamẽ est, an ex vi illius voti Caius obligetur ad illam ducendam, si illa promissionem posteà sibi manifestatam acceptarit, & repromiserit. Ad clarius discutiendam præsentem difficultatem secundum plures acceptiones plures etiam excitantur articuli. Primus erit, an secundum se illud votũ obliget ad executionem. Secundus, an saltem obliget, quandò matrimonium cadit sub præcepto. Tertius, an obliget, quandò promisit cum animo ante consummationem ingrediendi, & profitendi in Religionem legitimè approbatam. Quartus, an obliget, quandò votum est matrimonij ob causam piam, vel publicam vtilitatem, vel ob vitandum periculum incontinentiæ ratione fragilitatis eiusdem vouentis.

Factum tale, & articuli circa ipsum examinandi.

Respondeo primo, votum contrahendi matrimonium emissum per actum internum per Caium secundum se non obligat. 2
In hoc omnes conueniunt. Ratio ex eo deducitur, quià votũ ex genere suo debet esse de meliori bono, *D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. *in corpore*, sed votum de matrimonio secundum se non est de meliori bono, quandòquidem cælibatus est maius bonum, quam matrimonium, prout definit *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 10., & asserit D. Paulus 1. *ad Corint.* 7. *Igitur, & qui matrimonio iungit Virginem suam, benè facit, & qui non iungit, melius facit*, rursus ex principio eiusdem cap. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.*

Votum internum de matrimonio non obligat.

D. Thomas Conc. Trid. D. Paulus.

Respondeo secundò. Votum internum emissum per Caium de contrahendo matrimonium cadens sub præcepto propriè, 3
& in rigore in ratione voti nõ subsistit, nec secundum se obligat, *Tabiena verb. votum* 1. *num.* 3., & pro hac sua sententia allegat *D. Thomam* 2. 2. *quæst.* 88 *art.* 2. Hoc eueniret in casu, quo vouens defloraret virginem fide data de matrimonio. Ratio huius responsionis ex eo deduci potest, quod votum ex sua essentia, & formali conceptu inuoluit spontaneam, & omninò voluntariam promissionem de meliori bono, *D. Thomas in* 4. *dist.* 39. *q.* 1. *art.* 1., ergò, quià inuoluit omninò voluntariam promissionem, non potest esse de opere ex alio titulo necessariò, quià necessitas, vt benè notat *Tabiena loc. cit.* includit voluntatem quoad liberam dispositionem; rursus, ergò, quià debet esse de meliori bono, debet esse de opere consilij, & supererogationis, nõ verò præcepti, & necessitatis *D. Thomas* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. *Riccardus in* 4. *dist.* 39. *circà tertium princip. q.* 2. Accedit, quod *D. Thomas d. q.* 88. *art.* 2. asserit absolutè huiusmodi vota de re cadente sub præcepto esse solum analogicè

Etiam si cadat sub præcepto nõ obligat. Tabiena.

D. Thomas Riccardus

gicè vota, & per quandam similitudinem, eaque vocat communia, quasi nō propriè, sed generali quadam ratione, scilicet per similitudinem sint vota; nec sibi aduersatur D.Thomas, dum *eod.ar.2.* dicit. *Ea opera, sine quibus salutem consequi non possumus, cadere sub voto, quatenus voluntariè fiunt*, nam loquitur de voto non propriè, & in rigore sumpto, sed impropriè, & per quandam similitudinem, vt testatur *Tabiena loco cit.*, & indicant verba eiusdem S. D., per quæ asserit, esse solummodò analogicè vota; hocq; clarius ostendit exprimendo suam mentem, dum æquiparat voto, quo baptizati renuntiant pompis diaboli.

Vota debet esse voluntaria, & de meliori bono.
D.Thomas
Tabiena.

Neque aduersari possunt ijs, quæ hic dicuntur, ea, quæ scripta sunt *Genes.* 28., quod scilicet Iacob votum vouerit Domino, se illum solum culturum pro Deo dicens, *erit mihi Dominus in Deum*, ad quod certè erat obligatus sub præcepto Diuino: Non, inquam, aduersari possunt, quià illa Iacob promissio fuit potius recognitio obligationis, quam obligationis causa, & ideò ad summum potest dici votum largè sumptum, non propriè, & rigorosè. Dici etiam potest, quod Iacob vouit se habere Dominum in Deum per specialem quendam cultum, ad quem non tenebatur puta per decimarum obligationem, & alia huiusmodi.

Votum Iacob fuit impróprium, vel factū de cultu speciali.

Dixi, *propriè, & in ratione voti non subsistere nec obligare*; non enim negauérim in ratione promissionis vrgere, magisque firmare priorem obligationem promittentis ad seruandum illud præceptum. Sed hic immediatè suboritur difficultas, an illud votum sic largè sumptum secundum rationem, quam nos exposuimus, constituat speciem sacrilegij, vt contradistinctam à ratione iniustitiæ, seù suprà rationem iniustitiæ, an verò simplicem rationem iniustitiæ. Archiepiscopus Florent. *3.part.tit.11. c.2.* §. 2. dicit, quod importat rationem sacrilegij, seù quod saltem mutet speciem, & in hoc asserit contradistingui hoc votum, quod emittitur per obligatum ad contrahendum matrimonium, & votum implicitum, quod emittitur in susceptione baptismatis de renuntiatione pomparum diaboli, quandòquidem votum in baptismo non emittitur ab eo, qui vouet, sed ab alio, & ille, qui dicitur vouere, tantum ratum habet, sicque non additur deformitas pertinens ad aliam speciem, votum vero, quod emittitur ab eo, qui iam obligatus est ad contrahendum matrimonium, per expressū ipsius consensū emittitur, adeoq; videtur nouam deformitatem inducere pertinentem ad diuersam speciem. Tabiena verò ex mente D. Thomæ loc. cit. asserentis non esse propriè, & in rigore votum, asserit nō inducere nouā speciē, sed tantùm grauare, quià non solùm facit contrà priorem obligationem; sed contrà propriam bonam deliberationem. Adhærendum censeo Tabienæ, & præcipuè propter auctoritatem Diui Thomæ, qui tamē, vt malè inferunt nonnulli, non sibi aduersatur, dum in *quarto art.2. quodl.1. ad 3.* asserit votum illud addere specialem deformitatem, non, inquam sibi aduersatur, quià accipit ibi deformitatem communitèr, quæ non variat speciem, quod clarè liquet exemplo, quod ibi adducitur de voto baptismatis, quod per eundem non variat speciem, licet quodammodò grauet intrà eandem speciem. Hinc ad ea, quæ adducit *Archiepiscopus Flor. loco citato*, dico nullam penitùs vim habere, quandoquidem supponamus, quod sit adultus, qui baptizatur, hic certè per se exprimit illud votum, & tamen non est propriè, & in rigore tale, & deficiens à tali promissione non contrahit nouam, & distinctam speciem peccati, quià ad hoc baptizatus erat ex præcepto obligatus, ergò &c. Dici etiam potest, quod quamuis non cōtrahat sacrilegium ratione voti, contrahat tamen ratione iuramenti, in quod resoluitur illud votum.

4 *In ratione promissionis fortius obligat.*

Sententia asserens importare malitiam sacrilegij.
D.Antoni.

Sententia negans.

Tabiena.
D.Thomas

Præfertur sententia negans.

Soluitur ratio.
D.Antoni.

Dices, hac ratione, si quis voueret non fornicari, & posteà fornicaretur, non teneretur exprimere in confessione circumstantiam voti, nec duplex quodammodò committeret peccatum, alterū cōtra virtutem Castitatis, alterum contra virtutem Religionis. Item Religiosus, qui tria vota substantialia in Religione approbata emitteret, se polluens voluntariè, vel fornicans, non teneretur circunstanti voti in confessione aperire, cum non contraheret distinctam speciem peccati à simplici pollutione, vel fornicatione, quæ tamen non sunt dicenda. Sed contrà *Tabiena d. verb. votum 1. nu. 3. in fin. & Siluester eod. verb. nu. 4. Ricardus in quarto dist. 39. circa tertium princip. qu. 2.* ad primum, quod in instantia affertur de voto non fornicandi, non dedignantur concedere illam transgressionem voti non esse contrà virtutem Religionis, quià non est votum præcipuè sumptum, & per consequēs videtur etiam debere concedere non teneri delinquentem illam circumstantiam in confessione aperire, ex suppositione, quod circumstantiæ simplicitèr aggrauantes, & non mutantes speciem non sint ex necessitate clauibus subijciendæ. Dic tamen, quod teneatur ratione illius virtualis iuramenti. Ad id, quod subditur de Religioso dici posset esse specialem rationem, quandoquidem ipse vouet castitatem absolutè, non solum prout remouet actus ex genere suo illicitos, & fornicarios, sed etiam licitos, & coniugales, vt per se patet, & votum indiuisibitèr respicit vtrosq; actus; sicque ratione connexorum in eadem

dem entitate voti trahuntur omnia ad propriam rationem voti, & transgressiones ad specialem deformitatem sacrilegij, quod non euenit in alijs casibus, in quibus vouetur praecisè id, quod iam est sub praecepto, seu sub obligatione.

Dices vlteriùs, possumus nos obstringere iuramento ad seruanda ea, ad quae aliàs de iure tenebamur, ergò etiam voto possumus nos ad ea seruenda obstringere. *Non valet argumentũ à iuramento ad votũ.* Sed contrà, quià in primis in hoc distinguitur simplex iuramentum à ratione voti propriè sumpti, quod iuramentum non exigit melius bonum, sed contentum est quocunque bono simplicitèr, vel etiam indifferenti, adeòque potest esse de bono etiam cadente sub praecepto; votum verò ex suo conceptu debet esse de meliori bono, adeoque, vt asserit *D. Thomas secunda secundae qu.* 88. *art.* 2. *in princip.* exigit opus consilij, & supererogationis, quod perfectius est, non praecepti, & necessitatis. Deindè ad summum valere potest argumentum à iuramento ad votum largè sumptum, non ad votum propriè sumptũ, quod exigit speciales conditiones suprà idem iuramentum. Ex quibus etiam facilè erit respondere ad aliud argumentũ, quod circumfertur praecipuè à *Lessio lib.* 2. *c.* 40. *de voto. dub.* 7. *nu.* 47. nempè quod possit debitor quoad idem debitum pluribus titulis obstringi erga creditorem, sicque debitor ex mutuo, vel alio contractu potest versus mutuantem, & contrahentem se promissione iterum obstringere, facilè, inquam, erit respondere, quandoquidem ego non renuo, quod etiam obligatus ex praecepto ad aliquid seruandum, possit iterum se obligare promissione ad illius obseruantiam; sed etiam tantum cõcedere, quod illa promissio habeat propriã rationem, & conditiones voti propriè sumpti proptèr rationes suprà adductas, vndè addit fortiùs vinculum, non nouum inducit. Lessius.

6 Respondeo tertiò. Si Caius vouerit actu mero interno contrahere matrimoniũ de futuro cum Calidonia, sed cum animo ante consũmationem ingrediẽdi Religionem, & in ea profitendi, votum illud absolutè validum non est, *Aragonius secunda secunda qu.* 88. *art.* 2. *Sanchez lib.* 1. *de sponsalibus disp.* 4. *nu.* 2. *vers. Verum dicendum est.* *Votum illud matrimonij cum animo ingrediendi Religionem non tenet.* Aragonius. Sanchez. Ratio ex eo deducitur, quia tale votũ est absolutè secundum se illicitum, cum videatur per se illudere Sacramentum, & notabilem iniuriam sponsae inferre, nam cogit ipsam absque nuptijs esse, donec ille profiteatur, & si non profiteatur, compelleretur illa esse vxor Monaci recedentis à Religione cum suo dedecore *Glosa c. commissum verb. tutius de sponsalibus*, *Antonius Cucus lib.* 1. *instit. maior. tit* 12. *nu.* 20. *Manuel primo tomo summae secundae edit. cap.* 244. Glosa. Cucus. Manuel.

nu. 5. nec obstat, si asseratur, illud votum esse de re bona, nempè de Sacramento, nec praecludere viam ad maius bonum, cum posset ante consumationem ingredi monasterium, & vitam caelibatam ducere, *Sotus lib.* 7. *de iust. qu.* 1. *art.* 3. *vers. sed ait saltem licere.* Sotus. Non obstat, inquam, quia votum secundum se de matrimonio ineundo per superiùs dicta, cum non sit de meliori bono, non subsistit, dicere deinde quod non praecludat aditum ad maius bonum, cum possit ante consumationem ingredi Religionem, & in eadem profiteri, nam hoc potissimum habet in animo deliberato, non facit ad rem, quandoquidem hoc est illudere alterum contrahentem, & votum illud esset de re inutili, & contrà bona matrimonij, quae respiciunt sobolem procreandam. Quod si vlterius repetas, non esse inutile tale votum, quandoquidẽ potest esse intentum ad gratiam Sacramẽti recipiendam, statim impugnaberis, *Nec consequeretur gratiam sacramentalē.* quià ex eo, quod illud votum cum illo animo deliberato ingrediendi Religionem cedat in praeiudicium alterius coniugis, & sit contrà fidem, & bona matrimonij, non potest coniungi cum assecutione boni sacramentalis.

Respondeo quarto. Si Caius vouerit matrimonium de futuro cum Calidonia ex causa pia absolutè non tenet, nisi conceptum fuerit sub conditione, si vouens voluerit vxorem ducere, *Sanchez de matrimon. lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 4. *n.* 12. 7 *Non tenet etiam ad causam piã nisi sub conditione.* Sanchez. Ratio primae partis ex eo deducitur, quià illud votum absolutè conceptum, quantumvis fuerit ad causam piam, praecludit aditum ad perfectiorem statum, melior etenim est vita caelibatus, quam matrimonij, ergò, cum votum debeat esse de meliori bono, non potest esse de matrimonio, quantumvis ex causa pia; *Praecludit aditum ad perfectum statum.* Neque dicas, illud votum duo includere, alterum ducendi vxorem, alterum ducendi pauperem ex pietate personae, & ex causa pietatis, & sic, quamvis primum non obliget, obligat tamen secundum; contrà enim impugnaberis, quià illud votum non concipitur, nisi, ad modum vnius, & proindè est indiuiduum, quod per consequens secundum se totum debet esse validum, vel secundum se totum irritum. *Illud votũ est indiuiduum.* Ratio secundae partis ex eo deducitur, quià ex suppositione, quod Caius voluerit vxorem ducere, est opus erga Deum perfectius ducere pauperem ex pietate personae, & ex causa pietatis, quam ducere diuitem ex motiuo diuitiarum, vel pulchritudinis, vel ex alia simili causa non pia, ergò non erit, cur votum de illa ducenda non teneat; *In tali suppositione est opus perfectius.* nec per hoc praecluditur via Spiritui Sancto, ne altiorem statum inspiret, &c., ergò &c.

Aduersus primam partem huius responsionis sibi efformant regulam quan-

D. Antoni. Siluester.

dam *D. Antoninus 2. part. tit. 11. c. 2. ante §. 1. uers. nota 3. Siluester verb. votum 1. q. 4. in fin., & alij* asserentes, quod, quandò votum includit aliquod bonum, quod potest esse prius, validum sit, quantumvis excludat alia meliora bona, quod exemplificant in vouente laxiorem Religionem, & perseuerantiam in eadem; ex quo sic arguunt; Votum ducendi hanc pauperem ex causa pia includit aliquod bonum, quod potest esse materia voti, quià inuoluit eleemosinam supererogationis tradendo se ipsum pauperi loco dotis, ergò &c. Sed facilè occurrere possum huic instantiæ asserens, illam regulam militare dumtaxat in suppositione, qua post implementum illius voti non præcluderetur via ad statum perfectiorem, vel ad bonum excellentius, vt euenit in eo, qui vouit Religionem laxiorem, adhuc enim potest transire ad strictiorem, & perfectiorem; secus autem, quandò præcluditur omninò via ad statum perfectiorem, vt eueniret in præsenti hypotesi, secundum quam impleto voto per consummationem matrimonij vouens non posset transire ad statum perfectiorem Religionis, vel continentiæ.

Illud votũ semper præcluderet viam ad perfectiorẽ statum.

Dispar ratio de vouente Religionẽ laxiorem.

Respondeo quinto. Si Caius vouerit
8 matrimonium cum Calidonia ex eo, quod stimulis carnis agitatur, & crebro eiusdem, & Dæmonis tentationibus succumbit in hoc genere, probabilius est, & votum tenere, & obligare *Caietanus 2. 2. quæst. 88. art. 2. dub. vlt. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 6. nu. 5. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 149. versiculo verum enim verò, Manuel 2. tom. summa c. 94. num. 14.* Ratio est, quià, quantumvis cælibatus ex genere suo sit perfectior, quam vita coniugalis, nihilominus respectu talis personæ inspecta circumstantia fragilitatis, & frequentioris lapsus est melior vita coniugalis, ergò &c. Antecedens probatur, quià respectu talis determinatæ personæ melius est consilium, vt nubat, quam quod perseueret in illo periculo incontinentiæ asserente Apost. *1. ad Corinth. 7. Melius est nubere, quam vri.* Confirmatur, quià perfectius est vitare periculum damni moralis per electionem medij secundum se liciti, quam permanere in manifesto eiusdem damni periculo ad finem, vt possit eligi status perfectior, qui tamen moralitèr stante illo periculo esse non potest, ergò &c.

Votum ad sedandos stimulos carnis tenet. Caietanus. Henriquez. Molina. Manuel.

Respectu talis personæ melior est vita coniugalis.

Aduersus hanc responsionem multa possunt obijci, & primo id, quod asserit *D. Thomas in 4. dist. 31. q. 1. art. 2. ad 3.* nempè impium esse vti matrimonio vitandæ fornicationis gratia, quià ad hoc matrimonium institutum non est. Secundò, quià per tale votum præcluditur via Spiritui Sancto ne aptiora media ad illud periculum vitandum inspiret. Tertio, quià posito adhuc hoc voto liberum est vouenti ab eodem recedere, & ingredi Religionem, ergò votum illud irritum est. Nihilominus facilè occurro, & quidem ad primum dico ad summum impium esse contrahere matrimonium præcisè ex eo fine, secus, si simul cum illo coniungantur alij fines proprij eiusdem matrimonij; dici etiam potest cum *Caietano 2. 2. q. 88. art. 2. dub. vlt.*, quod, quantumvis ex genere suo sit impium, non esse tamen tale, quandò alia via periculum incontinentiæ facilè vitari non posset; vndè quilibet doctus, & prudens confessarius in illa hypothesi consuleret matrimonium, *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 4. n. 7. in fin.* Ad secundam etiam assero, quod attenta circumstantia fragilitatis in vouente, quantumvis diuinitus eidem per promptiora, & salubriora media possit occurri, humano tamen modo congruentèr, & salubriori consilio occurratur per matrimonium; non enim expectanda sunt media ex specialiori Dei gratia, quibus certi esse non possumus, cum medijs ordinarijs indigentijs nostris consulere possimus. Ad tertium, quod, quamvis adhuc possit ingredi Religionem, salubrius tamen sit non ingredi, & nubere proptèr periculum etiam incontinentiæ in statu Religionis; ad quod maximè facit praxis curiæ Romanæ, secũdum quam, quantumvis quis sit obstrictus voto castitatis, & Religionis dispensatur à voto, vt possit nubere, quandò ex nimia naturæ fragilitate timetur periculum incontinentiæ.

Rationes aduersæ, earumque solutio. D. Thomas

Caietanus.

Sanchez.

Humano modo salubrius consulitur per matrimonium.

Respondeò sextò. Si Caius vouerit de nuptijs contrahendis cum Calidonia ad
finem publicæ vtilitatis, puta ad sedandas seditiones in Republica ob concordiam inter Principes, & conuersionem infidelium probabilius votum illud tenet, & obligare, *Sanchez de matrimon. d. lib. 1. de sponsalib. disp. 4. n. 1. vers. similitèr est certum.* Ratio ex eo deducitur, quià illa bona Reipublicæ quod Dei honorem præponderant priuato vouentis statui, quo gauderet in cælibatu. 9

Ad finem publicæ vtilitatis tenetur. Sanchez.

§. IV.

An fides data de matrimonio cõtrahendo, cum defloratione virginis promissariæ obliget ad eam ducendam non obstante voto priori castitatis, & Religionis in promittente, seù dante fidem.

SVMMARIVM.

Status controuersia, & rationes dubitandi. 1.
Qui prius vouit castitatem non tenetur, nec potest sponsam defloratam licitè ducere. 2.
Sol-

Soluuntur rationes opposita Sanchez. 3.
Si non obstante voto fœminam, quam deflorauit per verba de præsenti duxerit, tenet matrimonium, & in ea hypothesi deflorator tenetur reddere, non petere. 4.
Vouens antecedentèr Religionem, & posteà sponsam defloratam ducens prima vice consummando matrimonium intrà bimestre, ad petitionem etiam alterius, grauitèr peccat. 5.
Si vouerit simplicitèr castitatem, etiam prima vice consummando, peccat. 6.
Post votum castitatis contracto matrimonio vouens, si coniux præmoriatur, non potest ad alias nuptias transire, sed tenetur castitatem seruare. 7.
Quæ dicta sunt de violatore virginis post votum intelligenda sunt de violatore viduæ honestæ, num. 8.

1 *Status quæstionis, & rationes dubitandi.*

DIsquisitio IV. Vouerat Caius voto simplici castitatem, seù Religionem, posteà carnis illecebris allectus, vel alio excitatus motiuo non respiciens ad votum præcedens contraxit sponsalia cum Theodorica, eidemque fide data de futuro matrimonio ipsam sub spe eiusdem matrimonij futuri deflorauit. Hic multæ excitatæ fuerunt rationes dubitandi, & primò, an omisso voto teneatur eam ducere, an verò omissa promissione matrimonij futuri teneatur votum sequi. Secundò ex suppositione, quod teneatur eam ducere, & ex consequenti ducat, an possit tuta conscientia petere, & reddere debitum. Tertiò, an, si præmoriatur fœmina, quam ex promissione duxit, possit aliam ducere non obstante præcedenti voto. Quartò, an idem, quod dicitur de Virgine, quam adstrictus voto castitatis, vel Religionis deflorauit, intelligendum etiam sit de vidua honesta, quam idem fide data de matrimonio futuro carnalitèr cognouit.

2 *Non potest licitè eam ducere.* Nauarrus. Manuel. Viualdus.

Respondeo primo, non teneri, quinimmò, nec posse eam licitè ducere, *Nauarrus lib. 4. consil. in 1. edit. tit. de sponsalib. cons. 21., & in 2. edit. tit. Qui cleric. vel vouent. cons. 1. Manuel. 1. tom. summa 2. edit cap. 208. num. 11. Viualdus in Candelab. 3. part. c. 14. n. 64., & 65.* hancque fatetur valdè probabilem *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 45. n. 2. in fine*, quamuis ipse *ibid. n. 3., & seqq.* contrariam opinionem sustineat ijs ductus rationibus, quod votum non obliget re notabilitèr mutata, quod vinculum iustitiæ, quod eo casu ligat, fortius sit vinculo charitatis, eam ducendo non tollat vinculum voti, sed ad tempus tantum suspendat, & quod sicuti obstrictus voto castitatis, vel Religionis tenetur votum ipsum suspendere ad subueniendum egestati parentum, ità teneatur etiam suspendere, & ad tempus differre ad satisfaciendum debito iustitiæ, ad quod tenetur erga defloratam.

Rationes aduersæ Sanchez.

Probatur iam responsio, quià stante illo voto præcedenti castitatis, vel Religionis illa promissio de futuro matrimonio est omninò de re illicita, vtpotè aduersanti eidem voto, ergò secundum se non obligat, quià ex superius allegatis omnis promissio de re turpi, & illicita non est obligatoria per ea, quæ docuimus *sub hoc eod. tit. contractus XIV. de sponsalib. prænot. 2. assert. 1. vers. sic primo non possunt*; Neque obesse potest, si asseratur teneri non ratione promissionis simplicitèr, vt asserit *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 45. n. 6. vers. ad secundum dico*, sed ratione promissionis simul, & deflorationis, in qua ex deceptione illatum est graue damnum fœminæ promissariæ, ratione cuius, quantumvis non tollatur absolutè obligatio voti, ponitur tamen iusta causa, ob quam ipsius executio possit deferri; Non, inquam, obesse potest quià, cum illa promissio matrimonij futuri fuerit omninò inualida, vt non renuit idem Sanchez, ex vi ipsius nullum robur sortiri potest futurũ matrimonium, quinimmò perindè est, ac, si non fuerit posita, & per consequens, sicuti, si nulla esset posita promissio, & fœmina fuisset violata, nõ oritur in violatore aliqua obligatio ipsam ducendi, cum damnum eidem illatum possit aliundè reparari, ità quantumvis fuerit promissio posita, quià tamen est inualida, non oritur in violatore onus eandem ducendi, cum promissio non posita, & promissio posita, sed inualida quoad effectum sibi æquiualeant. Dicere deindè, quod talis defloratio cum promissione, quantumvis non sic sufficiens ad tollendam priorem obligationem voti, sit tamen sufficiens ad suspendendam, seù differendam ipsius executionem, non subsistit, quoad votum castitatis, quandòquidem per matrimonium subsequens omninò læditur, cum matrimonium sit omninò oppositum naturæ eiusdem; quoad statum Religionis non est præcisè suspendere, sed ponere vinculum omninò insolubile, quod est secundum se incompatibile, cum eadem Religione, & per accidens est, quod per mortem alterius coniugis dissoluatur; iura autem non respiciunt id, quod est per accidens, sed ea, quæ exigit vinculum secundum se.

Promissio illa matrimonij futuri fuit de re illicita.

Promissio non posita, & inualida sibi æquiualent.

Dices ex superiùs dictis, si quis promisit fœminæ fictè matrimonium futurum, eamque sub spe eiusdem deceperit violando, tenetur ratione damni eidem illati eandem ducere, & nihilominus illa promissio fuit inualida, ergò etiam &c. Sed contrà neganda est consequentia. Ratio disparitatis ea est, quià fictè promittens tenebatur ritè, & rectè promittere, & ratione deceptionis tenetur de nouo promittere; promittens autem cum voto præcedenti castitatis, & Religionis, nec tenebatur, nec poterat promittere, adeòque, &c.

Dispar ratio de fictè promittente.

5 Ad rationes, quæ ex aduerso per Sanchez loc. cit. afferebantur, nunc respondendum est, & quidem ad primum dico, tunc tantum votum non obligare, quandò res est notabilitèr mutata sine culpa vouentis, secùs autem, quandò mutatio subsecuta est ex culpa, & voluntate peruersa eiusdem, qui propterea debet sibi imputare, quod illa inducta fuerit, secùs esset in potestate cuiuscunque vouentis vota substantialia eludere res notabilitèr immutando; nec dicendum est, quod culpa vnius non debet alteri innocenti obesse, vt eueniret in præsenti hypothesi, secundum quam fæmina violata ex culpa violatoris subesset graui damno dedecoris ex damnis violationis; non, inquam, dicendum est, quià ad summum hoc intelligitur, quandò ex ipsa culpa prouenit impedimentum contrahendi, secùs quandò iam supponitur inhabilitas præcedens in promittente actum culpabilem; non enim culpa subsequens potest reddere habilem, qui antecedentèr erat inhabilis ad contrahendum, cæteroqui vnusquisque inhabilis posset ex delicto se habilitare; vndè ad summum decipiens inhabilis tenetur ad compensanda damna, vel per dotem, vel per aliquid aliud. Ad secundum dico, quod, quantumvis vinculum iustitiæ fortius sit vinculo caritatis ex genere suo, non tamen obligatio ex voto est simplex vinculum caritatis, sed onus quasi iustitiæ, nam sicuti per simplicem promissionem, seù pactum factum homini quis obligatur vinculo insolubili iustitiæ, ità per votum liberum factum Deo, potest talitèr obligari, vt ratione obiecti, ad quod votum dirigitur, potest etiam fortius obligari; Neque repetas, quod in hac hypothesi non est simplex promissio facta fæminæ, sed cum damno eiusdem violatæ, adeoque sit fortius vinculum; contrà enim impugnaberis, quià si quis habeat vel ex pacto, vel aliquo alio iure, sua bona temporalia alteri obligata, & deindè eadem alteri ab ipso obliget, ipsumque sub tali prætextu lædat in bonis suis, non habet hic ius aduersus bona priùs obligata, ergò etiam, cum quis bona sui corporis per votum Deo obligauerit, quantumvis posteà eadem fæminæ obliget cum læsione eiusdem non habebit hæc ius aduersus bona corporis priùs Deo promissa, &c. Ad tertium patet ex supradictis, quid dicendum sit; illa etenim suspensio, seù dilatio est gratis omninò excogitata, cum ex genere suo matrimonium non sit vinculum merè suspensiuum, cum sit indissolubile, & per accidens est, quod dissoluatur, quinimmò in ordine ad votum castitatis est omninò repugnans. Ad id tandem, quod subditur dicendum est in eo casu præcisè suspendi executionem, nam non ponitur aliquod vinculum directè obsistens voto castitatis, & Religionis, vt per se patet, in hypothesi autem, de qua loquimur, directè ponitur vinculum obsistens, adeoque &c. Dici etiam potest, & non incongruè, quod Filius teneatur ad subueniendum Patri indigenti non ingredi Religionem, quam vouit non ex motiuo præcisè caritatis, sed ex vinculo naturalis pietatis, quæ præualet debito iustitiæ, nam sicuti pater ob consulendum sibi, & filijs quoad alimenta necessaria excusatur à solutione debitorum, & eximitur quousque non deuenerit ad pinguiorem fortunam, quantumvis hæc sint debita ex iustitia, ità filius ad subueniendum Patri indigenti, poterit &c.

Res non notabiliter mutata ex culpa vouentis.

Non prouenit ex ipsa culpa, sed ex inhabilitate præcedenti.

Tenetur ad compensanda damna.

Est onus quasi iustitiæ.

Bona prius obligata nō possunt al teri obligari.

Nec potest etiam obligatio suspēdi.

Vinculum naturalis pietatis præualet iuri iustitiæ.

Ex ijs, quæ hactenus dicta sunt in hac responsione patet, quid dicendum sit in casu, qui in praxi de præsenti euenit. Cognouit Caius carnalitèr Bertam, & successiuè post multum temporis fide data de matrimonio contrahendo, etiam cognouit eiusdem filiam, ex qua fornicariè progenuit filium. Orta hic fuit controuersia, an ex tali promissione, cum defloratione filiæ Bertæ orta fuerit obligatio in eodem Caio ipsam ducendi, & fortior ratio etiam dubitandi conferebat proles iam suscepta, quandoquidem eadem iure successionis priuabatur, si matrimonium illud non contraheretur, per quod redderetur legitima. Absolutè iuxtà superiùs dicta asserendum est, nec teneri, nec posse eam ducere, quandoquidem ex concubitu præcedenti cum matre ortum fuit impedimentum absolutè dirimens, & nedum impediens, ratione cuius, & inualida fuit promissio, & irritum quidquid indè secutū fuerit, & sicuti in hoc casu non obstat læsio, & defloratio filiæ, quantumuis hæc fuerit contrà iustitiam, ità nec obesse posse videtur læsio fæminæ defloratæ in casu, de quo loquimur, cum fuerit antecedentèr per votum impedimentum dirimens promissionem.

Exponitur casus, qui valdè confert ad rem præsentem.

Confirmari potest vlteriùs nostra responsio, quià si quis contraxerit per liberum voluntatis consensum cum vna sponsalia, & deindè eadem cum altera contraxerit, ipsamque sub spe futuri matrimonij deflorauerit, tenetur ad primam, non ad secundam, *Nauarrus in summa c. 22. nu. 26. cas. 3. Bartholomeus à Ledesma de matrim. dub. 13. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 13. nu. 3. Philiarchus de offic. sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2.* hocque idem affirmat *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 49. nu. 1. Sotus in 4. dist. 27. qu. 2. art. 4. dub. 3.* præcipuè stante Concil. Trid. dispositione *sess. 24. c. 1.* secundùm quam sponsalia non transeunt in matrimonium subsecuta copula; quinimmò etiam ante Concil. Trident. si sponsor accesserit ad secundā, nō

Paritate etiam conuincitur.

Nauarrus.
Bartolom. à Ledesma
Henriquez
Phyliarch.
Sanchez.

cum

Nauarrus. Petrus de Ledesma.

cum affectu coniugali, sed fornicario, *Nauarrus d. c. 22. nu. 26. Petrus de Ledesma secunda part. qu. 48. art. 2.* ergò etiam si quis Deo priùs suam fidem obligauerit per votum castitatis, & Religionis de non contrahendo, & posteà cum fæmina sponsalia contraxerit, eamque deflorauerit, tenebitur potiùs fidem Deo seruare, non contrahendo, quàm contrahendo fidem seruare fæminæ. Neque in hoc audiendus est *Sanchez d. disp. 45.* asserens non currere paritatem de voto præcedenti, & de sponsalibus prioribus, nam votum solum obligat ex Religionis virtute, promissio autem potissimum cum defloratione ex iustitia, cuius vinculum fortius est; non, inquam, audiendus est, nàm in primis non congruè facit comparationem, nam comparare deberet votum ad simplicem promissionem, & sicuti simplex promissio non tollitur per subsequentem cum defloratione, ità nec votum videtur tolli posse per subsequentem promissionem factam fæminæ, etiam cum defloratione. Deinde non ità certum est, præcipuè in hac hypothesi, quod fortiùs sit vinculum iustitiæ, quàm Religionis, quandoquidem votum ad Religionem pertinens impedit quamcumque promissionem subsequentem, quæ redditur de genere suo inualida ex inhabilitate promittentis.

Sanchez.

Æquiparatio non est æqualis.

Votum Religionis inualidat quamcumque promissionem.

4 *Matrimonium tenet & vouens tenetur reddere, non petere.*

Respondeo secundò, si non obstante voto fæminam, quam deflorauit, per verba de præsenti duxerit, tenet matrimoniũ, & in ea hypothesi deflorator teneretur reddere, non tamen licitè posset petere. Ità quoad primam partem *Perez de impedim. non dirimentib. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 11. nu. 4. Gutierez cap. 85. nu. 1. Coninchus disp. 30. de matrimon. dub. 3. nu. 24. & 28. Bonacina de matrimon. qu. 3. punct. 14. num. 7.* Quoad secundam est communior apud omnes Theologos, & Canonistas. Prima pars expresè deducitur *ex c. consuluit c. si quis votum 27. qu. 1. & c. vnico de voto in 6.*, & ex communi consensu, secundum quem votum simplex castitatis, & Religionis computatur inter impedimenta simpliciter impedientia, non dirimentia. Ratio secundæ partis etiam ex eo deducitur (quæ tamen intelligenda est quoad debitum reddendi post consummatum primò matrimonium, nam antecedentèr ad eius consummationem posteà subdam) quod per celebrationem matrimonii de præsenti, & consumationem eiusdem transtulit verum, ac naturale corporis dominium in alterum, quod dominium non transtulit per simplex votum castitatis, cum votum non importet, si fuerit simplex, nisi simplicem promissionem, promissio autem alicuius rei ex genere suo, & per se eam non transfert in dominium illius cui promittitur; fortius

Perez. Sanchez. Gutierez. Coninch. Bonacina.

autem est vinculum, quod consurgit post traditionem rei, seù post traditum ipsius dominium in alterum, quam sit illud, per quod res illa simplicitèr promittitur, cum per promissionem dominium non transferatur; hoc argumento vtitur *D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quodl. 2.*, & cum eo communitèr DD. ad eumcendam rationem, propter quam per votum solemne dirimatur matrimonium, non autem per simplex, ergò facta tali traditione per matrimonium celebratum per verba de præsenti, & per consumationem eiusdem liberum erit illi, in quem translatum est dominium liberè vti corpore tradentis, & exigere ab illo redditionem, qui proptereà tenebitur reddere, cæteroqui inutile penitus foret ius aquirentis dominium, si alter non teneretur reddere.

Ratio, ob quam tenetur reddere.

D.Thomas

Hic solum remanet dubitandum, an primò consũmando etiam ad instantiam, & petitionem alterius coniugis præcipuè ante bimestere à iure concessum ad deliberandum, an velit ingredi Religionem stante illo voto castitatis, quod præsuponitur antecedentèr elicuisse, peccauerit, cum liber esset pro illo tempore ad non reddendum. Circa quod dubium assero in primis, quod, si antecedentèr vouerit Religionem, vtique prima vice consumando, peccet grauiter siuè ipse petierit, siuè ab altero requisitus reddiderit *Angelus verbo matrimonium 3. impedimento 5. num. 2. Sotus in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. post 2. concl. vers. aliud verò VeraCrux append. ad art. 15. 1. part. specul. Aragonius 2. 2. q. 88. art. 3. §. his tamen non obstantibus in corrol. 2, Henriquez lib. 12. de matrim. c. 2 nu. 3., & 9.* Ratio ex eo deducitur, quià per talẽ consummationem constituit se in eo statu, vt non possit adimplere promissionem factam Deo, quam vtique adimplere potuisset, si non consummasset. Si verò antecedenter vouerit simplicitèr castitatem, docent aliqui non infimi nominis DD. peccare grauiter adstrictum eodem voto, etiam si fuerit ab altero coniuge requisitus, prima vice consummando *Alensis 2. part. q. 170. memb. 3. §. 1. in solut. ad primum in fin. D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 3 quæstiuncula 2. ad 3., & ibi Scotus quæst. vnica ad fin. vers. consimilitèr, si de peccato, Caietanus in summa verb. matrimonium c. 1. §. & scito peccatum esse, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 4. in fin. Azorius lib. 11. instit. mor. c. 21. q. 2. Turrecremata cap. nonimus 17. q. 2. art. 2. num. 2., & alij innumeri apud Sanchez lib. 9. de debito coniug. disp. 34. num. 2.* Ex aduerso idem *Sanchez loc. cit. num. 3., & seqq.* quod non peccet prima vice consummando, atq; pro hac opinione adducit textum *extrauag. Ioannis XXII. antiquæ concertationi de voto*, & alios DD. non modicos. Ratio præcipua eiusdem Sanchez in eo consistit, quod vouens castitatem, qui posteà contraxit matri-

5 *Qui prius vouit Religionem, si consumet matrimonium intra bimestre peccat.*

Angelus. Sotus. VeraCrux. Aragonius Henriquez

Si votum solum castitatis præcesserit prima sententia asserit peccasse.

Alensis. D.Thomas Caietanus. D. Antoni. Azorius. Turrecrem.

mo-

monium per verba de præsenti non potest non consummare, nisi per transitum ad Religionem, si exigatur ab altero coniuge consummare, & alter per spontaneũ consensum non recedat à petitione, & annuat liberè continentiæ, sed non tenetur ad seruandum debitum voti se subijcere statui Religionis, qui grauissimus est, cum importet perpetuam seruitutem, & amissionem libertatis, cæterorumque bonorum fortunæ, quod exemplificat in eo, qui debet pecuniam, qui, si non possit soluere absque vitæ, & famæ detrimento, excusatur ab onere solutionis. Quamuis rationes Sanchez non sint contemnendæ assentior tamen priori opinioni, ad quam me mouet maximè auctoritas D. Thomæ, & præcitatorum DD., quæ maximi roboris apud me est, addita præcipuè ratione eiusdem Sancti Doctoris, quià scilicet vouenti post contractum matrimonium remanet facultas adimplendi continentiæ votum, quæ certè præcluditur per consummationem eiusdem; vnde, sicuti per eundem *Sanchez d. lib. 9. disp. 33. num. 14.* peccat læthalitèr obstrictus voto Religionis prima vice consummando matrimonium contractũ, quià præcluditur via ad implementum eiusdem Religionis, ità non video cur non peccet læthaliter obstrictus voto simplici castitatis prima vice consũmando, quià per hoc etiam præcluditur via ad implementum eiusdem voti. Accedit, quod vouens castitatem virtute, & quasi consequenter vouet ea omnia media, quæ sunt necessaria ad illam consequendam, cum obligans se formalitèr ad aliquid, quod sine alio fieri, vel haberi nequit obligat se virtute ad illud, ergò cum vouerit castitatem, & contracto matrimonio per verba de præsenti adsit facultas, & non aliundè, quam per ingressum in Religionem illud votum adimplendi, tenebitur Religionem ingredi, vtpotè implicitè intentam in eodem voto castitatis, quod præcipuè verificatur, quandò ipse vouens ex sua culpa per celebrationem matrimonij obicem posuit, ne alio faciliori modo, quam per ingressum in Religionem, posset adimplere; Neque obesse potest obiectum Sanchez asserentis non teneri vouentem adimplere votum per media simplicitèr possibilia, sed tantum per media, quæ sint moralitèr talia; quale non est medium Religionis, quod inducit perpetuam seruitutem, abdicationem omnium bonorum sæculi, & inuoluit iugum onerosissimum; Non, inquam, obesse potest, quià hæc ad summum verificantur, quandò moralis possibilitas adimplendi non prouenit ex culpa eiusdem vouentis, secùs quandò ex ipsius culpa positus est obex, ne modo morali possit adimplere, & per alia media faciliora, & consona communi modo operandi; ex eo etenim, quod operam dederit rei illicitæ, constituitur in dolo aduersus promissionem factam Deo, & per consequens omni alio modo licito, & possibili tenetur eandem promissionem adimplere, & non adimplendo grauitèr peccat, sicque spontè se constituit in illo onere soluendi illam seruitutem, quæ tamen non est iugum, nisi suaue, & onus leue. Accedit, quod obligatus ex iniusta acceptione tenetur cum maiori iactura persoluere, sicque, cum in data hypothesi vouens contraxerit iniustè, & culpabilitèr matrimonium, tenetur per media difficiliora, & cum maiori libertatis iactura debitum illud adimplere.

Secunda sententia tenet absolutè non peccare. — Sanchez. — 6 *Præfertur sententia asserens peccare.* — *Præcluditur via ad seruandam continentiã Deo promissam.* — *Vouens implicitè se obligat ad omnia media necessaria ad illius voti implementum.* — *Spontè se constituit in illo onere subeundi illam seruitutem.*

Ratio tandem, cur non possit petere, quantumvis prima vice cõsummauerit, ex eo deducitur, quià præscindendo à iure, quod alter acquisiuit, tùm ex matrimonij contractu, tùm ex eiusdem consummatione, vouens tenetur, quantum in se est votum adimplere, quià, vt inquit *D. Thomas in 4 d. dist. 38. art. 2. ad primum vers. vno modo* duplicitèr quis potest fieri impotens ad adimplendum, primò simplicitèr, secundò, secundum quid; primo modo absolutè absoluitur ab onere voti; secundo modo absoluitur secundum id, quod non potest, non autem secundum id, quod potest, nec votum, prout infrà videbimus, absoluitur sed tantum suspenditur in ijs, quæ stante matrimonio saluari non possunt, ergò quãtum in se est, cum possit adimplere non petendo, non poterit licitè, & iustè petere.

Votum non absoluitur, sed suspenditur. — D. Thomas

Respondeo tertiò, si præmoriatur Calidonia, quam Caius duxit non obstante voto, siuè Religionis, siuè Castitatis ad eundem Caium, non poterit hic aliam vxorem ducere, sed tenebitur Religionem ingredi, si votum fuerit Religionis, vel seruare castitatem, si votum precedens fuerit castitatis *Sotus in 4. dist. 38. q. 2. art. 1. in fin. corporis, Antonius Cucus instit. maior. tit. 12. num. 18. Manuel 1. tom. Summæ 2. edict. c. 241. num. 3. Graffius 1. part. decis. lib. 2. c. 24. num. 21.* Ratio ex eo deducitur, quià votum illud non intelligitur sublatum simplicitèr, sed ad summum suspensum ratione impedimenti adiecti per superius probata, ergò cessante impedimento per mortem coniugis, quod erat simpliciter ratione matrimonij initi, non erit, cur simplicitèr vouens non teneatur ad adimplementum eiusdem voti, atque ità sentit *D. Thomas in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. quæstiuncula 2. ad secundum - Ibi quantum ad ea, in quibus non est factus impotens votum continentiæ seruare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad seruandum, propter quod mortua vxore tenetur totalitèr continere*, deindè dependentèr, seu conformitèr ad hoc subdit id, quod maximè facere potest ad confirmationem vltimæ partis præcedentis responsionis. *Et*

Non potest præmortua vxore ad alias nuptias transire. — Sotus. Cucus. Manuel. Graffius. — D. Thomas

quià

quià ex matrimonij vinculo, non obligatur ad debitum petendum, ideò non potest petere debitum sinè peccato, quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc, per carnalem copulam.

8 Respondeo quartò, ea, quæ dicta sunt de violatore fæminæ Virginis post votum castitatis, & Religionis contracto cum eadem matrimonio intelligenda sunt proportionalitèr de eo, qui fornicatus est cum vidua honesta elicito prius voto castitatis, seù Religionis. Ratio in fortioribus terminis deducitur ex his, quæ superius dicta sunt comparatiuè ad virginem defloratam; si etenim non tenetur hanc ducere, quamvis maius damnum eidem illatum sit, multo minus tenebitur ducere viduam honestam, cui minus damnum illatum est.

Intellige etiam de vidua honesta violata.

§. V.

An insani, & mentecapti possint contrahere sponsalia.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ. 1.
Insani, & mente capti propriè sumpti non possunt validè contrahere sponsalia. 2.
Excipe, si non perpetua insania, & furore laborent, & contrahant pro tempore sanæ mentis. 3.
Excipe item, si insania, & furor non fuerit talis, vt absorbeat deliberationem sufficientem ad peccatum. 4.
Intellige, quamvis alter contrahens fuerit conscius amentiæ, & furoris. 5.
Soluuntur rationes contrariæ. 6.

1 DIsquisitio V. Laborabat insania, sanæque mentis compos non erat Seius, quo tempore contraxit sponsalia cum Meuia, eidèque de futuro promisit matrimonium. Dubitatum hic fuit, an talia sponsalia tenerent, & obligaretur ex illa promissione Seius ad illam ducendam.

Facti series

Ratio dubitandi orta est potissimum, *ex cap. neque furiosus 32. q. 7.*, vbi sic legitur, *Neque furiosus, neque furiosa, matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non reputaretur*, ad quem textum loquitur conformitèr, *Glosa in c. cum dilectus verb. furore de sponsalib.*, ex quibus deducitur, quod, si furiosus validè potest contrahere, possit etiam insanus, & mente captus, cum, vel in vtrisque possit esse sufficiens deliberatio, vel si non est in insano, nec in altero esse potest. Ad hoc etiam facere possunt ea, quæ superius dicta sunt de contrahente ex ardore iracundiæ, quæ secundum se videtur mentem excæcare, & præcipuè hoc asserit Glosa verificari, si alter contrahens esset furoris, seù insaniæ conscius. Nihilominus

Rationes dubitandi.

Respondeò Insanos, & mentecaptos propriè sumptos non posse licitè, nec validè contrahere sponsalia, *Coaruuias 4. decret, 2. part, c. 2. n. 8. Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 4. n. 3. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 8. n. 15.*, quod intellige, quamvis alter contrahens fuerit conscius insaniæ, & furoris. Expresè colligitur *ex c. dilectus de sponsalibus*, & arguitur *ex clem. si furiosus de homicidio, & ex l. furiosum C. qui testamentum fac. poss.* vbi requiritur liber consensus. Ratio autem ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus, quià scilicet ad validè contrahenda sponsalia requiritur plena deliberatio, quæ non præsumitur esse in furioso, & insano formalitèr sumptis. Confirmatur, quià in insanis, & mentecaptis non supponitur tanta libertas, quanta sufficiat ad peccatum læthale committendum, ergò neque ad validè contrahenda sponsalia, ad quæ ex superius dictis tanta requiritur animi deliberatio, quanta sufficiat ad peccatum læthale committendum, proptèr quam rationem exclusimus à facultate validè contrahendi pupillos ante complettũ septenium, nisi malitia supleat ætatem. 2

Insani, & mente capti non possunt contrahere. Coaruuias. Henriquez. Sanchez.

In mentecaptis non præsumitur sufficiens libertas.

Limita tamèn primò in furioso, & mentecapto, qui non perpetuo furore, & insania laborant, sed gaudeat lucidis interuallis, & pro eo tempore contrahant, quo gaudeant huiusmodi interuallis, *D. Thomas in 4. dist. 34. qu. vnica art. 4., & ibi, D. Bonauentura art. 4. qu. 1. Glosa c. neque furiosus 32. qu. 7. in princip. Ioannes Andræas c. dilectus nu. 5. de sponsalib.* Ratio ex eo deducitur, quià pro illo tempore nihil est, quod possit deficere ad validitatem sponsalium, cum enim contrahens pro illo tempore supponatur plenæ rationis particeps, non est, cur carere debeat plena deliberatione. Monet tamen hic *D. Thomas in 4. dicta dist. 34. quæst. vnica art. 4* sic contrahentem pro tempore illius lucidi interualli non esse tutum in conscientia non quidem proptèr deffectum plenæ deliberationis, sed proptèr inidoneitatem ad educandam prolem; sed aduersus hanc D. Thomæ aliorumque animaduersionem graue militare videtur argumentum ex suprà dictis deductum, quod scilicet sponsalia, vtporè contenta intra limites simplicis promissionis de re illicita sint nullius penitus roboris, & inualida, adeoque cum supponatur sic contrahens obnoxius culpæ in tali contractu videatur inualidè contrahere. Sed facilè obiecto possumus occurrere, si asseramus ea, quæ superius dicta sunt procedere solum, quandò illud esse illicitum afficit ipsum esse contractus per se, non quandò afficit subsequentia ad illum per accidens, cum in tali contractu illa possint non intendi. Deindè tali periculo potest occurri, si per coniunctas personas consulatur prolis educationi, *Sotus in 4. q. vnica art. 4. concl. 1.* 3

Nisi gaudeant lucidis internallis. D. Thomas. D. Bonau. Glosa. Ioannes Andræas.

Notabilis consideratio D. Thomæ

Sotus.

Hic

In dubio, an contraxerit pro tempore sanæ mentis, nec ne confugiendum est ad coniecturas.

Hic oritur ratio dubitandi, quid sentiendum sit, quandò vrget dubium, an pro tempore, quo sponsalia contraxit, fuerit sanæ mentis, & gauderet lucido interuallo, an verò mentis insanæ, & formalitèr furiosus. Iuxtà multiplicem sensum dirimi potest quæstio; vel etenim ille, de cuius sana, vel insana mente dubitatur, antecedentèr non laborauit insania vel furore, vel antecedentèr fuit insanus, & expressè furiosus, & mentecaptus, rursus, quantumvis constet de dementia, vel furore antecedenti, vel constat gaudere, seù gauisum fuisse lucidis interuallis, vel non constat; Iuxtà primum membrum distinctionis regularitèr præsumitur pro sana mente, & pro validitate contractus; expressè colligitur *ex l.2.C.qui testam. fac. poss., & l. nec codicillos C. de codicill.* Ratio in eo fundatur, quià cum natura regularitèr faciat omnes rationis compotes, præsumendum semper est pro eadem ratione, nisi in contrarium probetur, cum qualitas, quæ naturalitèr inest, semper sit. Iuxta secundum sensum dicendum est, quod si constet fuisse dementia affectum, & alibi non constet consueuisse habere dilucida interualla, præsumi debeat pro amentia, & furore, & proindè sponsalia fuisse inualida *Coaruuias 4. decr. 2. part. c. 2. num. 6. Menoch. de præsumpt. lib. 6. præsumpt. 45. num.62.* Ratio ex eo desumitur, quià vbi constat de qualitate, & de eiusdē cessione non constat, præsumendum est pro eadem. Iuxtà tertium sensum; si constet gaudere quandòque, vel gauisum fuisse lucidis interuallis, tunc coniecturis arguendum est, vel ab antecedentibus, vel à consequentibus *Coaruuias loco citato num. 6. & Menochius de præsumpt. 45. num. 69.* vbi verò ex eisdem coniectari nequit, præsumendum est potiùs pro dementia, quià morbus furoris, & insaniæ suaptè natura est insanabilis, & durare præsumitur; dilucida autem interualla sunt per accidens, quæ propterea non præsumuntur *l. si verò §. qui pro rei qualitate ff. qui satisd. cogant.* Iuxtà vltimum sensum iam patet ex supradictis quid sit dicendum, vbi etenim non constat de illis lucidis interuallis, præsumendum est pro amentia, & furore.

Enumerantur coniecturæ, & secundum eas deciditur.

Coaruuias. Menochius

Morbus furoris natura sua insanabilis.

4 *Excipe nisi furor, & amentia fuerit modica.*

Limita secundò in furioso, & amente, qui tali, & tanta amentia, & furore non premitur vt rationis vsu destituatur talitèr, vt non habeant sufficientem deliberationem ad peccandum læthalitèr, sicuti enim tali gaudent ratione, vt possent peccare læthalitèr, ità gaudere præsumēdi sunt, vt possint validè sponsalia contrahere; non enim maior deliberatio requiritur ad contrahēda sponsalia, quam requiratur ad committendum peccatum læthale per superius allegata, & probata. Dixi, *quantumuis alter contrahens fuerit conscius insaniæ, & furoris*, non enim inualiditas contractus consurgit præcisè ex iniuria, quæ præsumatur fieri alteri contrahenti; in quo certè casu motiuum inualiditatis cessaret, cum scienti, & consentienti ex vulgatis iuribus non fiat iniuria, sed ex defectu consensus, & deliberationis requisitæ ex parte furiosi, & amentis, respectu cuius, si claudicat contractus, claudicat absolutè secundum omnes, cum hic contractus consistere debeat in consensu vltrò, citròque obligatorio *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disput. 8. num. 15.*

5 *Non tenet, quamuis alter contrahens fuerit conscius insaniæ.*

Sanchez.

6 *Satisfit rationibus oppositis.*

Ad rationem dubitandi, quæ ex contrario deferebatur, desumptam, ex textu in *cap. neque furiosus 32. qu. 7.* dicendum est, eam non subsistere nostræ assertioni, quandoquidem ille procedit, quando contractus initus est, & præsumitur ante furoré, & solum concludit, quod non sint separandi ex superueniente furore post contractum, *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 8. nu. 15.* Ad id, quod subdebatur, ex prædictis dicendum est, ea procedere, quià iracundiæ ardor talis, & tantus non præsumebatur, vt supponeretur absorbere lumen rationis, & vsum.

§. VI.

An Ebrius, qui antè ebrietatem decreuerat contrahere sponsalia, validè contrahat tempore ebrietatis.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.
Rationes dubitandi. 2.
Sponsalia sic contracta non subsistunt. 3.
Soluuntur rationes oppositæ. 4.

1 *Exponitur casus.*

DIsquisitio VI. Propositum in mente conceperat Theodoricus contrahendi sponsalia cum Berta, eoque non reducto ad formalem promissionem, & per consequens non habita repromissione ex parte Bertæ, idem Theodoricus inebriatus est. Durante ebrietate propositum reduxit ad promissionem formalem, & obtinuit repromissionem. Orta fuit hic controuersia, an sponsalia sic celebrata subsisterent, & quidèm supponitur, quod ebrietas talis, & tanta fuerit, vt subuerteret omninò rationis vsum, & tolleret pro eo tempore deliberationem sufficientem ad peccandum læthalitèr, & per consequens ad contrahendum, nam, si supponatur, quod talis non fuerit, vtique contractus subsisteret.

Ratio dubitandi ex eo potissimum consurgit, quià, si quis in mente conceperit votum, seu propositum Baptismatis, qui deindè 2

deindè eidem ebrio fuerit collatus, vtique tenet, nemine disceptante, ergò etiam &c. Accedit, quod existens in ebrietate capax est peccati læthalis, si illud præuiderit, seù præmeditatus fuerit ante ebrietatem, ergò etiam erit capax contrahendi sponsalia; si antecedenter ad illa illorum habuerit firmum propositum. Nihilominus

Adducuntur rationes pro validitate.

3 Respondeo, sponsalia sic celebrata absolutè non subsistere, *Ledesma secunda parte 4. qu. 60. art. 3. Vera Crux prima part. speculi art. 4. concl. 5. Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 8. nu. 20. vers. dicendum tamen est*. Ratio ex eo deducitur, quià propositum illud præcedens ex suprà dictis secundum se non est sufficiens ad cõstituenda validè sponsalia, cum propositũ ex genere suo minùs quid dicat, ac dicat simplex promissio, ex alia parte promissio, quæ accedit in ebrietate, non est cũ sufficienti deliberatione ad eadem, ergò per tale propositum, & promissionem non constituuntur validè sponsalia; neque dicas; quod quamuis in ebrietate non præsumatur habere posse plenam deliberationem, hæc tamen haberi possit à præcedẽti proposito de illis sponsalibus ineundis, quæ coniungitur cum promissione externè facta in ebrietate, quæ non potest esse, nisi sufficiens, cum habeat sensibilitatem in actu elicito inspecta ebrietate, & deliberationem in proposito antecedentèr internè elicito, ea proportionali ratione, qua suprà dicebamus de eo, qui actu externo fictè promiserat, qui si posteà verè & internè consentiat, constituit valida sponsalia: contrà enim impugnaberis, quià illud propositum non continet actum deliberationis in actu exercito, cum dicat solum id, quod habens tale propositum statuit in mente sua efficere, non quod actu efficit, & proindè cum non habeat in se ipso deliberationem formalem in actu exercito non potest eandem communicare actui subsequenti elicito in ebrietate. Ad id, quod subditur, de fictè promittente patet ex se disparitas, nam illa ficta promissio non habet ex se communicare actui interno subsequenti nisi sensibilitatem, quam, cum verè habeat, vtique eandem potest conferre, quæ posteà cum coniungatur cum vero, & proprio consensu interno includente in se plenam deliberationem, constituit vnum, & verum conflatum requisitum, & sufficiens ad validitatem contractus, illud autem propositũ non habet in actu illam deliberationem, adeoque eandem non potest conferre actui elicito in ebrietate, in quo etiam non potest esse illa deliberatio, cum ebrietas animum excæcet, sicque cum deficiant substantialia, actus non potest in suo esse subsistere.

Sponsalia sic celebrata non subsistunt. Ledesma. VeraCrux. Sanchez.

Promissio non est cum sufficienti deliberatione.

Propositum præcedens non habet deliberationem.

Dispar ratio de fictè promittente

4 Ad ea, quæ afferuntur in ratione dubitandi, nunc respondendum est, & quidem ad illud, quod dicitur de Baptismo patet secundum se disparitas, tum quia in suscipiente requiritur solummodò intentio habitualis per non resistentiam positiuam, in constituente sponsalia requiritur actus positiuus cum plena deliberatione; tum quià in matrimonio, & sponsalibus ipsi cõtrahentes sunt ministri, respectu quorum propterea requiritur actus humanus, in Baptismate verò suscipiens non est minister, sed talis est Sacerdos ex officio, qui confert, vel alter ex delegatione, respectu cuius solummodò requiritur actus humanus, sicuti in alijs omnibus Sacramentis, vndè si minister v. g. in Sacramento pænitentiæ, dum est rationis compos, audit alterius peccata, & deindè superueniente vel dementia, vel ebrietate absolueret, inualida esset absolutio, quod idem dicit, *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disput. 8. n. 20. vers. dicendum est*, de ministro Baptismatis. Ad illud, quod subditur de committente homicidium, præuisum ante ebrietatem, durante ebrietate, dicendum est etiam esse disparem rationem, quià ad spõsalia, seu matrimonium cum sint quoddam bonum excellens tùm ratione obiecti, tùm ratione modi, quo contrahuntur, requiritur plena causa, iuxtà illud, *Bonum ex integra causa*; ad homicidium autem, cum sit ex genere suo malum, quæcunq; causa inducit malitiam, iuxtà illud; *malum ex singulis defectibus*, adeòque quoad spõsalia requiritur voluntarietas absoluta in se, in homicidio sufficit voluntarietas præuisa in causa. Deindè homicidij vitatio cadit sub præcepto, & vtique negatiuo, quod prohibet non solum idem homicidium in se ipso, *Non occides*, sed etiam ea, quæ præuideri possunt ad ipsum conducere; contractus autem sponsalium procedit ex libertate, nec ex aliquo præcepto tenetur quis ea vitare, nec ea, quæ possunt ad ipsa conducere.

In baptismo sufficit intentio habitualis, per non resistentiam positiuam.

Contrahentes sunt ministri in sponsalibus.

Sanchez.

Non currit paritas de homicidio commisso in ebrietate.

§. VII.

An ad sponsalia validè contrahenda sufficiat voluntas virtualis.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.

Ad validè contrahenda sponsalia sufficit voluntas virtualis, qua eadem attingãtur in se ipsis, non quà attingantur in sua causa, si hæc fuerit indirecta. 2.

Secus si sint volita in causa directa. 3.

1 DIsquisitio VII. Statuerat in corde suo Caius ducere Calidoniam in vxorem, idque animo deliberato, & constanti, cumque deliberare cæperit exequi ea, quæ

Facti series in suis terminis.

quæ ad contrahẽda sponsalia cum eadem requirebantur, vel animi perturbatione, vel attentione ad alia, ad quæ animus diuagabatur, raptus est, adeo vt pro tempore, pro quo actum externum promissionis ponit, non reflectat ad animum deliberatum, quem anteà conceperat, & per consequens non habebat tunc voluntatem in actu, sed tantum in virtute actus præcedentis. Hic excitata fuit controuersia, an illa voluntas virtualis fuerit sufficiens ad validitatem contractus. Pro solutione

Voluntas virtualis duplex, & quomodo.

Aduertendum est, voluntatem virtualem posse quasi dupliciter sumi; primò scilicet, quatenus illud, quod per talem voluntatem dicitur virtualitèr intendi, non intenditur in se ipso immediatè, sed in sua causa, cum qua coniungitur, vt cum quis vult aliquid, quod cum altero est annexum, tunc etenim quasi virtute velle debet & illud, cum quo est connexum. Secundò, quatenus illud, quod dicitur virtualitèr intendi, est per actum expressum prius volitum in se ipso, sed deficiente posteà realitèr secundum esse Physicum eodem actu, non est amplius per actum Physicè perseuerantem volitum, sed tantum virtute, quatenus scilicet ille actus in sua virtute perseuerat. Hinc

2 Sufficit voluntas virtualis in se ipsa, non in causa indirecta. Angles.

Respondeo, ad validè sponsalia contrahenda sufficit voluntas virtualis, qua eadem attingantur in se ipsis, non qua attinguntur in sua causa, si hæc fuerit indirecta; Hac distinctione conciliare existimo opiniones, quæ cæteroqui videntur extremè oppositæ, *Angles Floribus 2. part. q. 1. de voto art. 1. diffic. 3. concl. 4.* negantis sufficere ad sponsalia, & matrimonium voluntatem virtualem arg. desumpto à paritate voti emissi in ebrietate, non si quis sciret, dum ebrius est, se crebò emittere vota, vtique haberet voluntatem virtualem emittendi vota, si inebriaretur, & tamen inebriatus emittens vota inualidè emittit, quod deindè applicat etiam ad sponsalia, & *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 8. nu. 21. Nauarr. in summa c. 12. n. 26., & Arragonij 2. 2. qu. 88. art. 1.* asserentium talem voluntatem virtualem sufficere.

Sanchez. Nauarrus. Aragonius

Voluntas virtualis in seipsa est sufficiens in alijs contractibus.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià talis voluntas virtualis est sufficiens in alijs omnibus sacramentis ad eadem validè efficienda, & item in professione Religiosa ad eiusdem validitatem; quis etenim denegaret valide conficere sacramentum baptismatis ille, qui habuit voluntatẽ actualem baptizandi, & posteà in ipso exercitio collationis baptismatis ad alia animo deuagaretur? Quis inficiaretur Sacerdotem validè consecrare, qui voluntatem habuit actualem consecrandi, & in exercitio consecrationis actum non reiteraret, nec ad præcedentem reflecterit ad alia distractus? Hoc idem dic de eo, qui emissurus est professionem, qui dummodò habuerit animum præcedentem, quantumvis in actuali professione ad eundem actum mentem non dirigat, nec nouum eliciat validè profitetur, ergò non erit, cur talis voluntas virtualis, per quam sponsalia fuerunt volita in se ipsis, non sit sufficiens ad validitatem ipsorum. Consequentia tenet, nisi assignatur disparitas.

Dices hac ratione possent esse valida sponsalia elicita in actuali ebrietate contra superius dicta in præcedenti §. quià posset quis habere voluntatẽ actualẽ præcedẽtẽr cõtrahẽdi huiusmodi sponsalia, & postea inebriatus eadẽ per actualẽ externam promissionem contrahere; si etenim mentis diuagatio, & attentio ad alia sine actuali consideratione ad ista non obstat validitati, quando fuit voluntas actualis præcedens, nec videtur obstare mentis occupatio per ebrietatem; Sed contra, quia in primis actualis ebrietas non compatitur cum virtuali voluntate, sed ad summum cum habituali, per quam haberi nequit validus contractus, sicuti non habentur valida sacramenta, nam ebrietas comparatur dementiæ, & somno actuali, & sicuti somno sopitus, seù dementia affectus non est aptus ad deferendum suum consensum præcedentem validè, ità nec ebrius in actuali ebrietate. Si autem inquiras, cur diuagatio mentis, & occupatio ad alia in eo, qui sanæ mentis est non repugnet cũ voluntate virtuali, repugnet autem occupatio per ebrietatem, assererem hoc prouenire, quià actiones ebrij non sunt actiones humanæ, nec liberæ, eo quià pro illo tempore, nec habeat velle, nec nolle; actiones autem habentis sanam mentem, quantumvis aliundè distractam sunt humanæ, & si vellet tunc dissentiri, quando celebratur contractus, vtique posset, & cum plena libertate, quod non militat, quando ebrius est, & mentis læsæ per ebrietatem. Deindè ea, quæ dicta sunt in præcedenti §. procedunt solummodò quãdo sponsalia essent solummodo volita in causa, quatenus scilicet eadem contrahens in ebrietate habuerit antecedentèr solummodo propositum ad eadem, & præuidens in ebrietate se contracturum inebriatus fuerit, & tunc contraxerit, quod non militat, quando eadem sponsalia essent efficaciter volita in se ipsis, in quo tamen etiam casu non certum est, immò nec valde probabile, quod eadem sponsalia teneant.

Ebrietas comparatur dementiæ, & somno actuali.

Actiones ebrij non sunt actiones humanæ.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod cum sponsalia non cadant sub præcepto, sed debeãt esse absolutè liberè volita, debent esse per consensum omninò liberum, & determinatum, qui attingat obiectum in se ipso, nõ quomodocunq; in alio, & sic in hoc verificatur id, quod asserit *Angles Florib. loc. cit.* paritate à voto desum-

Angles Floribus.

sumpta in eo, quod præuidens se crebro inebrietate vota emittere inebriatur, & emittit in eo statu votum, hic etenim volens ebritatem, vult etiam in causa votum,& nihilominus hoc non tenet, ex quo sequitur, quod idem verificetur etiam in eo, qui præuidit se in ebrietate emissurum promissionem ad sponsalia, & nihilominus inebriatur, tunc etenim eliciendo talem promissionem vult eandem tantum in causa, & proindè si illud non valet vtpotè tantum volitum in causa, nec valere debet istud, cum etiam sit volitum tantum in causa.

Requiritur consensus omnino determinatus

3 *Secus si sint volita in causa directa.*

Dixi, *si hæc fuerit indirecta*, si etenim supponas, quod sponsalia attingantur in causa, in qua directè contineantur, tunc non renuerem, si alia necessaria interueniant necessaria ad eadem sponsalia, concedere, quod propriè sponsalia constituantur, & hoc per consensum saltem interpretatiuũ, quià qui vult aliquid ex natura sua connexum cum alio,vult etiam interpretatiuè illud aliud, cum quo connectitur, & qui vult antecedens, vult etiam consequens, si hoc naturaliter sit connexum cum illo.

§. VIII.

An possit esse in aliquo rationis vsus sufficiens ad sponsalia,licet quoad alia sit in eodem dementia.

SVMMARIVM.

Factum exponitur in suis terminis. 1.
Potest vnus delirare in vna materia, & non in alia. 2.
Soluuntur rationes opposita desumpta ex D. Thoma. 3.
Si non deliret in omni genere, & pracipuè in eo, quod respicit sponsalia, eadem sponsalia tenent. 4.

1 *Facti series exposita.*

DIsquisitio VIII. Laborabat Theodoricus manifesta insania in aliquibus suis operationibus, seù in aliqua speciali materia, licet in alia materia talis non resultaret insania. Hic sic constitutus de facto celebrauit cum Menia sponsalia accepta ab eadem repromissione. Dubitatum posteà fuit an talia sponsalia subsisterent, an verò fuerint absolutè inualidà.

D.Thomas

Ortum habuit hæc dubitatio ex doctrina *D.Thomæ 2. sentent.distinct.25. q.1.art.2.ad 3.*, vbi asserit rationis vsum impediri per accidens in amentibus per læsionem imaginatiuæ facultatis; vbi autem facultas imaginatiua læsa est,intelligitur læsa quoad omnia, quod etiam euinci potest ex potentiarum aliarum læsione; ità enim v.g. respicit omnia obiecta colorata visus,sicut omnia sensibilia, & imaginabilia facultas imaginatiua; sicuti igitur visus vitiatus quoad vnum obiectum intelligitur laborare quoad omnia, ita imaginatiua læsa quoad vnum obiectum debet intelligi læsa quoad alia omnia. Nihilominus

Vbi est læsio in imaginatiua, videtur læsio quoad omnia sensibilia.

Respondeo primò, potest contingere aliquem delirare in vna materia, in eaque expertem esse rationis, liberi arbitrij, meriti, & demeriti, & in alia non delirare,capacemque esse vsus rationis, & liberi arbitrij sufficientis ad merendum, vel demerendum, ad contrahendum, vel non contrahendum &c. *Victoria in relect. ad quid teneatur homo veniens ad vsum rationis nu.19. Sanchez de sponsalib.lib.1.disp.8. num.23.*, qui asserit etiam ità sentire grauissimos DD.ex societate, & ex Medicis *Auicennas lib. 3. senten.1.tract.3.c.2.in medio Galenus lib. 4. de locis male affect.c.2., Donatus Antonius lib.de medend. humani corporis malis c.6.* Varijs experientijs probat hanc responsionem Sanchez loc.cit. ad quem vos remitto. 2

Potest quis delirare in vno, non in alio genere.

Victoria. Sanchez. Auicennas Galenus. Donatus.

Probatur iam ratione responsio, quià delirium,seù dementia quandoque prouenit ex vehementi aliqua imaginatione,quę potest esse de obiecto in aliquo genere, & non de alio in alio genere, adeovt talis dementia, seù delirium ab eadem imaginatione dependeat in fieri, & in conseruari, ergò potest esse deliriũ in vno genere, seù circa determinatam materiam, non in alio, seù circa aliam materiam. Antecedens patet ex illis omnibus experientijs, quibus quandoque comperimus aliquem insipientia in vno dicere, in alio prudentem disserere, & ratiocinari cum dictamine prudentis iudicij.

Vehemens imaginatio potest esse in vno, non in altero genere.

Ex quibus patet,quid sit respondendum ad rationes decerptas ex doctrina D.Thomæ loc. cit., multiplicitèr etenim potest contingere læsio in imaginatiua facultate, vel ex vapore quodam feruentissimo in cerebri substantiam,eiusque ventriculos essusus, vt explicat *Fermellius de partium morbis c 2.*, vel ex maxima eiusdem imaginatiuæ facultatis efficacitate excitante humores, & organa corporis lædente, vel ex perturbatione phantasmatum ex vehementi aliqua aprehensione obiecti aprehensi, vel turpis, vel aliquo alio modo. Licet igitur daremus, quod quando est læsio primo, & secundo modo intelligeretur imaginatiua vitiata quoad omnia, non propterea sequitur, quod sit vitiata quoad omnia, si sumatur tertio modo,cum vnum obiectum ex vehementi apprensione,& propositione possit mouere eandem facultatem vno modo, quo non moueat aliud obiectum; vndè experientia cernimus in infirmis, quod circa aliquod particulare delirant, circa alia prudenter discurrunt. Ad illud, quod subditur de alijs potentijs extrinsecis dicendum est, quod quando propriè læsum est organum, possit dici læsum quoad omnia, quando verò error in visione 3

Quomodo possit contingere læsio in imaginatiua.

Imaginatiua non læditur quoad omnia quandò est ex vehementi perturbatione phantasmatum.

v.gr. prouenit, vel ex obiecto, vel à medio ex diuerso modo rapresentationis, possit quoad vnum contingere rapresentatio rei diuerso modo, acsit in se, & nō quoad aliud.

4 *Tenent sponsalia, si in eo genere nō deliret.* Sanchez.

Respondeo secundò, ex suppositione, quod non deliret in omni genere, sed vel in vno, vel in altero, & vtique non in eo, quod respicit sponsalia, certè si eadem ineat valide init. Consentit *Sanchez de matrimonio lib.1.de sponsalibus d.disp.8.nu.23.* Probatur quià in ea hypothesi nihil deest, quod officere possit validitati eorundem sponsalium, quamuis etenim desit rationis vsus quoad aliqua, non tamen deficit quoad ea, de quibus agitur, ergò &c. Confirmatur primò, quià respectu furiosi v.gr., si gaudeat lucidis interuallis, & contrahat pro eodem tempore, quo eisdem gaudet, valide contrahit, nec obstat, quod regulariter sit furore percitus, ergò etiam respectu amentis, si in vno genere gaudeat vsu rationis, & in illo genere contrahat, quantumvis in alio genere deficiat, valide contrahit. Consequentia probatur, quià in eo genere, in quo gaudet vsu rationis, & contrahit, tantam supponitur habere posse, quinimmò maiorem deliberationem, quantam habere potest furiosus pro tempore, quo gaudet lucidis interuallis, ergò sicuti hic validè contrahit, non erit, cur ille etiam validè non contrahat. Confirmatur secundò, quià si quis deficiat in imaginatiua in vna materia indifferenti, & non deficiat in genere virtutum potest mereri, & demereri, licitè suscipere sacramenta, & illicitè iuxta modum, & dispositionem, qua illa suscipit, ergò supponitur in eo genere capax libertatis, ergò etiam erit capax eiusdem in ordine ad contrahendum, si in illo genere non deficiat.

Deficiens in imaginatiua in vno genere, potest in alio mereri, & demereri.

§. IX.

An surdus, mutus, & cæcus à natura possint contrahere sponsalia.

SVMMARIVM.

Exponitur difficultas in suis terminis. 1.

Si fuerit surdus, & mutus non à natiuitate, sed ex accidenti, adeovt antecedenter cognoscere potuerit naturam actus validè potest contrahere sponsalia. 2.

Verificantur, siuè fuerit mutus, vel surdus disiunctiuè, siuè surdus, & mutus copulatiuè. 3.

Etiam si fuerit mutus, & surdus à natiuitate, dummodo possit edoceri de vi contractus. 4.

Si fuerit mutus, surdus, & cæcus simul à natiuitate probabilius est, non posse validè contrahere sponsalia, & matrimonium. 5.

1 *Difficultas exposita.*

Disquisitio IX. Carebat Antonius vsu loquelæ, & auditus, adeo vt absoutè esset mutus, & surdus, & fortè etiā sensu visus, adeovt esset cæcus. Dubitatum fuit de ipso, an validè posset contrahere sponsalia, & matrimonium.

Secundum varias acceptiones examinari potest, & dirimi dubium propositum, vel enim procedere potest de muto, surdo, & cæco disiunctiuè, quatenus vel sit mutus, vel surdus, vel cæcus, vel copulatiuè, quatenus sit mutus, surdus, cæcus simul, vel de muto, surdo, cæco à natiuitate, vel de eisdem ex accidenti, quatenus antecedenter gauisus fuerit perfecto vsu huiusmodi sensuum, & per consequens etiam perfecto vsu rationis, quo cognoscere potuerit naturam, & vim huiusmodi contractuum, sed posteà ex aliquo morbo, vel fortuito accidente priuatus fuerit huiusmodi sensibus quoad exercitium ipsorum. Rursus vel procedere potest de affecto his tribus defectibus indiuisè, vel de affecto carentia solummodò loquelæ, & auditus, non tamen defectu visus.

Varij sensus secundum quos potest sumi titulus.

2 *Mutus, & surdus ex accidenti potest contrahere.* Mascardus. Molinus. Sanchez. Bossius.

Respondeo iam primò, si fuerit mutus, & surdus non à natiuitate, sed ex accidenti, adeovt antecedentèr cognoscere potuerit naturam, & vim contractus vtique potest contrahere sponsalia, & matrimonium *Mascardus tom. 2. verb. mutus concl. 1083.num.7. Franciscus Molinus lib.1. de ritu nupt.compar.31.num.5. Sanchez lib.1. de sponsalibus disp.8.num.12. Ioannes Angelus Bossius de matrim.contract c.3.num.50., & 51.* Ratio ex eo deduci potest, quià per amissionem loquelæ, & sensus auditus non necessariò sequitur amissio vsus rationis, ergò, si antecedenter cognouerit naturam, & vim cōtractus matrimonialis, & sponsalium poterit circa eundem elicere liberum consensum, eumque nutibus, & signis manifestare, ergò non erit, cur non sit validus ille contractus. Confirmari potest ex textu *in c.cum adhuc de sponsal.*, vbi cū esset sermo de muto, & surdo dicitur *videtur, quod si talis velit contrahere non debet sibi denegari.*

Ex amissione sensuum non sequitur amissio vsus rationis.

3 *Siue fuerit talis disiunctiuè, siue copulatiuè.* Hostiensis. Ioannes Andræas. Cardinalis. Præpositus. Coaruuias. Tabiena. Sanchez.

Respondeo secundò ea, quæ dicta sunt in præcedenti responsione æquè verificari, siuè fuerit mutus, vel surdus disiunctiuè, siue mutus, & surdus copulatiuè *Hostiensis d.c.cum apud super vers.surdus, & ibi Ioannes Andræas num.15 Cardinalis num. 1. Præpositus nu.5.de sponsalib. Coaruuias 4 decret.part. 2.c.2.in fin., Tabiena verb.matrimonium 2.q.6. num.7., Sanchez lib.1.de sponsalib.disp.8.n.12.* Ratio ex eo deducitur, quià non obstante illa combinatione defectuum potest ille gaudere perfecto vsu rationis, & liberam voluntatis deliberationem elicere, eamque signis externis manifestare; intellectus etenim, & voluntas proposito semel sibi obiecto non dependent amplius à sensibus in suis operationibus, & sicuti vno sensu deficiente adhuc liberè potentiæ internæ spirituales operantur, ità non est cur

Intellectus propositi sibi obiecto non dependet amplius à sensibus.

cur altero etiam deficiente, si sibi sit propositum obiectum, non possint liberè operari, suasque operationes, vel per nutus, vel per signa quomodocunque exhibere; Neque obesse potest textus *in d. c. cum apud de sponsalib.*, vbi Pontifex habet hæc verba *Consuluisti nos, an mutus, vt surdus possint alicui matrimonialitèr copulari*, vbi, cum propositio facta fuerit in plurali, *an mutus, & surdus possint* debet intelligi respectu duorum, quorum alter sit mutus, alter surdus, cæteroqui in eodem textu esset erratum in locutione, si respectu vnius, & eiusdem intelligeretur; Non, inquam obesse potest, nam licet interrogatio facta fuerit in plurali, resolutio tamen, & responsio facta à Pontifice fuit in singulari, cui potius standum est, nam interrogatio potest intelligi, vt concepta in genere, adeovt idem sonet, ac ista, an quicunque, qui sit mutus, & surdus possit contrahere, in qua particula *Quicunque* omnes inuoluuntur, qui laborant huiusmodi defectibus, non in particulari respectu alicuius determinatæ personæ, quæ afficiatur illis defectibus. Deinde modus, quo concepta fuit illa interrogatio manifestè indicat intelligi debere de qualitatibus illis deficientibus copulatiuè in vno, & eodem subiecto, non disiunctiuè, cæteroqui fuisset potius dicendum, an mutus, vel surdus possint contrahere.

Propositio intelligitur vt concepta in genere.

4 *Etiam si fuerit mutus, & surdus à natiuitate.* Henricus. Parisius. Angelus. Coaruuias Barbosa. Laiman. Pontius. Bossius. Sanchez.

Respondeo tertiò. Si fuerit mutus, & surdus à natiuitate, adhuc poterit contrahere sponsalia, & matrimonium, si per nutus, & signa, vel alio quocunque modo de natura, & qualitate contractus possit edoceri, & signis, vel nutibus, vel alio quocunque modo consensum propriũ possit sensibilitèr manifestare. *Henricus c. tuæ num. 1., & 2. de sponsalib., Parisius cons. 63 vol. 4., Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 18. in princip. Coaruuias de sponsalib. part. 2. c. 2 in fin. Augustin. Barbosa tom. 2. collect. lib. 4. tit. 1. c. 23 num. 2. Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 2. c. 2. num. 5. Basilius Pontius lib. 2. c. 12. nu. 16. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. num. 53., Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 8. num. 12.* Hæc responsio suppositis illis conditionibus in eadem appositis vix potest habere difficultatis speciem, si enim conscius reddi potest naturæ, & qualitatis contractus, ergò supponitur gaudere vsu rationis, sine quo non potest reddi conscius, vlterius si gaudet vsu rationis, quantumuis careat illis sensibus, ergò poterit liberam deliberationem elicere, tandem si potest nutibus, & signis talem deliberationem sensibilitèr manifestare, ergò habebit omnia, quæ requiruntur ad consensum requisitum ad constituenda sponsalia humano modo.

Difficultas solummodo consistit in eo, an huiusmodi conditiones possint radicari in subiecto, quod sit mutum, & surdum; Circa quam aliqui docent in eodem radicari non posse, quià quantumvis muti, & surdi regularitèr perspicacissimi sint, & benè percipiant ea, quæ ipsi agunt, nõ tamen percipiunt ea, quæ ab alijs aguntur, qui proindè æquiparantur infantibus, furiosis, & amentibus *Mascardus tom. 2. verb. mutus concl. 1083. num. 1., Molinus lib. 1. de ritu nupt. compar. 31. num. 1.*, iuxtà quem sensum asserunt plerique DD., quod cum intellectu nequeant percipere ea, quæ ab alijs aguntur non possint stipulari, nec alium quemcunque contractum ciuilem inire *Mascardus d. concl. 1083. num. 2., Gomez lib. 2. tit. de restit. minor. nu. 29., Molinus d. lib. 1. de ritu nupt. compar. 31. num. 2., & seqq.* per textum *in §. mutum instit. de inutilib. stipul., & l. 1. in princip. ff. de verb. oblig., & l. 1. §. fin. ff. de act., & oblig.*, nec donare *Glosa in l. qui id quod 34. §. mutus verb. donare ff. de donat.*, hęcque DD. plurimi asserunt verificari, quantumuis sola surditas in illo subiecto euincatur, quià surdus à natura est etiam mutus, & è contra teste *Aristotile de histor. anim. lib. 4. c. 9.* Nihilominus hanc repugnantiam ego non agnosco (præcipuè si mutus, & surdus sit perspicacis ingenij) ratione cuius non possit huiusmodi conditiones recipere, & ea, quæ per easdem importantur percipere; experientia etenim comperimus mutos, & surdos multa explicatu dificilima manifestare, aliaque eisdem per alios significata exponere, vt notat etiam *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 8. num 12.*, multum etiam ad hoc facit textus *in d. c. cum apud de sponsalib.* in respons., & regularis praxis, secundum quam surdis, & mutis sacramenta administrantur non reprobante Ecclesia; Neque obstant ea, quæ dicta sunt ex aduersa parte, quandoquidẽ quod nõ possint alios cõtractus celebrare, nec donare est præcisè ex dispositione iuris ciuilis, non naturalis, & ius ciuile fundatur in præsumptionibus facilis deceptionis in huiusmodi personis; nullum autem ius ciuile, aut canonicum prohibet contractum matrimonialem, & sponsalium per huiusmodi personas, & nimis ardua foret eisdem talis prohibitio, quià cogerentur sustinere onus continentiæ, & ardores libidinis, quibus non destituuntur ex eo, quod careant vsu sensuum auditus, & loquelæ. Accedit, quod magis naturæ conformis est contractus matrimonialis, seù sponsalium, quam cæteri contractus, adeoque &c.

Asserentes mutum, & surdum nõ posse edoceri de vi cõtractus. Mascardus. Molinus.

Glosa.

Aristotil.

Possunt vti que edoceri. Sanchez.

Mutis, & surdis Sacramenta administrantur.

5 *Si fuerit etiam cæcus à natiuitate non potest contrahere.* Molinus. Pontius. Sanchez.

Respondeo quartò. Si fuerit mutus, surdus, ac cæcus simul à natiuitate probabilius est stando præcipuè in iuris præsumptione non posse validè contrahere sponsalia, & matrimonium *Alexander Carrerius lib. 1. de sponsalib. c. 4., Franciscus Molinus lib. 1 de ritu nupt. compar. 31. lib. 10., Basilius Pontius lib. 2. c. 12. num. 16., Sanchez lib. 1.* de

Bossius.

de sponsalibus disp.8.num.13. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract.c.3.n.55., quid quid contra senserint DD. plurimi, apud eundem Bossium, & Sanchez loc.cit. Ratio ex eo deducitur, quià quantumvis mutus, & surdus percipere possint ea, quæ eisdem repræsentantur per sensum visus, qui cæteris perspicacior est, si tamen sit simul cæcus, non habet, quo percipere possit obiecta sibi proposita; Neque obesse potest, si asseratur, quod huiusmodi personis conferri possint validè sacramenta, adeoque, quod possint etiam validè contrahere sponsalia, argumento, quo etiam superius vsi fuimus ad euincendum mutum, & surdũ posse contrahere; Non, inquam, obesse potest, quià ad validam collationem sacramentorum non requiritur consensus expressus, sed sufficit intentio merè virtualis interna, & in quibusdam etiam merè habitualis, quæ vtique esse potest in affecto huiusmodi qualitatibus indiuisibiliter; ad validam autem contractum sponsaliũ, seù matrimonij requiritur huiusmodi expressio, quæ nequit esse in muto, surdo, & cæco simul, cum eidem nequeant repræsentari ea, quæ aguntur; nec argumentum de collatione valida sacramentorum muto, & surdo simplicitèr aliquid euincit, quandòquidem ea, quæ suprà dicta sunt, eo collimarunt dumtaxat, vt euincerẽt, posse habere internum consensum, cum posset ex alia parte per alium sensum, nempè per sensum visus manifestari, & concipi obiectum propositum.

Non habet, quo percipere possit obiecta proposita.

In hoc non valet argumentum de susceptione sacramentorum.

§. X.

An sponsalia inita contra statutum, & consuetudinem sint valida.

S V M M A R I V M.

Exponitur series quæstionis. 1.

In ijs, in quibus statuta possunt, vel non possunt disponere circà matrimonium possunt, vel non possunt circà sponsalia. 2.

Regularitèr seruata proportione disposita circà matrimonium, disponunt circà sponsalia. 3.

Sponsalia inita seruata forma iuris canonici tenent, licet non fuerit seruata forma iuris ciuilis, vel municipalis. 4.

Seruans iura municipalia validè contrahit, nisi sint contraria iuri canonico 5.

Iura municipalia disponentia circà substantiam sunt irrita. 6.

Iura municipalia disponentia circà pœnam quoad substantiam irritantur. 7.

Iura municipalia disponentia circà pœnam impropriam auferendo lucrum, quod lex confert, non sunt irrita, sed obligant. 8.

Statuta disponentia circà consequentia, scilicet circà dotem, tenent. 9.

Statuta disponentia circà honestatem, vel solemnitates ad eadem permanentes, non obligant, benè tamen circà repressionem pomparum. 10.

Consuetudines, vbi non obstant natura contractus, sunt seruandæ. 11.

1 Disquisitio X. Vigebat praxis in regione quadam, vel fortè etiam per legem municipalem statutum erat, quod contrahentes sponsalia iura quædam seruarent non præscripta à iure canonico. Contraxit Caius sponsalia non seruatis ijs iuribus, vel consuetudine, vel statuto ibi inductis. Hic orta fuit controuersia, an huiusmodi sponsalia tenerent, an verò ipso iure fuerint irrita. Pro solutione

Factum tale.

Aduerte primo, maximum posse esse discrimen inter ea, quæ statuto laicali in aliqua prouincia sancita sunt, & ea, quæ consuetudine introducta, *Tabiena verb. matrimonium 2.n.1. Panormitanus in cap.1. de sponsalib.* nam statutum laicorum præcipuè in odiosis afficere nequit ea, quæ iuris Ecclesiastici præcisè sunt, cum materia ad idem statutum non pertineat; ex quibus præcipuè dicitur, quod leges, & statuta laicorum nullam vim habeant contra, seù circà matrimonium, quià hæc materia non est de foro sæculari; consuetudo verò potest afficere, quià interuenit consensus Episcopi, & Clericorum.

Aliud circa statuta à consuetudine, aliud à iure municipali. Tabiena. Panormit.

Aduertè secundò statutum, vel consuetudinem in ordine ad sponsalia, vel matrimonium multiplicitèr posse se habere, vel etenim respicit substantialia contractus, puta inualidando contractum, siuè personas, aut habilitando inhabiles, vel cõstituit pœnam circà substantialia disponendo, quod contrahens cum filio familias sine consensu Patris incurrat certam pœnam, vel disponit de pœna impropria priuando eum, qui contrahit, lucro, quod lex sæcularis attulerat. Rursus respicere potest non substantialia contractus, sed tantum dependentia, & accidentalia, & sic vel disponit circà dotem, vt scilicet, vel maior, vel minor constituatur, quod tali, vel tali modo datur, quod pro eadem constituatur, vel non constituatur hypotheca, & his similia, vel disponit circà solemnitatem, siuè hæc pertineat ad honestatem matrimonij, siuè nihil ad eam faciat.

Quomodo statuta, & consuetudines possint afficere sponsalia.

Maior difficultas, quæ potest esse in hac controuersia, erit, an in ijs, in quibus consuetudo, vel statutum laicale potest disponere, & non disponere, vel circà substantialia matrimonij, vel circà consequentia, possit etiam disponere vel non disponere circà substantialia sponsalium, vel circà consequentia, & accidentalia ad ipsa. Secundò in quibus nam contrahentes teneantur sequi, vel non sequi huiusmodi dispositiones statutarias, & consuetudinarias.

Rationes varia dubitandi.

rias. Tertiò, an, si sequantur huiusmodi dispositiones in ijs, in quibus huiusmodi iura municipalia, & consuetudinaria non possunt disponere, irritetur contractus, an verò potius ipsæ dispositiones irritentur, seù habeantur pro non adiectis. Quartò, an dispositiones huiusmodi iurium municipalium, & consuetudines circà matrimonium intelligantur etiam afficere sponsalia. His pro notitia suppositis.

Eo modo disponunt, vel non disponunt de spōsalibus, quo de matrimonio.

2 Respondeo primo. In ijs, in quibus iura municipalia possunt disponere, vel non disponere circà substantialia, & consequentia matrimonij seruata proportione ad naturam eorundem possunt disponere, & non possunt disponere circà substantialia, & consequentia sponsalium. In hanc assertionem propendere existimo quotquot sustinent substantialia contractus sponsalium esse materiam præcisè iuris canonici, de qua re nos obitèr locuti fuimus suprà, vbi ostendimus iudicia quoad causas sponsalium in ijs, quæ pertinent ad eorum valorem, spectare ad Iudicium Ecclesiasticum priuatiuè quoad laicum; atque eidem assentiri videntur, *D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 2. art. 1. in corpore*, *D. Bonauentura in 4. dist. 28. q. 3. nu. 13.* *Riccardus in 4. dist. 27. art. 3. q. 2. n. 5.* *D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 18.* §. 2. dum asserunt idem iudicandum esse de conditionibus appositis sponsalibus, ac de appositis in matrimonio. Ratio ex eo deduci potest, quià sponsalia sunt initium quoddam matrimonij, atque ità dispositum in matrimonio censetur dispositum in sponsalibus, ergò in ijs, in quibus iura municipalia possunt disponere quoad matrimonium, poterunt etiam disponere quoad sponsalia, in ijs verò, in quibus non possunt in illo, nec poterunt disponere in istis.

Circa substantialia non possunt disponere.
D. Thomas
D. Bonau.
Ricardus.
D. Antoni.

3 Respondeo secundo. Regularitèr seruata proportione attenta natura eorundem sponsalium iura municipalia disponentia quoad matrimoniũ, afficiunt etiam sponsalia. Colligitur *ex l. oratio ff. de sponsal.* vbi dicitur, quod dispositum quoad matrimonium, intelligatur etiam dispositum quoad sponsalia. Dixi *attenta proportione*, nam ea, quæ concernunt consensum de præsenti, prout in matrimonio, non possunt afficere sponsalia, quæ sunt promissiones tantum de futuro, nec sponsalia exigunt talem, ac tantam solemnitatem, qualem, & quantam exigit matrimonium; cæterum, sicuti conditiones, quæ reprobantur in matrimonio, vel approbatur, reprobantur quoque, & approbantur in sponsalibus, ità dispositiones iurium municipalium, quæ admittuntur, vel reijciuntur in matrimonio, admitti quoque debent, & reijci in sponsalibus.

Quæ reprobantur in matrimonio reprobantur in sponsalibus.

4 Respondeo tertio. Si Caius contraxerit sponsalia seruata forma iuris canonici, & non seruata forma iurium municipalium, siuè quoad substantialia, siuè quoad consequentia eorundem, vtique tenent eadem sponsalia. Consentit in hac responsione *Siluester verb. matrimonium 2. nu. 2.* *Panormitanus c. 1. de sponsalibus*; qui quamvis statuant statuta laicalia posse disponere quandoque circà consequentia sponsalium, non tamen statuunt eas dispositiones statutarias extinguere eadẽ sponsalia. Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quod iura municipalia nihil possunt statuere pertinens ad substantialia matrimonij, puta inualidando contractum, aut personas inhabilitando, aut habilitando inhabiles per textum *in c. 1. de sponsalibus*, ergò neque poterunt statuere circà substantialia sponsalium, nam inhabilitando ad eadem, vel habilitando habilitarent, & inhabilitarent etiam ad matrimonium, ergò, si contrahentes eorundem iuriũ municipalium dispositiones non seruant non propterea inualidè contrahunt, cum illæ dispositiones, vtpotè inualidæ, perindè se habeant, ac si non essent positæ. Ratio quoad secundam partem ex eo deducitur, quià quamuis daremus iura municipalia posse quandoque disponere quoad consequentia contractus sponsalium, adhuc tamen defectus quoad obseruantiam eorum non reddit inualidum ipsum contractum, quià stante consensu, & omnibus conditionibus requisitis ad substantialia eiusdem, non est, cur non debeat subsistere quoad eadem substantialia, neque enim defectus accidentalis, & consequens ad substantiam potest attingere, & vitiare eandem substantiam, ergò &c.

Seruata forma iuris canonici, & non ciuilis tenent sponsalia.
Siluester.
Panormit.

Statuta laicalia nequeunt inualidare matrimonium, & sponsalia.

5 Respondeo quarto. Si iura municipalia disponunt quoad substantialia contractus, & Caius cõtrahendo eadem obseruauerit, non propterea redditur irritus contractus sic initus, nisi fortasse disposita per eadem iura municipalia tollant ea, quæ pertinent ad substantiam eiusdem ex dispositione iuris canonici. Ratio deducitur ex illa vulgata iuristarum regula, quod vtile per inutile non vitiatur per textum *in l. 1. §. penult., & ibi Bartolus in 1. opp., & DD. ff. de verb. oblig., & l. hac consultissima, §. ex imperfecto 2. resp. C. de testam. l. fin. C. famil. ercisc.*, quod præcipuè verificatur, quandò vtile, & inutile sunt ab inuicem separabilia, *Bartolus in l. si sponsus, §. generalitèr, ff. de donat. inter vir., & vxor. Cardin. in clement. 1. §. eadem de supplem. negl. prælat., & in clem. 1. de decimis, Alexander in l. stipulatio hoc modo, ff. de verb. oblig.*, ergò quantumvis contrahens sequatur in celebratione contractus disposita per ius municipale, quandò hæc non tollunt disposita per ius canonicum, non propterea inualidè contraxisse præsumendus est, cum disposita per ius municipale sint inutilia, & talia, ac si non essent apposita. Dixi,

Seruans iura municipalia disponentia quoad substantialia validè contrahit, nisi sint contraria iuri canonico.

Bartolus.
Cardinalis
Alexander

Deficerent substantialia contractus.

Dixi, *nisi fortasiè ea, quæ sunt disposita per eadem iura municipalia tollãt ea, quæ pertinẽt ad substantiã eiusdẽ contractus ex dispositione iuris canonici*, quæ limitatio ex se patet, nã deficientibus substantialibus contractus, contractus ipse non potest in suo esse subsistere, ergò cum per obseruantiam eorum, quæ inducta sunt de iure municipali præsumantur sublata ea, quæ ex iure canonico pertinent ad substantiam contractus, intelligitur etiam sublatus ipse contractus.

6 *Iura municipalia circa substantiam sunt irrita.* Panormit. Siluester.

Respondeo quinto, iura municipalia disponentia circà substantialia contractus sunt ipso iure irrita, & per consequens Caius eorum dispositiones non seruans, nec contrahit inualidè, nec peccat. *Panormitanus in d. cap. 1. de sponsalib. Siluester verb. matrimonium 2. n. 2. in princip.* Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebantur, quià materia sponsalium non est fori ciuilis, sed tantum Ecclesiastici, ergò disposita per ius ciuile, seù municipale non tenent, nec obligant contrahentes ad eorum obseruantiam, quandòquidem leges, seù statuta, vt obligent, debent procedere ab habente potestatem quoad ea, de quibus debent disponere.

7 *Etiam si disponant circa pœnã.* Ioannes Andræas. Panormit. Siluester.

Respondeo sextò, iura municipalia disponentia circà pœnam ergà substantialia v. gr. quod contrahens cum filio familias sine consensu patris incurrat certam pœnam, aut quod eandem, vel similem pœnam incurrat contrahens cum minori, nõ præsentibus agnatis, sunt etiam irrita, nec obligant contrahentes ad obseruantiam, *Ioannes Andreas in c. statutum de hered. in 6. Panormitanus in c. 1. de sponsalibus, Siluester verb. matrim. 2. nu. 2.* Ratio ex eo deducitur; quià huiusmodi adiectio pœnæ per statuta municipalia demit quodammodò libertatem requisitam ad naturam sponsalium, quæ debent esse omninò libera, *c. cum locutum de sponsalib.* nàm per ipsam, vt benè notat *Siluester verb. matrimonium 2. nu. 2.* quodammodò intimidantur sponsalia, & sicuti per superius dicta

Demitur libertas.

sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalibus praenot. 5. sect. 10. assert. 1. inualidatur pœna per ipsos contrahentes adiecta circa huiusmodi contractum per textum *in l. fin. C. de sponsalib. & c. gẽma eod. tit. Coaruuias de sponsalib. part. 2. cap. 3. §. 7. nu. 5. Cucus instit. maior. lib. 5. tit. 22. nu. 190. & seqq. Augustinus Barbosa collect. ad c. gemma de sponsalib. num. 2. Hurtadus de matrim. disp. 5. diffic. 18.* eo quod impediat libertatem requisitam ad contractum, & hoc non solum quando talis pœna opponitur per ipsos contrahentes, sed etiam per alios coniunctos, *Glosa in l. Titia in princip. verb. matrimonium ff. de verb. obligat. Ioannes Andreas in c. gemma nu. 2. & 9. in fin. de sponsal.* & etiam per extraneos, si ipsos contrahentes attingant, itá non est, cur non inualidetur pœna per statuta municipalia inducta, quandoquidem eadem pœna respicit eosdem contrahentes, eosque afficit.

Coaruuias. Cucus. Barbosa. Hurtadus. Glosa. Ioannes Andræas.

Ex ijs etiam, quæ dicta sunt superiùs *sub hoc eod. tit. praenot. 5. sect. 10. assert. 1.* fas erit deducere, quod si per statuta fuerit adiecta talis pœna contra contrahentes modo opposito eidem statuto, non irritat ipsum contractum, sed irritatur, quãdoquidem nullitèr est opposita, ac proindè taliter, ac si non essent apposita.

Respondeo septimò, iura municipalia disponentia circa pœnam impropriam auferendo lucrum, quod, lex sæcularis attulerat, non sunt ipso iure inualida, sed obligant *Ioannes Antonius de S. Georgio c. cum secundum leges de hered. lib. 6.* quidquid ex aduerso dixerint *Panormitanus in c. primo de sponsal. Glos. in c. cum de puellis 36. qu. 2. Feder. cons. 35.* Consonat responsio cum ijs, quæ suprà diximus *d. praenot. 5. sect. 10. assert. 6.* nec difficilis est eiusdem probatio, quandoquidem iura municipalia possunt de ijs disponere, quæ eadem attulerunt, & per illam dispositionem potiùs alliciũtur cõtrahentes ad contrahendum, quam remoueantur, & sicuti pœna impropria consistens in lucro non acquirendo interposita vel per ipsos contrahentes, vel per alios ab ipsis contrahentibus per ordinem ad matrimonium contrahendum valida est, *Coaruuias 4. decretalium 2. parte c. 3. §. 3. num. 1. Antonius c. gemma nu. 7. de sponsal. Mantica de coniect. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 1. Bartolus in l. si stipulatus fuero te sisti §. si tibi nupseris ff. de verb. oblig.* itá non est, cur pœna impropria consistens in lucro, quod iura ciuilia disposuerunt, non acquirendo, interposita per statuta municipalia non teneat; Neque dicas ea, quæ dicta sunt de pœna impropria interposita vel per ipsos contrahentes, vel per alios, vtique subsistere, quandoquidem alliciunt ad contrahendum simplicitèr iuxtà modum per Ecclesiam præscriptum, ea verò, quæ hic dicuntur non subsistere, quandoquidem alliciunt ad contrahendum modo speciali, vel iuxtà normam præscriptam ab eiusdem statutis, quæ nullum ius habent quoad eundem contractum sponsalium; contrà enim impugnaberis, quià cum ille modus non supponatur aduersari naturæ contractus, & illa pœna potius alliciat ad contractum, quàm remoueat ab illo, non est, cur debeat amoueri, cum iura possint de suis bonis disponere tali pacto, vt alio modo non subsistat.

8 *Circa pœnã impropriã non irritantur.* Antonius de Santo Georgio. Panormit. Glosa.

Coaruuias. Antonius. Mantica. Bartolus.

Ille modus non aduersatur naturæ contractus.

Respondeo octauò, si iura municipalia disponant non circa substantialia contractus, sed circà dotem subsistunt, & obligant contrahentes *Innocentius c. Raynutius de testament. Siluester verb. matrimonium secundo nu. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia causæ

9 *Statuta circa dotem obligant.* Innocent. Siluester.

causæ dotales subijciuntur iuribus ciuilibus, vt est in confesso apud omnes, ergò non est, cur circà illas non possint iura municipalia disponere, & obligare suos subditos ad illius dispositiones seruandas. Hinc communitèr docent, lege, aut statuto laicali posse licitè, & validè taxari quãtitatem dotis, & prohiberi sub certa pœna, ne vltrà quantitatem præfixam dos constituatur *Plotus cons.* 10. *nu.* 4. *Iulius Sannaz. interpret. in c.* 1. *de sponsalibus nu.* 89. *Curtius iunior cons.* 27. *nu.* 28. *Couaruuias de sponsalib. part* 2. *c.* 3. §. 9. *num.* 3. *Menochius lib.* 3. *præsumpt.* 6. *nu.* 21. *& ità censuit Rota Rom. decis.* 117. *part.* 1. *in nouissimis*, sicque sanxisse referunt Carolum V. 1534. in cõmitijs Matriti habitis. Ratio ex eo deducitur, quià tale statutum nullo modo est impeditiuum matrimonij, & vt plurimum valdè confert ad bonũ publicum. Rursus asserunt DD. plurimi statuta Mediolani, aliarumque Vrbium disponentia, quod mulier nubens extrà territorium non possit succedere, sed amittat vniuersam hæreditatem, licet ei sit quæsita, valere, & mulierem nubentem non seruata hac statuti forma iustè priuari hæreditate, & successione, *Bartolus in l. edicimus sub nu.* 2. *C. de Murilegal. lib.* 11. *Baldus in l.* 2. *vers. sed si statutum C. vt in possess. legat. Albertus Brunus in tract. de stat. fœminas exclud. artic.* 2. *qu.* 3. *Iason. in l.* 1. §. *veteres ff. de aqu. pos. Carpanus in stat. Mediol. tom.* 1. *c.* 310. *num.* 18. de qua re ego pro nunc nihil definio. Rationemque adducunt huiusmodi DD., quià scilicet per illa statuta non tollitur libertas matrimonij absolutè, sed tantùm restringitur quoad locum, quandò mulier aliàs commodè, & honestè nubere valet, quod certè induci potest, *Bartolus in d. l. edicimus sub nu.* 2. *C. de Murilegal. lib.* 11. *Angelus, & Luccas de Penna in l. fin. C. de incolis lib.* 10. *Romanus in rub. ff. solut. matrim. num.* 3. *Gabriel. consil.* 12. *nu.* 71. *lib.* 2. *vbi alios plures refert*, præcipuè cum hoc cedat in maximum Reipublicæ commodum, & vtilitatem. Sed de his, & similibus alibi.

Plotus. Sannazar. Curtius. Couaruuias Menoch. Rot.Rom.

Varia iura municipalia diuersimodè disponentia de dote, & successione. Bartolus. Baldus. Brunus. Iason. Carpanus.

Libertas non tollitur, sed restringitur. Bartolus. Angelus. Romanus.

10 Respondeo nonò. Si iura municipalia disponant tantum circa solemnitates, tunc distinctione vtendum est, vel etenim huiusmodi solemnitates, de quibus iura municipalia disponunt, pertinent ad honestatem, & certitudinem contractus, vel nihil ad eandem honestatem, & certitudinem faciunt, sed tantum pertinent ad repressionem pomparum, vel ad quid simile. Quoad solemnitates primo modo sumptas *Ioannes Antonius in c.* 1. *de sponsalibus*, sentit huiusmodi iura valere, & peccare non seruantes; ex aduerso verò *Panormitanus in d. c.* 1. *eod. tit.* existimat non tenere, nec obligare contrahentes, eo quià huiusmodi materia non pertineat ad iudicium laicale, & quidem meritò procedit Panormitanus, si per talia statuta inducatur in contrahentibus aliquod onus, quod non esset impositum per ius canonicum. Quoad solemnitates verò secundo modo non incongruè sentio huiusmodi iura tenere, & obligare contrahentes, quià sicuti per superius dicta possunt legem imponere quoad dotes, non est, cur etiam nõ possint imponere quoad suppressionem pomparum, & similia, cum hæc cederent in perniciem Reipublicæ, & earum, seù eorum, suppressio in commodum eiusdem; atque in hoc sensu concordare videtur *Siluester verb. matrimonium* 2. *num.* 2. *in fin.*

Quomodo sint valida, vel inualida, prout disponant circa solemnitates. Bossius. Panormit.

Siluester.

11 Respondeo decimò. Consuetudines, vbi non obstant naturæ contractus, etiam circa sponsalia regularitèr sunt obseruandæ, præcipuè si ex illarum non obseruantia Ecclesia reddatur incerta de contractu. *Panormitanus in d. c.* 1. *de sponsalib., Siluester verb. matrimonium* 2. *num.* 1., *&* 2. Ratio ex eo deducitur, quià consuetudines huiusmodi non solum consensu, & approbatione populi inducuntur, sed etiam conniuente Episcopo, & Clero, qui, sicuti possunt inducere aliquam solemnitatem non repugnantem naturæ contractus, vel ad maiorem eiusdem honestatem, & pleniorem certitudinem, & probationem, ità possunt approbare consuetudines inducentes tales solemnitates.

Consuetudines non aduersantes naturæ contractus sunt seruandæ. Panormit. Siluester.

§ XI.

An per consuetudinem induci possit inhabilitas ad contrahendum, vbi alias non est, vel dirimi habilitas, vbi est.

SVMMARIVM.

Referuntur varij casus, in quibus consistit difficultas. 1.

Non obstante consuetudine, si contrahantur sponsalia in gradibus consanguinitatis prohibitis non tenent. 2.

Stante iure antiquo in c. super eo de cognat. spirit., *& præsupposita consuetudine, quod filij duorum compatrum, quorum neuter deuenerit ad paternitatem, non possent ad inuicem contrahere vtique sponsalia non subsisterent, de iure verò nouo non obstante tali consuetudine subsisterent.* 3.

Cum consanguinea prioris sponsæ non obstante consuetudine non tenent sponsalia. 4.

1 Disquisitio XI. Certum est non solum non posse contrahi matrimonium, sed nec etiam sponsalia inter consanguineos in tertio, & quarto gradu, si consanguinitas orta est ex copula licita, quantumvis antiquitùs impedimentum ex consanguinitate extenderetur vsque ad septi-

V mum

mum gradum, restrictio autem ad quartum gradum habetur, per textum *in c. non debet de affin., & consang.* Insuper certum est inter filium, & filias duorum compatrum de iure communi canonico non esse impedimentum cognationis spiritualis ad validè contrahendum matrimonium, vel sponsalia, prout docent cõmuniter Theologi, & iuris canonici interpretes. Rursus certum est, quod vbi contracta non sunt vera sponsalia, nec matrimonium ratum cum consanguineo alicuius non consurgat ex genere suo impedimentum publicæ honestatis in ordine ad illam, cuius illa erat consanguinea. His tanquam certis sic suppositis stante consuetudine Caius contraxit sponsalia cum Theodorica, quæ erat illi consanguinea, vel affinis, vel in secundo, vel in tertio gradu; vel cum esset consuetudo in illa regione, quod filij duorum compatrum adinuicem non contraherent sponsalia, ipse cum esset filius vnius compatris contraxit cum eadem Theodorica, quæ erat filia alterius compatris, vel contractis prius sponsalibus cum eadem Theodorica ex motiuo consuetudinis contraxit posteà matrimonium cum eiusdem sorore. Orta hic fuit controuersia, an ratione consuetudinis validè in præallegatis omnibus casibus contraxerit.

Casus in quibus consistere potest difficultas.

2 *Consuetudo non facit valida sponsalia in gradibus prohibitis.* Siluester. Panorm t.

Respondeo primò. Non obstante consuetudine, si Theodorica fuerit eidem Caio consanguinea in secundo, vel tertio gradu inualida fuisse sponsalia cum eadem contracta *Siluester verb. matrimonium 2. num. 3., Panormitanus in c. super eo de cognat spirit.* atque idem sentire videntur *Franciscus Molinus lib. 2. de ritu nupt. disp. 1. num. 151., & seqq., Canedo ad decret. coll. 58. num. 6.* Expresse colligitur *ex c. quod super his de consang., & affinit.* - Ibi - *Ne autem intra gradus prohibitos matrimonium contrahatur debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiastica districtione punire non obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela*; nec incongrua sanè ratione hæc decernuntur, quandoquidem consuetudo contra ius canonicum non valet *Cardinal. in clem. 1. 20. q. de election., & in clem. 2. in fin. de rebus Ecclesiæ non alienan.* cum sit irrationabilis *Ludouicus Romanus cons. 299. col. 2., Aretin. cons. 44. col. 2., Aimo Crauetta cons. 96. num. 3., & cons. 315. num. 4. vol. 1.*, & præcipuè si sit contraria canonicis institutis *Alexander cons. 196. col. 3. vol. 2., Aimo Crauet. cons. 96. num. 3. vol. 1.*, & ius canonicum eandem reprobet, prout in casu nostro efficit *in d. c. quod super his de consang., & affin.*

Cardinalis Romanus. Aretin. Crauetta. Alexander

3 *De iure antiquo non subsisterit, bene tamen de nouo.*

Respondeo secundò. Stante iure antiquo *in c. super eo de cognat. spirituali*, & præsupposita consuetudine, quod filij duorum compatrum, quorum neuter deuenerit ad paternitatem non possent adinuicem contrahere; vtrique contractus per eosdem initus non subsisteret; stante verò iure nouo Concilij Trident., si ad inuicem contraherent, non obstante tali consuetudine, contractus teneret. Ità quoad primam partem *Siluester verb. matrimon. 2. num. 3., Tabiena verb. impedimentum 3. num. 4.* Expressè colligitur *ex textu in d. c. super eo de cognat. spiritual.*, vbi sic legitur *Cæterum si per neutrum eorum ad compaternitatem ventum fuerit de his te volumus consuetudine tua metropolitana Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum inquirere, & diligentius imitari, ità quod si eiusdem Ecclesiæ consuetudo habeat inter eos non sustinere coniugium fieri, nec factum firmitatis robur habere, tu simili modo in Ecclesia tibi commissa coniugium huiusmodi fieri non permittas, & si quos taliter coniunctos inueneris iuxtà earundem Ecclesiarum consuetudinem ipsos separare ab inuicem non omittas*, atque hoc idem euinci potest ex textu *in c. cum olim de Cleric. coniug.*, vbi Pontifex mandat seruari consuetudinem in Clerico filio alterius coniugati Græci, vbi aliud non obstet canonicis sanctionibus. Quoad secundam partem de iure nouo euincitur ex *Concil. Tridens. sess. 24. de reform. matrimonij c. 2.*, vbi ab impedimentis tollitur confraternitas, quæ de iure antiquo vigebat, quod etiam declarauit *Pius V. in extrauag. sub tit. declaratio Concil.*, per quod videtur abrogata quæcunque consuetudo; Neque obesse potest, si asseratur idem *Concil. Trident. sess. 24. c. 1.*, quantumvis statuerit noua quædam de necessitate contractus, antiquas tamen consuetudines circa eiusdem solemnitates non reprobasse, sed in suo robore reliquisse, cum eas obseruari mandauerit; Non, inquam, obesse potest, quià concilium eas tantum antiquas laudabiles consuetudines obseruari præcepit, circa quas expressè de nouo non disposuit; Cum igitur expressè disposuerit confraternitatem non amplius considerandam eam non reliquit secundum iura veteris consuetudinis, adeoque &c.

Siluester. Tabiena.

Iura euincentia primam partem responsionis

Iura euincentia secundam partem. Pius V.

Respondeo tertiò. Si Caius contractis prius sponsalibus cum cõsanguineà Theodoricæ, ex quibus ex genere suo consurgit impedimentum publicæ honestatis, eaque decesserit, vel aliter iniustè soluta fuerint cum eadem sponsalia non obstante consuetudine in contrarium non potest validè posteà cum eadem Theodorica contrahere *Siluester verb. matrimonium 2. num. 3. prope medium*. Expressè hoc habetur *in c. cum decorem de vita, & honest. Cleric.* vbi dicitur, quod consuetudo contrà honesta non teneat. Rursus idem habetur, & clarius in terminis *in c. 1. de consang., & affin.*, vbi cum de iure antiquo impedimentum publicæ honestatis extenderetur vsque ad quartum gradum, dicitur, quod matrimonium initum in tali gradu non teneat. Ex iure autem nouo Concilij *Trid. d. sess. 24. c. 3.* restrin-

4 *Cum consanguinea prioris sponsæ non obstante consuetudine non tenent sponsalia.* Siluester.

stringitur hoc impedimentum solum ad primum gradum, quamobrem, si in tali gradu cum consanguinea quis contrahat, inualidè contrahit non obstante tali consuetudine, cum consuetudo non obstare possit canonicis sanctionibus per superius allegata.

Vbi consuetudo aduersatur canonicis sanctionibus non tenet. Ex quibus omnibus in vniuersum fas est deducere, quod in ijs, in quibus consuetudo aduersatur canonicis sanctionibus absolutè non teneat, in ijs verò in quibus eisdem non aduersantur, & secundum se laudabiles sunt obliget, prout habetur *in d. c. super eo de cogn. spirit., & in Concil. Trid. d. sess. 24. de reform. matrim. c. 1.* Crediderim tamen, nec incongruè in ordine præcipuè ad matrimonium defectum obseruantiæ in huiusmodi consuetudinibus impedire contractum, non dirimere, prout notat *Siluester verb. matrimonium 2. num. 3. in princip.*, quià ex genere suo tales consuetudines nullum canonicum inuoluunt impedimentum, quod ex Ecclesiæ præscripto dirimat.

§. XII.

An verba concepta sub hac forma *Volo te habere, ducere in vxorem* constituant propriè, & verè sponsalia.

SVMMARIVM.

Status controuersia excitatus. 1.
Per illa verba non constituitur matrimonium remissiuè. 2.
Decidenda res est ex circumstantijs, & adminiculis. 3.
Potius tamen, vbi circumstantia aliud non indicant, præsumendum est pro sponsalibus. Ibid.

1 *Facti series.* Disquisitio I. Actus amore magno versus Caiam Theodoricus eidem in quadam circumstantia sic effatus est. *Volo te habere, aut ducere in vxorem,* cui illa respondens ait, *volo te habere, seù ducere in virum.* Excitata posteà fuit controuersia, an per reciproca hæc verba propria inita fuerint sponsalia.

2 *Propriè matrimonium non constituitur.* Hæc difficultas latè examinata est *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. præs. 5. sect. 16. assert. 3. vers. explico iam quintam partem*, vbi conclusum fuit constituere propriè sponsalia, non matrimonium, nisi alia concurrant adminicula, quæ addita illis verbis inducant consensum matrimonij de præsenti: sed quià ibi acta eo solum collimabant, vt dignosceretur, an per ea verba constitueretur matrimonium de præsenti, an verò de futuro, & nunc excitatur controuersia ad dignoscendum, an per ea verba verè constituatur promissio de futuro matrimonio, & per consequens sponsalia, an verò tantum propositum promissionis, ideò ad eandem in hac etiã comparatione difficultatem enucleandam præsentem titulum de nouo instituimus.

Sententia asserens, nec constitui sponsalia. Rebellus. Bonacina. Valentia. Circa quem Doctores plurimi apud *Rebellium lib. 4. de oblig. iust. q. 3.*, quibus adhæret *Bonacina de mag. matrim. sacram. q. 1. de sponsalib. punct. 1. prop. 2. num. 3., Valentia tom. 4. disp. 10. punct. 5. in fin. specul. 1. part. art. 17.* expressè sustinent, verba illa non constituere propriè promissionem de futuris nuptijs, sed dumtaxat propositum promissionis, adeoque nec matrimonium, nec sponsalia. Ex aduerso verò *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 18. num. 25., Gutierez de matrimonio c. 3. num. 9. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 3. nu. 6.* asserunt quidem non constitui matrimonium de præsenti, benè tamen sponsalia. *Sententia affirmans. Sanchez. Menoch.*

3 *Ex circumstantijs arguendum est. Antonius. Iason. Siluester.* Respondeo ex mente contrahentium suppositis illis verbis, & circumstantijs coniectandum esse, vel pro promissione, vel pro proposito promissionis, vbi verò dignosci non possit, præsumendum esse pro promissione propria, seù pro sponsalibus. Ità præter præcitatos DD. *Antonius c. ex lucris 1. num. 9. de sponsalib., Iason. l. serui in princip. num. 4., & 23. ff. de legat. 1., Siluester verb. matrimonium 2. num. 9.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià nemine disceptante illa verba sunt dubia, & secundum se indifferentia, vel ad significandum præcisè propositum promissionis, vel promissionem ipsam, sed quando verba sunt dubia, intelligentia dictorum desumenda est ex mente contrahentium, prout indicant causæ, & circumstantiæ adiacentes per textum *in c. intelligentia de verb. signif., Menochius cons. 97. num. 44., Gutierez lib. 3. de matrimonio c. 3. num. 17., Tiraquel. in l. si vnquam verb. libertis num. 48. C. de reuoc. donat.* *Menoch. Gutierez. Tiraquel.* Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià verbum, *Volo*, in cõtractibus habentibus dependentiam de futuro disponit, non in ijs, quæ incontinenti debent perfici *l. serui electione in princip., & ibi DD., & Bartolus in 2. colum. in versic. pro cuius declaratione, & ibi vide omninò Alexandrũ in 2. col. in princip. cum infinitis concordantibus ibi per eum signatis ff. de leg. 1., l. in ementis ff. de contr. empt. Bartolus in l. 1. in 2. col. in princip. in versi. cuius gratia est sciendum, & ibi Baldus in 3. col. vers. 3. opp. C. de summa Trinit.*, sed contractus sponsalium habet dependentiam de futuro, & verbum, *volo*, adiectum alijs verbis, *te habere, te tenere in vxorem*, appellat etiam de futuro executionem, ergò &c. *Bartolus. Alexander. Baldus.* Confirmatur primò, quià in ijs, quæ pendent à sola voluntate contrahentis, & executio non pendet à circumstantia præsenti, verbum, *volo*, importat voluntatem de futura executione, præcipuè, si talis futura executio fuerit acceptata per alium contra-

trahentem per similem repromissionem; vnde ex hoc patet discrimen, quod intercedit inter ea, quæ non à sola voluntate proferentis defendent, sed ab aliqua alia actione in actu exercito, & ea, quæ à sola voluntate dependent, & petunt executionem de futuro per alium voluntatis actū, vt si iuxtà primum sensum dicatur *Volo te absoluere*, & iuxtà secundum, *volo te habere in vxorem*, quandoquidem ly *volo absoluere* non importat ea, quæ exiguntur ad actualem absolutionem, quæ exigit exercitium per formalia verba ad hoc instituta secundum debitam intentionem proferentis, vt Ministri Christi Domini, ly *autem volo te habere in vxorem* inuoluit ea, quæ exiguntur ad actualia sponsalia, quæ in solo voluntatis cōsensu cōsistunt cū intentione executionis de futuro, nec aliquod opus exigunt de præsenti vltrà talem voluntatis consensum sensibilitèr expressum. Confirmatur secundò, quià ly *volo te habere in vxorem* importat electionem *Bartolus in l. apud Aufedium de opti. leg.*, & actualem voluntatem relatam ad executionem futuram; non enim potest eam habere in vxorem, nisi ipsam elegerit, cum executio supponat electionem, & rem prius volitam, vbi autem est electio personæ cum voluntate expressa executionis sunt omnia requisita ad validitatem sponsalium.

Præsumendum est tamen in dubio propriè pro sponsalibus.

Hæc, quæ hactenus dicta sunt in fortioribus terminis verificantur, si præcesserit alterius interrogatio. *Vis me habere, vel tenere in vxorem*, & alter respondeat *volo te habere*, prout asserit *Menochius de arbitrarijs lib. 2. cent. 5. casu 496. num. 23., & 29., Gutierez qq. can. lib. 1. c. 21. num. 26.*, quià tunc dubietas omnis, si quæ est, tollitur per præcedentem interrogationem, ad cuius normam subsequens responsio interpretatur.

Maxime vbi præcesserit interrogatio. Menoch. Gutierez.

§. XIII.

An concurrente promissione de matrimonio contrahendo cum voluntate efficaci Religionis prius adimplenda sit promissio, quam ingressus.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.
Rationes validæ pro vtraque parte. 2.
Potest tutè promissor iuratus ante contractum ingredi Religionem. 3.
Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. 4.

1 DIsquisitio XIII. Promiserat Caius Theodoricæ matrimonium de futuro adimplendum intrà certum tempus, fidemque datam iuramento firmauerat, atque eadem promissio fuerat per eandem Theodoricam acceptata. Rebus sic stantibus, & promissione per matrimonium de præsenti nondum adimpleta interno diuini spiritus, vt supponitur, afflatu commotus Caius statuit in corde suo omissis sponsalibus ingredi monasterium, ibique vitam cælibem remotam ab humanis curis profiteri. Hic orta fuit controuersia, an ratione iuramenti, quo confirmauit sponsalia, teneatur prius per verba de præsenti cum eadem Theodorica contrahere, & posteà matrimonio non consumato ingredi Religionem, an verò possit immediatè ingredi non contracto prius matrimonio.

Controuersia exposita in suis terminis.

2 Rationes hinc inde validas, & efficaces inuenio. Pro parte affirmante priùs adimplendum matrimonium per verba de præsenti, & posteà eadem non consummato monasterium ingrediendum hæc militant. Primò, quià iuramentum in licita, & valida forma elicitum est adimplendum, quotiescunque potest licitè adimpleri sine impedimento maioris perfectioris spiritualis, & salubrioris status. Hoc vtrumque fieri potest in præsenti hypothesi. Secundò quià sic desinitur *in c. commissum de sponsalibus* - Ibi - *Tutius est ei religione iuramento seruata prius contrahere, & posteà si elegerit ad Religionem migrare*. Pro parte negante debere prius contrahere, & posteà ingredi Religionem hæc vrgent. Primò quià *ex c. nuptiarum 27. q. 1.*, qui se dat nuptui benefacit, qui se non dat nuptui melius facit, sed non potest quis omittere ea, quæ sunt meliora, vt bona, faciat prout habetur *in c. qui bona 27. qu. 1.*, vbi dicitur. *Qui bona agunt, si meliora deliberata non faciunt ceciderunt in conspectu Dei*, ergò omittendo ingressum, vt contrahat, facit contra conscientiam, adeoque tutius non facit *c. omnes §. ex his 28. q. 1.* Secundò quià contrahendo propter pronitatem naturæ exponit se periculo exigendi debitum, & sic frustrandi deliberationem ingrediendi Religionem. Tertiò, quià sic contrahendo illuderet alteram contrahentem, quæ contra fidem sibi datam cogeretur innupta remanere, & expectare vsque ad professionem ingredientis, eoque non profitente, & egrediente diceretur mulier monaci egressi è Religione &c., quæ omnia eidem damnum ingerunt. Quartò quià non videtur infringere iuramentum, qui illud in melius commutat *c. peruenit de iure iur. c. scriptura de voto, & vot. redempt.* Quid igitur concludendum? Fateor mihi magnam vim facere textum *in d. c. commissum de sponsalib.*, vbi Pontifex apertè asserit tutius esse prius contrahere, quam ingredi. Nihilominus

Rationes pro sententia afferente prius contrahendum, posteà ingrediendum monasterium.

Rationes pro sententia negante debere prius contrahere.

3 Respondeo nō improbandam esse opinionem asserentem posse tuta conscientia promissorem iuratum immediatè migrare

Potest tuto immediatè ingredi Religionem. in Religionem. Ab hac responsione non videtur recedere *Glosa in d. c. commissum in fin.* & idem textus quantumuis asserat tutius esse priùs contrahere ad seruãdum iuramentum, non tamen improbat tutũ esse immediatè ad Religionem transire. *Glosa.* quinimmò *eadem Glosa in verbo tutius* videtur asserere, textum hoc statuere solummodò quoad opinionem, vt de facto iste appareat, & dicatur venire contra iuramentum, dum ergò dicit *quoad opinionem*, ergò quoad veritatem aliter potest sentiri. *Textus loquitur quoad opinionem.* Ad hanc responsionem firmandam valida sunt argumenta pro secunda opinione adducta, & vlterius sic euincitur, quià iuramentum de aliquo adimplendo non obligat in concursu melioris boni, *per d. c. peruenit de iureiur. & c. scriptura de vot. & vot. redempt.* ergò si non obligat, eiusdem nulla habenda est ratio, perindè ac si non fuisset positum, *Iuramentũ non obligat in concursu melioris boni.* adeoque non videtur ex necessitate priùs adimplendum per celebrationem contractus. Confirmatur, quià stante iuramento de adimplendis nuptijs intrà determinatum tempus, eisque intrà illud celebratis, potest nihilominus sponsus, qui promisit, iurauit, & contraxit transire ante consumationem ad Religionem, nemine discrepante, ergò etiam stante iuramento, & non adhuc adimpletis nuptiis per verba de præsenti poterit iurans immediatè ante implementum nuptiarum ad eandem Religionem commigrare. Consequentia probatur, quià fortiùs videntur obligare nuptiæ cum iuramento, quàm solum iuramentum sine illis. Neque dicas, iuramentum compleri per ipsas nuptias, hoc est per matrimonium de præsenti, post quas potest ad Religionem transire, non autem ante, quià iuramentum nõ est completum; contrà enim impugnaberis, quià perfectior status eximit ab obligatione iuramenti, & sicuti nuptiæ ipsæ sunt in ordine ad prolis procreationem, aliaque bona matrimonij, & præcipuè ad mutuum ius actuale in corpora eorundem contrahentium, & tamen eisdem celebratis ob perfectiorem statum Religionis, *Melior status excusat* potest Religionem ingredi, eaque omittere, ità etiam quamuis iuramentum sit in ordine ad easdem nuptias celebrandas, poterit nihilominus iurans ijsdem omissis perfectiorem statum Religionis eligere, eandemque ingredi. Quamobrem ex ijs, alijsque rationibus clarè liquet firmis satis responsionem inniti fundamentis.

4 *Soluuntur rationes oppositæ.* Ad rationes, quæ pro prima sententia afferebantur, dicendum est iuramentum obseruandum quotiescunq; licitè potest, & quotiescunque iuramentum ipsum in melius non mutatur, per allegata superius iura. Ad id, quod subditur ex dispositione *d. c. commissum de sponsalib.* iam patet ex superius dictis, quid sit dicendum; procedit enim solummodò quoad opinionẽ, non quoad veritatem, deinde cum dicit, tutiùs est, non excludit contrarium tanquam tutum.

§. XIV.

An promissio cum iuramento non solum de contrahendo, sed etiam de consumando impediat ante consummationem statum Religionis.

SVMMARIVM.

Difficultas excitata in suis terminis. 1.
Rationes indicantes teneri consummare. 2.
Non obstante iuramento sub illa forma, & nuptijs celebratis potest ingredi. 3.
Soluuntur rationes opposita. 4.

Disquisitio XIV. Iuxtà terminos præcedentis disquisitionis Caius promisit Theodoricæ cum iuramento, non solùm contrahere intrà determinatum tempus matrimonium de præsenti, sed etiam iurauit consummare. Vigore promissionis cum iuramento de facto contraxit per verba de præsenti, sed posteà in vim facultatis sibi à iure concessæ, ante consũmationem contendebat ingredi religionem, & non consummare. Orta hic fuit controuersia, an non obstante iuramento expresso de consummatione, possit licitè ingredi. 1 *Facti series exponitur.*

Stante Pontificis declaratione *in alleg. c. commissum de sponsal.* videtur prima fronte asserendum, quod non possit ingredi, sed teneatur consũmare; supponit enim quod iuramentum fuerit simplicitèr de contrahendo, & sic asserit, quod *tutius est religione iuramento seruata prius contrahere*, vt adimpleatur iuramentum, *& Glosa in eod. c. promissum in princip.* rationem propriè adducit, quià iuramentum seruandum est, dummodò sine peccato seruari possit; cũ igitur in præsenti iuramentum supponatur esse non solum de contrahendo, sed etiam expresè de consummando, & vtiq; possit sine peccato seruari, non est, cur nõ sit seruandum. Accedit, quod obligata fide non solum per simplicem promissionem, sed etiam per iuramentum alteri coniugi, Deus non acceptat votum, quod eidem sit contrà talem fidem datam, ergò à fortiori hoc intelligendum est, quandò quis nullum votum emisit, sed ad votum suspirat, vndè non debet dici voti transgressor, etiam si non intrat Religionem, si ampliùs non processit per textum *in c. literaturam de vot. & vot. redempt.* Nihilominus *Rationes indicantes teneri consumare. Glosa.*

3 Respondeo, non obstante iuramento tali pacto concepto, & celebratis per verba

Potest tutè ingredi non obstante ta li pacto. Ioannes Andræas.

ba de præsenti nuptijs, posse Caium ad Religionem ingredi. *Iannes Andræas in c. alienum clericum 29. qu. 2.* Ratio ex eo deducitur, quod superius dicebamus, quod scilicet *iuramentum non infringit, qui in melius illud commutat, c. peruenit de iure iuran.* quod idem euincitur *in l. vlt. ff. qui satisdar. cog. & c. mulier 22. qu. 4. & c. scriptura de vot. & vot. redempt.* vbi specialitèr dicitur *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur Religionis, & obseruantiam commutare.* Deindè iure absolutè statutum est, quod quilibet contrahens matrimonium etiam per verba de præsenti possit, non obstante voto in celebratione eiusdem matrimonij ante consummationé transire ad Religionem. Consequentia tenet, quià omne votum mutabile est in votum religionis ob speciale priuilegium eiusdem. Confirmatur primò paritate deducta *ex c. alienum 19. q. 2.* vbi clericus ex sui speciali ordinatione subiectus est Episcopo proprio Diæcesano, ibique præcipitur, quod nemo eum suscipiat inuito eodem Episcopo, & tamen excipitur *nisi ad propositum melioris vita transire voluerit, tum enim liberum est illi etiam Episcopo contradicente Monasterium ingredi*, ergò etiam quantumuis spósus ex propria promissione, etiam firmata iuramento, sit subiectus sponsæ, adeò vt alia nequeat ipsum, inuita prima, suscipere, poterit tamen ad propositum melioris vitæ transire, & Religionem suscipere. Consequentia probatur, quià non minus Clericus ex vi suæ ordinationis se subijcit proprio Episcopo, ac sponsus ex vi suæ promissionis se subijciat sponsæ, & subiectio, quam profitetur Clericus suo Episcopo æquiualet promissioni cum iuramento, quam præstat sponsus suæ sponsæ, ergò &c. Confirmatur secundo ex ijs, quæ dicta sunt in præcedenti disquisitione, nàm obligatus per iuramentum ad aliquam ducendam intrà determinatum tempus per verba de præsenti, potest nihilominus non obstante iuramento propositum sanctioris vitæ sumere, & Religionem ingredi, ergò etiam obligatus per iuramentum nedum ad contrehendum per verba de præsenti, sed etiam ad cósummandum, poterit, non obstante iuramento, talem statum perfectiorem eligere, & vitam religiosam ingredi. Consequentia probatur, quià si iuramentum ratione perfectioris status, qui eligitur, non obstat in præsenti casu, neque obstare posse videtur ratione eiusdem in secundo.

Votum mutabile est in votum Religionis.

Subiectio Clerici suo Episcopo æquiualet promissioni cum iuramento.

4 *Soluuntur rationes opposita.*

Ad rationes, quæ ex aduerso afferebantur, iam patet ex superius dictis, quid respondendum, quià iuramentum quidem adimplendum est, quando licitè potest adimpleri, cum hac tamen limitatione, nisi ipsius adimplementum obsistat perfectiori statu Religionis per allegata superius iura. Deindè dato etiam, quod ex vi iuramenti de contrahendo teneretur prius contrahere, (quod tamen Pontifex ibi non definit, cum dicat solummodò tutius est, per quod non excludit, quod tutum sit etiam sine contractu ad Religionem immediatè commigrare, quandòquidem comparatiuum supponit positiuum,) quam ingredi monasterium, nihilominus non sequitur, quod ex vi iuramenti de cósummando teneatur prius consummare. Ratio deducitur ex eodem textu *in d. c. commissum de sponsalibus*, quià in tantum tutius est prius contrahere stante iuramento, quam ingredi Religionem, quià iuramentum simul cum proposito ingrediendi saluari potest. - Ibi - *Religione iuramento seruata prius contrahere, & postea si elegerit ad Religionem migrare*, & *Glosa ibidem in verb. tutius* subdit, *& hoc faciendo potest vtrumque seruare, & iuramentum, & propositum suum, & ideò dicit tutius*, in hac autem hypothesi de iuramento consummandi non potest vtrumq; seruare, nam posita semel consummatione non potest ad Religionem commigrare, vt per se patet, ergò &c. Ad id, quod subditur, dicendum est, quod quamuis Deus regularitèr non acceptet fidem alteri obligatam, acceptet tamen, quandò cadit in maiorem vtilitatem eiusdem obligantis, qui etiam supponitur se obligasse sub tacita condione, si perfectiorem statum Religionis elegerit; cæteroqui etiam posita simplici promissione de contrahendo matrimonium de futuro non posset promittens ingredi Religionem, quià proptèr fidem alteri datam non esset præsumptio, quod Deus acceptaret propositum ingrediendi Religionem, cum apud Deum æquè obligat simplex promissio, ac iuramentum.

Non potest vtrumque simul obseruare.

Glosa.

Acceptat quando cadit in maiorem vtilitatem se obligantis.

§. XV.

Quænam consuetudo seruanda est in sponsalibus, quandò diuersa est in regione sponsi, & sponsæ.

SVMMARIVM.

Referuntur casus, ex quibus oritur dubium. 1.
Sponsus contrahens iuxtà consuetudinem loci sponsæ licet diuersam à propria validè contrahit sponsalia. 2.
Limita, nisi constet de contraria mente sponsi contrahentis. 3.

1 DIsquisitio XV. Viget consuetudo in Regione Semproniæ, quod propriè non contrahantur sponsalia, nec matrimonium per illa verba, *Volo tecum contrahere, volo te ducere, te habere in vxorem*, cum secundum communem illius regionis acceptionem

tionem sumantur, vt manifestatiua merè propositi promissionis, non eiusdem promissionis formalitèr. Rursus etiam in eadem regione est consuetudo, vt accipiantur pro sponsalibus illa verba, quibus vnus dicit alteri, *Ego ducam te*, & alter respondet fortè, *& ego ducam te*, quamuis ex natura sua huiusmodi verba sint indeterminata. Ex aduerso in Regione Theodorici volentis cum eadem Sempronia contrahere verba illa in vtroque casu exposita secundum consuetudinem, & communem acceptionem sumuntur dumtaxat vel pro proposito promissionis, vel pro verbis, cum sint indeterminata, suspensiuis. His positis Theodoricus in regione Semproniæ protulit dumtaxat illa verba, *volo tecum contrahere, te ducere, te habere in vxorem*, vel fortè illa, *ducam te*, & Sempronia respondit, *fortè, & ego ducam te*, quæ verba secundum consuetudinem regionis eiusdem Theodorici non sunt constitutiua sponsalium. Quæritur iam hic, an præsumendum sit, quod Theodoricus validè contraxerit eadem sponsalia.

Diuersa consuetudo refertur, & circa illam exponitur dubium.

2 Respondeo, vbi non constat de contraria mente Theodorici contrahentis, præsumendum esse pro validitate sponsalium, *Siluester verb. matrimonium 2. num. 4. Tabiena verb. impedimentum 3. nu. 4. Panormitanus in cap. 1. de sponsalib.* Expressè hæc responsio *in d. c. 1. de sponsalib.* vbi definitum est matrimonium initum inter Franciscum, & nobilem fœminam de Saxonia iuxtà consuetudinem regionis Saxoniæ, licet non approbatam in Regno Franciæ, tenere. Ratio ex eo deducitur, quià in celebratione contractus attendenda est consuetudo loci, in quo fit celebratio, quoad ea, quæ pertinent ad constitutionem eiusdem contractus, *Bartolus in l. 1. §. fin. ff. de ven. inspic. l. si fundus, & ibi Bartolus, ff. de euict. Innocentius in c. 1. 2. col. vers. illud tamen nos. de consuet. l. semper., & ibi Alexander, ff. de reg. iur.*, & præcipuè in terminis sponsal. *Baldus in auth. omnes in 2. col. in princip. vers. fallit in dote C. communia de success.*, & semper est præsumptio, quod aliquis contrahens in aliquo certo loco accomodet se consuetudini talis loci, *Panormitanus in c. 1. de sponsalib.*, qui etiam docet, quod, si agatur de executione, vel alijs obseruandis post contractum, debeat attendi consuetudo domicilij mariti *l. fin. § item rescripserunt, ff. ad municip.*

Celebrata iuxta consuetudinem loci, in quo celebrantur, valida sūt. Siluester. Tabiena. Panormit.

Consuetudo loci, in quo celebratur, seruanda. Bartolus. Innocent. Alexander Baldus.

3 Dixi, *vbi non constet de contraria mente Theodorici*, nam si re vera Theodoricus intenderet contrahere iuxtà consuetudinem suæ patriæ, & de tali intentione per aliquod signum sensibiliter appareret, tunc certè dubium non esset, quod illa verba non tenerent in vim sponsalium, sed solummodo propositi ad eadem. Quod si supponas re vera Theodoricum intendere sequi consuetudinem suæ patriæ, hanc tamen intentionem sensibilitèr non indicare, nec aliundè innotescere, tunc in foro externo præsumendum esset pro validitate sponsalium, quià præsumptio stat pro consuetudine loci, in quo initur contractus per allegata superius iura; in foro tamen interno illa expressio per allegata verba non teneret in vim sponsalium, quià sponsalia non tenent sine debito consensu, & deliberatione contrahentium, nec sufficit expressio sine interno animi motu, nam, sicuti si quis expressè declararet consensum, internè tamen fictè consentiret, non constitueret vera sponsalia per superius allegata, ità si quis consentiret in loco, in quo consuetudo obtinuit, vt certa verba habeantur pro sufficientibus ad valorem sponsalium, quæ vel ex genere suo apta non sunt, vel ex consuetudine loci, in quo ipse domicilium habet, nec tamen haberet animum contrahendi iuxtà consuetudinem illius, sed iuxtà consuetudinem suæ patriæ, non sufficientèr consentiret, quantum requiritur ad validitatem sponsalium.

Nisi constet de mente contraria.

§. XVI.

An oriatur impedimentum publicæ honestatis, si maior septennio ducat minorem, eamque in domum traducat.

SVMMARIVM.

Refertur status quæstionis propositæ. 1.
Ex illis sponsalibus ante septennium initis, si minor ante illud decesserit, non oritur impedimentum publicæ honestatis. 2.
In suppositione, quod ante septennium verè illa fœmina attigerit vsum rationis, non consurgit publica honestas impeditiua matrimonij cum consanguinea, nisi ad primum gradum. 3.

1 Disquisitio XVI. Caius annorum duodecim duxit Flauiam minorem septennio, eamque in domum suam traduxit, & fortè etiam commisceri tentauit, sed complere non potuit. Mortua posteà fuit eadem Flauia, vel fortè etiam ipse Caius ab ipsa recessit, antequam post completum septimum annum illa consentiret, & posteà cum alia consanguinea eiusdem Caiæ contraxit matrimonium per verba de præsenti. Orta fuit hic controuersia, an illud matrimonium cum consanguinea illa Flauiæ subsisteret, an verò dirimeretur ex impedimento publicæ honestatis.

Exponitur factum.

Textus *in c. iuuenis de sponsalib.* proptèr dubietatem, quæ videtur inesse huic casui apertè asserit huiusmodi matrimonium, cum consanguinea Flauiæ non subsistere, non solum proptèr honestatem Ecclesiæ, sed etiam, quià in dubijs, quod certius existi-

Explicatur textus in c. iuuenis de sponsalibus

existimamus, tenere debemus, quod etiam euincitur *ex c. 2. §. item si de panit. dist. 7., & c. ad audientiam de homicid.* Sed quoad præsentem textum maxima potest esse difficultas in eo, quod non videtur, posse esse dubietas in præsenti casu; certum est enim ante septennium validè non contrahi posse sponsalia, & si quandoque ante tale tempus per parentes nomine filiorum contrahantur, non obligant quoad vsque iidem filij post completum septennium ea rata habuerint per ea, quæ suprà diximus sub *hoc eod. tit. de sponsalibus prænot. 3. assert. 1.* iuxtà mentem *D. Thomæ in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 2. ad primum, Paludani ibidem q. 1. art. 1. concl. 1. n. 4.* per textum *in cap. si inferentes de despons. impub. in 6.*, ergò quoad vsque rata habeantur per eosdem minores septennio parere non poterunt impedimentum publicæ honestatis. Quomodo igitur in hoc potest esse dubietas, si expressè supponitur de minoritate, & ante septennium decessisse, vel promissionem maioris fuisse dissolutam?

D. Thomas. Paludanus.

2 Respondeo igitur, quod, si re vera Flauia, nec attigerit septennium, nec malitia supplente ætatem fuerit consecuta vsum rationis, & decesserit ante illius assecutionem non oriatur impedimentum publicæ honestatis, nec dissoluatur subsequens matrimonium contractum per Caium cum ipsius consanguinea. Ita sentiunt quotquot sustinent, non subsistere sponsalia inita ante septennium etiam per parentes nomine filiorum minorum, nisi, postquam illi peruenerint ad septennium, vel ad vsum rationis, ea rata habuerint, *Coninckus disp. 21. dub. 3. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 4. nu. 8. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 23. num. 5.* Expressè deducitur argumento eorum, quæ habentur *in c. vnico §. fin de desp. impub. in 6.* vbi sic legitur. *Si iidem filij tempore sponsalium absentes, & etiam ignorantes eadem sponsalia post scientes ratificauerint tacitè, vel expressè, alias ex sponsalibus contractis à parentibus pro filijs, nec ipsi filij obligantur, nec publica honestatis iustitia indè surgit*; ex quibus ad rem nostram efficax sic desumo argumentum. Non oritur iustitia publicæ honestatis, si parentes pro filijs absentibus, & ignorantibus sponsalia contraxerint, & ipsi post scientiam rata non habuerint per allegatum textum, ergò, nec orietur, si iidem parentes pro filijs impuberibus ante septennium, & ante vsum rationis eadem spõsalia cõtraxerint, & iidem filij, vel per obitum subsequentem, vel ex alio titulo per dissolutionem non ratificauerint. Consequentia tenet, quià, si hæc valent, quandò sunt maiores septennio, & absentes, non video, cur valere non debeant, quandò contractus fuit initus ipsis inhabilibus ad contrahendum, & consentiendum. Probatur vlteriùs, quià impedimentum publicæ honestatis non consurgit, nisi ex sponsalibus vtique validis, vel ex matrimonio rato ex communi DD. placito, sed sponsalia contracta ante septennium, & post idem non ratificata non sunt propriè sponsalia, nec tenent in vim sponsalium, ergò ex illis non oritur iustitia publicæ honestatis; Nec obesse potest, quod fuerit per Caium attentata cũ eadem Flauia copula carnalis; Non, inquam, obesse potest, quià cum supponatur illa sine consensu eiusdem Flauiæ, quæ cum ob defectum ætatis requisitæ, & vsus rationis non potuit consentire ad sponsalia, nec potuit consentire ad carnalem sui cognitionem, & cum eadem attentatio non fuerit completa, per consequens etiam debet supponi, quod per illam non fuerit inductum aliquod impedimentum, sicuti non est inducta aliqua affinitas cum consanguineis eiusdem Flauiæ.

Non oritur ante septennium publica honestas.

Coninch. Bonacina. Sanchez.

Priora sponsalia ante ratificationem post septennium non sunt valida.

Attentata copula nil efficit.

Neque obesse potest textus allegatus *in d. c. iuuenis de sponsalibus*, quandoquidem ille textus innititur dumtaxat præsumptionibus, quod Flauia quantumuis non attigerit septennium, attigerit tamen vsum rationis, quod arguit non solum ex traductione eiusdem Flauiæ in domum sponsi, & ex attentata copula cum eadem, sed ex cõmuni existimatione, quod illa in faciem Ecclesiæ habita fuit vera, & propria sponsa, & propterea dicit, *propter honestatem Ecclesiæ*, nec incongruè existimãdum est talem fuisse mentem Pontificis sic decernentis, quãdoquidem dicit, quod in dubijs, quod certius *existimamus tenere debeamus*. Quomodò autem potest esse dubium, si certum esset Flauiam vsum rationis non attigisse? Certè si ex toto ante septennium ducta fuit, & post septem annos non consensit, vel ante recessit, res non est dubia, sed certa, ergo non impeditur matrimonium cum consanguinea, etiam cum matre, prout expressè habetur *in c. literas 4. de desponsat. impub.* vbi dicitur, quod ex sponsalibus contractis cũ minore septennio non oriatur impedimẽtum publicæ honestatis, & qui desponsauit minorem septennio, cum eius matre contrahere possit, quod idem habetur *in c. accessit eod. tit.* Deindè, si supponatur certè vsum rationis attigisse, non est dubium quod sponsalia teneant per textum *in cap. sponsam de sponsalibus, & c. continebatur §. si vero de desponsat. impub.* Ad euitandas igitur has difficultates, & iurium oppositionem, absolutè asserendum est, textum *in d. c. iuuenis*, procedere dumtaxat, quando dubium est, quod attigerit vsum rationis, & tunc dicit, quod certiùs tenendum est; maiorem autem certitudinem in speciali hoc casu in illo copulæ attentato habetur, prout habet *Glosa ibidem verb. dubia* ibi: *Veruntamen quià tentauit, quod complere*

Textus innititur præsumptionibus.

Non potest esse dubiũ de inualiditate sponsalium.

plere non potuit, præsumatur quod erat doli capax, siuè quià malitia supplebat ætatem quoad sponsalia &c.

In suppositione igitur talis vehementis præsumptionis, quod attingerit vsum rationis, statuit Pontifex, quod intelligatur ratione talis contractus iustitia publicæ honestatis, quæ cum sit per sponsalia præcisa post Concil. Trident. *sess. 24. c. 3.* non extenditur ad impediendum matrimoniũ, nisi ad consanguineam in primo gradu, ad differentiam eius, qui contraxit matrimonium per verba de præsenti, tunc etenim ratione publicæ honestatis impeditur ad contrahendum cum consanguineis eius, cum qua contraxerat vsque ad quartum gradum inclusiuè *Diana part. 9. tract. 6. resol. 53.*

Illa honestas non impedit, nisi ad primum gradum.

§. XVII.

An, si sponsalia prius legitimè contracta legitimo vtriusque contrahentis consensu dissoluantur, adhuc remaneat iustitia publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

Series facti in particulari. 1.
Sententia asserens non dissolui tale impedimentum. 2.
Sententia contraria asserens dissolui. 3.
Probabilior est prima sententia asserens non dissolui. 4.
Dissoluitur fundamentum Dianæ aduersantis. 5.

1 *Status controuersiæ.*

DIsquisitio XVII. Contracta fuerunt sponsalia inter Caium, & Meuiam per legitimum consensum, & seruatis omnibus conditionibus à iure requisitis. Rebus sic stantibus communi consensu ab eisdem sponsalibus recesserunt, quod vtrique validè, & licitè fieri posse habetur *ex c. 2. de sponsalib. ex c. 1. de reg. iur.*, vbi habetur, quod omnis res, quæ per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluatur, atque ità tenent ex Theologis *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad quintum, D. Antoninus 3. parte tit. 1. c. 18. §. 1. casu 5.* Ex iuris peritis, *Gofred. in summa tit. de sponsalib. num. 9., Hostiensis c. 2. de sponsal. in fin., Innocentius c. sicut eod. tit. num. vnico.* Contedebat posteà Caius sororem eiusdem Meuiæ in matrimonium sibi copulare. Circa hic fuit controuersia, an licitè hoc potuerit præstare, an vero impedimento publicæ honestatis retraheretur à contrahendo.

D. Thomas. D. Antoni. Gofredus. Hostiensis. Innocent.

2 *Sententia asserens, nõ oriri impedimentum tale, eiusq; rationes.*

Plerique eo moti fundamento, quod impedimentum publicæ honestatis non dissoluatur per mortem alterius ex sponsis per sponsalia antea legitimè contracta, asserebant etiam, quod illud non dissoluatur per dissolutionem sponsalium præstitam per mutuum consensum, nam tale impedimentum fundatur in sponsalibus ipsis, si igitur dissolutis sponsalibus per mortem vnius ex contrahentibus non intelligitur dissoluta iustitia publicæ honestatis, ita nec dissoluta intelligitur, si dissoluantur sponsalia per mutuum consensum; semper enim verificatur, quod inter eosdem fuerint inita vera sponsalia, & quod fuerint sponsus, & sponsa, & pro eo tempore, quod precessit ad dissolutionem, licita erant eisdem ea omnia, quæ sponsis concessa intelliguntur; atque huius opinionis fuit *Sanchez tom. 2. de matrimonio lib. 7. disp. 68. num. 21.*, qui vlterius hanc ad hoc confirmandum addit rationem, quod huiusmodi impedimentum sit ex genere suo perpetuum; non esset autem tale, si mutuo consensu dissolutis sponsalibus dissolueretur. Sanchez.

3 *Sententia asserens oriri.*

Ex aduerso *Emanuel Sà verb. matrimonium de impedimentis dirimentibus num. 12., Rebellius part. 2. lib. 3. q. 14. num. 3., Diana part. 3. tract. 4. resol. 222.* sustinent per dissolutionem contractus sponsalium inductam per mutuum contrahentium consensum dissolui etiam tale impedimentum, ad quod etiam euincendum idem *Rebellius loc. cit.* adducit Sacræ Congregationis declarationem, & Diana loc. cit. testatur se, cum fuerit de hoc casu consultus, traxisse in suam opinionem viros plures Doctos, tum ex Dominicanorum familia, tùm ex Societate Iesu, atque pro eadem citat *Basilium Pontium de matrimonio lib. 7. c. 36. num. 9., Gutierez de matrimon. c. 103. num. 11.* Quid igitur hac in re concludendum.

Rebellus. Sà. Diana. Pontius.

4 *Probabilius tale impedimentum non dissoluitur.* Sanchez.

Respondeo, probabilius esse in ea hypothesi cum dissolutione sponsalium per mutuum consensum non dissolui impedimentum publicæ honestatis. Ità *Sanchez qui supra*. Ratio ex eo desumitur, quià impedimentum, quod oritur ex sponsalibus legitimè contractis, & ex matrimonio rato est ex genere suo perpetuum *Glosa c. vnico de sponsalib. in 6. verb. publicè, & ibi Ioannes Andreas num. 5., Abbas c. sponsam num. 2. de sponsalib., & ibi Alexander de Neuo num. 7., Sotus in 4. distinct. 41. q. vnica a. 2. col. 4. vers. 2. conclusio in fin., Toletus lib. 7. summa c. 10. num. 2., Manuel 1. tom. summa 2. edit. c. 234. num. 1.*, atque hoc probat *Sanchez ex c. sponsam de sponsalib., & c. si quis vxorem, & c. si quis desponsauerit 27. q. 2.*, vbi dicitur, nullum ex consanguineis alterius sponsi posse ducere sponsam, quod asserit non intelligendum quoad extensionem ad quemcunque gradum consanguinitatis, sed solummodo intrà gradus à iure prohibitos ad extensionem cuiuscunque temporis, adeo vt sonet, quod nullo vnquam tempore possit consanguineus intra gradus prohibitos contrahere, sed non esset tale, si dissolutis per

Impedimentum ex genere suo est perpetuũ. Glosa. Ioannes Andræas. Abbas. Alexander de Neuo. Sotus. Toletus. Manuel.

mutuum consensum sponsalibus anteà legitimè contractis dissolueretur, vt ex se patet, ergò &c. Confirmatur primò, quià motiuum, ob quod iura induxerunt hoc impedimentum, adhuc viget, quantumvis sponsalia per mutuum consensum fuerint dissoluta, nàm hoc inductum est, ne ille, vel illa, qui, vel quæ quodamodo per sponsalia ante ritè, & legitimè celebrata erat sub aliquali potestate sponsi, fieret posteà sub potestate alterius eiusdem sponsi consanguinei, quod iura proscribunt; exigit enim honestas, vt ius ad sponsum ad consanguineos non transeat, sed hoc idem militat, quando sponsalia legitimè contracta posteà per mutuum consensum dissoluuntur, non minus ac si dissoluantur per mortem, quandoquidem semper verificatur, quod fuerit sponsa illius, cuius alter posteà contrahens est consanguineus.

Ius ad sponsum ad consanguineos non transit.

5 Neque hic audiendus est *Diana d. tract. 4. resol.* 223., qui assignare contendens discrimen inter dissolutionem sponsalium factam ob mortem vnius, & dissolutionem positam per mutuum consensum asserit, quod per illam non tollatur impedimentum publicæ honestatis, quià ille, qui decedit, censetur in eadem volũtate decedere, per hanc verò tollatur, quià non solum implicitè sublata est voluntas, sed etiam expressè; Non, inquam, audiendus est, quià tale impedimentum annexum est sponsalibus validis ex dispositione iuris Ecclesiastici, quibus semel initis non est amplius in potestate contrahentium ab impedimento ex illis contracto recedere, cum nequeant vinculum dissoluere, quod Ecclesia constituit maximè perseuerante eodem motiuo, ob quod constitutum est. Deindè nihil confert, quod moriens in ea voluntate decesserit, quandoquidem per mortem ea voluntas extinguitur, & sicut alter superstes liber remanet ab onere sponsalium, ità non est, cur liber non remaneret, si dissolutis sponsalibus per mutuum consensum dissolueretur impedimentum, nam eidem non infertur iniuria, si cum consanguineo ipsius post mortem sponsi contrahat, sicuti non infertur iniuria, si cum alio quocunque contrahat. Impedimentum igitur non inducitur ob iniuriam, quæ inferatur alteri contrahenti, siuè decedenti, siuè recedenti, sed ob honestatem, quæ consistit in eo, quod duo consanguinei non habeant potestatem in eadem sponsam, quæ honestas æquè consideranda est, siuè sponsalia dissoluantur sponte, siuè ob casum mortis inopinatæ alterius sponsi.

Fundamentum Dianæ aduersantis eruitur.

Impedimentum semel inductum non pendet à voluntate contrahentis.

Per mortem voluntas extinguitur.

Confirmatur secundò, quià, si vnus ex contrahentibus recederet à sponsalibus ex causa à iure approbata, vel ob fornicationem alterius, vel ob aliquod aliud simile adhuc remaneret impedimentum publicæ honestatis, ergò etiam remanet, quantumvis ex mutuo consensu ambo recedant. Antecedens non vertitur in dubium. Consequentia probatur, quià, quod vnus recedat altero consentiente, vel recedat ex legitima causa iure approbante quoad effectum paria sunt, nam approbatio iuris æquiualet alterius consensui, cum cogat ipsum consentire, & habeat ipsum pro cõsentiente.

Euincitur etiam paritate responsio.

§. XVIII.

An sponsalia quomodocunque irrita absoluant ab impedimento publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.
Attento iure antiquo ex quocunque capite excepto defectu consensus inualidè contraherentur sponsalia, oriebatur impedimentum publicæ honestatis. 2.
Impedimentum illud extendebatur ad quartũ gradum. 3.
Stante Concilio Tridentino ex sponsalibus inualidis, non oritur illud impedimentum. 4.
Dispositio Concilij extenditur etiam ad sponsalia antecedenter inita ad ipsius editionem. 5.
Extenditur, etiam quando sponsalia sunt irrita ex solo defectu consensus interni. 6.

Disquisitio XVIII. Contraxerat Caius cum Theodorica, sed inualidè sponsalia, vel quià innodatus erat aliquo impedimento dirimente, vel quià internè non consenserat, vel fictè, vel quouis alio modo. Orta hic fuit controuersia, an ex tali contractu, quantumuis irrito, ortum esset impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius alter non posset contrahere cum consanguineis eius, qui inualidè ex dictis capitibus contraxerat. 1

Quæstionis status elucidatur.

Hæc difficultas, vel examinari potest attento iure antiquo per textum *in c. vnico de sponsalibus in* 6. vel attento iure nouo *Concil. Trident. sess.* 24. *de matrimon. cap.* 3. Rursus, vel quoad sponsalia inualida ex inhabilitate contrahentis, vel ex alio quocunque defectu substantiali, vel ex præcisò defectu consensus interni.

Secundum duplex ius potest examinari.

Respondeo primò, attento iure antiquo, si excipias defectum consensus, sponsalia irrita ex alio quocunque capite, vt si Religiosus, affinis, consanguineus, sacris initiatus, aut alio impedimento dirimente laborans contraxisset, pariebant impedimentum publicæ honestatis vsque ad quartum gradum, *Glosa in c. vnico verb. dissoluendum de sponsalibus in 6. & ibi Francus nu.* 2., *Innocentius c. ad audientiam in fin. de sponsalib.*, *Astensis secunda part. summa lib.* 8. *tit.* 24. *art. vnico qu.* 3., *Angelus verb. matrimo-*

De iure antiquo etiam ex sponsalibus inualidis oriebatur tale impedimentum.

Glosa. Francus. Innocent. Astensis. Angelus. Couaruuias

trimonium 3. impediment. 14. *num.* 11., *Couaruuias quarto decr. part.* 2. *cap.* 6. §. 2. *nu.* 2. Colligitur *ex c. vnico de sponsalibus in* 6., vbi sic legitur. *Ex sponsalibus puris, & certis, etiam si consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, Religionis, aut alia quauis ratione sint nulla, dummodò non sint nulla ex defectu consensus oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sponsalia, vel matrimonia impedimentum iustitia publica honestatis*; vbi nota illa verba, *puris*, quæ ponuntur dumtaxat ad contradistinguenda sponsalia à côditionalibus, & *certis*, ad contradistinguenda eadem ab ijs, quibus promisit ducere vnam de pluribus non determinatam.

Dixi, *si excipias defectum consensus*, non solum propter allegatum textum *in d. c. vnico de sponsalib. in* 6. sed etiam ad excludendam instantiam, quæ fieri potest contrà eundem textum propter illa verba *etiam si Religionis, aut alia quauis ratione sint nulla*; possent enim dicere, quod, cum Religiosus nec habeat velle, nec nolle, non posse habere videatur côsensum, & tamen dicitur, quod ex ipsius consensu oriatur iustitia publicæ honestatis; cluditur namque per hoc, quod quantumuis non habeat velle, & nolle ciuiliter, habet tamen naturalitèr per textum *in l.* 1. *ff. de pactis*, hocque sufficit de iure antiquo ad inducendum tale impedimentum.

Religiosus habet velle, & nolle naturaliter

3 Dixi, *vsque ad quartum gradum*, nam quantumuis textus allegatus *in d. c. vnico* non exprimat talem gradum determinatè, nihilominus ex communi Iuristarum, & Theologorum acceptione extenditur ad illum gradum, ad quem extenditur côsanguinitas ad impediendum matrimonium, *D. Thomas in* 4. *dist.* 41. *qu. vnica artic.* 1. *quæstiuncula* 4. *in corpore*, *D. Antoninus tertia part. tit.* 1. *c.* 10. *not.* 1., *Caietanus in summa verb. matrimonium c.* 1. *imped. num.* 10., *Valentia* 4. *part. disp.* 19. *qu.* 5. *punct.* 3., *Ioannes Andreas c. ad audientiam in fine de sponsalibus*, sicuti enim per matrimonium affinitas contrahitur dirimens vsque ad quartum gradum, ità ex sponsalibus aliud vinculum publicæ honestatis oritur, minus tamen perfectum dirimens vsque ad eundem gradum.

Impedimentum erat vsque ad quartum gradum. D. Thomas. D. Antoni. Caietanus. Valentia. Ioannes Andreas.

4 Respondeo secundò, stante dispositione *Concil. Trident. d. c.* 3. *sess.* 24. *de matrimonio* sponsalia irrita vel ex inhabilitate contrahentis, vel ex quocunque alio defectu de iure irritante contractum non pariunt effectum, seù impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, quod tamen non excedit primum consanguinitatis gradum *Petrus de Ledesma de matrimonio qu.* 55. *art.* 4. *dub.* 1., *Manuel. primo tom. summa secunda edit. c.* 234., *Vega* 2. *tom. summa c.* 34. *casu* 16., *Sanchez tom.* 2. *de matrimonio lib.* 7. *disp.* 60. *nu.* 10. *& seqq.* Expressè colligitur *ex d. sess.* 24. *c.* 3. *Concilij*, in quo est correctorium iuris antiqui. Solum hic remanet dubitandum an dictum Concilium Tridentinum solummodò disponat quoad sponsalia post ipsius editionem celebrata, an verò etiam quoad celebrata antecedentèr ad ipsum; quidquid ex aduerso senserit *Nauarrus in summa cap.* 22. *nu.* 58. *in fine* sentio absolutè dispositionem Concilij extendi etiam ad sponsalia de præterito, adeò vt, si illa fuerit irrita, etiam nunc nullum pariat impedimentum publicæ honestatis *Henriquez lib.* 1. *de matrimonio c.* 10. *nu.* 2., *VeraCrux append. ad specul. vbi de impedimento affinitatis ad fin.*, *Sanchez d. lib.* 7. *disp.* 68. *nu.* 11., hocq; expressè constat ex declaratione Pij V., prout refert idem Sanchez loco cit. 5

Ex sponsalibus irritis de iure nouo non consurgit tale impedimentum. Petrus de Ledesma. Manuel. Vega. Sanchez.

Extenditur etiam ad sponsalia antecedenter inita. Pius V. Henriquez. VeraCrux. Sanchez.

Hic excitat difficultatem idem *Sanchez nu.* 13. an ea, quæ dicta sunt in hac responsione, intelligenda sunt præcisè, quando sponsalia sunt irrita, vel ex inhabilitate personæ, vel ex defectu iuris requisiti ad validitatem ipsorum, an verò etiam, quâdò habitis omnibus de iure requisitis solus deficit internus animi consensus, licet extrinsecùs appareat, adeò vt si alia omnia sint requisita, & solus internus côsensus deficiat, non oriatur impedimentum publicæ honestatis. Ipse *Sanchez n.* 14. absolutè sentit in ea hypothesi impedimentum publicæ honestatis consurgere, quia hoc inductũ est ob publicã honestatẽ, & ad vitanda scandala, quæ scandala æquè esse possunt, quandò positis alijs omnibus requisitis solus internus consensus deficit, ac quandò ipse cum eisdem requisitis concurrit, quandoquidem ille consensus internus omnes latet. Nihilominus meo videri consonantiùs procedunt *Nauarrus in summa cap.* 22. *num.* 57., *Vera Crux in append. ad speculum, dum de impedimento publica honestatis*. *Petrus de Ledesma de matrim. qu.* 55. *art.* 4. *in dubio primo, quod mouet circa solutionem ad tertium*, asserentes post Concil. Trident. etiam si sponsalia deficiant solummodò quoad illum consẽsum internum non gignere illud impedimentum, nec incongrua sanè ratione hoc decernunt, quandòquidem Concil. verbis expressis, & prægnantibus excludit tale impedimentum à sponsalibus inualidè initis ex quacunque causa sint irrita, & inualida, qui autẽ dicit quamcunq; causã, nullã excludit. Deindè *Concil. Trident. loco cit.* corrigit *d. c. vnicũ de sponsalibus in* 6. quoad ad ea, in quibus dictum *c. vnicum* inducebat impedimentum illud annullando, quandò sunt irrita, & simul corrigit consensum includendo, quod dictum *c. vnicũ* excluserat, dum dicit *ex quacunque causa*. Deindè hoc impedimentum oritur tanquam à radice ab vnione, & propinquitate, quam causant sponsalia, sed vbi deficit

6 *Sententia Sanchez asserentis ob solum defectũ consensus interni ex sponsalibus irritis oriri impedimentum.*

Præfertur sententia contraria. Nauarrus. VeraCrux. Petrus de Ledesma.

Impedimentum oritur ab vnione, & propinquitate,

ficit consensus, non potest esse hæc vnio, & propinquitas, quæ oritur ex eodem cōsensu, ergò non potest esse hoc impedimentum; Neque dicas, impedimentum huiusmodi oriri quidem ex illa vnione, & propinquitate, non quomodocunque, sed apparente, cum sit in ordine ad euitanda scandala; Contrà enim impugnaberis, quià in primis hac etiam ratione oriretur impedimentum publicæ honestatis, si quis contraheret sponsalia alligatus voto simplici castitatis, quod non innotesceret, quandoquidem & hoc non apparet, & tamen Concilium definit ex sponsalibus *ex quacunque causa*, inualidis non oriri huiusmodi impedimentum, quod etiam verificaretur in ordine ad alias omnes causas, si essent occultæ. Deinde illud impedimentum non est inductum ex scādalo quomodocunque, sed ex scandalo habente fundamentum in causa existente, non præcisè concepta, cæteroqui etiam consurgeret impedimentum affinitatis ex copula præcisè appræhensa, vel intentata, & non consumata, quod nemo dicet.

Concil. loquitur ex quacunque causa.

§. XIX.

An, si contrahantur sponsalia per parentes nomine filiorum præsentium, & tacentium, consurgat impedimentum publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

Exponitur facti series. 1.

Contractis sponsalibus per parentes nomine filiorum minorum septennio, si alter ipsorum perierit, antequam post septennium rata habuerit, non consurgit publica honestas. 2.

Contractis sponsalibus per parentes nomine filiorum minorum præsentium, & tacentium consurgit saltem in foro Ecclesiæ impedimētum publicæ honestatis. 3.

Si fuerint maiores, & absentes, & interim antequam conscij redderentur, alter ipsorum perierit, tale impedimentum non consurgit. 4.

1 *Refertur factum.*

Disquisitio XIX. Nomine Caij filij sui præsentis, & tacentis Cæsar, & nomine Agatæ filiæ suæ paritèr præsentis, & tacentis Sempronius contraxerant sponsalia pro eisdem, vel fortè etiam nomine eorundem absentium. Posteà idem Caius nulla habita ratione de sponsalibus per Cesarem Patrem suum initis contraxit cum sorore eiusdem Agatæ per consensum proprium, vel fortè eadem Agata cum Fratre eiusdem Caij. Orta hic fuit controuersia, an huiusmodi sponsalia de nouo inita per eosdem filios ex proprio consensu subsisterent, an verò ex impedimento publicæ honestatis ex prioribus sponsalibus per parentes eorum initis irritarentur.

Varij sensus, secundum quos potest examinari titulus.

Hæc difficultas examinari potest secundum multiplicem acceptionem; Primò, quandò filij erant minores septennio, quandò pro ipsis præsentibus parentes contraxerunt. Secundò, quandò erant in legitima ætate ad contrahendum, & præsentes fuerunt contractui, nec contradixerunt. Tertiò, quandò erant maiores, sed absentes, & antequam conscij fierent de contractu per parentes inito alter eorum decesserit, vel alio modo sponsalia sint dissoluta.

2 *Non consurgit publica honestas ex sponsalibus initis ante septennium nisi post septennium rata fuerint habita* Sanchez.

Respondeo primò, si filij fuerunt minores septennio, quandò per parentes nomine ipsorum fuerunt sponsalia contracta, & alter ipsorum perierit, antequam post septennium rata habuerit eadem sponsalia non oritur impedimentum publicæ honestatis, & alter superstes potè liberè contrahere cum consanguineis alterius defuncti. Sic sentire videtur, *Sanchez. lib. 7. de impedimentis disp. 68. n. 18., & seqq.* Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus, quià, quantumvis parentes possint contrahere pro filijs absentibus, vel minoribus septennio, contractus tamen non tenet, nisi postquam peruenerint ad septennium, vel expressè, vel implicitè ratificauerint, ergò, si alter perierit ante talem, vel expressam, vel implicitam ratificationem non orietur impedimentum publicæ honestatis, quandòquidèm hoc non consurgit, nisi ex sponsalibus completis, nam cum hoc impedimentum sit odiosum, & quodamodò aduersans libertati matrimonij, est strictè interpretandum, nec extendendum, nisi causa, ob quam oritur, & inductum est sit vndequaque completa.

Impedimentum non consurgit, nisi ex sponsalibus completis.

Hinc monent, *Manuel 1. tom. summa 2. edit. c. 234. nu. 4. Bartolemaus de Ledesma de matrimonio dub. 43. in notab. post 4. conclus. Vega 2. tom. summa cap. 34. cas. 16.*, quod, quandò in contractu celebrato per parentes nomine filiorum, vel absentium, vel minorū septennio, ad cuis valorem requiritur ratificatio, atque de hac non constet sint cautè interrogandi ijdem filij, qui si affirmauerint, standum sit eorum dicto; quià contrà se testificantur, quinimmò etiam, si negauerint, quià aliundè haberi nequit veritas, nisi post acquisitum vsum rationis aliquos actus elicuerint, qui indicent talem ratificationem, quæque probari possit à testibus.

Manuel. Bartolom. à Ledesma Vega.

Dicto minorum standū est contra ipsos.

3 *Si fuerint maiores, & præsentes tacuerint oritur tale impedimentum.* Sanchez.

Respondeò secundò, si fuerint in legitima ætate constituti ad validè contrahendum, & ad præsentiam parentum, dum nomine ipsorum contrahebant cognoscentes ea, quæ fiebant, tacuerint, re vera saltem coram Ecclesia consurgit impedimentum publicæ honestatis. Ità *Sanchez. d. lib. 7. de impedim. disp. 68. n. 18.* Ratio ex ijs dedu-

deducitur, quæ suprà dicebantur, quià scilicet in facie Ecclesiæ talis contractus est validus, cum præsentia illa cum taciturnitate habeatur pro valido consensu requisito, sed ex contractu sponsalium valido consurgit tale impedimentum. Dixi, *saltem coram Ecclesia*, quià si verè consensum non præstiterit, propriè coram Deo, & coram conscientia, in qua pura veritas attenditur, tale impedimentum non consurgeret per superius allegata, & probata. Verumtamen est, quod in ea hypothesi nunquam præsumeretur talis defectus consensus, cum illa præsentia, & taciturnitas habeatur pro consensu.

Præsentia cum taciturnitate habetur pro consensu.

4 Respondeo tertiò. Si fuerint maiores, & absentes, dum per parentes nomine ipsorum celebrata sunt sponsalia, & interim, antequam facti fuerint conscij de tali celebratione, alter ipsorum decesserit, non oritur impedimentum publicæ honestatis, & superstes potest liberè contrahere cum consanguineis in quocunq; gradu alterius defuncti. Consonat hæc responsio cum prima. Ratio ex eo deducitur, quià, vt suprà afferebamus, propriè non tenent talia sponsalia, nisi fuerint per filios absentes, postquam conscij facti fuerint, ratificata, ergò ante talem ratificationem non consurgit impedimentum publicæ honestatis. Consequentia tenet, quià tale impedimentum oriri non potest ante orta perfectè sponsalia, ergò si illa perfectè non oriuntur ante ratificationem, ante eandem non oritur tale impedimentum.

Si fuerint maiores, & absentes nō oritur impedimentum ante ratificationem.

Ex dictis etiam sequitur, quod, si notitia celebrati contractus per parentes deuenerit ad vnum filiorum, qui re vera consenserit, eademque ratificauerit, & alter antequam talis notitia ad ipsum deuenerit, decesserit, non oriatur tale impedimentum. Ratio est, quià ex superius dictis per vnius tantum consensum non constituuntur sponsalia, sed tantum dum accedit alterius repromissio, cum sint ex genere suo contractus, adeoque vltrò, citroque obligatorius, ergò etiam per vnius tantum ratificationem non fiunt valida, nisi accedat alterius etiam ratificatio, ergò, si ante ratificationem alter decesserit, non erunt propriè in suo esse constituta sponsalia, adeoque, nec etiam inductum impedimentum publicæ honestatis. Vlterius non immoror circà hoc impedimentum, quandòquidem de ipso occurret infrà sermo vberrimus.

Etiam, si vnus factus fuerit conscius contractus, non tamen alter.



§. XX.

An sit culpa læthalis contrahere sponsalia ante septennium.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ. 1.

Probabilius nec parentes contrahentes nomine minorum, nec maior cum minori peccant læthaliter, quinimmò nec venialiter. 2.

Contrahentes matrimonium ante legitimam ætatem peccant læthaliter. 3.

Disquisitio XX. Titius maior septennio contraxit sponsalia cum Flauia in legitima ætate ad contrahendum non constituta, vel fortè etiam Parentes eiusdem Titij, & Flauiæ, dum vterque esset minor septennio pro ipsis contraxerunt. Quæritur hic, an idem Titius, si fuerit maior, vel parentes vtriusq; si illi fuerint minores, sic contrahendo læthaliter peccauerint. 1

Facti talis in fuit terminus.

Ratio dubitandi potissimum consurgit ex textu *in c. 2. de desponsatione impub.*, vbi sic legitur. *Districtius inhibemus, ne aliqui quorum vterque, vel alter ad ætatem canonibus determinatam non peruenerint, coniungantur, nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate interueniente vtpotè pro bono pacis talis coniunctio toleretur*, de quo etiam textu aliqua innuimus in præcedentibus; neque arbitrandum est, per huiusmodi verba importari solummodò consilium, non præceptum, vt videtur asserere *Ioannes Andraas in d. c. 2. num. 1. de desponsat. impub.*, non, inquam, arbitrandum est, quià per illa verba, *districtius inhibemus* importatur grauis prohibitio, quæ de genere suo importat præceptum *Paludanus in 4. dist. 28. q. 2. art. 2. num. 8.*, *Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 16. nu. 7.*, *Silvester eod. verb. 5. q. 6.*, & *verb. sponsalia q. 1. dict. 1.*, *Nauarrus in summa c. 22. num. 31.* Nihilominus

Textus indicans contrahi non læthalem.

Ioannes Andraas.

Paludanus. Angelus. Siluester. Nauarrus.

Respondeo, probabilius esse, nec parentes contrahentes nomine filiorum ante septennium, nec Titium contrahentem cum minori tali ætate, ex illo præcisè defectu ætatis peccare læthalitèr, quinimmò nec venialiter, *Manuel tom. 1. summa in 2. edit. c. 244. num. 2.*, *Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 17. num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià quantumvis iura præscribant septennium tanquam ætatem requisitam ad validitatem sponsalium, quando malitia non præuenit ætatem, non tamen constituunt actionem peccaminosam, si antecedentèr contrahantur, sed tantum ea irritant, si postquam peruenerint ad vsum rationis, rata non habeantur, quinimmò ex eo, quod iura approbent, si posteà ratificentur arguitur, nec esse in sua origine irrita,

2 Nec peccant mortalitèr, nec venialitèr. Manuel. Sanchez.

Iura irritant, non inducunt noxam.

irrita, nec inducere aliquam noxam; non primum, quiâ quod in sua origine absolutè inualidum est, non potest posteà per ratificationem reualidari; non secundum, quiâ iura non approbant ea, quæ in sui constitutione secum trahunt noxam læthalem. Confirmatur, quiâ per talem contractum initum ante septennium non irrogatur aliqua iniuria ipsis contrahentibus, nec sacramento, non sacramento, quiâ sponsalia sacramentum non sunt, non contrahenti, quiâ adhuc liber est ad resiliendum, postquam peruenerit ad septennium, seù ad completum vsum rationis, ergò non contrahitur aliqua noxa in celebratione eiusdem.

Nemini irrogatur iniuria.

Dices, noxam contrahi ex transgressione præcepti contenti in præcit. *c. 2. de desponsat. impub.*, non enim dubium est, quod iura potuerint hoc præceptiuè statuere ex aliquo fine ab Ecclesia præuiso; transgressio autem præcepti districti sub grauibus verbis est ex genere suo peccaminosa læthalitèr. Sed contrà, quiâ textus ille non procedit de sponsalibus, prout notat *Panormitanus in d. c. 2. num. 5., & ibi Præpositus num. 2. de desp. impub., Sanchez lib. 2. de sponsalib. disp. 17. nu. 4.*, quod satis indicant verba, quibus ille textus conceptus est; ibi enim dicitur, *Districtius inhibemus, ne coniungantur* rursus, *talis coniunctio toleretur*, sponsalia autem non sunt coniunctio, sed promissio coniunctionis.

Textus non procedit de sponsalibus
Panormit.
Præpositus
Sanchez.

Ex eo autem, quod ille textus non procedat de sponsalibus, ex directo sequitur, respicere dumtaxat matrimonium, circa quod posteà excitatur dubium, an sit peccatum læthale illud contrahere ante legitimam ætatem à sacris canonibus præscriptam. *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 17. num. 6.* existimat probabilius non contrahi noxam læthalem; propter eam rationem, quiâ à iure antiquo non est recedendum, nisi per nouum textum expresse corrigatur, eo quiâ iurium correctio, vt potè odiosa, sit omninò vitanda per textum *in l. præcipimus C. de appel.*, neque potest dici, quod per præsentem textum *in d. c. 2.* corrigatur cum, possit ità explicari, vt non corrigat, si v. gr. dicatur, quod, quantumvis verba concipiantur de præsenti, interpretetur quasi essent de futuro.

3
Contrahentes matrimonium ante legitimã ætatem peccant læthaliter.

Congruentius tamen existimo, nisi vel malitia suppleat ætatem, vel grauissima causa compellantur, grauitèr peccare, si contrahant ante legitimam ætatem *Paludanus in 4. dist. 28. q. 2., art. 1. num. 8., & 10., Angelus verb. matrimonium 3. impedim. 16., nu. 7., Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 13. num. 13., Petrus de Ledesma de matrim. q. 47. art. 2. dub. 3.* Ratio ex eo deducitur, quod expresse in tali *c. 2. de desponsat. impub.* importatur præceptum formale, vt assentitur idem *Sanchez d. disp. 17. num. 1.* Rursus ille textus non dirigitur ad sponsalia, sed dumtaxat ad matrimonium, vt testatur *idem Sanchez ibid. num. 4.* Neque dubitari potest, quod si fuerint antecedentèr iura permittentia matrimonium inter impuberes, corrigantur per huiusmodi textum, cum hic expresse tempus statuat, & ante illud districtius inhibeat celebrari, nisi ex vrgentissima causa, ad quem textum conformitèr in iure canonico statuta est determinata ætas quatuordecim annorum in masculo, & duodecim in fœmina ad cõtrahendum matrimoniũ; nec admittenda est interpretatio eiusdem Sanchez, quandòquidem expresse aduersatur ipsius præcedenti dicto, quo statuit illum textum respicere præcisè matrimonium, dũ modò asserit in eo casu non esse matrimonium, & interpretari pro sponsalibus. Hoc etiam clarius euincitur per exceptionem positam *in d. c. 2. de desponsat. impub. Nisi fortè aliqua vrgentissima necessitate interueniente, vtpotè pro bono pacis, talis coniunctio toleretur*, si enim fieret interpretatio de matrimonio de futuro frustra poneretur illa exceptio vrgentissimæ necessitatis, cum sponsalia sine illa possint contrahi.

Paludanus
Angelus.
Henriquez
Petrus de Ledesma.

Sanchez.

Textus intelligitur de matrimonio, & clarè euincitur.

Hic solum pro complemento remanet dubitandum quid veniat nomine illius coniunctionis in textu expressæ. *Ne coniungantur, talis coniunctio toleretur*; an scilicet solumodò coniunctio per matrimonium per verba de præsenti, an verò etiam facultas coniunctionis per copulam; & quidem ex verbis eiusdem textus colligitur esse dumtaxat ad coniunctionem ad matrimonium per verba de præsenti, quandòquidem ibi dicitur, quod *ex vrgentissima causa interueniente, puta ob bonum pacis talis coniunctio toleretur*; quæ certè stante minori ætate tolerari licitè non potest, & quidem etiam in ordine ad matrimonium est toleranda solumodò ex illis grauissimis causis, qui in etiam ex multorum placito in ea hypothesi attendenda est Episcopi facultas, vt videntur asserere *Siluester verb. matrimonium 5. q. 6., Nauarrus in summa c. 22. n. 21., Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 13. n. 13., Tabiena verb. matrimonium 2. quæst. 6. num. 7.*, quamuis multi asserant etiam ex Episcopi facultate posse permitti coniunctionem per carnalem copulam, quando eiusdem Episcopi iuditio probabile esset malitiam præuenire ætatem ex vrgentissima causa, qualis, vt in textu describitur, interueniret, quamuis de potentia ad copulam esset dubium, & si posteà comperiretur impotentia ad eandem, esset abstinendum, &c.

Coniunctio illa intelligenda est per matrimonium.

Siluester.
Nauarrus.
Henriquez
Tabiena.

§. XXI.

§. XXI.

An statuta, quod filiorum sponsalia sine parentum consensu non teneant, subsistant.

SVMMARIVM.

Exponitur casus in particulari. 1.
Non obstante statuto sponsalia illa secundum se tenent. 2.
Non potest condi statutum irritans huiusmodi contractus. 3.
Non possunt parentes sponsalia contrà ipsorum voluntatem per filios inita irritare, possunt tamen tribuere sufficiens fundamentum, ratione cuius filij ab eisdem possint recedere. num. 4.
Argumenta aduersa dissoluta. 5.

1 *Facti series exposita.* Disquisitio XX. Statutum vigebat in certa quadam prouincia, vt inuitis parentibus filij non possent sponsalia, nec matrimonium contrahere. De facto Titius filius Sempronij eodem Sempronio inuito sponsalia contraxit seruatis alijs seruandis cum Theodorica. Controuersum fuit, an talia sponsalia contrà dispositionem statuti inita subsisterent, an verò in sua radice esset inualida; secundò, an saltem possent per parentes irritari,

2 *Sponsalia illa valida sunt ex se. Bossius. Belarmin. Menoch. Borellus.* Respondeo primo, talia sponsalia in sua radice subsistere, & valida esse, *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contractu c. 11. num. 63., & in his terminis clarius num. 103. Bellarminus de sacramento matrim. c. 19. & 20. Menochius de arbitr. cas. 454. nu. 8. Clarus in pract. crim. §. fin. qu. 82. verb. statutũ 3. Borellus tom. 1. summa decis. tit. 1. nu. 28.* Expressè euincitur *ex c. 1. §. fin. de desponsat. impub. & ex c. veniens de sponsalibus, & c. sufficit 27. qu. 11. & c. cum virum de Regul.* Ratio horum omnium ex eo deducitur, quià per sponsalia eligitur nouus status, & quodamodò contrahentes sibi imponunt obligationem perpetuæ seruitutis, sed noua status electio, & perpetua seruitus, debet esse omninò libera, & independens ab alterius à contrahentibus voluntate, alioqui filijs, dum sunt sub patria potestate posset per eosdem parentes denegari consensus, quod est contra dispositionem textus *in d. c. virum de regul.*, ergò eadem sponsalia inita contrà voluntatem parentum, vt potè ab eisdem independentia, debent subsistere. Confirmatur, quià *Sponsalia habent originem à iure naturali nobis innato.* sponsalia æquè, ac matrimonium sunt contractus habentes originem à iure naturali nobis innato per textum *in l. 1. §. ius naturale ff. de iust. & iur. Inst. de iure naturali in princip.* sed in ijs, quæ sunt iuris naturalis homo vnus ab altero non dependet per ea, quæ docet *D. Thomas secunda secundæ qu. 104. art. 5. in corpore*, vbi asserit de iure diuino esse, quod in ijs, quæ sunt iuris naturalis vnusquisque sit liber, & vnus ab altero non dependeat, ergo &c. *D. Thomas*

Hæc adeo vera sunt, vt non solum huiusmodi statuta non obligent, sed nec possit nouum condi statutum, quod valeat hos contractus contrà voluntatem parentum per filios initos irritare; ius etenim naturale semper præualet cuicunque iuri positiuo, nec lex aliqua ciuilis, siuè etiam canonica potest contrà tale ius naturæ disponere. Quamobrem meritò Concil. Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij anathemate damanat eos, qui affirmant *matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse*; & licet Concil. Trident. loquatur præcisè in terminis matrimonij, ex illa tamen dispositione argui meritò potest, quod, nec sint irrita sponsalia, quandòquidem, & ipsa sunt principium quodamodò matrimonij, quod etiam clarè inducitur per alios textus iuris canonici *d. c. sufficit 27. q. 11. cap. vbi non est 30. q. 2. c. tuis de sponsalib., & c. vnico de despons. impub. in 6.*, nec obesse potest, quod antecedentèr ad Concil. Trident. iura quædam vigerent statuentia filios non posse sine parentum consensu validè contrahere, *vt l. vnica C. de rapt. virgin. Instit. de nuptijs in princip. l. 2. de ritu nupt. l. in coniunctione C. de nuptijs l. nuptiæ inter ff. de ritu nupt.* quinimmò, & iura quæddam canonica, *vt cap. nõ omnis c. honorantur c fin. 31. q. 2. c. nostrates cap. aliter 30. q. 5.*, & nonnulli ex SS. PP. hoc statuunt; Non, inquam, obesse potest, quià iura ciuilia siuè communia, siuè municipalia fuerũt per ius canonicum abrogata, tanquam aduersantia iuri naturæ; iura vero canonica sanctique primo non procedunt de necessitate, sed tantummodò de honestate quadam præcipuè in ordine ad fæminas, quibus congruum videtur, vt expectent electionem parentum, vt videtur innuere, *D. Ambrosius de Patriarchis lib. 1.*, & refertur *in d. c. honorantur.*

3 *Non potest condi statutum illa irritans.*

Procedunt tantum de honestate, non de necessitate, absoluta.

D. Ambro.

Respondeo secundò. Non posse parentes sponsalia per filios familias contrà eorum voluntatem inita posteà irritare, posse tamen tribuere sufficiens fundamentum, ratione cuius ipsi filij familias ab eisdem legitimè recedant, *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. d. c. 11. nu. 106.*, quidquid ex aduerso docuerit *Iulius Sannazarius de sponsalib. c. 2. art. 4. n. 9. ad 14., & art. 6. num. 54.* Ratio ex eo deducitur, quià parentes etiam stante statuto non possunt legitimè impedire, ne per filios familias huiusmodi sponsalia contrahantur, ergò, nec ea legitimè contracta poterunt dissoluere, præcipuè cum consensus eorundem parentum de iure canonico nõ requiratur de ne-

4 *Nec eadem contracta possunt irritare. Bossius. Sannazar.*

de necessitate, sed tantum de honestate; Neque obesse potest, si asseratur, quod cum huiusmodi sponsalia sint contracta contrà honestatem parentibus debitam videantur esse irrita, quandòquidem omnis promissio illicita, seù contrà honestatem omninò est inualida per superius dicta; Non, inquam, obesse potest, quià onus talis honestatis tale, & tantum non est, vt si omittatur, inducat peccatum vel mortale, vel veniale, quandòquidem filius, vel filia in materia matrimonij contrahendi non tenentur obedire parenti, *Vasquez de matrimonio disp. 4. n. 24. Villalobos 1. part. tract. 12. diff. 39. Sairus lib. 7. clauis c. 5. nu. 12. August. Barbosa collect. ad c. 1. de despons. impub. n. 5. Egidius Coninch. disp. 28. dub. 5. Azorius part. 2. lib. 2. c. 2. q. 6.* sicque talis honestas inducitur potius ex consilio, quam ex præcepto.

Titulus honestatis in hac hypothesi non obligat sub peccato. Vasquez. Villalobos. Sairus. Barbosa. Coninch. Azorius.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià timor grauis indignationis parentum, & alicuius damni ex illa sibi imminentis est sufficiens causa à sponsalibus præstitis recedendi, prout definiuit *Rota Rom. in vna Tullensi matrimonij 13. Maij 1596. coram Penia*. Hic disputant DD., an ad dissoluenda sponsalia ex allegata causa requiratur Iudicis auctoritas, an verò per eosdem filios possint immediatè dissolui. Crediderim, huiusmodi auctoritatem Iudicis non requiri, si nullum immineat scandalum ex tali dissolutione, *Manuel. tom. 1. summæ 2. edit. c. 243. n. 11. Angelus verb. sponsalia n. 42. Petrus de Ledesma de matrim. q. 43. art. 3. dub. vlt.* cum nullum sit ius exigens talem auctoritatem, & sponsalia videntur semper habere tacitam conditionem annexam eadem complendi, nisi aliquis casus accedat ab eisdem recedendi.

Filij ad euitandam iram parentum possunt recedere. Manuel. Angelus. Ledesma.

5 Aduersus ea, quæ dicta sunt in prima parte huius secundæ responsionis, arguit primò Sannazarius hoc pacto. Possunt parentes, ac tutores irritare vota impuberum ingrediendi Religionem, ergò etiam poterunt irritare eorundem sponsalia, quià maioris efficaciæ est votum Religionis, quàm promissio sponsalium. Vlteriùs, quià impuberes in imbecillitate intellectus, & iudicij ad contrahendum, videntur posse in eisdem non benè sibi consulere, quare subduntur curæ parentū, & tutorum in alijs omnibus, ergò etiam in sponsalibus, Sed facilè huiusmodi obiectis occurrere possum, asserens ad primum mitiùs agi cum Deo, quàm cum hominibus, per textum *in l. Celsus ff. de respons. arbitr.*, ad secundùm, In alijs omnibus cōtractibus ex dispositione iuris inductum est, ne filij familias ante decimum quartū annum contrahant sine consensu parentū, ne facilè decipiantur; in contractu autem sponsalium, cum sit ab auctoritate parentum independens, nihil est dispositum, & iura ipsa approbant talem contractum per filios familias, qui attigerint septennium, vel præfatum vsum rationis, etiam ante illud malitia supplente ætatem, per superiùs commendata, adeoque &c.

Soluuntur obiectiones contrariæ.

DISQVISITIONES II.

Ad quintam prænotionem, & omnes sectiones sub illa contentas.

§. I.

An, si Deus reuelaret consensus internos contrahentium nihilo extrinsecè de ipsis apparente, subsisterent sponsalia.

SVMMARIVM.

Exponitur series difficultatis. 1.
Stante etiam tali reuelatione diuinitùs factà non subsistunt sponsalia. 2.
Sensibilitas est de formali ratione contractus sponsalium. 3.
Procedit responsio de diuina relatione nullo sensibili signo manifestata, secus, si esset exterius facta sensibilis, & manifestant consensus. 4.

Disquisitio I. Consensum intrinsecè, seù per actum internum se inuicem ducendi conceperunt Caius, & Theodorica, nulla tamen extrinsecùs, seù sensibilitèr facta, nec per nutus, nec per verba, nec per signa sensibilia manifestatione eiusdem consensus, seù actus interni. Rebus sic stantibus Deus per speciales illuminationes, seù reuelationes manifestauit vtrique alterius formalem consensum internum, adeovt vterque conscius factus fuerit mentis formalis alterius, seù promissionis internæ. Oritur hic controuersia (quæ multum ducit ad dignoscendum, an verba, aliaque signa sensibilia consensus sint de formali talis contractus, an verò tantum conditiones) an per illum consensum simul cum diuina reuelatione constituta sint propriè sponsalia. 1

Quomodo intelligenda sit difficultas.

Respondeo, in ea hypothesi propriè non constitui sponsalia *Sanchez lib. 2. disp. 33. nu. 1., Basilius Pontius lib. 2. c. 6., Gutierez c. 46. nu. 8. Coninchus de sacramentis tom. 2. disp. 24. dub. 8. num. 63., Reginaldus in praxi fori pænit. lib. 31. num. 16., Fillintius part. 1. tract. 10. c. 3. num. 78., Barbosa tom. 2. collect. lib. 4. tit. 1. c. 14. num. 3.*, quidquid dixerint *Maior in 4. dist. 26. q. 1. ad tertium, VeraCrux 1. part. specul. art. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià contractus inter homines ex suo essentiali conceptu debet 2

Sponsalia non sub sistunt. Sanchez. Pontius. Gutierez. Coninch. Reginald. Filliutius. Barbosa.

debet esse humano modo sensibilis, sed nõ esset talis, quando ex diuina reuelatione consensus contrahentium tantum innotesceret, quandòquidem illa cognitio non haberetur per sensus, nec resultaret ab ipsis contrahentibus, quià per solum conceptum interiorem homo non ordinatur ad alium; id enim proprium est Angelorum, ergò ille contractus sic initus propriè non subsisteret in ratione contractus humani.

Non esset sensibilitas humano modo.

Neque obesse potest, si asseratur ad validitatem sponsalium aliud non requiri, nisi quod contrahentes mutuò consentiant, & eorum consensus adinuicem ipsis innotescat; sed in hypothesi præsentis responsionis vtriusque consensus supponitur re vera adesse, & ipsis adinuicem per diuinam reuelationem manifestatus, ergò &c. Sed contrà, quià ad obligandum non sufficit vtriusque consensus quomodòcunque manifestatus, sed debet, vel per eosdem manifestari, vel per personas ad id muneris deputatas, quæ nomine eorundem deferant ipsorum consensum per ea, quæ superiùs diximus, cæteroqui, si contrahentes ipsi quomodocunque consensum suum internum alijs à contrahentibus exponerent sinè vllo mandato ad deferendum, & isti deferrent, subsisteret contractus sponsalium, quod tamen superius fuit confutatum.

Non sufficit cognitio inter contrahentes quomodocunq;

3 Deindè per superius latè probata in contractibus humanis, & humano modo initis sensibilitas est de formali conceptu eorundem contractuum, siuè posteà talis sensibilitas fit per nutus, siuè per verba, siuè per alia signa exteriora, ergò eadem deficiente non erit proprius, & formalis contractus humanus, sed per diuinam reuelationem præcisè nulla inducitur sensibilitas, ergò &c.

Sensibilitas est de essentia.

Dices, potest Deus quodamodò supplẽs defectum sensibilitatis per eosdem contrahentes non appositæ per signum aliquod sensibile internum eorum consensum manifestare, ergò saltem in ea hypothesi consistet contractus sponsalium humano modo. Consequentia probatur paritate parentum contrahentium pro filijs præsentibus, & tacentibus, qui solum manifestant consensum internum eorundem

4 filiorum, qui si vtique hoc possunt præstare, & validè non video, cur hoc non possit Deus præstare per signum aliquod sensibile. Sed contrà iam in eo casu esset sensibilitas humano modo, seù humano modo apta percipi per ipsos contrahentes, nec in hoc sensu est aliquid dissonum responsioni, quæ procedit de diuina reuelatione nullo extrinsecus signo apparente, nec est aliqua difficultas, quod, si parẽtes possunt filiorum consensus internos, qui ex eo dignoscuntur, quod taceant, manifestare, non possit etiam Deus per signa sensibilia hoc præstare, cum magis eidem subdantur homines, quam filij parentibus. Verum tamen est, quod hic contractus quoad modum differret à contractibus, qui regularitèr ab hominibus ineuntur.

Secus esset, si Deus præstaret per signum aliquod sensibile.

§. II.

An per missionem annuli per parentes constituatur sponsalia.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo sita sit difficultas. 1.

Si tractatus præcesserit, de quo conscius fuerit Titius, & posteà per ipsius patrem missus fuerit eodem Titio sciente, & non contradicente annulus acceptatus à sponsa, vtique constituuntur sponsalia. secus si tractatus non præcesserit, & Titius ignorarit. 2.

Si loci consuetudo obtineat, vt missio annuli habeatur pro sponsalibus, & pater miserit, sciente filio, & non contradicente, vtique sponsalia tenerent, 3.

Si filius fuerit inscius missionis, tunc tenent sponsalia, si postea rata habeat, secus non, 4.

Disquisitio II. Agebant parentes Titij de contrahendis sponsalibus pro eodem cum Octauia filia Theodorici annuente quodammodò contractui eodem Theodorico. Pendente adhuc tractatu iidem parentes Titij annulum miserunt ad eundem Octauiam consciam tractatus præcedentis, qui eundem recepit. Orta fuit controuersia, an per talem missionem inducatur præsumptio valida pro sponsalibus. 1

Exponitur facti series.

Consideranda pleraque sunt in hac hypothesi, & primò, an talis missio facta fuerit tacente, & consentiente Titio, vel eo penitus ignorante, seu potius contradicente. Secundò, an idem Titius conscius fuerit tractatus præcedentis, vel ignorans. Tertiò, an loci consuetudo obtineat, vt talis missio habeatur pro consensu, & sponsalibus, an verò talem consuetudinem nõ obtineat, sed indiferenter se habeat, vel ad sponsalia, vel ad simplicem donationem.

Variæ considerationes, circà ipsum

Respondeo primò, si præcedente tractatu, de quo conscius fuerit Titius, facta fuerit missio annuli, eaque acceptata ab Octauia, verè cõstituũtur sponsalia, secùs, si nullo præcedente tractatu, filioque ignorante, vel contradicente. Ità quoad primam partem *Glosa in c. fin. verbo subbarrauit de despons. impub. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 125.* Quo ad secundam *Panormitanus in c. fin. de despons. impub. & ibi Alexander de Neuo n. 12. Mascard. de probat. concl. 1024. nu. 6. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. nu. 8.* 2

Tenent, si tractatus præcesserit, & Titius non contradixerit.
Glosa.
Bossius.
Panormit.
Alexander de Neuo.
Mascardus.
Menochius
Gutierez

Gutierez de matrimonio cap. 40. nu. 6. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, quantumuis illa missio annuli per parentes secundum se sit æquiuoca, & æquè referri possit, vel ad simplicem donationem, vel ad sponsalia, vel ad aliquem alium finem, prout tamen coniungitur cum præcedenti tractatu, cum scientia eiusdem Titij tam de eodem tractatu præcedenti, quàm de tali missione limitatur, & restringitur secundum communem æstimationem ad subiectam materiam talis tractatus, *Panormitanus in c. illud de præsumpt. Butrius in c. vltimo de desponsat. impub. Iulius Sannazarius de sponsal. & matrim. cap. 2. artic. 4. num. 24. Franciscus Molinus de ritu nupt. comp. 11. & 25. & 42.* & sicuti, si pater contraheret sponsalia præsente filio, & non contradicente, sed tacente intelligeretur validè contrahere per superius notata, quià tunc filius præsumitur consentire, ità, si pater præcedente tractatu de sponsalibus contrahendis pro filio, cuius fuerit conscius ipsemet filius, annulum miserit fæminæ, sciente eodem filio, & non contradicente, intelligentur validè contracta sponsalia, quandoquidem illa missio annuli cum illis circumstantijs inducit efficacem præsumptionem cõsensus, seù promissionis ad eadem sponsalia, & cum ipse filius fuerit conscius talis missionis, periudè se habet, ac si esset præsens, & tacens sponsalibus per patrem celebratis, eisdemque consensisset; nõ enim solummodò per verba celebrantur sponsalia, sed etiam per nutus, & per facta, vt suprà docuimus. Confirmatur, quià si ipse filius per præcedentem tractatum per se ipsum habitum mitteret annulum fæminæ, cum qua tractatum habuit de sponsalibus celebrandis, vtiq; illa missio haberetur pro sponsalibus, si fæmina annulum illum acceptaret, ergò etiam si pater post præcedentem tractatum annulum eidem fæminæ mitteret sciente, & consentiente filio, seù non contradicente, ipsaque acceptaret, præsumẽdum esset pro eisdem sponsalibus, quæ, sicuti tenent, quandò pater per verba expressa contrahit pro filio præsente, & tacente, ità non est, cur tenere non habeant, quandò idem pater contrahit per factũ, quod secundum communem acceptationem habetur pro sponsalibus, & æquiualet verbis expressis, cuiusmodi attentis illis circumstantijs est missio annuli sciente eodem filio, & non contradicente.

Ambiguitas tollitur per tractatum præcedentem, & scientiam. Panormit. Butrius. Sannazar. Molinus.

Perindè esse, ac si præsens, & tacens assisteretur sponsalibus per parentes inite.

Ratio secundæ partis ex ijs deducitur, quæ supra dicta sunt, quod scilicet annuli traditio simplicitèr facta, & per se solam, cum sit signum æquiuocum, & referibile ad varios fines, non inducit sponsalia, *Panormitanus in c. fin. de desponsat. impub. nu. 7. & in d. c. illud num. 4. de præsumpt. Mascard. de probat. concl. 1024. num. 2. Iulius Sannazarius de sponsalibus, & matrim. dicto cap. 2. art. 4. nu. 22. & 26. Gutierez de matrim. c. 12. nu. 1. Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 11. nu. 18. Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 22. nu. 1.* ergò annuli traditio facta per parentes nullo præcedente tractatu, nec interueniente scientia, & consensu filij, etiam non subsistet in vim, & rationem sponsalium, si etenim missio facta immediatè per eundem filium ex communi conceptu non inducit consensum ad sponsalia, nec videtur eundem inducere missio facta per parentes eodem filio penitus ignorante; tùm quià æquè potest esse æquiuocum illud signum, siuè factum per filium, siuè factum per ipsius parentes, possunt etenim & parentes mittere ad finem simplicis donationis, vel aliquo alio titulo, & quandò non est præmissus tractatus, potest fæmina suscipere titulo donationis, vel aliquo alio titulo donationis sine animo se obligandi; tùm quià, sicuti, quando parentes contrahunt nomine filij ignorantis, non tenet contractus, nisi filius factus conscius ipsum ratum habuerit, ità multò minus tenere potest, quandò parentes actionem aliquam exercent, quæ secundum se est indifferens, vel ad sponsalia, vel ad alium finem, ad quam actionẽ ip se filius non concurrit.

Missio annuli est signum æquiuocum. Panormit. Mascardus. Sannazar. Gutierez. Molinus.

3 Respondeo secundò, si loci consuetudo obtinuerit, vt missio annuli habeatur pro consensu ad sponsalia, & filius fuerit conscius missionis annuli ad Octauiam, nec contradixerit præsumendum est pro sponsalibus; si verò non fuerit conscius, tunc eodem modo phylosophandum est, quo dictum fuit de sponsalibus initis per parentes pro filijs absentibus, & ignorantibus, adeovt si posteà conscij rata habeant, teneant, si verò contradicant, non teneant. Ita quoad primam partem *Glosa in cap. fæmina verb. annulus vers. vel nisi sit de consuetudine loci, Antonius de Butrio in c. fin. nu. 8. de despons. impub., & ibi Alexander de Neuo num. 12. Panormitanus in c. illud n. 12. de præsumpt. Lancellotus in §. contrahitur Instit. de sponsalib. August. Barbosa tom. 4. collect. in d. cap. fæmina 30. q. 5.* Quoad secundam DD. omnes suprà relati, qui statuunt sponsalia per parentes pro filijs absentibus contracta tenere, si posteà per filios conscios rata habeantur, non tenere, si dissentiant. Ratio primæ partis est, quià si parentes contrahant pro filijs præsentibus, & tacentibus tenent sponsalia, ergò, si parentes mittant annulum ad fæminam acceptantem in loco, in quo talis missio habetur pro consensu ad eadem sponsalia sciente filio, & non contradicente erunt propriè sponsalia, quià parum refert, quod parentes contrahant, vel per verba, vel per facta, quandò facta ipsa habentur ex communi acceptione pro consensu; & æquiualent

Tenerent stante consuetudine, si filius fuerit, & ul contradixerit. Glosa. Antonius de Butrio. Alexander de Neuo. Panormit. Barbosa.

Missio annulo tunc æquiualere contractus per parentes initis.

ualent verbis; & iuxtà hunc doctrinam locum habet distinctio, quam tradit, *Panormitanus in c. illud num. 12. de præsumpt.* per hæc formalia verba. *Aliquando in quibusdam locis annulus datur tempore sponsaliũ, & tunc tantum sponsalia significat, aliquando datus tempore matrimonij, & tunc matrimonium, aliquando nullà est consuetudo certa, cum variè obseruetur, & tunc, nec matrimonium, nec sponsalia probantur, aut nulla est omninò consuetudo, & tunc aut fuit annulus datur simplicitèr mulieri, & donatio præsumitur, vel vir posuit annulum in digito mulieris, & tunc de iure antiquo præsumitur matrimonium.*

Panormit.

4 *Si fuerit insciut, & postea rata habeat, tenent.*

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià sponsalia per parentes inita nomine filiorum absentium, & ignorantium catenus tenent, quatenus per eosdem filios rata habentur, non etenim fiij quoad contractus sponsalium, & matrimonij dependent à voluntate parentum, cum sui iuris sint, nec per eosdem parentes compelli possunt ad contrahendum per superius dicta, ergò, si ex consuetudiue regionis parentes cõtraxerint per missionem annuli pro filijs absentibus, vel ignorantibus catenus sponsalia tenebunt, quatenus eidem filij rata habuerint, non tenebunt, quatenus ipsi dissenserint.

§. III.

An, & quandò manus contractus inducat consensum ad sponsalia.

SVMMARIVM.

Proponitur status difficultatis. 1.
Si post habitum tractatum de futuris sponsalibus masculo promittenti fœmina manum spontaneè porrexerit efficiuntur sponsalia. 2.
Si post tractatum sponsus promittens accipiat alterius manum, & ipsa nihil respondeat, nullumque actum positiuum indicantem repromissionem eliciat, sed tantum manum non retrahat, probabilius etiam præsumitur pro sponsalibus. 3.
Strictio manus confert quidam ad consensum, non tamen est necessaria. 4.

1 *Factum in suis terminis.*

DIsquisitio III. Habitus fuerat præcedentèr tractatus inter Meuium, & Seiam de sponsalibus contrahendis. Quo posito Meuius promisit matrimonium futurum eidem Seiæ, ipsaque requisita ore tenus nihil respondit, sed manum Meuio spontaneè dedit; vel fortè etiam Mæuius in actu promissionis accepit manum eiusdem Seiæ dicens, *do tibi fidem de matrimonio contrahendo*, & ipsa nihil respondit, non tamen manum retraxit. Disputatum hic fuit, an in vtroque exposito casu verè sponsalia fuerint contracta, sufficiensque consensus ad ipsa præsumatur.

Respondeo primo, si Seia post habitum tractatum de contractu sponsalium ineundo Meuio promittenti manum spontaneè porrexerit efficax præsumptio est pro sponsalibus, quinimmò tenent sponsalia. *Abbas in c. cũ verum n. 3. de Regul. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. n. 4. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. Rosella verb. sponsalia nu. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 22. n. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 3. num. 126. Basilius Pontius lib. 2. c. 11. nu.* 8. Ratio ex eo deducitur, quià sponsalia non ex necessitate per verba contrahuntur, sed etiam nutibus, & signis alijs sensibilibus per ea, quæ superius notata, & probata sunt, sed manus spontanea porrectio per fæminam requisitam post præcedentem tractatum, & promissionem à Meuio factam habetur pro nutu extrinseco, & signo sensibili sufficienti ad repromissionem, ergò &c. Neque dicas, manus porrectionem secundum se indifferentem esse, vel ad indicandum vinculum amicitiæ, & familiaritatis, vel ad exprimendum consensum sponsalium; ex signo autem indeterminato, & indiferenti ad plures effectus non argui determinatè consensum ad vnum; contrà enim impugnaberis, quià, quantumvis illa porrectio nudè, & secundum se sumpta videatur indiferens ad vtrumque, quatenus tamen coniungitur cum illis circunstantijs præcedentis tractatus, & promissionis relatiuè ad subiectam materiam non potest, nisi ad eandem promissionem referri, sicque ad eandem restringitur. Confirmatur, quià taciturnitas ipsa habetur pro consensu, quandò ipsa taciturnitas coniungitur cum aliquo actu positiuo proportionato ad talem consensum *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 22. n. 6. Abbas in c. cum virum n. 3. de regularib. Antonius Gomez lib. 52. Tauri n. 24. Basilius Pontius de sponsalib. lib. 2. c. 11. nu. 8. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 126.* Quinam autem actus positiuus magis proportionatus, post præcedentem tractatum, & ad promissionem partis, quam manum porrigere fidei simbolum? Deindè taciturnitas eius, cuius necessarius est consensus ad perficiendum contractum, quià de ipsius interesse agitur, si contradicendo actum impedire potuit, habetur pro consensu *l. fideiussor §. pater Seij ff. de pignor. l. Caius ff. de pignor. act. l. sæpe ff. de re iud. c. quamuis eodem tit. Ludouicus Roman. in l. qua dotis ff. solut. matrim.* in quo casu taciturnitas semper interpretatur contrà tacentem *l. de ætate §. qui tacuit, & ibi Bartolus in princip. ff. de interrog. act. Bartolus in l. seruus dotalis verb. quæro quid si mulier. ff. solut. matrim.* Quod si hæc vera sunt, quandò simplicitèr tacet, quid erit, quandò vltrà taciturnitatem addit actum positiuum manus porrectionis spontanea?

2 *Spontanea manus porrectio alteri promittenti expressè inducit sponsalia.*
Abbas. Paludanus. D. Antoninus. Rosella. Sanchez. Bossius. Pontius.

Manus spontanea porrectio habetur pro nutu extrinseco.

Manus porrectio cum illis adminiculis non est indifferens.
Sanchez. Abbas. Gomez. Pontius. Bossius.

Ludouicus Romanus. Bartolus.

Res-

3 *Etiam, si ipsa non porrigat manum, sed ab altero attractã non retrahat.*

Pontius. Bossius. Nauarrus.

Respondeo secundò. Si Meuius in actu promissionis factæ Seiæ ipsius manum accipiat, & ipsa nihil respondeat, nullumque actum positiuum indicantem repromissionem exerceat, sed tantum manum non retrahat præsumẽdum est pro sponsalibus, *Basilius Pontius de sponsalibus lib.2. c.11.nu.8. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.3.num.127.Nauarrus in man. c.25. num.144.* Ratio ex eo deducitur, quod mox dicebamus, nempè taciturnitatem eius, de cuius interesse agitur, inducere ex præsumptione iuris consensum, quandò contradicendo impedire potest actum per allegata iura, & DD. ergò multò magis taciturnitas inducet talem consensum, quandò alter contrahens præstat actum, quem, si dissentiret, teneretur remouere per retractum, cum vltrà taciturnitatem inducat etiam præsumptionem consensus, nam regularitèr fœminæ honestę tactus huiusmodi non permittant, maximè vbi permissio arguere posset consensum; ad quod etiam maximè facere videtur textus *in c.1. de sponsalib.* vbi sic legitur. *Fides autem consensus est, quandò, & si non stringit manum, corde tamen consensit ducere.* Confirmatur vlterius, quià vt arguit *Basilius Pontius d. c. 11. n. 8.*, quandò celebrata sunt sponsalia ex aliquo impedimento occulto inualida, & sponsus, & sponsa simul cohabitant cessante impedimento cum sufficienti scientia, si se non retrahant à cohabitatione, manifestè indicant consensum ad eadem sponsalia, vt ingenuè fatetur, *Sanchez lib.2. disp. 36. n.6. contrariæ sententiæ assertor*, ergò etiam, quandò sponsus dans fidem sponsæ per veram promissionem accipit eiusdem sponsæ manum, si illa manum non retrahat, videtur sufficientèr consentire, & indicare repromissionem, cum manus appositio sit signũ fidei datæ, & non retrahere manum, quandò, si non assentiretur, posset retrahere, est virtualitèr, & implicitè quodamodò eam porrigere.

Illa taciturnitas inducit consensum, & quare.

Sanchez.

4 *Non requiritur ex necessitate strictio manus.*

Contendunt hic aliqui, quod non sufficiat ad indicandum consensum, si manum non retrahat, sed quod requiratur vlterius, vt manum alterius propriam accipientis stringat; fateor quidem, quod illa manus strictio esset expressius signum consensus, seù repromissionis, nego tamen non esse sufficiens signum, si manum aprehensam non retrahat, cum dissentiens posset retrahere ea proportionali ratione, qua certè esset expressius signum, si quandò contrahuntur sponsalia per parentes pro filijs præsentibus, si consensum oculis saltem, vel nutibus indicarent, nihilominus non tollitur, quin sufficientèr talem consensum indicent, si præcisè taceant, cum possent contradicere, vt suprà dictum est, si non assentirentur.

§. IV.

An prius matrimonium fictè contractum dirimat subsequentia sponsalia, seù matrimonium.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.

Attento præcisè foro conscientiæ ex matrimonio fictè inito non consurgit impedimentum irritans posterius matrimonium, benè tamen futura sponsalia. 2.

Stando in foro exteriori matrimonium fictè initum valet, & parit vinculum coniugale irritans aliud matrimonium. 3.

Fictus promissor, qui ex Ecclesiæ præscripto obligatur stare matrimonio non, potest petenti reddere, nisi nouum consensum eliciat, quo retractet fictum. 4.

Sufficit, quod ille nouus consensus sit internus, nec est necesse, quod exhibeatur coram Parocho, & testibus. 5.

Disquisitio IV. Contraxerat Titius matrimonium cum Caia per verba de præsenti, non tamèn cum animo promittendi, vel se obligandi, & per consequens fictè, ità tamen, vt exterius non appareat de fictione. Posteà sibi conscius sui animi de se non obligando contrahere contendebat, vel sponsalia vera cum vero animo se obligandi, vel fortè etiam matrimoniũ cum Berta. Orta hic fuit controuersia, an ex priori illo matrimonio fictè contracto ortum fuerit aliquod impedimentum dirimens sponsalia posteriora, vel fortè etiã matrimonium. Hæc difficultas examinari potest, vel attento præcisè foro conscientiæ, vel etiam attento foro externo, & iudiciali.

Controuersia exposita in suis terminis. 1

Non irritat posterius matrimonium, benè tamen sponsalia. 2

Coaruuias. Gutierez. D.Thomas. Sanchez. Pontius. Bossius.

Respondeo primò, attento præcisè foro conscientiæ ex illo matrimonio fictè inito non consurgere aliquod impedimentum irritans posterius matrimonium, benè tamen futura sponsalia. *Coaruuias de sponsal. lib.2.part.c.2.num.2., & 3., Gutierez de matrimonio c.9.num.12., D.Thomas in 4. dist.27.q.1. art.2.quæstiuncul.4.ad primum, Sanchez lib.1. disp.11. num.1., Basilius Pontius lib.2. c.5.nu. 2., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract.c.2.nu.51.* Ratio ex eo deducitur, quià sistendo in foro conscientiæ illud prius matrimonium fictum non tenet, quandoquidem sine consensu, qui dat esse contractui tanquam forma substantialis ipsius, contractus non subsistit, ergò ex illo non potest oriri impedimentum aliquod dirimens, si quidem ex contractu secundum se nullo nullus potest oriri effectus. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod, quantumvis contractus secundum se in foro conscientiæ sit nullus, obligat tamen simu-

simulatè contrahentem, & absque animo se obligandi ex iustitia per nouum verum consensum contrahere *Nauarrus in man. c. 26. num. 76., Siluester verb. matrimonium 4. q. 8., Petrus Gregorius Tolosanus lib. 9. syntagm. iur. c. 5. num. 6., Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3., Riccius in tract. for. Eccl. decis. 243. num. 2. in fin., Henriquez lib. 11. c. 11. §. 3. lit. P. in textu, Lessius de iust. lib. 2. c. 18. dub. 8. num. 60.*, ergò saltem ratione illius obligationis consequentis ex illo contractu simulatè inito orietur impedimentum contrahendi cum alio, quandòquidem cum vna obligatus non potest validè cum alia contrahere, saltem loquendo quoad sponsalia, quæ cũ non subsistant, quando promissio est illicita, vtique nequeunt subsistere in hac hypothesi, secundum quam stante obligatione illa præcedenti non potest esse licita posterior promissio, cum sit contra iustitiam. Dixi, *saltem loquendo quoad sponsalia*, nam in ordine ad matrimonium illa obligatio, quæ consurgit ex priori matrimonio fictè contracto non inducit impedimentum dirimens, sed simplicitèr impediens, quandòquidem, sicuti sponsalia antecedentèr inita cum vna non dirimunt matrimonium subsequentèr initum per verba de præsenti cum altera seruatis omnibus conditionibus ad hoc requisitis, vt est in confesso apud omnes, ità obligatio, quæ consurgit ex contractu nullo antecedentèr inito cum vna non potest dirimere subsequens initum cum altera per verum, & realem consensum exhibitum per verba de præsenti, seruatisque omnibus conditionibus ad hoc requisitis.

Nauarrus. Siluester. Tolosanus. Sotus. Riccius. Henriquez Lessius.

Obligat ad verè contrahendum.

3 Respondeo secundò. Stando in foro exteriori matrimonium illud sic fictè initum valet, & parit vinculum coniugale dirimens aliud quodcunque matrimonium subsequens *Coarruuias de sponsalib. 2. parte c. 3. num. 2., & seqq., Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. num. 33., 37., & 38., Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 32. num. 8., D. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad primum, Ioannes Vallerus in suis differ. verb. matrimonium dif. 4., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. num. 52.* Ratio ex eo deduci potest, quod dicitur *in l. fideiussores magistratuum §. pro Aurelio ff. de fideius., l. non aliter ff. de leg. 3., & in c. per tuas de probat.*, nempè quod à verbis contractus non sit recedendum, & *in l. Labeo §. idem tubero ff. de suppel. leg.*, quod lex id ipsum in corde præsumit, quod ore dictum fuit, & certè omnia humana commercia, humanæ omnes ciuiles actiones facilè delaberentur, si verbis, per quæ ineuntur, stare homines non tenerentur ex motiuo, quod animo non consenserint, nec vllus posset esse tutus de validitate contractus, si valide alter posset excipere de negatione animi se obligandi. Neque obesse potest textus *in l. 3. ff. de act., & oblig.*, vbi fictus contractus non potest subsistere; non, inquam, obesse potest, quià ille textus non procedit de contractu ficto, seruata forma præscripta quoad externa in huiusmodi contractibus, sed de contractu illusoriè, & iocosè inito apparente quodamodo ex circumstantijs ioco, & illusione, qui certè contractus tunc non obligaret, nec in foro externo, prout notat *Franciscus Marcus decis. 345. pars. 1., Franciscus Molinus d. lib. 1. de ritu nupt. compar. 32. num. 11.*

In foro exteriori valet, & irritat aliud matrimonium. Coarruuias Menochius Molinus. D. Thomas Vallerus. Bossius.

Marcus. Molinus.

Neque ijs, quæ hic dicuntur aduersantur ea, quæ superius dicta sunt *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. pranot. 5. sect. 3.*, scilicet promissionem sine animo promittendi, & se obligandi non tenere, nec in vim matrimonij, nec sponsalium; Non, inquam, aduersantur, quandòquidem ibi dicta procedunt solum inspecta nuda veritate, & attento foro conscientiæ, non autem attenta præsumptione, & in foro externo, secundum quæ Ecclesia iudicat, cum non scrutetur intima cordis penetralia, prout perscrutatur Deus.

Alibi dicta procedunt in foro interno.

Hic oritur ratio dubitandi quid agere teneretur sic fictè consentiens, quando ex Ecclesiæ præscripto ab eodem matrimonio non posset recedere, cum in foro externo præsumeretur pro eiusdem validitate, an alteri exigenti teneretur reddere debitum, an verò posset non reddere, an teneretur nouum consensum verum, & realem exhibere, & an in ea hypotesi teneretur illum exhibere in forma præscripta per Tridentinum coram Parocho, & testibus, an verò sufficeret, quod internè consentiret, Primò absolutè sentio alteri exigenti non posse reddere, antequam nouum realem consensum eliciat, teneri tamen nouum hunc consensum elicere, & reddere. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià redditio debiti coniugalis non est licita, nisi constante matrimonio, sed ante nouum illum consensum in foro interno matrimonium non constat, ergò ante illum consensum non est licita redditio debiti. Ratio secundæ partis deducitur ex superius dictis, quià ex vi præcedentis matrimonij quantumvis ficti tenetur fictor nouum verum consensum elicere, quod multis capitibus probatur primò, quià secus tota iustitiæ ratio læderetur in humanis commertijs, cum consensus solum per verba, aliaque signa exteriora exhibeatur; Secundò, quià alter, qui verè consensit, tradidit dominium sui corporis alteri simulatè contrahenti, quam traditionem ipse acceptauit, ergò, ne ius tradentis lædatur, & ipse onera subeat nulla aquirendo iura debet ad æqualitatem constituendam alter nouum consensum elicere, per quem verè tradat suum corporis eidem, qui prius tradiderat. Tertiò, quià, quando

4 *Non potest reddere, tenetur tamen nouum consensum verum, & realem elicere.*

Læderetur ratio iustitiæ in omnibus humanis commertijs

do fuit initus contractus, & alter præstitit verum, & legitimum consensum, fictor tenebatur verum consensum elicere, an alter in suo deciperetur, ergò tenetur ratione eiusdem contractus fictum consensum per alium verum supplere. Atque sic sentiunt *Lessius de iust. lib. 2. c. 18. dub 8. num. 60.*, *Gregorius Tolosanus lib. 9. syntag. iuris c. 5. num. 6.*, *Basilius Pontius lib. 2. c. 6.*, *Vasquez tom. 4. in 3. part. disp. 6. de matrimon. c. 2.*, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. nu. 57.*

Lessius. Tolosanus. Pontius. Vasquez. Bossius.

5 *Sufficit, quod ille nouus actus sit internus* Sanchez. Paludanus Angelus. Tabiena. Supplem. Gabriellis.

Secundò sentio, sufficere, quod fictor nouum verum consensum internum eliciat, nec necesse est, quod de nouo contractus ineatur coram Parocho, & testibus *Sanchez lib. 2. disp. 35. num. 1.*, *Paludanus in 4. dist. 35. q. 1.*, *Angelus verb. matrimonium 3 impedim. 4. num. 10.*, *Tabiena eod. verb. matrimonium 2. q. 7. num. 8.*, *Supplementum Gabrielis in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. dub. 3.* Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebantur, quià scilicet ad validitatem contractus nihil aliud deficit, nisi verus consensus respectu deceptoris, cum præsupponatur sufficiens sensibilitas posita in præcedenti contractu ficto, & seruata solemnitas iuris iuxtà formam præscriptam à Concil. Trident., ergò adueniente nouo vero consensu interno perficitur verus contractus, & licet ex interuallo nouus hic consensus internus eliciatur, non tollitur tamen, quin possit coniungi quoad validitatem, quandòquidem sensibilitas illa præsumitur moraliter perseuerare, nec requiritur Physica vnio, & actualis coexistentia, sed sufficit moralis ex superius latè probatis.

§. V.

An deceptor post contractum secundum matrimonium cum pleno consensu coactus per sententiam excommunicationis cohabitare cū prima, cui fictè promisit, possit petere, & reddere debitum.

SVMMARIVM.

Factum in suis terminis exponitur. 1.
Sententia asserens posse licitè reddere. 2.
Non potest licitè reddere, & contrarium asserere est periculosum in fide. 3.
Intellige siuè impedimentum, ex quo matrimonium est irritum, fuerit iuris naturalis, siuè iuris positiui, & Ecclesiastici. 4.
Soluuntur rationes opposita. 5.

1 *Elucidatur factum.*

Disquisitio V. Seruata forma Concilij Trident. per verba de præsenti, animo tamen ficto contraxerat Camillus cum Caia, qua nondum cognita carnaliter transiuit ad aliud matrimonium, seruatis item omnibus conditionibus, & solemnitatibus ad hoc requisitis, & certè per verum, & realem consensum. Reclamante Caia, quæ verum consensum præstiterat, fuit idem Camillus per Iudices Ecclesiasticos indicta excommunicatione compulsus posteriori vxore relicta, quam carnalitèr cognouerat, ad eandem Caiam redire, & cum ipsa cohabitare. Orta hic fuit controuersia, an idem Camillus posset in ea hypotesi petere, & reddere debitum eidem Caiæ.

Magister in 4. *dist.* 38. *in fin.* *Hugo de Sācto Victore de Sacramentis part.* 11. *num.* 19. *Hostiensis in summa tit. de coniug. seruor. n.* 8. existimant propter præceptum Ecclesiæ eidem indictum in excommunicatione, posse debitum reddere, & Ecclesiæ mandato obedire, quod multis conantur rationibus euincere, & primò, quià alter coniux innocens, scilicet Caia, quæ verū consensum præstitit, habet ius petendi debitum, excusante illam ignorantia inuincibili, ergò Camillus reddendo non consentit, nisi in opus iustitiæ. Secundò paritate Iudicis condemnantis innocentem, quandò secundum allegata, & probata in foro externo apparet nocens, & reus, ergo etiam cum in dicta hypothesi secundū allegata, & probata in facie Ecclesiæ apparet ibi matrimonium, quantumuis re vera non sit, non peccabit fictor reddendo debitum exigenti, quià ità est intrinsecè malum occidere innocentem, ac accedere ad non suam. Tertiò, quià concurrentibus duobus malis, licitum est minus eligere, ad euitandum maius; minus autem malum videtur in ea hypothesi reddere debitum exigenti, quàm denegare, tum quià denegare est peccatum inobedientiæ, secumque affert plurima scandala, reddere autem solum peccatum fornicationis, tùm quià denegare est peccatum iniustitiæ propter ius, quod innocens acquisiuit ratione veri, & realis consensus præstiti; tùm quià reddere in ea hypothesi videtur præcisè permittere peccatum, quod certè nō est ab intrinseco peccaminosum, cum in iure etiam permittantur minora ad vitanda maiora mala, ergò &c. Nihilominus

2 Magister. Hugo de Sancto Victore. Hostiensis.

Sententia asserens posse in ea hypothesi reddere.

Respondeo, non licere Camillo in ea hyppothesi reddere debitum, & contrarium asserere esse periculosum in fide, *D. Thomas in addit. ad tertiam partem qu.* 46. *art.* 2. *ad quartum*, *Sotus in* 4. *dist.* 28. *art. secundo circà finem*, *Ioannes Baptista Conradus parte secunda resp. qu.* 141. *Laiman. lib.* 4. *tract.* 10. *part.* 1. *c.* 9. *in fin.* *Conincb. tom.* 2. *disp.* 34. *dub.* 10. *num.* 96. Expressè colligitur *ex c. inquisitioni de sent. excommunicationis*, & vlterius ratione sic euincitur, quià stante cognitione inualiditatis contractus, peccaminosum est ab intrinseco actum coniugalem exercere, etiam altero

3 *Sententia negans praefertur.* D. Thomas Sotus. Conradus. Laiman. Coninch.

21 peccaminosus ab intrinseco coitus inter non coniuges.

altero exigente, quià non esset actus coniugalis, sed simplicitèr fornicarius, nec tacẽs potest accedere tanquam ad suam, cum certè vouerit non esse suam; fornicatio autẽ ab intrinseco, & ex genere suo est talis, vt nulla vnquam ratione possit cohonestari, & esse licita, ergò &c. nec potest primò excusari ratione excommunicationis inflictæ, quià vt habetur *in d. c. inquisitioni de sent. excommunic.* debet priùs excommunicationis sententiam humilitèr sustinere, quàm per carnale comercium peccatum operari mortale *in c. literis de restit. spol.* & coram Deo excommunicatio non officeret Camillo excommunicato, quandòquidem in foro animæ non reddẽdo, non esset delinquens, nec contumax, cum alio vinculo fortiori impediretur ab executione mandati Ecclesiastici, nec Ecclesia potest cõtrà præceptum Diuinum, & naturale optimè notum eidem Camillo, cæteroqui Ecclesia per suum præceptum posset licitam reddere in aliquo casu fornicationem, quod quis diceret? Nec potest secundò excusari ratione maioris damni euitandi, quià in malis culpæ nunquam licitum est ad euitãdum maius malum, aliquid, licèt minus, positiuè elicere; cæteroqui aliquandò peccatum vt malum esset licitum, sicque cohonestari posset v. gr. mendacium sub prætextu euitandi periurij, & iuxtà hunc sensum sentiunt *D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 1. artic. 4. quæst. 4. in fin. D. Bonauentura item in 4. dist. 28. in exposit. literæ magistri in fin. Paludanus item in 4. dist. 35. qu. 1. art. 2. num. 15. D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 19. ante §. 1. Abulensis c. 19. Mathæi qu. 72. Glosa c. inquisitioni verb. humilitèr de sent. excommun.*

D. Thomas. D. Bonau. Paludanus. D. Antoni. Abulensis. Glosa.

4 Adrianus. Henr quez. Hostiensis.

Limitant aliqui, inter quos *Adrianus quodlib. 1. art. 3. ad tertium in fin. Henriq. lib. 1. de matrimon. c. 3. num. 2. in comment. lit. K.* & pro hac limitatione etiam refertur *Hostiensis in c. proposuit de coniug. seruorum*, ità vt procedat solummodò, quandò interuenit aliquod impedimentum, seù nullitas ex defectu aliquo iuris naturalis, secus autem, quandò ex defectu iuris Ecclesiastici, & positiui, eaque ratione mouentur, quià scilicet in impedimentis iuris naturalis Ecclesia non potest disponere, benè tamen in impedimentis iuris Ecclesiastici positiui, sicque Episcopum præcipiẽtem sub excommunicatione Camillum cũ Caia cohabitare, quodammodò implicitè dispensare. Sed facili negotio eliditur hæc limitatio, primò, quià in præsenti hypothesi impedimentum est ex iure naturali, cum sit ex defectu consensus substantialitèr requisiti ad validitatem, & ex alio matrimonio validè inito, & consumato, quæ inducunt impedimentum de iure naturæ. Deindè iura indefinitè loquuntur, præcipuè *in d. cap. inquisitioni de*

Reijcitur limitatio allata per hos DD.

sent. excom. & sine vlla distinctione, quare non est, cur nos dispositiones illas restringere debeamus ad casus impedimenti cõsurgentis de iure naturæ, maximè cum *in c. literas de restit. spoliat.* dicatur non posse reddere conscio consanguinitatis, præsertim in gradibus diuina lege prohibitis, vbi nota illam particulam implicitiuam, *præsertim*, quæ non excludit alios gradus humana lege prohibitos, sed magis includit ob specialiorem causam ea, de quibus disponit. Nec valet dicere, vt supra asserebatur, quod in ea hypothesi fiat per Episcopum excommunicãtem dispensatio super illo impedimento; Non valet, inquam, quià nullibi constat attributam esse Episcopo talem autoritatem dispensandi in impedimentis dirimentibus, nec ex proprio officio hoc præstare potest, & si hoc subsisteret posset sine dispensatione vlteriori subsistere matrimonium innotescente alteri coniugi illo impedimento, quià per illam dispensationem esset sublatum, quod nemo dicet.

Impedimentum in hac hypothesi est de iure naturali.

Episcopus non potest dispensare.

5 *Soluuntur Rationes oppositæ.*

Ad rationes, quæ ex aduerso afferebantur, dicendum est, & quidem ad primam negandum est absolutè, quod alter coniux, qui liberum præstitit assensum habere ius petendi debitum; cum etenim matrimonium sit ex genere suo cõtractus vltrocitroque obligatorius, quando claudicat ex vna parte, claudicat absolutè, & vbi alter non obligatur, alter non habet ius aduersus ipsum, cum onus in vno, & ius in altero sibi sint correlatiua. Verum tamen est, quod si innocens, seù ille, qui verum præstitit consensum petat bona fide, & alter contrà impedimentum, quo irretitur, reddat, peccet quidem iste, cum sit conscius inualiditatis, non ille, quià ratione ignorantiæ excusatur. Ad secundam dicendum est cum *Sanchez d. lib. 2. disp. 39. num. 12. vers. ad secundum responderi solet*, disparem esse rationem de Iudice condemnante innocentem, & de coniuge præsumpto, & non vero, accedente ad non suam. Ratio disparitatis in eo consistit, quod Iudex in condemnatione procedere debet, vt persona publica deputata à Republica ad iudicandum; vt persona autem publica debet iudicare non secundum priuatam scientiam propriam, sed secundum allegata, & probata, cum allegatio, & probatio sint medium ad iuridicè procedendum necessarium, & scientia Iudicis priuata nihil conferat ad publicum ministerium, nisi quatenus coniungitur cum ijsdem allegatis, & probatis, sicque scientia publica non condemnat innocentem cognitum, vt talem, sed cognitum, vt reum, & noxium; Coniux autem reputatus, vt talis, cum tamen talis non sit, agit vt persona priuata, quæ per consequens cũ habeat priuatam scientiam, quod illa

Dum contractus claudicat non obligatur.

Dispar ratio de Iudice condemnante innocentem cũ scientia priuata innocentiæ, & de coniuge cum scientia priuata inualiditatis contractus.

de necessitate, sed tantum de honestate; Neque obesse potest, si asseratur, quod cum huiusmodi sponsalia sint contracta contrà honestatem parentibus debitam videantur esse irrita, quandòquidem omnis promissio illicita, seù contrà honestatem omninò est inualida per superius dicta; Non, inquam, obesse potest, quià onus talis honestatis tale, & tantum non est, vt si omittatur, inducat peccatum vel mortale, vel veniale, quandòquidem filius, vel filia in materia matrimonij contrahendi non tenentur obedire parenti, *Vasquez de matrimonio disp. 4. n. 24. Villalobos 1. part. tract. 12. diff. 39. Sairus lib. 7. clauis c. 5. nu. 12. August. Barbosa collect. ad c. 1. de despons. impub. n. 5. Egidius Coninch. disp. 28. dub. 5. Azorius part. 2. lib. 2. c. 2. q. 6.* sicque talis honestas inducitur potiùs ex consilio, quam ex præcepto.

Titulus honestatis in hac hypothesi non obligat sub peccato. Vasquez. Villalobos. Sairus. Barbosa. Coninch. Azorius.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià timor grauis indignationis parentum, & alicuius damni ex illa sibi imminentis est sufficiens causa à sponsalibus prę actis recedendi, prout definiuit *Rota Rom. in vna Tullensi matrimonij 13. Maij 1596. coram Penia*. Hic disputant DD., an ad dissoluenda sponsalia ex allegata causa requiratur Iudicis auctoritas, an verò per eosdem filios possint immediatè dissolui. Crediderim, huiusmodi auctoritatem Iudicis non requiri, si nullum immineat scandalum ex tali dissolutione, *Manuel. tom. 1. summa 2. edit. c. 243. n. 11. Angelus verb. sponsalia n. 42. Petrus de Ledesma de matrim. q. 43. art. 3. dub. vlt.* cum nullum sit ius exigens talem auctoritatem, & sponsalia videntur semper habere tacitam conditionem annexam eadem complendi, nisi aliquis casus accedat ab eisdem recedendi.

Filij ad euitandam iram parentum possunt recedere.

Manuel. Angelus. Ledesma.

5 Aduersus ea, quæ dicta sunt in prima parte huius secundæ responsionis, arguit primò Sannazarius hoc pacto. Possunt parentes, ac tutores irritare vota impuberum ingrediendi Religionem, ergò etiam poterunt irritare eorundem sponsalia, quià maioris efficaciæ est votum Religionis, quàm promissio sponsalium. Vlteriùs, quià impuberes in imbecillitate intellectus, & iudicij ad contrahendum, videntur posse in eisdem non benè sibi consulere, quare subduntur curæ parentũ, & tutorum in alijs omnibus, ergò etiam in sponsalibus, Sed facilè huiusmodi obiectis occurrere possum, asserens ad primum mitiùs agi cum Deo, quàm cum hominibus, per textum *in l. Celsus ff. de respons. arbitr.*, ad secundùm, In alijs omnibus cõtractibus ex dispositione iuris inductum est, ne filij familias ante decimum quartũ annum contrahant sine consensu parentũ, ne facilè decipiantur; in contractu autem sponsalium, cum sit ab auctoritate parentum independens, nihil est dispositum, & iura ipsa approbant talem contractum per filios familias, qui attigerint septennium, vel præfatum vsum rationis, etiam ante illud malitia supplente ætatem, per superiùs commendata, adeoque &c.

Soluuntur obiectiones contrariæ.

DISQVISITIONES II.

Ad quintam prænotionem, & omnes sectiones sub illa contentas.

§. I.

An, si Deus reuelaret consensus internos contrahentium nihilo extrinsecè de ipsis apparente, subsisterent sponsalia.

SVMMARIVM.

Exponitur series difficultatis. 1.
Stante etiam tali reuelatione diuinitùs facta non subsistunt sponsalia. 2.
Sensibilitas est de formali ratione contractus sponsalium. 3.
Procedit responsio de diuina relatione nullo sensibili signo manifestata, secus, si esset exterius facta sensibilis, & manifestant consensus. 4.

Disquisitio I. Consensum intrinsecè; seù per actum internum se inuicem ducendi conceperunt Caius, & Theodorica, nulla tamen extrinsecùs, seù sensibilitèr facta, nec per nutus, nec per verba, nec per signa sensibilia manifestatione eiusdem consensus, seù actus interni. Rebus sic stantibus Deus per speciales illuminationes, seù reuelationes manifestauit vtrique alterius formalem consensum internum, adeovt vterque conscius factus fuerit mentis formalis alterius, seù promissionis internæ. Oritur hic controuersia (quæ multum ducit ad dignoscendum, an verba, aliaque signa sensibilia consensus sint de formali talis contractus, an verò tantum conditiones) an per illum consensum simul cum diuina reuelatione constituta sint propriè sponsalia. 1

Quomodo intelligenda sit difficultas.

Respondeo, in ea hypothesi propriè non constitui sponsalia *Sanchez lib. 2. disp. 33. nu. 1., Basilius Pontius lib. 2. c. 6., Gutierez c. 46. nu. 8. Coninchus de sacramentis tom. 2. disp. 24. dub. 8. num. 63., Reginaldus in praxi fori pænit. lib. 31. num. 16., Fillintius part. 1. tract. 10. c. 3. num. 78., Barbosa tom. 2. collect. lib. 4. tit. 1. c. 14. num. 3.*, quidquid dixerint *Maior in 4. dist. 26. q. 1. ad tertium, VeraCrux 1. part. specul. art. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià contractus inter homines ex suo essentiali conceptu debet 2

Sponsalia non sub illo sunt. Sanchez. Pontius. Gutierez. Coninch. Reginald. Fillintius. Barbosa.

debet esse humano modo sensibilis, sed nõ esset talis, quando ex diuina reuelatione consensus contrahentium tantum innotesceret, quandòquidem illa cognitio non haberetur per sensus, nec resultaret ab ipsis contrahentibus, quià per solum conceptum interiorem homo non ordinatur ad alium; id enim proprium est Angelorum, ergò ille contractus sic initus propriè non subsisteret in ratione contractus humani.

Non esset sensibilitas humano modo.

Neque obesse potest, si asseratur ad validitatem sponsalium aliud non requiri, nisi quod contrahentes mutuò consentiant, & eorum consensus adinuicem ipsis innotescat; sed in hypothesi præsentis responsionis vtriusque consensus supponitur re vera adesse, & ipsis adinuicem per diuinam reuelationem manifestatus, ergò &c. Sed contrà, quià ad obligandum non sufficit vtriusque consensus quomodòcunque manifestatus, sed debet, vel per eosdem manifestari, vel per personas ad id muneris deputatas, quæ nomine eorundem deferant ipsorum consensum per ea, quæ superiùs diximus, cæteroqui, si contrahentes ipsi quomodocunque consensum suum internum alijs à contrahentibus exponerent sinè vllo mandato ad deferendum, & isti deferrent, subsisteret contractus sponsalium, quod tamen superius fuit confutatum. Deindè per superius latè probata in contractibus humanis, & humano modo initis sensibilitas est de formali conceptu eorundem contractuum, siuè posteà talis sensibilitas sit per nutus, siuè per verba, siuè per alia signa exteriora, ergò eadem deficiente non erit proprius, & formalis contractus humanus, sed per diuinam reuelationem præcisè nulla inducitur sensibilitas, ergò &c.

Non sufficit cognitio inter contrahentes quomodocunq;

3 *Sensibilitas est de essentia.*

Dices, potest Deus quodamodò supplẽs defectum sensibilitatis per eosdem contrahentes non appositæ per signum aliquod sensibile internum eorum consensum manifestare, ergò saltem in ea hypothesi consistet contractus sponsalium humano modo. Consequentia probatur paritate parentum contrahentium pro filijs præsentibus, & tacentibus, qui solum manifestant consensum internum eorundem filiorum, qui si vtique hoc possunt præstare, & validè non video, cur hoc non possit Deus præstare per signum aliquod sensibile. Sed contrà iam in eo casu esset sensibilitas humano modo, seù humano modo apta percipi per ipsos contrahentes, nec in hoc sensu est aliquid dissonum responsioni, quæ procedit de diuina reuelatione nullo extrinsecus signo apparente, nec est aliqua difficultas, quod, si parẽtes possunt filiorum consensus internos, qui ex eo dignoscuntur, quod taceant, manifestare, non possit etiam Deus per signa sensibilia hoc præstare, cum magis eidem subdantur homines, quam filij parentibus. Verum tamen est, quod hic contractus quoad modum differret à contractibus, qui regularitèr ab hominibus ineuntur.

4 *Secus esset, si Deus præstaret per signum aliquod sensibile.*

§. II.

An per missionem annuli per parentes constituatur sponsalia.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo sita sit difficultas. 1.
Si tractatus præcesserit, de quo conscius fuerit Titius, & posteà per ipsius patrem missus fuerit eodem Titio sciente, & non contradicente annulus acceptatus à sponsa, vtique constituuntur sponsalia. secus si tractatus non præcesserit, & Titius ignorarit. 2.
Si loci consuetudo obtineat, vt missio annuli habeatur pro sponsalibus, & pater miserit, sciente filio, & non contradicente, vtiquè sponsalia tenerent, 3.
Si filius fuerit inscius missionis, tunc tenent sponsalia, si postea rata habeat, secus non, 4.

Disquisitio II. Agebant parentes Titij de contrahendis sponsalibus pro eodem cum Octauia filia Theodorici annuente quodammodò contractui eodem Theodorico. Pendente adhuc tractatu ijdem parentes Titij annulum miserunt ad eundem Octauiam consciam tractatus præcedentis, qui eundem recepit, Orta fuit controuersia, an per talem missionem inducatur præsumptio valida pro sponsalibus.

1 *Exponitur facti series.*

Consideranda pleraque sunt in hac hypothesi, & primò, an talis missio facta fuerit tacente, & consentiente Titio, vel eo penitus ignorante, seu potius contradicente. Secundò, an idem Titius conscius fuerit tractatus præcedentis, vel ignorans. Tertiò, an loci consuetudo obtineat, vt talis missio habeatur pro consensu, & sponsalibus, an verò talem consuetudinem nõ obtineat, sed indiferenter se habeat, vel ad sponsalia, vel ad simplicem donationem.

Variæ considerationes, circà ipsum

Respondeo primò, si præcedente tractatu, de quo conscius fuerit Titius, facta fuerit missio annuli, eaque acceptata ab Octauia, verè cõstituũtur sponsalia, secùs, si nullo præcedente tractatu, filioque ignorante, vel contradicente. Ità quoad primam partem *Glosa in c. fin. verbo subbarrauit de despons. impub. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 125.* Quo ad secundam *Panormitanus in c. fin. de despons. impub. & ibi Alexander de Neuo n. 12, Mascard. de probat. concl. 1024. nu. 6. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. nu. 8.*

2 *Tenent, si tractatus præcesserit, & Titius non contradixerit.* Glosa. Bossius. Panormit. Alexander de Neuo. Mascardus. Menochius Gutierez

Gutierez de matrimonio cap. 40. nu. 6. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, quantumuis illa missio annuli per parentes secundum se sit æquiuoca, & æquè referri possit, vel ad simplicem donationem, vel ad sponsalia, vel ad aliquem alium finem, prout tamen coniungitur cum præcedenti tractatu, cum scientia eiusdem Titij tàm de eodem tractatu præcedenti, quàm de tali missione limitatur, & restringitur secundum communem æstimationem ad subiectam materiam talis tractatus, *Panormitanus in c. illud de præsumpt. Butrius in c. vltimo de desponsat. impub. Iulius Sannazarius de sponsal. & matrim. cap. 2. artic. 4. num. 24. Franciscus Molinus de ritu nupt. comp. 11. & 25. & 42.* & sicuti, si pater contraheret sponsalia præsente filio, & non contradicente, sed tacente intelligeretur validè contrahere per superius notata, quià tunc filius præsumitur consentire, ità, si pater præcedente tractatu de sponsalibus contrahendis pro filio, cuius fuerit conscius ipsemet filius, annulum miserit fœminæ, sciente eodem filio, & non contradicente, intelligentur validè contracta sponsalia, quandoquidem illa missio annuli cum illis circumstantijs inducit efficacem præsumptionem cõsensus, seù promissionis ad eadem sponsalia, & cum ipse filius fuerit conscius talis missionis, perindè se habet, ac si esset præsens, & tacens sponsalibus per patrem celebratis, eisdemque consensisset; nó enim solummodò per verba celebrantur sponsalia, sed etiam per nutus, & per facta, vt suprà docuimus.

Ambiguitas tollitur per tractatum præcedentem, & scientiam. Panormit. Butrius. Sannazar. Molinus.

Perindè esset, ac si præsens, & tacens assisteretur sponsalibus per parentes initis.

Confirmatur, quià si ipse filius per præcedentem tractatum per se ipsum habitum mitteret annulum fœminæ, cum qua tractatum habuit de sponsalibus celebrandis, vtiq; illa missio haberetur pro sponsalibus, si fœmina annulum illum acceptaret, ergò etiam si pater post præcedentem tractatum annulum eidem fœminæ mitteret sciente, & consentiente filio, seù non contradicente, ipsaque acceptaret, præsumẽdum esset pro eisdem sponsalibus, quæ, sicuti tenent, quandò pater per verba expressa contrahit pro filio præsente, & tacente, ità non est, cur tenere non habeant, quandò idem pater contrahit per factũ, quod secundum communem acceptationem habetur pro sponsalibus, & æquiualet verbis expressis, cuiusmodi attentis illis circumstantijs est missio annuli sciente eodem filio, & non contradicente.

Ratio secundæ partis ex ijs deducitur, quæ supra dicta sunt, quod scilicet annuli traditio simplicitèr facta, & per se solam, cum sit signum æquiuocum, & referibile ad varios fines, non inducit sponsalia, *Panormitanus in c. fin. de desponsat. impub. nu. 7. & in d. c. illud num. 4. de præsumpt. Mascard. de probat. concl. 1024. num. 2. Iulius Sannazarius de sponsalibus, & matrim. dicto cap. 2. art. 4. nu. 22. & 26. Gutierez de matrim. c. 12. nu. 1. Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 11. nu. 18. Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 22. nu. 1.* ergò annuli traditio facta per parentes nullo præcedente tractatu, nec interueniente scientia, & consensu filij, etiam non subsistet in vim, & rationem sponsalium, si etenim missio facta immediatè per eundem filium ex communi conceptu non inducit consensum ad sponsalia, nec videtur eundem inducere missio facta per parentes eodem filio penitus ignorante; tùm quià æquè potest esse æquiuocum illud signum, siuè factum per filium, siuè factum per ipsius parentes, possunt etenim & parentes mittere ad finem simplicis donationis, vel aliquo alio titulo, & quandò non est præmissus tractatus, potest fæmina suscipere titulo donationis, vel aliquo alio titulo donationis sine animo se obligandi; tùm quià, sicuti, quando parentes contrahunt nomine filij ignorantis, non tenet contractus, nisi filius factus conscius ipsum ratum habuerit, ità multò minus tenere potest, quandò parentes actionem aliquam exercent, quæ secundum se est indifferens, vel ad sponsalia, vel ad alium finem, ad quam actionẽ ip se filius non concurrit.

Missio annuli est signum æquiuocum. Panormit. Mascardus.

Sannazar. Gutierez. Molinus.

Respondeo secundò, si loci consuetudo obtinuerit, vt missio annuli habeatur pro consensu ad sponsalia, & filius fuerit conscius missionis annuli ad Octauiam, nec contradixerit præsumendum est pro sponsalibus; si verò non fuerit conscius, tunc eodem modo phylosophandum est, quo dictum fuit de sponsalibus initis per parentes pro filijs absentibus, & ignorantibus, adeovt si posteà conscij rata habeant, teneant, si verò contradicant, non teneant. Ita quoad primam partem *Glosa in cap. fœmina verb. annulus vers. vel nisi sit de consuetudine loci, Antonius de Butrio in c. fin. nu 8. de despons. impub., & ibi Alexander de Neuo num. 12. Panormitanus in c. illud n. 12. de præsumpt. Lancellotus in §. contrahitur Instit. de sponsalib. August. Barbosa tom. 4. collect. in d. cap. fœmina 30. q. 5.* Quoad secundam DD. omnes suprà relati, qui statuunt sponsalia per parentes pro filijs absentibus contracta tenere, si posteà per filios conscios rata habeantur, non tenere, si dissentiant. Ratio primæ partis est, quià si parentes contrahant pro filijs præsentibus, & tacentibus tenent sponsalia, ergò, si parentes mittant annulum ad fœminam acceptantem in loco, in quo talis missio habetur pro consensu ad eadem sponsalia sciente filio, & non contradicente erunt propriè sponsalia, quià parum refert, quod parentes contrahant, vel per verba, vel per facta, quandò facta ipsa habentur ex communi acceptione pro consensu, & æquiualent

3 *Tenerent stante consuetudine, si filius scierit, & nõ contradixerit.* Glosa. Antonius de Butrio. Alexander de Neuo. Panormit. Barbosa.

Misso annulo tunc æquiualeret contractus per parentes initis.

ualent verbis; & iuxtà hunc doctrinam locum habet distinctio, quam tradit, *Panormitanus in c. illud num. 12. de præsumpt.* per hæc formalia verba. *Aliquando in quibusdam locis annulus datur tempore sponsaliũ, & tunc tantum sponsalia significat, aliquando datus tempore matrimonij, & tunc matrimonium, aliquando nullà est consuetudo certa, cum variè obseruetur, & tunc, nec matrimonium, nec sponsalia probantur, aut nulla est omninò consuetudo, & tunc aut fuit annulus datur simplicitèr mulieri, & donatio præsumitur, vel vir posuit annulum in digito mulieris, & tunc de iure antiquo præsumitur matrimonium.*

Panormit.

4 Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià sponsalia per parentes inita nomine filiorum absentium, & ignorantium eatenus tenent, quatenus per eosdem filios rata habentur, non etenim fiij quoad contractus sponsalium, & matrimonij dependent à voluntate parentum, cum sui iuris sint, nec per eosdem parentes compelli possunt ad contrahendum per superius dicta, ergò, si ex consuetudine regionis parentes cōtraxerint per missionem annuli pro filijs absentibus, vel ignorantibus eatenus sponsalia tenebunt, quatenus eidem filij rata habuerint, non tenebunt, quatenus ipsi dissenserint.

Si fuerit inscius, & posteà rata habeat, tenent.

§. III.

An, & quandò manus contractus inducat consensum ad sponsalia.

SVMMARIVM.

Proponitur status difficultatis. 1.
Si post habitum tractatum de futuris sponsalibus masculo promittenti fœmina manum spontaneè porrexerit efficiuntur sponsalia. 2.
Si post tractatum sponsus promittens accipiat alterius manum, & ipsa nihil respondeat, nullumque actum positiuum indicantem repromissionem eliciat, sed tantum manum non retrahat, probabilius etiam præsumitur pro sponsalibus. 3.
Strictio manus confert quidam ad consensum, non tamen est necessaria. 4.

1 Disquisitio III. Habitus fuerat præcedentèr tractatus inter Meuium, & Seiam de sponsalibus contrahendis. Quo posito Meuius promisit matrimonium futurum eidem Seiæ, ipsaque requisita ore tenus nihil respondit, sed manum Meuio spontaneè dedit; vel fortè etiam Mæuius in actu promissionis accepit manum eiusdem Seiæ dicens, *do tibi fidem de matrimonio contrahendo*, & ipsa nihil respondit, non tamen manum retraxit. Disputatum hic fuit, an in vtroque exposito casu verè sponsalia fuerint contracta, sufficiensque consensus ad ipsa præsumatur.

Factum in suis terminis.

2 Respondeo primo, si Seia post habitum tractatum de contractu sponsalium ineundo Meuio promittenti manum spontaneè porrexerit efficax præsumptio est pro sponsalibus, quinimmò tenent sponsalia. *Abbas in c. cũ virum n. 3. de Regul. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. n. 4. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. Rosella verb. sponsalia nu. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 22. n. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 3. num. 126. Basilius Pontius lib. 2. c. 11. nu.* 8. Ratio ex eo deducitur, quià sponsalia non ex necessitate per verba contrahuntur, sed etiam nutibus, & signis alijs sensibilibus per ea, quæ superius notata, & probata sunt, sed manus spontanea porrectio per fœminam requisitam post præcedentem tractatum, & promissionem à Meuio factam habetur pro nutu extrinseco, & signo sensibili sufficienti ad repromissionem, ergò &c. Neque dicas, manus porrectionem secundum se indifferentem esse, vel ad iudicandum vinculum amicitiæ, & familiaritatis, vel ad exprimendum consensum sponsalium; ex signo autem indeterminato, & indiferenti ad plures effectus non argui determinatè consensum ad vnum; contrà enim impugnaberis, quià, quantumvis illa porrectio nudè, & secundum se sumpta videatur indiferens ad vtrumque, quatenus tamen coniungitur cum illis circunstantijs præcedentis tractatus, & promissionis relatiuè ad subiectam materiam non potest, nisi ad eandem promissionem referri, sicque ad eandem restringitur. Confirmatur, quià taciturnitas ipsa habetur pro consensu, quandò ipsa taciturnitas coniungitur cum aliquo actu positiuo proportionato ad talem consensum *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 22. n. 6. Abbas in c. cum virum n. 3. de regularib. Antonius Gomez lib. 52. Tauri n. 24. Basilius Pontius de sponsalib. lib. 2. c. 11. nu.* 8. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n.* 126. Quinam autem actus positiuus magis proportionatus, post præcedentem tractatum, & ad promissionem partis, quam manum porrigere fidei simbolum? Deindè taciturnitas eius, cuius necessarius est consensus ad perficiendum contractum, quià de ipsius interesse agitur, si contradicendo actum impedire potuit, habetur pro consensu *l. fideiussor §. pater Seij ff. de pignor. l. Caius ff. de pignor. act. l. sæpe ff. de re ind. c. quamuis eodem tit. Ludouicus Roman. in l. qua dotis ff. solut. matrim.* in quo casu taciturnitas semper interpretatur contrà tacentem *l. de ætate §. qui tacuit, & ibi Bartolus in princip. ff. de interrog. act. Bartolus in l. seruus dotalis verb. quæro quid si mulier. ff. solut. matrim.* Quod si hæc vera sunt, quandò simplicitèr tacet, quid erit, quandò vltrà taciturnitatem addit actum positiuum manus porrectionis spontanea?

Spontanea manus porrectio alteri promittenti expressè inducit sponsalia.
Abbas. Paludanus. D. Antoninus. Rosella. Sanchez. Bossius. Pontius.

Manus spontanea porrectio habetur pro nutu extrinseco.

Manus porrectio cum illis adminiculis non est indifferens.
Sanchez. Abbas. Gomez. Pontius. Bossius.

Ludouicus Romanus. Bartolus.

3 *Etiam, si ipsa non porrigat manum, sed ab altero attractā non retrahat.* Pontius. Bossius. Nauarrus.

Respondeo secundò. Si Meuius in actu promissionis factæ Seiæ ipsius manum accipiat, & ipsa nihil respondeat, nullumque actum positiuum indicantem repromissionem exerceat, sed tantum manum non retrahat præsumēdum est pro sponsalibus, *Basilius Pontius de sponsalibus lib.2. c.11.nu.8. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.3.num.127.Nauarrus in man. c.25. num.144.* Ratio ex eo deducitur, quod mox dicebamus, nempè taciturnitatem eius, de cuius interesse agitur, inducere ex præsumptione iuris consensum, quandò contradicendo impedire potest actum per allegata iura, & DD. ergò multò magis taciturnitas inducet talem consensum, quandò alter contrahens præstat actum, quem, si dissentiret, teneretur remouere per retractum, cum vltrà taciturnitatem inducat etiam præsumptionem consensus, nam regularitèr fæminæ honestę tactus huiusmodi non permittant, maximè vbi permissio arguere posset consensum; ad quod etiam maximè facere videtur textus *in c.1. de sponsalib.* vbi sic legitur. *Fides autem consensus est, quandò, & si non stringit manum, corde tamen consensit ducere.* Confirmatur vlterius, quià vt arguit *Basilius Pontius d. c.11. n. 8.*, quandò celebrata sunt sponsalia ex aliquo impedimento occulto inualida, & sponsus, & sponsa simul cohabitant cessante impedimento cum sufficienti scientia, si se non retrahant à cohabitatione, manifestè indicant consensum ad eadem sponsalia, vt ingenuè fatetur, *Sanchez lib.2. disp. 36. n.6. contrariæ sententiæ assertor*, ergò etiam, quandò sponsus dans fidem sponsæ per veram promissionem accipit eiusdem sponsæ manum, si illa manum non retrahat, videtur sufficientèr consentire, & indicare repromissionem, cum manus appositio sit signū fidei datæ, & non retrahere manum, quandò, si non assentiretur, posset retrahere, est virtualitèr, & implicitè quodamodò eam porrigere. Contendunt hic aliqui, quod non sufficiat ad indicandum consensum, si manum non retrahat, sed quod requiratur vlterius, vt manum alterius propriam accipientis stringat; fateor quidem, quod illa manus strictio esset expressius signum consensus, seù repromissionis, nego tamen non esse sufficiens signum, si manum aprehensam non retrahat, cum dissentiens posset retrahere ea proportionali ratione, qua certè esset expressius signum, si quandò contrahuntur sponsalia per parentes pro filijs præsentibus, si consensum oculis saltem, vel nutibus indicarent, nihilominus non tollitur, quin sufficientèr talem consensum indicent, si præcisè taceant, cum possent contradicere, vt suprà dictum est, si non assentirentur.

Illa taciturnitas inducit consensum, & quare.

Sanchez.

4 *Non requiritur ex necessitate strictio manus.*

§. IV.

An prius matrimonium fictè contractum dirimat subsequentia sponsalia, seù matrimonium.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersia. 1.
Attento præcisè foro conscientiæ ex matrimonio fictè inito non consurgit impedimentum irritans posterius matrimonium, benè tamen futura sponsalia. 2.
Stando in foro exteriori matrimonium fictè initum valet, & parit vinculum coniugale irritans aliud matrimonium. 3.
Fictus promissor, qui ex Ecclesiæ præscripto obligatur stare matrimonio non, potest petenti reddere, nisi nouum consensum eliciat, quo retractet fictum. 4.
Sufficit, quod ille nouus consensus sit internus, nec est necesse, quod exhibeatur coram Parocho, & testibus. 5.

Disquisitio IV. Contraxerat Titius matrimonium cum Caia per verba de præsenti, non tamèn cum animo promittendi, vel se obligandi, & per consequens fictè, ità tamen, vt exterius non appareat de fictione. Posteà sibi conscius sui animi de se non obligando contrahere contendebat, vel sponsalia vera cum vero animo se obligandi, vel fortè etiam matrimoniū cum Berta. Orta hic fuit controuersia, an ex priori illo matrimonio fictè contracto ortum fuerit aliquod impedimentum dirimens sponsalia posteriora, vel fortè etiā matrimonium. Hæc difficultas examinari potest, vel attento præcisè foro conscientiæ, vel etiam attento foro externo, & iudiciali. 1

Controuersia exposita in suis terminis.

Respondeo primò, attento præcisè foro conscientiæ ex illo matrimonio fictè inito non consurgere aliquod impedimentum irritans posterius matrimonium, benè tamen futura sponsalia. *Coaruuias de sponsalib.2.part.c.2.num.2., & 3., Gutierez de matrimonio c.9.num.12., D.Thomas in 4. dist.27.q.1. art.2.quæstiuncul.4.ad primum, Sanchez lib.1. disp.11. num.1., Basilius Pontius lib.2. c.5.nu. 2., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract c.2.nu.51.* Ratio ex eo deducitur, quià sistendo in foro conscientiæ illud prius matrimonium fictum non tenet, quandoquidem sine consensu, qui dat esse contractui tanquam forma substantialis ipsius, contractus non subsistit, ergò ex illo non potest oriri impedimentum aliquod dirimens, si quidem ex contractu secundum se nullo nullus potest oriri effectus. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod, quantumvis contractus secundum se in foro conscientiæ sit nullus, obligat tamen 2

Non irritat posterius matrimonium, benè tamen sponsalia. Coaruuias. Gutierez. D.Thomas. Sanchez. Pontius. Bossius.

simu-

simulatè contrahentem, & absque animo se obligandi ex iustitia per nouum verum consensum contrahere *Nauarrus in man. c. 26. num. 76., Siluester verb. matrimonium 4. q. 8., Petrus Gregorius Tolosanus lib. 9. syntagm. iur. c. 5. num. 6., Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3., Riccius in tract. for. Eccl. decis. 243. num. 2. in fin., Henriquez lib. 11. c. 11. §. 3. lit. P. in textu, Lessius de iust. lib. 2. c. 18. dub. 8. num. 60.*, ergò saltem ratione illius obligationis consequentis ex illo contractu simulatè inito orietur impedimentum contrahendi cum alio, quandòquidem cum vna obligatus non potest validè cum alia contrahere, saltem loquendo quoad sponsalia, quæ cũ non subsistant, quando promissio est illicita, vtique nequeunt subsistere in hac hypothesi, secundum quam stante obligatione illa præcedenti non potest esse licita posterior promissio, cum sit contra iustitiam. Dixi, *saltem loquendo quoad sponsalia*, nam in ordine ad matrimonium illa obligatio, quæ consurgit ex priori matrimonio fictè contracto non inducit impedimentum dirimens, sed simplicitèr impediens, quandòquidem, sicuti sponsalia antecedentèr inita cum vna non dirimunt matrimonium subsequentèr initum per verba de præsenti cum altera seruatis omnibus conditionibus ad hoc requisitis, vt est in confesso apud omnes, ità obligatio, quæ consurgit ex contractu nullo antecedentèr inito cum vna non potest dirimere subsequens initum cum altera per verum, & realem consensum exhibitum per verba de præsenti, seruatisque omnibus conditionibus ad hoc requisitis.

Nauarrus. Siluester. Tolosanus, Sotus. Riccius. Henriquez Lessius.

Obligat ad verè contrahendum.

3 Respondeo secundò. Stando in foro exteriori matrimonium illud sic fictè initum valet, & parit vinculum coniugale dirimens aliud quodcunque matrimonium subsequens *Coarnuias de sponsalib. 2. parte c. 2. num. 2., & seqq., Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 1. num. 33., 37., & 38., Franciscus Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 32. num. 8., D. Thomas in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad primum, Ioannes Vallerus in suis differ. verb. matrimonium dif. 4., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. num. 52.* Ratio ex eo deduci potest, quod dicitur *in l. fideiussores magistratuum §. pro Aurelio ff. de fideius., l. non aliter ff. de leg. 3., & in c. per tuas de probat.*, nempè quod à verbis contractus non sit recedendum, *& in l. Labeo §. idem tubero ff. de suppel. leg.*, quod lex id ipsum in corde præsumit, quod ore dictum fuit, & certè omnia humana commercia, humanæ omnes ciuiles actiones facilè delaberentur, si verbis, per quæ ineuntur, stare homines non tenerentur ex motiuo, quod animo non consenserint, nec vllus posset esse tutus de validitate contractus, si valide alter posset excipere de negatione animi se obligandi. Neque obesse potest textus *in l. 3. ff. de act., & oblig.*, vbi fictus contractus non potest subsistere; non, inquam, obesse potest, quià ille textus non procedit de contractu ficto, seruata forma præscripta quoad externa in huiusmodi contractibus, sed de contractu illusoriè, & iocosè inito apparente quodamodo ex circumstantijs ioco, & illusione, qui certè contractus tunc non obligaret, nec in foro externo, prout notat *Franciscus Marcus decis. 345. part. 1., Franciscus Molinus d. lib. 1. de ritu nupt. compart. 32. num. 11.*

In foro exteriori valet, & irritat aliud matrimonium. Coarnuius Menochius Molinus. D. Thomas Vallerus. Bossius.

Marcus. Molinus.

Neque ijs, quæ hic dicuntur aduersantur ea, quæ superius dicta sunt *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. prænot. 5. sect. 3.*, scilicet promissionem sine animo promittendi, & se obligandi non tenere, nec in vim matrimonij, nec sponsalium; Non, inquam, aduersantur, quandòquidem ibi dicta procedunt solum inspecta nuda veritate, & attento foro conscientiæ, non autem attenta præsumptione, & in foro externo, secundum quæ Ecclesia iudicat, cum non scrutetur intima cordis penetralia, prout perscrutatur Deus.

Alibi dicta procedunt in foro interno.

Hic oritur ratio dubitandi quid agere teneretur sic fictè consentiens, quando ex Ecclesiæ præscripto ab eodem matrimonio non posset recedere, cum in foro externo præsumeretur pro eiusdem validitate, an alteri exigenti teneretur reddere debitum, an verò posset non reddere, an teneretur nouum consensum verum, & realem exhibere, & an in ea hypotesi teneretur illum exhibere in forma præscripta per Tridentinum coram Parocho, & testibus, an verò sufficeret, quod internè consentiret. Primò absolutè sentio alteri exigenti non posse reddere, antequam nouum realem consensum eliciat, teneri tamen nouum hunc consensum elicere, & reddere. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià redditio debiti coniugalis non est licita, nisi constante matrimonio, sed ante nouum illum consensum in foro interno matrimonium non constat, ergò ante illum consensum non est licita redditio debiti. Ratio secundæ partis deducitur ex superius dictis, quià ex vi præcedentis matrimonij quantumvis ficti tenetur fictor nouum verum consensum elicere, quod multis capitibus probatur primò, quià secus tota iustitiæ ratio læderetur in humanis commercijs, cum consensus solum per verba, aliaque signa exteriora exhibeatur; Secundò, quià alter, qui verè consensit, tradidit dominium sui corporis alteri simulatè contrahenti, quam traditionem ipse acceptauit, ergò, ne ius tradentis lædatur, & ipse onera subeat nulla aquirendo iura debet ad æqualitatem constituendam alter nouum consensum elicere, per quem verè tradat suum corporis eidem, qui prius tradiderat. Tertiò, quià, quando

4 *Non potest reddere, tenetur tamen nouum consensum verum, & realem elicere.*

Læderetur ratio iustitia in omnibus humanis commercijs

do fuit initus contractus, & alter præstitit verum, & legitimum consensum, fictor tenebatur verum consensum elicere, an alter in suo deciperetur, ergò tenetur ratione eiusdem contractus fictum consensum per alium verum supplere. Atque sic sentiunt *Lessius de iust. lib. 2. c. 18. dub 8. num. 60., Gregorius Tolosanus lib. 9. sintag. iuris c. 5. num. 6., Basilius Pontius lib. 2. c. 6., Vasquez tom. 4. in 3. part. disp. 6. de matrimon. c. 2., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. nu. 57.*

Lessius. Tolosanus. Pontius. Vasquez. Bossius.

Secundò sentio, sufficere, quod fictor nouum verum consensum internum eliciat, nec necesse est, quod de nouo

5 contractus ineatur coram Parocho, & testibus *Sanchez lib. 2. disp. 35. num. 1., Paludanus in 4. dist. 35. q. 1., Angelus verb. matrimonium 3 impedim. 4. num. 10., Tabiena eod. verb. matrimonium 2. q. 7. num. 8., Supplementum Gabrielis in 4. dist. 29. q. 1. art. 3. dub. 3.* Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebantur, quià scilicet ad validitatem contractus nihil aliud deficit, nisi verus consensus respectu deceptoris, cum præsupponatur sufficiens sensibilitas posita in præcedenti contractu ficto, & seruata solemnitas iuris iuxtà formam præscriptam à Concil. Trident., ergò adueniente nouo vero consensu interno perficitur verus contractus, & licet ex interuallo nouus hic consensus internus eliciatur, non tollitur tamen, quin possit coniungi quoad validitatem, quandòquidem sensibilitas illa præsumitur moraliter perseuerare, nec requiritur Physica vnio, & actualis coexistentia, sed sufficit moralis ex superius latè probatis.

Sufficit, quod ille nouus actus sit internus Sanchez. Paludanus Angelus. Tabiena. Supplem. Gabriellis.

§. V.

An deceptor post contractum secundum matrimonium cum pleno consensu coactus per sententiam excommunicationis cohabitare cũ prima, cui fictè promisit, possit petere, & reddere debitum.

SVMMARIVM.

Factum in suis terminis exponitur. 1.
Sententia asserens posse licitè reddere. 2.
Non potest licitè reddere, & contrarium asserere est periculosum in fide. 3.
Intellige siuè impedimentum, ex quo matrimonium est irritum, fuerit iuris naturalis, siuè iuris positiui, & Ecclesiastici. 4.
Soluuntur rationes opposita. 5.

1 Disquisitio V. Seruata forma Concilij Trident. per verba de præsenti, animo tamen ficto contraxerat Camillus cum Caia, qua nondum cognita carnaliter transiuit ad aliud matrimonium, seruatis item omnibus conditionibus, & solemnitatibus ad hoc requisitis, & certè per verum, & realem consensum. Reclamante Caia, quæ verum consensum præstiterat, fuit idem Camillus per Iudices Ecclesiasticos indicta excommunicatione compulsus posteriori vxore relicta, quam carnalitèr cognouerat, ad eandem Caiam redire, & cum ipsa cohabitare. Orta hic fuit controuersia, an idem Camillus posset in ea hypotesi petere, & reddere debitum eidem Caiæ.

Elucidatur factum.

Magister in 4. *dist.* 38. *in fin. Hugo de Sãcto Victore de Sacramentis part.* 11. *num.* 19. *Hostiensis in summa tit. de coniug. seruor. n.* 8. 2
existimant propter præceptum Ecclesiæ eidem indictum in excommunicatione, posse debitum reddere, & Ecclesiæ mandato obedire, quod multis conantur rationibus euincere, & primò, quià alter coniux innocens, scilicet Caia, quæ verũ consensum præstitit, habet ius petendi debitum, excusante illam ignorantia inuincibili, ergò Camillus reddendo non consentit, nisi in opus iustitiæ. Secundò paritate Iudicis condemnantis innocentem, quandò secundum allegata, & probata in foro externo apparet nocens, & reus, ergo etiam cum in dicta hypothesi secundũ allegata, & probata in facie Ecclesiæ apparet ibi matrimonium, quantumuis re vera non sit, non peccabit fictor reddendo debitum exigenti, quià ità est intrinsecè malum occidere innocentem, ac accedere ad non suam. Tertiò, quià concurrentibus duobus malis, licitum est minus eligere, ad euitandum maius; minus autem malum videtur in ea hypothesi reddere debitum exigenti, quàm denegare, tum quià denegare est peccatum inobedientiæ, secumque affert plurima scandala, reddere autem solum peccatum fornicationis, tùm quià denegare est peccatum iniustitiæ propter ius, quod innocens acquisiuit ratione veri, & realis consensus præstiti; tùm quià reddere in ea hypothesi videtur præcisè permittere peccatum, quod certè nõ est ab intrinseco peccaminosum, cum in iure etiam permittantur minora ad vitanda maiora mala, ergò &c. Nihilominus

Magister. Hugo de Sancto Victore. Hostiensis.

Sententia asserens posse in ea hypothesi reddere.

Respondeo, non licere Camillo in ea hypothesi reddere debitum, & contrarium asserere esse periculosum in fide, 3
D. Thomas in addit. ad tertiam partem qu. 46. art. 2. ad quartum, Sotus in 4. dist. 28. art. secundo circà finem, Ioannes Baptista Conradus parte secunda resp. qu. 141. Laiman. lib. 4. tract. 10. part. 1. c. 9. in fin. Coninch. tom. 2. disp. 34. dub. 10. num. 96. Expressè colligitur *ex c. inquisitioni de sent. excommunicationis*, & vlterius ratione sic euincitur, quià stante cognitione inualiditatis contractus, peccaminosum est ab intrinseco actum coniugalem exercere, etiam altero

Sententia negans præfertur. D. Thomas Sotus. Conradus. Laiman. Coninch.

11 peccaminosus ab intrinseco coitus inter non coniuges.

altero exigente, quià non esset actus coniugalis, sed simplicitèr fornicarius, nec tacitè potest accedere tanquam ad suam, cum certè vouerit non esse suam; fornicatio autē ab intrinseco, & ex genere suo est talis, vt nulla vnquam ratione possit cohonestari, & esse licita, ergò &c. nec potest primò excusari ratione excommunicationis inflictæ, quià vt habetur *in d. c. inquisitioni de sent. excommunic.* debet priùs excommunicationis sententiam humilitèr sustinere, quàm per carnale comercium peccatum operari mortale *in c. literis de restit. spol.* & coram Deo excommunicatio non officeret Camillo excommunicato, quandòquidem in foro animæ non reddēdo, non esset delinquens, nec contumax, cum alio vinculo fortiori impediretur ab executione mandati Ecclesiastici, nec Ecclesia potest cōtrà præceptum Diuinum, & naturale optimè notum eidem Camillo, cæteroqui Ecclesia per suum præceptum posset licitam reddere in aliquo casu fornicationem, quod quis diceret? Nec potest secundò excusari ratione maioris damni euitandi, quià in malis culpæ nunquam licitum est ad euitādum maius malum, aliquid, licèt minus, positiuè elicere; cæteroqui aliquandò peccatum vt malum esset licitum, sicque cohonestari posset v. gr. mendacium sub prætextu euitandi periurij, & iuxtà hunc sensum sentiunt *D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 1. artic. 4. quæst. 4. in fin. D. Bonauentura item in 4. dist. 28. in exposit. litera magistri in fin. Paludanus item in 4. dist. 35. qu. 1. art. 2. nu. 15. D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 19. ante §. 1. Abulensis c. 19. Mathei qu. 72. Glosa c. inquisitioni verb. humilitèr de sent. excommun.*

D. Thomas. D. Bonau. Paludanus. D. Antoni. Abulensis. Glosa.

4 Adrianus. Henriquez Hostiensis.

Limitant aliqui, inter quos *Adrianus quodlib. 1. art. 3. ad tertium in fin. Henriq. lib. 1. de matrimon. c. 3. num. 2. in commens. lit. K.* & pro hac limitatione etiam refertur *Hostiensis in c. proposuit de coniug. seruorum,* ità vt procedat solummodò, quandò interuenit aliquod impedimentum, seù nullitas ex defectu aliquo iuris naturalis, secus autem, quandò ex defectu iuris Ecclesiastici, & positiui, eaque ratione mouentur, quià scilicet in impedimentis iuris naturalis Ecclesia non potest disponere, benè tamen in impedimentis iuris Ecclesiastici positiui, sicque Episcopum præcipiētem sub excommunicatione Camillum cū Caia cohabitare, quodammodò implicitè dispensare. Sed facili negotio eliditur hæc limitatio, primò, quià in præsenti hypothesi impedimentum est ex iure naturali, cum sit ex defectu consensus substantialitèr requisiti ad validitatem, & ex alio matrimonio validè inito, & consumato, quæ inducunt impedimentum de iure naturæ. Deindè iura indefinitè loquuntur, præcipuè *in d. cap. inquisitioni de sent. excom.* & sine vlla distinctione, quare non est, cur nos dispositiones illas restringere debeamus ad casus impedimenti cōsurgentis de iure naturæ, maximè cum *in c. literas de restit. spoliat.* dicatur non posse reddere conscio consanguinitatis, præsertim in gradibus diuina lege prohibitis, vbi nota illam particulam implicitiuam, *præsertim,* quæ non excludit alios gradus humana lege prohibitos, sed magis includit ob specialiorem causam ea, de quibus disponit. Nec valet dicere, vt supra asserebatur, quod in ea hypothesi fiat per Episcopum excommunicātem dispensatio super illo impedimento; Non valet, inquam, quià nullibi constat attributam esse Episcopo talem autoritatem dispensandi in impedimentis dirimentibus, nec ex proprio officio hoc præstare potest, & si hoc subsisteret, posset sine dispensatione vlteriori subsistere matrimonium innotescente alteri coniugi illo impedimento, quià per illam dispensationem esset sublatum, quod nemo dicet.

Rejicitur limitatio allata per hos DD.

Impedimentum in hac hypothesi est de iure naturali.

Episcopus non potest dispensare.

5 *Soluuntur Rationes oppositæ.*

Ad rationes, quæ ex aduerso afferebantur, dicendum est, & quidem ad primam negandum est absolutè, quod alter coniux, qui liberum præstitit assensum habere ius petendi debitum; cum etenim matrimonium sit ex genere suo cōtractus vltrocitroque obligatorius, quandò claudicat ex vna parte, claudicat absolutè, & vbi alter non obligatur, alter non habet ius aduersus ipsum, cum onus in vno, & ius in altero sibi sint correlatiua. Verum tamen est, quod si innocens, seù ille, qui verum præstitit consensum petat bona fide, & alter contrà impedimentum; quo irretitur, reddat, peccet quidem iste, cum sit conscius inualiditatis, non ille, quià ratione ignorantiæ excusatur. Ad secundam dicendum est cum *Sanchez d. lib. 2. disp. 39. num. 12. vers. ad secundum responderi solet,* disparem esse rationem de Iudice condemnante innocentem, & de coniuge præsumpto, & non vero, accedente ad non suam. Ratio disparitatis in eo consistit, quod Iudex in condemnatione procedere debet, vt persona publica deputata à Republica ad iudicandum; vt persona autem publica debet iudicare non secundum priuatam scientiam propriam, sed secundum allegata, & probata, cum allegatio, & probatio sint medium ad iuridicè procedendum necessarium, & scientia Iudicis priuata nihil conferat ad publicum ministerium, nisi quatenus coniungitur cum ijsdem allegatis, & probatis, sicque scientia publica non condemnat innocentem cognitum, vt talem, sed cognitum, vt reum, & noxium; Coniux autem reputatus, vt talis, cum tamen talis non sit, agit vt persona priuata, quæ per consequens cū habeat priuatam scientiam, quod illa

Dum contractus claudicat non obligatur.

Dispar ratio de Iudice condemnante innocentem ex scientia priuata innocentiæ, & de coniuge cum scientia priuata inualiditatis contractus.

illa non sit sua, non potest ad illam licitè accedere; ex quibus patet non currere paritatem à Iudice condemnante secundum allegata, & probata innocentem ad coniugem non verum accedentem ad non suam, benè tamen ad Iudicem Ecclesiasticum compellentem eundem reputatum coniugem per sententiam excommunicationis ad cohabitandum cum ea, quæ secundum allegata, & probata comperitur esse sua, quamvis scientia priuata ipsius ruputati coniugis re vera non sit sua. Ad tertiam patet ex superius dictis, quid sit respondendum; solum hic adde pro eo, quod dicitur de permissione meretricij licere quidem quandòque ad maiora damna in Republica vitanda permittere in alio minus malum, quià hoc non est facere, non autem in se ipso, quià hoc est positiuè facere, & permittens in alio non dicitur fornicari, fornicatur autem, qui in se ipso permittit.

§. VI.

An contrahentes sponsalia putantes inter se esse impedimentum, cum re vera non sit, validè contrahant.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in suis terminis. 1.
Si contraxerint absolutè cum illa credulitate probabilius sponsalia non tenent. 2.
Si contraxerint cum errore facti, & scientia iuris, quatenus falsò crediderint esse impedimentum, eoque stante non posse sponsalia subsistere vtique sponsalia non tenent. 3.
Si contraxerint cum errore iuris, quatenus crederent adesse impedimentum, eoque non obstante posse stare matrimonium, tenet. Ibid.
Si contraxerint cum errore iuris, quatenus crederent ius falsò irritare, tunc non tenet. 4.
Si contraxerint cum tali credulitate conditionaliter, si nil obstet, quamuis ipsi credant obstare, tenet contractus. 5.
Ad reualidandum contractum, quandò initus est absolutè, requiritur nouus vtriusque consensus, & nouus contractus fit. 6.
Ad constituendum nouum contractum in ea hypothesi non est necessarius nouus consensus expressus, sed sufficit tacitus per cohabitationem, vel per alia huiusmodi. 7.

1 *Factum tale expositū.* Disquisitio VI. Arbitrabantur Caius, & Theodorica adesse inter se, vel consanguinitatem, vel affinitatem in gradu prohibito ad contrahendum matrimonium, vel fortè aliud impedimentum dirimens. Non obstante hoc dubio, seù credulitate de hoc impedimento solemnitèr inter se contraxerunt sponsalia, & posteà expresse cognitum fuit inter ipsos nullum adesse impedimentum. Hic orta fuit controuersia, an illa sponsalia cum tali credulitate inita fuerint ex se valida sine alio consensu, an verò requiratur nouus vtriusque consensus expressus, an verò sufficiat tacitus, vbi nouus consensus requireretur, & quomodo.

Respondeo primò. Si contraxerint absolutè cum illa credulitate probabiliùs sponsalia illa non tenent. *Vincentius c. cum in Apostolica de sponsalib., & ibi Ancharanus num. 5., Abbas num. 6., Præpositus num. 3. in fin., Siluester verb. matrimonium 8. q. 13., Nauarrus in summa c. 22. num. 56., Antonius Cucus lib. 5. instit maior. tit. 12. num. 233., Sotus in 4. dist. 37. q. vnica art. 5. concl. 3.* Ratio ex eo deducitur, quod, qui contrahit existimans contractum non posse subsistere, non potest habere voluntatem efficacem contrahendi, ergò validè non contrahit, cum contractus non possit subsistere sine voluntate efficaci, & sine animo determinato se obligandi. Antecedens probatur, quià non potest esse voluntas efficax ad obiectum, quod concipitur, vt impossibile, nec potest quis habere animum se obligandi ad id, quod ex genere suo esse non potest, sed stante impedimenta illo apprehēso, vt dirimente aprehenduntur sponsalia, vt impossibilia, ergò &c. Confirmatur ex dispositione iuris *in l. is, qui putat ff. de acquirenda hered.*, vbi dicitur, quod in dispositionibus opinio præferatur veritati præcipuè, si dispositiones illæ in suo esse dependeant à disponentium consensu, ergò cum contrahentes opinentur se ratione impedimenta non posse contrahere, quantumvis tale impedimentum re vera non sit, inualidè contrahent, cum opinio talis impedimenti perimat consensum validum. Confirmatur secundò, quia existente impedimento aliquo dirimente contrahantur sponsalia sub illa conditione, *si Pontifex dispensauerit* sponsalia illa non tenent per superius allegata, & probata, sententiam satis probabilem, ergò, si aprehenso illo impedimento, vt verè existente contrahantur absolutè sine illa conditione à fortiori sponsalia illa non subsistent. Consequentia probatur, quià quoad effectum mouendi voluntatem ad assentiendum, impedimentum, vt verè existens, & impedimentum aprehensum, vt existens paria sunt, ergò &c.

2 *Sponsalia illa absolutè contracta probabilius non tenent.* Vincentius. Ancharan. Abbas. Præposit. Siluester. Nauarrus. Cucus. Sotus.

Non potest habere voluntatem efficacem contrahendi.

Hic oritur difficultas, an irrita solum intelligantur sponsalia, quando error circa impedimentum apprehensum est error facti, an etiam, quando est error iuris; seu, quod idem est, quandò error est circa existentiam impedimenti à iure inducti, vel quandò error est, quod ius induxerit impedimentum, quod ipsum non inducit. Hæc difficultas excitatur potissimum propter *Sanchez qu. d. lib. 2. disp. 39.* in

3 *Quomodo error iuris irritet, & non irritet sponsalia.*

in princip. num. 1. asserit dubium versari, quandò adest error facti, iurisque scientia, quià coniuges falsò credunt esse impedimentum, & existimant, eo stante, non posse consistere matrimonium, vel sponsalia, si enim error esset etiam in iure fatétur omnes, verum esse matrimonium, quià non defuit consensus. Sed hanc difficultatem dissoluendam existimo cum distinctione; vel etenim esset error iuris, quatenus existimant falsum esse impedimentũ, & nihilominus eo stante posse subsistere matrimonium, & tunc valet dictum eiusdem Sanchez, quià cum existimant posse subsistere, non impeditur eorum consensus, vel esset error iuris, quatenus certè crederent ius irritare contractum initum in talibus conditionibus, & nihilominus contraherent, & tunc re vera non subsisterent sponsalia, quià existente tali credulitate de iure impediente, & irritante, non posset esse consensus efficax, quià dirigeretur in impossibile, non minus, ac quandò esset error facti, & scientia iuris.

Respondeò secundò, si consenserint cũ tali credulitate, quasi conditionalitèr, si

4 *Si contraxerunt conditionaliter tenet contractus.* Pontius. Gutierez. Filliutius. Vallensis. Bossius.

non sit impedimentum, quamuis ipsi falsò putent adesse, probabiliùs est, eò verè nõ existente, sponsalia tenere *Basilius Pontius lib. 4. c. 23. Gutierez de matrimonio cap. 47. num. 1. Filiutius prima part. tract. 10. cap. 3. num. 83. Andreas Vallensis in summa decret. lib. 4. tit. 4. num. 4. vers. postremò, Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 2. n. 80.* Ratio ex eo deducitur, quià quantumuis consensus absolutus non possit esse ad obiectum appræhensum, vt impossibile, consensus tamen conditionalis potest esse ad illud, quatenus consensus est sub conditione, quod impedimentum appræhensum non subsistat, & si ipsi contrahentes possint contrahere, & quatenus possint, quid enim repugnat, quin possit hic actus subsistere, *Hic, & nunc tecum contraho, si possum contrahere?* continet enim conditionem de præsenti, ergò si de præsenti illa conditio esset purificata, quatenus re vera possint contrahere, non erit, cur etiam de præsenti non subsistat contractus, & licet non innotescat, nisi ex interuallo purificatio illius conditionis, consensus tamen subsistit à principio, quià à principio illa purificatio aderat, & consensus est præstitus relatiuè ad conditionis existentiam, ergò si illa à principio aderat, à principio purificatur consensus, adeòque &c. Neque obesse possunt ea, quæ superiùs dicta sunt de contrahentibus irretitis impedimento sub conditione, *si Pontifex dispensauerit*, vbi probatum est, secundum opinionem probabilem, illa sponsalia non subsistere, ergò neque poterunt subsistere sponsalia sub illa conditione, de qua in responsione; Non, inquam,

Consensus conditionalis potest esse ad obiectum apprehensum, vt impossibile;

obesse possunt, tùm quià illa opinio à nobis non admittitur, nisi vt probabilis, tùm quià illa conditio, *si Pontifex dispensauerit*, dependet ab alterius voluntate, & in iure censetur impossibilis, quià, quæ à Principis voluntate pendent, in iure reputantur vt talia, idest, vt impossibilia, *l. apud Iulianum §. constat ff. de legat. 1. Menochius cons. 504. nu. 50. lib. 6. Surdus decis. 183. n. 5.* conditio autem impossibilis à contractu reijcitur per textum *in c. fin. de condit. apposit.* sicque remanet contractus vt purus, qui inter impeditos non tenet; conditio verò, de qua hic loquimur, non dependet, nisi ab existentia, vel non existentia impedimenti, & est de præsenti, nec dependet ab alicuius voluntate, qui possit impedire illius executionem, adeoque &c. Addi etiam potest, quod contrahere inter consanguineos cognitos vt tales, & re vera tales existentes est à iure prohibitum, adeoque contractus ipse in sua origine est irritus, contrahere verò sub conditione, si nõ sit consanguinitas, nullo iure est prohibitum, & irritatio non sequitur, nisi consanguinitas ipsa existat. Menoch. Surdus.

Respondeo tertiò. Ad reualidandum talem cõtractum, quandò initus est absolutè sine vlla cõditione, requiritur nouus vtriusq; consensus, quinimmò propriè nõ reualidatur prior cõtractus, sed nouus cõstituitur. Dixi, *quin immò propriè non reualidatur*, quià quod in sua origine irritũ est, non potest posteà conualescere, *Siluester verb. matrim. 8. q. 2. dict. 6. Henriquez lib. 11. c. 9. litt. Q. Gutierez de matrimon. cap. 47. num. 2. Sanchez lib. 2. disp. 34. nu. 2. Basilius Pontius lib. 4. c. 23. num. 7. Filliutius prima part. tract. 10. cap. 3. nu. 88.* Probatur in vniuersum, quià ex vno capite iam ille cõtractus ex superiùs dictis est absolutè nullus, nec potest secundùm se conualescere, per mox dicta; ex alio per illum contractum nullum non impediuntur contrahentes, quin, seruatis omnibus requisitis, cognita nullitate prioris contractus, possint nouum contrahere; sicuti enim cessante impedimento per dispensationem, vel alio modo possunt per nouum consensum contrahere, ità non est, cur cognito impedimentum non subsistere secundum veritatem, non possint per nouum consensum nouum contractum constituere.

5 *Per nouum consensum fit nouus contractus.* Siluester. Henriquez. Gutierez. Sanchez. Pontius. Filliutius.

Respondeo quartò. Ad constituendũ nouum contractum non est necessarius nouus consensus expressus vel per verba, vel per signa sensibilia, sed sufficit tacitus vel cum cohabitatione, vel cum traditione munusculorum, vel cum traditione annuli, vbi consuetudo obtinuit, vt huiusmodi traditio habeatur pro sponsalibus. Consonat cum ijs omnibus, quæ sparsim dicta sunt. Probatur, quià, posito præcedenti tractatu de sponsalibus contrahen-

6 *Sufficit consensus tacitus.*

dis per illam cohabitationem, vel traditionem munusculorum, quæ sunt propria inter sponsos, vel annuli, vbi consuetudo obtinuit, vt hæc habeatur pro sponsalibus, præsumitur sufficiens consensus ad ipsa, ergò non erit, cur præsumi non debeat sufficiens consensus pro sponsalibus, si præcedenter fuerit initus ille contractus, quãtumuis nullus propter errorem impedimenti præsumpti, quod verè non erat, si posteà eodem errore cognito inuicem cohabitent, sibi huiusmodi munuscula conferant, tradant, & acceptent annulos iuxtà consuetudinem inferentes sponsalia; si etenim hoc possũt antecedentèr hæc inferre, cur inferre non poterunt subsequentèr? Neque enim hoc est ratificare contractum in sua origine nullum, sed solummodò per illa signa nouum indicare consensum, quem ex eo, quod non recedãt, cognito errore, & per consequens nullitate prioris contractus ab ijs, quæ sunt propria inter sponsos, videntur de nouo habere cum animo cõtrahendi, si antecedentèr nullitèr contraxerint.

Afferentur rationes euincentes responsionē.

§. VII.

An contractus sponsalibus irritis ob impedimentum occultum cum errore, eoq; sublato nescientibus contrahentibus, sufficiat ratificatio eorundem ad eadem reualidanda.

SVMMARIVM

Exponitur, in quo sita sit difficultas. 1.
Rationes euincentes illa sponsalia reddi valida. 2.
Si error fuerit antecedens, & impedimentum nescientibus contrahentibus fuerit sublatum per ratificationem contractus non redditur validus. 3.
Satisfit rationibus oppositis 4.
Si error fuerit concomitans, quatenus scilicet contractis sponsalibus inualidis ob impedimentum oculum, & ignorata ratione impedimenti contrahentes nouum consensum ponerent eo animo, vt si scirent contractum fuisse inualidum, ratum haberent, adhuc non subsisterent. 5.

1 *Facti series in suis terminis.*

DIsquisitio VII. Contraxerunt duo adinuicem sponsalia existimantes per errorem ea esse valida, cum tamen ratione impedimẽti occulti essent absolutè nullitèr contracta. Ipsis nescientibus, vel per dispensationem, vel alio quocunque modo impedimentum illud fuit sublatum, post quod tempus ipsi contrahentes adhuc perseuerantes in illo errore, quo existimabant esse valida, ipsa per consensum rata habuerunt. Excitata fuit hic controuersia, an per illam ratificationem constituta fuerunt valida illa sponsalia, quæ antecedentèr erant inualida.

Ex dictis in præcedenti disquisione præcipuè in vltima responsione videtur dicendum, ea quodamodò reddi valida, quià, si inito contractu inualido ex errore, quo contrahentes arbitrabantur adesse impedimentum, vbi non erat, constituitur contractus per solum consensum implicitum manifestatum per cohabitationem subsequentem, per munerum largitionem, & per annuli traditionem, non est, cur in contractu valido reputato ob impedimentum tamen occultum inualido, quod tamen sublatum præsumitur licet ignorantibus contrahentibus, non possit pullulare validitas, si nouus consensus ratificans accedat post sublatum impedimentum, licet non habeatur à contrahentibus notitia eiusdem impedimenti sublati. Accedit, quod huiusmodi error non est personæ, nec conditionis seruilis; solus autem error personæ, & conditionis seruilis irritat matrimonium, & per consequens etiam solum sponsalia atque ita sentiunt, *Tabiena verb. matrimonium 2 q. 7. n. 8. ad fin. supplementum; Gabrielis in 4. dist. 29. q. 1. art. 3.* Pro solutione — 2 *Rationes euincentes illa sponsalia fieri valida.* — Tabiena. Supplem. Gabriellis.

Recole ex alibi dictis errorem duplicem esse, alium antecedentem, alium concomitantem. Primus est, qui antecedit omnem actum voluntatis, & est causa contractus, seù dat causam contractui, non quidem positiuè, sed remouens id, quod prohiberet eiusdem actus celebrationem, si ipse error non interueniret. Secundus est, qui comitatur actum, qui fit, non est tamen causa illius, quià etiam, si contrahens habuisset cognitionem oppositam errori, contractum inijsset. — 2 *Error duplex, & qualis.*

Respondeo iam primo. Si error fuerit antecedens, quo contrahentes arbitrabantur contractum esse validum, cum tamen ex impedimento occulto esset inualidus, quantumvis sit remotum illud impedimentum nescientibus ipsis contrahentibus, non redditur tamen validus, si ratificetur per ipsos contrahentes, *Sotus in 4. dist. 35. q. vnica art. 2, vers. sed percontatis; Petrus Ledesma de matrimon. q. 52. art. 1 dub. 2. vers. 2. sentent. Siluester verb. matrimonium 8. qu. 2. dict. 6. Nauarrus lib. 1. consil. tit. de his, qua vi in 1. edit. consil. 2. n. 8. Vera Crux 1. part. speculi art. 29. ad fin. Gutierez de matrim c. 47. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià nihil est tàm contrarium consensui, quam error *l. si per errorem. ff. de iurisd. omnium Iud.*, & *l. nihil consensui, ff. de reg. iur.* quinimmò hic error reducitur ad personæ errorem, quià sponsus putat consentire in suam, cum tamen sua non sit. Confirmatur ex ijs, quæ docet *Bartolus in l. multum interest n. 2. ff. de condit., & demonst.* nempè Iudicem procedentem cum errore in fundamento iurisdictio- — 3 *Si error fuerit antecedens per ratificationē non redditur validus.* — Sotus. Petrus de Ledesma. Siluester. Nauarrus. VeraCrux. Gutierez.

Ipso error personæ.

ditionis, quatenus ignorat, se eam habere, licet verè habeat inualidè procedere, hocque probat per textum *in l. hoc autem §. non defendi, ff. ex quibus cauf. in possess.*, & in hoc consentiunt, *Angelus verb. matrimonium 2. n. 17. Siluester eod. verb. matrimonium 5. q. 10. Felinus c. Ecclesia n. 14. vers. decimo de constit.*; ergò etiam coniux procedens ex errore validitatis contractus, quatenus consentit existimans esse validum, cum sit inualidus, inualidè procedit, & nullitèr contrahit. Confirmatur secundò, quià ignorans inualiditatem contractus ob impedimentum occultum, & remotionem eiusdem impedimenti per consensum, quem de nouo ponit, non intendit nouum contractum inire, sed præteritum ratificare; quod verè erat nullum, & per consequens non potest conualescere per superius dicta.

Angelus. Siluester. Felinus.

Intendit præteritum ratificare, non nouum constituere.

Dices, qui fictè promisit matrimonium seruatis in foro externo omnibus iuris solemnitatibus, quantumvis inualidè contraxerit ob defectum consensus, potest reualidare contractum per nouum consensum verum internum, & realem, quantumvis alter innocens fuerit inscius inualiditatis per ea, quæ dicta sunt supra §. 5 *in fin.*, ergò etiam quantumvis quis ignoret inualiditatem contractus præcedentis ob impedimentum occultum, eiusdemque impedimenti remotionem, si tamen nouum consensum elicuerit, conualidabit contractum præcedentem, tàm etenim nullus supponitur contractus ex defectu consensus fictè promittentis, ac ex defectu requisitorum ob impedimentum interueniens. Sed contrà respondent aliqui ea, quæ dicuntur in antecedenti, verificari dumtaxat, quando reuocatio fictionis per verum internum, & realem consensum fit antequam celebretur contractus, quià tunc re vera fit consensus proportionatus per coniunctionem illius actus interni cum sensibilitate posita in illo actu præcedenti ficto, quæ omnia, cum sint antecedenter ad contractum, constituunt proportionatum ipsius constitutiuum, adeoque non est, cur non debeat subsistere, non sic autem verificari, quando contractus per illam promissionem fictam, & per alterius veram repromissionem in actu exercito est initus, quià cum tunc contractus sit nullus non potest conualescere per nouum consensum, nisi vtrique contrahenti constet de inualiditate præcedenti, in qua hypothesi posteà nouum contractum constituerent, non firmarent primum iam nullum. Hæc sanè responsio plenè euacuat difficultatem, & soluit argumentum, quando fictio reuocatur ante complementum contractus, sed quià potest esse aliqua difficultas ex ijs, quæ nos docuimus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. Disq. 11. §. 5. in fin.*, nempè sufficere, quod fictor nouum verum consensum internum eliciat, licet ex interuallo, ideò propter speciales rationes dicendum est non currere paritatem de inualiditate contractus ex impedimentis occultis, & de inualiditate ob defectum consensus præcisè in fictè contrahente, quandoquidem inualiditas ex impedimentis occultis non prouenit ex culpa contrahentium, nec tenentur posteà consentire; inualiditas verò ex defectu consensus ob fictionem est ex culpa fingentis, qui, ex quo contraxit in facie Ecclesiæ cum consensu externo, & seruatis omnibus iuris solemnitatibus tenetur posteà nouum consensum verum elicere per ea, quæ superius docuimus, præcipuè cum in matrimonio adsit contractus onerosus, & vtrinque obligatorius, *Do vt des*, in quo, cũ alter seruatis iuris solemnitatibus per verum consensum de præsenti contractum impleuerit versus simulatè promittentem, non solum iste ex iustitia, sed etiam iure naturali tenetur per verum consensum contractum complere, sicque ratione talis obligationis consurgentis ex contractu non exigit quid aliud præstare, nisi illum consensum verum de nouo ponere, cum alter præsumatur in consensu vero perseuerare.

Argumentum ex paritate deductum eneruatur.

Verificatur potissimum, quando nouus consensus accedit ante contractum.

Diuersa ratio de inualiditate contractus ex impedimentis occultis, & ex defectu consensus.

Ex ijs facile erit respondere ad ea, quæ ex aduerso afferebantur in principio tituli. In suppositione etenim eorum, quæ dicta sunt in præcedenti disquisitione de cõtractu inualido ex errore, quo contrahentes arbitrabantur esse impedimentum dirimens, quod tamen re vera non erat, dicendum est, ea verificari, quià supponitur, quod posteà vtrique contrahenti innotuerit veritas non existentiæ talis impedimẽti suppositi, & successiuè, quod facto nouum consensum tacitè præstiterint cohabitando, dando, & recipiendo munera, & annulum, quæ omnia diximus sufficienter consensum inducere; in præsenti autem casu supponimus, quod nulli ex contrahentibus innotuerit inualiditas, nec ablatio impedimenti, & per consequens, si nouum consensum præstiterint, hic cadat supra primum contractum, qui, cum inualidus sit, non potest conualescere per superius allegata, & probata.

4 *Soluuntur rationes oppositæ.*

Respondeo secundò. Si error fuerit cõcomitans, quatenus scilicet cõtractis sponsalibus inualidis ob impedimentũ occultũ, & ignorata per cõtrahentes sublatione impedimenti contrahentes nouum consensum ponerent eo animo, vt si scirent contractum fuisse à principio inualidum, ratum haberent, & ea intentione renouarent, adhuc contractus non subsistit. *Sanchez lib. 2. disp. 34. num. 3. vers. sed verius est etiam, Henriquez lib. 11. c. 9. lit. Q. Gutierez de matrim. c. 46. num. 2., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 2. num. 83.*, & consonat

5 *Adhuc non subsisteret, quamvis error esset solum concomitans.*

Sanchez. Henriquez Gutierez. Bossius.

Z 2 cum

cum ijs, quæ nos docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus 3. de mut. & vsur. Disq. 6. §. 6. nu. 2. vers. probatur secundò responsio.* Probatur, quia per illum consensum cum errore concomitante in actu exercito non ponitur consensus sufficiens ad validitatem contractus, quia dicere, si noscerem tale impedimentum adfuisse, & esse sublatum, adhuc contraherem solum indicat intentionem, & voluntatem eius, quod esset facturus; non vero importat positiuè consensum de præsenti, sed ad validitatem contractus requiritur voluntas actualis de præsenti, nec sufficit habitualis de eo, quod quis esset facturus, ergò &c. Hinc docent, quod, si quis solemnitèr contrahat matrimonium cùm errore concomitante, vt si v. g. putat contrahere cum Calidonia, & contrahit cum Sempronia, cum qua tamen adhuc contraxisset, si sciuisset ipsam esse, inualidè omninò contrahat. *Henriquez lib. 11. c. 10. §. 4. lib. 5. in textu, & glos. Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 18. n. 6. Sotus in 4. dist. 35. art. 2. vers. quid autem, si ingressus, Rebellius de oblig. iust. part. 2. lib. 3. q. 2. n. 2. Laiman lib. 5. tract. 10. pars. 4. c. 2.*

In actu exercito non ponitur consensus.

Henriquez. Sanchez. Sotus. Rebellius. Laiman.

§. VIII.

An fæmina decepta teneatur credere deceptori neganti se verum consensum præbuisse in celebratione contractus.

SVMMARIVM.

Exponitur quæsitum in suis terminis. 1.

Si femina fuerit solum decepta quoad sponsalia potest deceptori credere, & cum alio contrahere. 2.

Quoad matrimonium decepta non tenetur regularitèr deceptori credere, nec potest ad alia vota transire. 3.

In aliquibus tamen casibus potest credere, & aliud matrimonium contrahere, & quibus. num. 4.

Potest decepta ex se ipsa transire ad alia vota, si nullum timeatur scandalum, secus si timeatur. 5.

1 *Facti elucidatio.*

DIsquisitio VIII. Fidem dederat de matrimonio Caius Theodoricæ sub ficta tamèn promissione, & eadem Theodorica repromiserat. Rebus sic stantibus idem Caius requisitus ad perficiendum matrimonium promissum excipiebat sub motiuo fictæ promissionis, & negatione veri, & realis consensus. Hac supposita exceptione contendebat Theodorica cum alio contrahere. Orta fuit hic controuersia, an tuta conscientia hoc posset præstare.

Diffidium potest considerari, vel in ordine ad matrimonium per verba de præsenti, quatenus scilicet Caius deceptor seruatis omnibus iuris, & Ecclesiæ solemnitatibus consensum præbuit, sed fictum ad matrimonium per verba de præsenti, vel in ordine ad sponsalia, seù ad matrimonium de futuro, quatenùs præcisè promisit, sed fictè sponsalia, seù in futurum cum ipsa contrahere.

Duplex consideratio circa titulum.

Respondeo primo. Si fuerit Theodorica præcisè decepta in sponsalibus, seù quoad matrimonium de futuro potest credere deceptori, & liberè cum alio contrahere. Est communis apud omnes. Ratio ex eo deducitur, quià sponsalia ex vtraque parte licitè, & validè contracta mutuo consensu dissoluuntur per textum *in c. 2. de sponsalib.*, quià omnis res, quæ per quascunque causas nascitur per easdem dissoluitur *c. 1. de reg. iuris*, atque ità loquuntur, *D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 2. art. 3. ad quintum, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. §. 1. casu 5. Gofredus in summa tit. de sponsalib. num. 9. Hostiensis in c. 2. de sponsalib. in fin. Innocentius c. sicut eod. tit. n. vnico*, sed quandò quis asserit sub fictione, se promisisse, quantum est ex se ex illa promissione, quantumvis fuerit vera, recedit, ergò, si alter annuat tali recessui admittendo talem fictionem accedit vtriusque consensus ad recessum, adeoque non est, cur vterque non possit liberè ad alia sponsalia recedere non obstantibus alijs sponsalibus præcedentibus, cum intelligantur soluta.

2 *Quoad sponsalia potest deceptori credere.*

D. Thomas. D. Antoni. Gofredus. Hostiensis.

Accedit vtriusque consensus ad dissolutionem.

Respondeo secundò. Si fuerit Theodorica decepta quoad matrimonium per verba de præsenti, regularitèr loquendo, non tenetur Caio de fictione fidem adhibere, nec potest cum alio contrahere. *Scotus in 4. dist. 30. q. 1. §. sed de facto, Riccardus in 4. dist. 27. art. 1. qu. 4. Paludanus item in 4. dist. 27. q. 2. art. 1. concl. 2. n. 5. Adrianus 4. qu. 2. de matrimon. §. ad 2. vers. fortè petiet; Veracrux 3. part. specul. art. 13. concl. 1. Petrus de Ledesma de matrim. quest. 45. art. 1. dub. 2. Menochius cons. 385. n. 20. vol. 4.* Ratio deducitur ex textu *in c. per tuas de probat.* vbi sic legitur. *Nimis indignum est iuxtà legitimas sanctiones, vt quod quisque sua voce lucidè protestatus est, valeat suo testimonio infirmare*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem omnia humana commertia, omnes ciuiles actiones, omnes politicæ obligationes de facili dissoluerentur, si post celebratos contractus seruatis iuris solemnitatibus standum esset se obliganti de ficta promissione asserenti.

3 *Quoad matrimonium regularitèr non tenetur credere.*

Scotus. Riccardus. Paludanus. Adrianus. VeraCrux. Petrus de Ledesma. Menochius

Dixi, *regularitèr loquendo*; non enim negauerim, quod si tales, ac tantæ circunstantiæ concurrerent, quæ comprobarent talem fictionem posset Theodorica cum altero nubere, vt si v. g. manifesta signa deceptionis præcesserint, vel fuerit inter deceptorem, & deceptam maxima, 4

& pal-

Casus particulares, in quibus potest alteri nubere.
Siluester. Coaruuias. Petrus de Ledesma. Sanchez. Andrianus. Gutierez.

& palbabilis disparitas, si deceptor incontinenti, postquàm protulit verba consensus, ea renocauerit, & reclamauerit afferens se ex errore, vel ficto animo protulisse; Vno verbo, si tot, & talia concurrerent, quæ prudentum arbitrio moralem inducerent certitudinem talis deceptionis, seu negationis consensus, *Siluester verb. matrimonium 4. q. 9. dict. 3. Coaruuias 4. decretalium 2. part. c. 2. nu. 4. Petrus de Ledesma de matrimonio q. 45. art. 4. in fin.* Singulas has circunstantias, quæ inducere possunt, vel non inducere hanc moralem certitudinem vide apud, *Sanchez lib. 2. disp. 45. à num. 4. vsque ad fin. Adrianum in 4. tractatu de matrimonio q. 2. Gutierez de matrimon. c. 49. n. 41. vsque ad 50.*

5 *Si timeātur scandala non potest ex se ipsa transire ad alia vota, secus si non timeantur.*

Hic oritur difficultas, an fæmina decepta concurrentibus prædictis circunstantijs, quæ valent inducere moralem illam certitudinem possit ex se ipsa absque Iudicis auctoritate spreto priori matrimonio ad alium transire. Respondendum existimo cum distinctione; vel etenim matrimonium illud, quod inualidum supponitur ob fictionem contractum fuit in facie Ecclesiæ coram Parocho, & testibus, & adhuc apparet de tali celebratione ex libro eiusdem Parochi, vel quià adhuc ipse Parochus, & testes viuunt, & tunc probabilius crederem non posse deceptam ad aliud matrimonium transire, nisi prius matrimonium publica Ecclesiæ auctoritate irritum declaretur, *Manuel 1. tomo summæ 2. edit. c. 143. n. 6.* tum ad euitanda scandala, tum quià cum in facie Ecclesiæ constet de celebratione talis matrimonij debet in facie eiusdem constare etiam de inualiditate; vel matrimonium illud non est contractum coram Parocho, & testibus, & tunc iam constat de non subsistentia eiusdem, vel si contractum fuerit coram eisdem, & Parochus, & testes perierint, & liber, in quo descriptus remanebat talis contractus euanuerit, & tunc crederem posse deceptam in loco longinquo, in quo non esset scandalum, concurrentibus illis circunstantijs ex se aliud matrimonium inire, *Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 11. n. 4. Bartolomæus à Ledesma de matrim. dub. 19. in fin.*

Manuel.
Henriquez. Bartolom. de Ledes.

§. IX.

An protestatio præcedens de non præstando consensu per quælibet verba sponsalibus cum tali persona, inducat sufficiens signum dissensus.

SVMMARIVM.

Factum exponitur in casu particulari. 1.

Si protestatio facta fuerit sciente, & expressè consentiente altero contrahente, protestatio præsumptiuè tenet, nec protestans, quantumuis posteà consentiat, obligatur. 2.

Si protestatio facta fuerit altero nesciente, vel contradicente, si protestans posteà contraxerit, obligatur saltem præsumptiuè ad contractum. 3.

Si post protestationem, & consensum præstitum alia præstiterit sponsus, quæ propria sunt sponsorum; præsumendum esset pro sponsalibus. 4.

Posita protestatione de non contrahendo matrimonio, & posteà illo contracto extrinsecùs, & indè sequatur copula, non ideò sequitur matrimonium. 5.

Probabilius est tunc protestantem teneri in vim sponsalium. 6.

Explicatur series difficultatis.

Disquisitio IX. Cum ageretur vel per parentes Theodorici, vel per Tutorem eiusdem de contrahendis sponsalibus eiusdem Theodorici cum Caia filia Sempronij, idem Theodericus protestatus est, se nolle per quæcunque verba posteà à se dicta, vel dicenda eisdem sponsalibus consentire. Instantibus posteà eisdem parentibus, vel tutore, ipse Theodoricus verba protulit expressiua talis consensus, cumque vrgeret dies celebrationis matrimonij promissi, excipiebat de tali protestatione præstita antè consensum. Orta hic fuit controuersia, an ex vi eiusdē protestationis posset & à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo recedere. Pro solutione

Quomodo possit concipi protestatio.

Aduerte, an talis protestatio facta fuerit per Theodoricum, tacente, nec contradicente Caia, vel coram alijs, eadem penitus ignorante. Rursus, an non obstante tali protestatione post consensum præstitum verbis expressis, idem Theodoricum se gesserit vt sponsum, cohabitando, mittendo, & accipiendo munera, tactus, & oscula referēdo, vel fortè etiam ad vlteriora procedens, eam carnalitèr cognoscendo, an verò post consensum se ab his omnibus retraxerit, eamque tanquā sponsam non respexerit.

2 *Facta protestatione coram altero consentiente protestans posteà non obligatur.* *Sanchez.*

Respondeo primò. Si protestatio facta fuerit per Theodericum sciente, & expressè consentiente Caia, præsumendū est pro validitate eiusdem protestationis, nec ex consensu posteà per verba præstito obligabitur ad contrahendum matrimonium, *Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 45. num. 19.* Ratio ex eo deducitur, quia ex vno capite illa protestatio indicat ex parte protestantis defectum consensus, ex alio, ex eo, quod alter contrahens consēserit tali protestationi, videtur iuri suo, quod cæteroqui ex illo consensu acquisiuisset, cessisse, ergò ex illo consensu posteà præstito non obligatur ad contrahendum matrimonium, quandòquidem per

recessum

recessum, nec ius alterius lædit, nec promissa non seruari, cum protestatus fuerit non promittere cum animo se obligandi. Confirmatur ex superius dictis, quià promissio ficta de contrahendo matrimonio cum altero, si fictio fuerit talis, vt à decepto coniectalitèr potuerit cognosci, vel ex inæqualitate, vel ex modo, quo facta fuit talis promissio, non obligat ad contrahendum, ergò à fortiori non obligabit promissio de contrahendo, quandò ad talem promissionem præcessit protestatio expressa voluntatis absolutè non contrahendi cognita ab altero, cui facta fuit talis promissio; Si enim implicita, & coniecturalis præsumptio fictæ promissionis deobligat ab onere contrahendi, cur non deobligabit expressa protestatio non contrahendi sciente, & non contradicente altero, cui facta fuit promissio?

Illa protestatio deobligat.

Dices, ex eo, quod subsequentèr ad talem protestationem posuerit posteà absolutè promissionem sine vlla limitatione in facie Ecclesiæ, præsumendum est, quod priorem illam voluntatem, qua protestatus est non contrahere, retractarit ea proportionali ratione, qua Episcopus in celebratione sacræ ordinationis protestans expressè se nolle ordinare excommunicatum, si quis est inter ordinandos, & posteà vnumquemque sibi præsentatum ordinans intelligitur etiam excommunicatum ibi existentem, & sibi præsentatum ritè, & validè ordinare, quià in exercitio actualis ordinationis intelligitur retractare priorem voluntatem, qua generalitèr protestatus est, se nolle ordinare excommunicatũ, si ibi nõ esset, ergò &c. Sed contrà neganda est absolutè paritas in instantia adducta, tum quià illa protestatio Episcopi non ordinandi excommunicatum est generalis, & comminatoria, quæ propterea per voluntatem determinatam subsequentem directam ad determinatam personam reuocatur, debet enim Episcopus, dum sacra ordinat, habere voluntatem actualem, seù saltem virtualem, ordinandi personas sibi expositas; protestatio autem non cõtrahendi cum tali persona est determinata, & absoluta, quæ per consequens non

Proponitur instantia ex paritate & dissoluitur.

2 reuocatur per subsequentem promissionem, quę infirmatur per eandem protestationem præcedentem relatam ad ipsam; tùm quià cum Episcopus, qui generalitèr, & comminatoriè protestatur, non nouerit personam, super quam est excommunicatio, non intelligitur per reuocationẽ, seu per actum positiuum, quo ordinat ad ipsam referri, contrahens autem, cum nouerit determinatè personam, contra quam protestatur, non intelligitur eam reuocare, nisi expressè id agat; tùm quià in confectione Sacramentorum maximè initerabilium conferens, vbi non nouit impedimentum, tenetur habere intentionẽ verè conferendi, ne ex defectu intentionis oriatur inualiditas collationis, & incommoda, quæ ex tali inualiditate possũt oriri; in celebratione verò contractus sponsalium, vbi contrahens protestatus est de negatione voluntatis contrahendi, non tenetur posteà voluntatem habere contrahendi, nec eadem incommoda orientur, quæ oriri possunt ex inualiditate collationis ordinum.

Protestatio non reuocatur, nisi expressè.

Respondeo secundò. Si protestatio facta fuerit per Theodoricum ignorante penitus Caia, vel si sciuerit, contradicente eidem protestationi per subsequẽtem cõtractum, videtur saltem præsumptiuè ab eadem protestatione recessum, & per cõsequens Theodoricus tenebitur ad sponsalia. *Innocentius c. veniens 2. de sponsal. nu. vnic. Antonius c. tua eod. tit. nu. 16. Felin. c. cum M. de constit. num. 78. Coaruuias 4. decret. secunda part. c. 2. n. 3. Mascardus de probat. concl. 1248. nu. 12. Lancellottus inst. iur. can. lib. 2. tit. de nupt. verb. iudicari, Ludouicus Lopez secunda part. instituti. de matrim. c. 39. §. præterea vt iuristis.* Ratio esse potest, quià in contractu, qui ex sui natura ex duorum voluntate pendet protestatio, vt effectum obtineat, debet fieri ei, qui ex ea lædi potest, *Baldus in l. si intra in 2. quæst. C. de non num. pecun.* sed alter contrahens à protestante potest ex tali protestatione lædi, vt per se patet, ergò ad effectum, vt ipsi noceat, debet eidem denuntiari. Confirmatur, quià protestatio clam facta ab eo, qui palàm protestari potest, non valet, *Bartolus, & DD. in l. qua in aliena §. fin. ff. de acq. hæred. Antonius Butrius, & Abbas in c. ita nos de sponsalib. Socin. cõs. 263. vol. 2. & cons. 27. vol. 3.* quinimmò clàm facta ab eo, qui iusto metu, quo minus publicè protestaretur impeditus, non valet, cum agitur de præiudicio tertij, *Decius in c. causam matrimonij col. 3. de offic. deleg. Alexander cons. 16. col. fin. vol. 3. Franciscus Curtius Minor cons. 120. col. 2. vol. 2.* ergò cum protestatio de qua loquimur, ita facta intelligatur, vt non innotuerit ei, contrà quem facta est, non potest eidem præiudicium inferre. Confirmatur secundò, quià protestatio clam facta, quæ fieri debet coram alio, de cuius interesse agitur, perindè est, ac, si non fuerit facta, quandòquidem protestatio non nocet ignoranti, cuius consensus requirebatur in actu *c. Cumana de elect. Baldus in l. pacta nouissima 4. col. vers. item protestatio non afficit C. de pact.*

3 Si alter ignorauerit vel sciens contradixerit protestans, tenetur ad contractum. *Antonius. Felinus. Coaruuias Mascardus Lancellot. Lopez.*

Protestatio debet fieri ei, qui lædi potest. *Butrius. Abbas. Socinus.* *Baldus.*

Dices, in contractu, ad cuius perfectionem, & validitatem requiritur vtriusque contrahentis consensus, quandò claudicat ex vna parte absolutè non consistit, cum debeat esse vltrò, citròque obligatorius, sed stante illa protestatione ex parte protestantis

testantis, contractus claudicat, quandoquidem sine animo se obligandi, non potest consurgere obligatio, & per protestationem declaratur animus protestantis, *l. Nesenius, & ibi Bartolus in primo not. ff. de negot. gest. l. qui in alieno §. fin. C. de acqu. hared. Baldus in l. pacta nouissima in prima col. magna in fin. ff. de pact.* Sed contrà, quià, cum illa protestatio facta fuerit, parte non præsente, nec citata in foro externo, perindè est, ac si non fuerit facta, *Ioannes Andreas in c. in generali de reg. iur. in 6. Bartolus in l. non solum §. morte, & ibi per Alexandrum prima quæst. princip. vers. his præmissis de nou. op. nunt. Andreas de Pisis in l. si quis in princip. ff. de leg. 3.* nec præsumitur negatio consensus, vbi expræssè exhibetur per eum, qui illum præstare debet ei, in cuius fauorem exhibetur, cæterōquì in quocunque contractu, in quo expresse intercederet consensus contrahentium, dubitari semper posset de validitate contractus, quandòquidem contrahens, qui consensum præbuit, posset semper dicere, se non habuisse animum contrahendi, sicque corruerent omnia humana comercia. Quod, si supponas, quod reuera ille, qui protestatus est in celebratione contractus, non habuerit animum contrahendi, seù se obligandi, tunc idem dicendum est, quod dictum fuit suprà, quod licet contractus in foro interno non teneat, teneatur tamen ille, qui expressum consensum posuit, elicere nouum actum internum, & conualidare priorem consensum externum. Vide, quæ suprà dicta sunt *sub hoc eodem titulo Contractus XIV. de sponsalib. Disq. 11. §. 5. resp. 2. vers. hic oritur ratio dubitandi.*

Bartolus. Baldus.

Perinde est, ac si non fuerit facta.

Ioannes Andreas. Bartolus. Alexander Andreas de Pisis.

4 Respondeo tertiò. Si post protestationem illam de non contrahendo, & post consensum præstitum extrinsecùs ad sponsalia, Theodoricus se gesserit, vt sponsus, cohabitando, mittendo, & accipiendo munera, vel annulum, quæ ex consuetudine regionis habentur pro spōsalibus, tactus, & oscula referendo, præsumendum est in ea hypothesi pro sponsalibus, & pro recessu à protestatione. In hanc assertionem videntur propendere, *Glosa in c. per tuas vers. præsumendum, Innocentius c. veniens 2. n. vnico de sponsalib. Siluester verb. matrimonium 4. q. 11. Rosella eod. verb. matrimonium 4. n. 11.*, & alij, qui, quamuis loquantur de copula carnali post talem protestationem, & consensum extrinsecus præstitum in ordine ad validitatem matrimonij, intelligi tamen possunt etiam de huiusmodi actibus post talem protestationem, & consensum posteà extrinsecus exhibitum in ordine ad conualidationem sponsalium. Ratio ex eo deduci potest, quià huiusmodi actus subsequentes stante consuetudine regionis, vel præcedenti tractatu habentur pro sufficienti consensu ad sponsalia per ea, quæ superius dicta sunt, ergò, quantumuis præcesserit ficta promissio, seù promissio cum præcedenti protestatione de non contrahendo, si posteà huiusmodi actus interuenerint, præsumendum erit ratione eorundem pro legitimo consensu ad eadem; ad quid enim illos actus ponere, qui secundum se conducunt ad legitimum consensum, si consentire non intenderet? Neque dicas, quod idem motiuum, quod excitauit ad præbendum extrinsecus consensum post illam protestationem, excitarit etiam ad illos actus, & sicuti, quandò protestatio facta est sciente, & non contradicente altero sponso non obligat posteà consentientem extrinsecus ad contrahendum, ità quandò facta est eodem sciente, & consentiente, quantumuis subsequentèr intercesserint illi actus, de quibus in responsione, non propterea obligabit ad eadem sponsalia; contrà enim impugnaberis, quià, cum posset protestans eos actus subsequentes non exercere, & nihilominus exercuit, videtur per eosdem recessisse ab eadem protestatione, nec eadem militat ratio pro huiusmodi actibus subsequentibus, quæ militat pro illo consensu externo adiecto post talem protestationem, quandòquidem protestatio refertur directè, & immediatè aduersus talem consensum non aduersus illos actus, quos non debuisset elicere, si perstitisset in vi illius protestationis, & in hoc sensu verificatur illud, quod communitèr circunfertur, quod protestans faciendo actum contrarium protestationi videatur ab ea recedere, & simplicitèr consentire *l. cum in plures, §. locator horrei, ff. locati, & c. sollicitum de appellat., & elegantèr Iason in l. non solum, §. morte nu. 14., & ibi Antonius Rubeus n. 224. ff. de nou. op. nunt.* Confirmatur, quià protestatio facta de non contrahendo altero consentiente non tenet, si posteà copula secuta fuerit, vt habetur *ex c. per tuas de condit. apposit., & cap. insuper, qui matrim. accus. pos.*, ergò etiam protestatio facta de non contrahendo sponsalia non tenebit, si posteà inter ipsos contrahentes secuta fuerint oscula, & tactus, & missa, & acceptata fuerint munera propria sponsorum. Consequentia probatur, quià ideò in casu antecedentis iura præsumunt, non obstante tali protestatione, pro validitate matrimonij, ne inducatur turpitudo protestantis, & peccatum in ea copula per textum *in l. merito, ff. pro socio*, sed etiam induceretur turpitudo in illis actibus subsequentibus, & peccatum, nisi iura præsumerent pro validitate sponsalium, quandòquidem illi actus inter non sponsos non sunt liciti, nec honesti, ergò &c.

Si alia exercuerit post consensum præsumitur pro sponsalibus.

Glosa. Siluester. Rosella.

Videtur recedere protestationi per illos actus.

Faciens actum contrarium protestationi eidem cedit. Iason. Rubeus.

Etiam induceretur turpitudo in illis actibus.

Respondeò quartò. Si illa protestatio fuerit de non contrahendo matrimonio, & 5

& posteà extrinsecus Theodoricus in matrimonium consenserit, & indè secuta fuerit copula inter eundem, & Caiam stante dispositione Concil. Tridentin. non præsumitur ex eadem copula validitas matrimonij, *Sanchez lib. 2. disp. 37. n. 14. Præpositus c. tua de sponsalib. n. 2. Matienzo lib. 2. recopil. tit. 1. rub. glos. 1. n. 66.* Ratio ex eo deducitur, quià ex eod. *Concil. Trid. sess. 24. de matrimon. c. 1.* matrimonium non constituitur per solam copulam, nisi accedente consensu vtriusque contrahentis coram Parocho, & testibus, ergò cùm per illam protestationem sciente, & non contradicente altero coniuge non constituatur matrimonium, etiam si posteà Theodoricus extrinsecè cõsentiat, non poterit per subsequentem copulam non interueniente Parocho, & testibus contractus matrimonialis conualidari. Sed, an tunc per illam subsequentem copulam præsumatur pro validitate sponsalium, lis est maxima inter Doctores. Probabilius existimo tunc saltem præsumptiuè induci sponsalia, quià antiquitus ante dispositionem Tridentini præsumebatur pro matrimonio, vt habetur *in d. c. insuper, qui matrimonium accus. pos., & c. per tuas de condit. appos. Innocentius in c. veniens 2. n. vnico de sponsalib.*, ergò stante tali dispositione non est, cur præsumi non debeat pro sponsalibus; Neque obesse potest, si asseratur, quod non possint perfici sponsalia per actum illicitum, qualis est copula inter non coniugatos. Non, inquam, obesse potest, quià contractus non inducitur per ipsam copulam formalitèr, sed per consensum, qui ex eadem copula præsumitur, qui est formalitèr constitutiuus eiusdem contractus.

Etiam accedente copula non fit matrimonium. Sanchez. Matienzo.

6 *Tunc probabilius censetur in vim sponsalium.* Innocent.

Pro complemento eorum, quæ hactenùs dicta sunt, aduertendum est protestationem clam factam altero penitus ignorante non prodesse protestanti, qui posteà extrinsecus consensum præbet, quandò facta est sine vlla causa, & quasi dolosè, secus autem, quandò facta est ex iusta causa, vt si v. g. metu cadente in constantem virum cogetur matrimonium inire, & tunc clandestinè protestetur se minimè velle consentire, *Abbas c. tua de sponsalib. in fin., & ibi Hostiensis, Berous cons. 25. n. 9. lib. 1. Siluester verb. matrimonium 4. q. 11. Nauarrus in summa cap. 22. n. 78. Mascardus de probat. concl. 1248. n. 13. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 11. in comment. lit. y.* Colligitur *ex c. Lotharius 31. q. 2, & ex c. 1. de his, quæ vi,* & vlterius *ex l. qui in aliena, §. fin. ff. de acq. hæred.*, vbi dicitur, quod timens cogi per potentem ei vendere fundum possit vti cautela clam coram testibus protestando de dissensu; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem sicuti iustus metus cadens in constantem virum inualidat contractum matrimonij, & sponsalium per superius dicta, ità talis metus annexus tali protestationi non potest, nisi inualidare contractum, & protestatio ipsa erit sufficiens probatio negationis consensus.

Protestatio altero ignorante non prodest protestanti sine iusta causa.

Abbas. Berous. Siluester. Nauarrus. Mascardus Henriquez

Secus quando facta est ex iusta causa.

§. X.

An fictus promissor sponsalium absoluendus sit, antequam verè, & in effectu contrahat.

SVMMARIVM.

Scopus difficultatis, in quo situs sit. 1.

Si alia non præcesserit in foro pænitentiali monitio, & signa sint sufficientia contritionis, & spes futuri contractus probabilius potest absoluere. 2.

Vbi antecedenter præmonitus non resipuerit non est absoluendus. 3.

Disquisitio X. Deceperat Caius Theodoricam eidem extrinsecus promittendo matrimonium futurum, cum tamen animum non haberet eam ducendi, quinimmò fortè sub ficta illa promissione eam deflorauerat. Ex dictis in præcedentibus fictus promissor tenetur ex iustitia contractum adimplere, & nouo consensu vero sponsalia validare, vt docuerunt *Nauarrus in man. c. 22. num. 76., Siluester verb. matrimonium 4. qu. 8., Petrus Gregorius Tolosanus lib. 9. sintag. iur. c. 5. num. 6., Gutierez de matrimon. c. 9. num. 5., Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3., Riccius in praxi for. Eccl. decis. 243. num. 2. in fin., & alij magis communitèr.* Pluries requisitus Caius ad perficiendum contractum pluribus se subtrahebat excusationibus. Expiaturus sua peccata tandem clauibus subiecit voluntariam omissionem contractus. Orta hic fuit controuersia, an confessarius teneretur eidem absolutionem denegare, donec actu contractum compleuerit, an verò posset absoluere sub promissione futuri adimplementi.

1 *Difficultas exposita.*

Nauarrus. Siluester. Tolosanus. Gutierez. Sotus. Riccius.

Grauissimi DD. præcipuè *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 11. num. 3., Petrus de Ledesma de matrim. q. 35. art. 4. dub. 1. concl. 1. in fin., Bartolomeus à Ledesma dub. 19. de matrim.* absolutè sustinent, absoluendum nõ esse, quamvis se contracturum proponat, quià attentis circumstantijs, & rei grauitate periculum est, ne perseueret in deceptione. Nihilominus

DD. asserentes, non esse absoluendum.

Respondeo, si alia non præcesserit in foro pænitentiali monitio, & talia signa dederit Caius contritionis, vt prudentèr confessarius sibi possit persuadere, quod statim sit contracturus, posse absolui. Ità sentire videtur *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 11. num. 10.*, qui in hac parte mitius videtur procedere cum pænitente, nec leges prudentiæ transgredi, dum tot signis pænitentiæ mouetur. Ratio ex eo deduci potest,

2

Forum pænitentiæ nō innititur alijs probationibus, nisi signis expressis pænitentis.

potest, quià forum pænitentiæ regularitèr alijs probationibus non innititur, nisi verbis,& signis expressis pænitentis,non enim præsumendum est, quod pænitens velit se ipsum decipere se fortioribus laqueis obstringendo, dum solutionem quærit à vinculo, ergò, vbi alitèr non constet de perseuerentia in deceptione post adhibita salutaria remedia in præcedentibus confessionibus poterit,si exhibeat vera signa pænitentiæ absolui. Hoc idem clarè liquet in alijs debitis iustitiæ, in quibus Confessarij non conscij de renitentia satisfactionis, siuè sit in bonis fortunæ,siuè in bonis famæ, & alioqui certi de signis pænitentiæ, & de proposito satisfaciendi absoluunt sub simplici promissione pænitentes, nec absolutionem differunt vsque ad eiusdem satisfactionis complementum.

Præmonitus & non recedens à culpa non est absoluendus.

Dixi, *si alia non præcesserit in foro pænitentiali monitio*, nam si aliàs monitus in confessione non resipuerit, nec à negatione consensus recesserit, non libentèr consulerem absoluendum ante effectualem impletionem contractus, atque iuxtà hunc sensum arbitror procedere DD. præallegatos volentes non fore absoluendum. Ratio ex eo deduci potest, quià ex quo monitus præcedentèr in foro sacramentali non resipuit,non est præsumendus, quod sit recessurus post aliam similem monitionem in eodem foro pænitentiali,vnde,cum ad iudicium emendatiuum, quale est illud pænitentiæ, spectet pænitentem, nedum remouere à culpa, sed etiam à periculo perseuerātiæ in eadem,hinc est, quod prudens Confessarius, qui non solum est Iudex ad salubriter punienda delicta, sed etiam medicus ad proxima eorundem pericula euellenda, vbi aliud remedium non apparet, debeat remedium absolutionis suspendere,donec à periculo perseuerandi remoueatur per actuale debiti adimplementum.

§. XI.

An sponsalia graui metu iniustè incusso contracta coram parentibus, & amicis sint valida, an ipso iure nulla.

S V M M A R I V M.

Exponitur facti series in suis terminis. 1.
Sententia asserens contractum subsistere. 2.
Si metus, & causa eiusdem perseueret tempore, quo celebratur contractus, in foro conscientia contractus non subsistit. 3.
In foro externo, quantumuis ex præsentia parentum attenuetur præsumptio metus,non tamen absolutè tollitur, vnde ipsum allegans audiendus est, tenetur tamen efficaciores rationes afferre. 4.
Præsentia parentum non valida ad resistendum incutienti metum in foro externo non excludit præsumptionem metus sufficientis ad inualidandum contractum. 5.

Disquisitio XI. Incusserat iniustè grauem metum ex genere suo cadentem in constantem virum persona quædam potens Caiæ,nisi contraheret sponsalia cum Fabio consobrino eiusdem personæ potentis. Tali metu præterrita Caia promisit contrahere. Præsentibus posteà suis parentibus, & familiaribus eadem Caia consensum præbuit nullum metus indicium præbens. Orta posteà fuit controuersia, an præsumendum sit, quod ob præsentiam parentum, seù familiarium metus euanuerit, & liberè eadem Caia contraxerit. 1

Facti series exposita.

Ratio dubitandi ex eo potissimum deducitur, quod docent *Bartolus in l.fin.num. 4.ff.si quis aliquem test.probi.6., Iason in l.transactionem num.1.C.de transact., Mascardus de probation. concl.*1055. *num.*23. *Menochius lib. 3.præsumpt.*128.*num.*1., *& seqq., Rota Romana decis.*198. *nu.*9. *apud Farinacium lib.*2.*consil. crim., & decis.*783.*num.*12.*apud Buratum Farinacius* 2.*part.frag.verb.metus nu.*149., nempè in foro exteriori, vbi contractus celebratus est in præsentia consanguineorum, & amicorum, ob eorum præsentiam cessare suspicionem, & præsumptionem metus, quandòquidem ijdem parentes, & familiares videntur sufficienter posse obsistere metui per alios incusso,& præsentibus familiaribus, & parentibus animus fortior viget ad resistendum, quàm eisdē absentibus, Nihilominus 2

Ratio suadens contractum subsistere. Bartolus. Iason. Mascardus Menoch. Rot.Rom. Farinacius.

Respondeo primò. Si tempore celebrati contractus sponsalium ad præsentiā consanguineorum, & familiarium, verè metus perseuerante causa eiusdem perseuerauerit in foro conscientiæ contractum ipsum non subsistere, *Molinus lib.* 2. *de ritu nupt.dis.* 17. *nu.* 28. *Sanchez dispu.* 12. *num.* 2. *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c.* 12. *nu.* 130. qui licet omnes loquantur in terminis matrimonij, nihilominus ex alibi dictis referri possunt etiam ad contractum sponsalium. Ratio ex eo deducitur, quià metus iniustus cadens secundum se in constantem virum ex genere suo irritat matrimonium, & sponsalia per superius allegata, & probata, ergò,cū in foro conscientiæ metus ille etiam in præsentia parentum supponatur vrgere in eodem foro, irritabit contractū, vbicunque etenim est sufficiens causa irritans nō potest non sequi irritatio. Confirmatur, quià forum conscientiæ ex alibi dictis innititur potius veritati, quàm præsumptioni, ergò cum re vera supponatur adesse metus, licet de eodem non sit præsumptio in eodem foro, non potest contractus subsistere, 3

In foro conscientia perseuerante metu tempore contractus ipse non subsistit. Molina. Sanchez. Bossius.

4 *In foro externo audiendus est cum fortioribus probationibus.*

Respondeo secundò. Quantumuis in foro externo, cum celebratur contractus in præsentia parentum, & familiarium valdè attenuetur suspicio, seù præsumptio metus perseuerantis, non tamen absolutè tollitur, vndè allegans talem metum, audiendus est, ità tamen vt ad effectum inualiditatis contractus in foro externo teneatur grauiorem, & duriorem metum probare, & clariores coniecturas producere, *Molinus d. lib. 2. de ritu nupt. dis.* 17. *nu.* 28. *Felinus c. cum causam matrimonij nu.* 6. *de offic. deleg. Salicetus in l. transactionem qua dominij* 35. *C. de transact. nu.* 7. *Antonius Gomez tom.* 2. *var. cap.* 14. *num.* 27. *in fin. Sanchez lib.* 4. *de matrimon. disput.* 12. *nu.* 21. *vers. caeterum, Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 12. *nu.* 130. Ratio ex eo deducitur, quià stante etiam præsētia parentum, & familiarium potest vrgere causa metus, & mouere consentientem, quantumuis illa possit aliquid minuere de metu, quid etenim potest impedire, quin etiam extantibus parētibus moueatur contrahens ex metu ad contrahendū, sine quo non contraheret? potest certè moueri ex metu mali futuri, postquam parentes, vel familiares discesserint, hocque motiuum vrgere, dum celebratur contractus in eorundem præsentia.

Molinus. Felinus. Salicetus. Gomez. Sanchez. Bossius.

Diminutio metus supplenda est per grauiores probationes.

Dixi, *tamen vt ad effectum inualiditatis contractus in foro externo teneatur grauiorem, & duriorem metum probare, & clariores coniecturas producere.* Ratio est, quià illa præsentia parentum, & amicorum valdè minuit de præsumptione, & suspicione metus per ea, quæ mox dicta sunt, ergò ad probandum metum sufficientem ad inualiditatem contractus, requiritur in ea hypothesi validior probatio per vehemētiores coniecturas, & per grauiorem causam illius metus, vt maior illa probatio per vehementiores coniecturas, suppleat illam diminutionem metus, quæ habetur per parentum, & amicorum præsentiam in celebratione contractus.

5 *Præsentia parentum non valida ad resistendum non tollit præsumptionē metus.*

Respondeo tertiò. In foro externo præsentia parentum, & amicorum in celebratione, non excludit præsumptionem metus cadentis in constantem virum, quandò non supponitur valida ad resistendum violentiæ, & coactioni illius, qui metum infert, seù intulit, *Iason in l. transactionem qua dominij* 35. *C. de transact. Boerius decis.* 100. *nu.* 8. *Mascard. de probat. conclus.* 1055. *nu.* 23. *Molina de ritu nupt. lib.* 2. *dis.* 17. *nu.* 19. *Menochius de præsumpt. præsumpt.* 128. *num.* 9. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 12. *nu.* 131. Ratio ex eo desumi potest; quià non excluditur suspicio, & præsumptio metus, quandò non adest vis, & potestas, quæ possit resistere inferenti talem metum, vt per se patet, & sicuti ille metus personæ præpotentis possit afficere eosdem consanguineos, & familiares, ità non est, cur non afficiat ipsū contrahentem, qui ex tali metu consentit, aliqui non consensurus.

Iason. Boerius. Mascardus Molinus. Menoch. Bossius.

Propter hanc rationem docent aliqui, nec immeritò, quod etiam matrimonium ex tali metu incusso inito coram Parocho & testibus non teneat, nec obliget, quandoquidem eorum præsentia non facit, vt illud matrimonium nō sit in meticulosū, si ante contractum coram ipsis præcesserit talis metus ad extorquendum consensum ad idem matrimonium *Rota Romana decis.* 463. *nu.* 23. *apud Farinacium secunda part. in recentioribus.*

§. XII.

An minæ grauis mali à patre filio masculo illatæ inducant iustum metum ad inualidanda sponsalia.

SVMMARIVM.

Factum in suis terminis expositum. 1.
Sententia negans est sufficientem, eiusque rationes. 2.
Regulariter loquendo minus præsumitur ex minis patris validus metus ad irritanda sponsalia, quam ex minis aliorum, quibus debetur reuerentia. 3.
Si pater fuerit atrox, & graues minas minatus fuerit, præsumitur sufficiens metus ad irritanda sponsalia. 4.
Intellige siuè metum passus fuerit masculus, siue fæmina. 5.

1 *Quomodo intelligendum sit factum.*

DIsquisitio XII. Intendebat Titius Pater Caij, vt idemmet Caius contraheret sponsalia cum Mæuia filia Theodorici, quibus Caius non annuebat. Ad extorquendum consensum eiusdem Titius adhibuit minas grauis mali, ad quod euitandum idem Caius consensum præstitit. Hic excitata fuit controuersia, an huiusmodi minæ secundum se sumptæ respectu eiusdem Caij sat fuerint ad inducendum grauem metum sufficientem ad inualiditatem eorundem sponsalium.

2 Cucus. *Sententia asserens nō esse sufficientes.*

Marcus Antonius Cucus *lib.* 5. *institut. maior. tit.* 12. *nu.* 33. expresè asserit huiusmodi minas à patre illatas filio, non sufficientes esse secundum se ad inducendum iustum metum ad annullandum contractum sponsalium, vel matrimonij, nisi cum minis concurrant simul verbera, rationemque adducit, quià nullus amor extraneus, nullumque consilium vicit paternū, *l. cum furiosus in princip. C. de curat. fur. Caputa decis.* 223. *part.* 2. *Mantica decis.* 142. *num.* 3. *Rota decis.* 643. *nu.* 26. *prima part. Farinac. c.* 86. *nu.* 30. *apud Buratum, & decis.* 628. *nu.* 4. *apud eundem Buratum, Sanchez*

Caputa. Mantica. RotaRom.

Limitatio quoad filiũ masculum.

chez lib. 4. disp. 6. nu. 8. & per consequẽs non est præsumptio, quod pater itá sæuire possit in filios, sicuti cæteri extranei, quantumuis ipsis debeatur reuerentia. Limitat tamen idem Cucus loco citato dictum suum quoad filium masculum adultæ ætatis, itá tamen, vt non procedat quoad fœminam, & masculum impuberem. Sed limitatio non confirmatur ratione, cui innititur idem Cucus; paternus etenim amor æquè vigere videtur siuè in ordine ad masculum adultæ ætatis, siuè ad impuberem, siuè ad fæminam, vndè fundamentum non debuisset refundere in eodem paterno affectu quomodocunque, sed in eodem per ordinem ad talem, vel talem sexum, talem, vel talem ætatem.

3 *Minæ Patris minorẽ metum inferunt, ac aliorum.* Hostiensis. Abbas. Alexander de Neuo. Iason. Lancellot. Henriquez

Respondeo primo. Regularitèr loquendo minus præsumitur ex minis Patris metus validus ad irritanda sponsalia à filio celebrata, ac in minis aliorum, quibus debetur reuerentia, *Hostiensis in summa tit. de matrim.* §. *penult. num.* 27. *vers. supradict. loquuntur, Abbas c. ex literis num.* 3., *& ibi Alexander de Neuo nu.* 2. *de despons. impub. Iason l. Titia n.*8. *ff. de verb. oblig. Lancellotus Instit. iur. can. lib.* 2. *tit. de sponsalib.* §. *hæc tamen vers. non tam sua, Henriquez lib.* 11. *de matrimon. c.* 9. *n.* 5. Ratio ex eo deduci potest, quod asserebat *Marcus Antonius Cucus loc. suprà cit.*, quiá scilicet non est verisimile Patrem executurum minas grauis mali in proprium filium, & filiam, cum etenim nullus affectus paternũ vincat per textum *cap. afferre de præsumpt.* non finit hic præsumere executionem grauis mali comminati aduersus filium, & filiam *l. omnimodo C. de in offic. testamento*. Ex quibus etiam deducit *Palacios in* 4. *dist.* 29. *disp.* 1. *in fin.*, nec irritari sponsalia, seù matrimonium inita, seù initum per filium, quantumvis aduersus eundem Pater comminatus fuerit eidem filio suam maledictionem, quiá ea maledictio non est causa necessaria mali euentus.

Palacios.

4 *Si tamen fuerint graues, & Pater assuetus illas exequi, metus irritat.* Henriquez Rot. Rom. Bossius.

Respondeo secundò. Si Pater fuerit atrox, & solitus exequi minas, ex eisdem comminatis, si fuerint quoad graue malum sufficientèr præsumitur metus grauis aptus ad irritanda sponsalia, seù matrimonium, *Henriquez d. lib.* 11. *de matrim. c.* 9. *num.* 5. *Rota Rom. decis.* 242. *n.* 1. *apud Farinacium lib.* 2. *consul. crimin.*, *& decis.* 205. *n.* 12. *apud Baratum Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 12. *n.* 66. Ratio ex eo deducitur, quiá in hac hypothesi per vehementiorem præsumptionem fundatam in atrocitate, & qualitate Patris comminantis, & minas ex consueto exequentis cessat motiuum paternæ illis affectionis, ratione cuius regularitèr præsumitur, quod Pater non sit illas minas executurus aduersus proprium filium, nec nouum est in iure, quod vna præsumptio tollatur per alteram contrariam validiorem, & vehementiorem *c. tuam, & ibi Glosa de sponsal. Baldus in l. Pachumenius, ff. de hæred. instit. per Bartolum in l. Diuus de restit. in integ col.* 2. *in princip. in* 2. *notab. Cinus, & DD. in l. si cum dotem* §. *transgrediamur, ff. sol. matrim. Felinus in c. literas de præscript. Hypolitus in l.* 1. §. *Diuus Adrianus col.* 4. *in princip. ff. de sicar.*, & præsumptioni maiori minor cedit *l. Diuus ff. de in integ. restit. Andreas Alciatus cons.* 269. *n.* 2. *Franc. Curt. min. cons.* 35. *num.* 6. *vol.* 1. Confirmatur, quiá ratio, ob quam irritatur matrimonium, vel sponsalia ex metu est, quiá timens assentitur contractui ad euitandum illud damnum, quod timetur euenire, sine quo non assentiretur, quodque verisimile est euenturum; sed stante atrocitate, & qualitate Patris truculenti, & soliti minas exequi verisimile omninò est, & rationi consonum, quod malum cõminatum per eundem Patrem sit euenturum, & filius ex illo assentitur, nec potest moderari metus ex spe paternæ affectionis, dum fortior viget atrocitas, quæ in eodem dominatur, ergò &c.

Cessat motiuum paternæ affectionis. Glosa. Baldus. Cinus. Felinus. Hypolitus. Adrianus.

5 *Verificatur siuè respectu masculi, siuè fœminæ.* Gutierez. Bossius. Rot. Rom.

Hæc, quæ dicta sunt in hac secunda responsione, æquè intelligenda sunt, siuè ille, ad quem diriguntur huiusmodi minæ fuerit masculus adultæ ætatis, siuè impubes, siuè etiam fæmina, vt rectè notarunt *Gutierez de matrimon. c.* 44. *nu.* 49., *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c.* 12. *num.* 66., *Rota Rom. decis.* 242. *num.* 1. *apud Farinacium lib.* 2. *cons. crim.* Ratio ex eo deducitur, quiá illæ minæ supposita atrocitate, & consuetudine Patris exequentis aptæ sunt secundum se ad mouendum ad assensum inuoluntarium non solum impuberem, & fæminam, sed etiam puberem, & masculum maximè attenta subiectione, & reuerentia eidem Patri debita per filium, ergò &c.

Conciliantur quodammodò opposita sententia.

Ex ijs patet, quomodo aliqualitèr posset conciliari Cucus, & reduci ad sanum sensum responsionum nostrarum; si dicatur ipse loqui, quando non militat in patre illa ratio nimiæ atrocitatis, & consuetudinis in exequendis minis; tunc etenim potest esse valida præsumptio, quod militante affectione paterna, quæ maior est omnibus, non sit rationabilis causa timendi executionem pœnarum comminatarum, adeoque, quod filius liberè assentiatur; non verò quando militat ratio illius atrocitatis, quiá subest præsumptio executionis futuræ, adeoque iusta, & rationabilis causa assentiendi inuoluntariè, sine qua non assentiretur.

§. XIII.

§. XIII.

An metus purè reuerentialis Patris eodem modo se habeat in ordine ad sponsalia filij, quo metus reuerentialis aliorum.

SVMMARIVM.

Elucidatur titulus in casu particulari. 1.

Sententia asserens metum reuerentialem, qui non est sufficiens in alijs ad irritanda sponsalia, esse sufficientem ad irritanda in Patre. 2.

Metus praecisè reuerentialis ergà Patrem non est sufficiens ad irritanda sponsalia inita cum eodem per filium, nisi sit coniunctus cum minis. 3.

Timor reuerentialis non infert coactionem ab extrinseco, sed solum rem quandam vim ab intrinseco. 4.

1 DIsquisitio XIII. Ex metu purè reuerentiali Patris contraxerat sponsalia Fabius cum Liuia; Rursus cum eodem metu purè reuerentiali alterius à Patre, cui debetur reuerentia Meuius cum Seia similia sponsalia contraxerat. Agebat deinde Meuius ad inualiditatem sponsalium probandam ex motiuo talis metus purè reuerentialis, & in iudicio conclusum fuit pro validitate ipsorum. Successiuè Fabius Liuiæ sponsalia recusabat ex eodem motiuo metus reuerentialis à Patre. Hinc excitata fuit controuersia, an ille metus reuerentialis erga alios à Patre, qui non fuit sufficiens ad irritanda sponsalia Meuij, sit modo sufficiens, si fuerit ergà Patrem, ad irritanda sponsalia Fabij cum Liuia.

Exponitur titulus in suis terminis.

2 Barbatius *cons.60. à num.1. vsque ad quartum vol.1., Ancharanus c. ex literis num.2. de desponf. impub., Montaluus l.8. gl.2. in init. tit. 11. lib.1.*, docent motiuum reuerentialis timoris nudè sumpti, quod non est sufficiens ad irritanda sponsalia, vel matrimonium, quando est ab alia persona à Patre, sufficiens esse, quandò talis metus reuerentialis est à Patre. Rationem cognoscunt in nimia reuerentia debita Patri supra alios fundata non solum in ratione superioritatis, sed etiam in iure descendentiæ, & sanguinis; vnde dicunt, quod hæc nimia reuerentia Patri debita æquipararetur timori cadenti in constantem virum DD. plurimi apud *Alexandrum de Imnola in l. si cum dotem §. eo autem tempore num.11. ff. solut. matrim.* Nihilominus

Barbatius. Ancharan. Montaluus

Sententia asserens metum reuerentialem Patris esse sufficientē.

3 Respondeo, metum præcisè reuerentialem erga Patrem, cum quo contracta fuerunt sponsalia Fabij cum Liuia, eadem non irritare, nisi coniunctus fuerit cum minis *Alexander in d. l. si cum dotem §. eo autem tempore nu.11. ff. sol. matrim., Sanchez de matrim. lib.4. disp.6. num.9.* Ratio in primis deducitur ex ijs, quæ dicta sunt in præcedenti disquisitione in resp. 1., quandoquidem timor reuerentialis Patris etiam cum minis, si non fuerit atrox, & solitus easdem minas exequi, non est sufficiens ad irritanda sponsalia, seù matrimonium, ergò à fortiori non erit sufficiens, si fuerit metus purè reuerentialis ergà eundem Patrem. Deindè omnia ferè iura, siuè ciuilia, siuè canonica, quæ decernunt metum purè reuerentialem non esse sufficientem ad irritanda sponsalia, seù matrimonium loquuntur de metu reuerentiali Patris, & non alterius, vt videre est primò *in c. ex literis de desponsat. impub.*, vbi non irritantur sponsalia ex metu reuerentiali præcisè paterno, sed ex minis - Ibi - *minis parentum impulsa*. Secundò *ex l. si patre cogente 22. ff. de ritu nuptiarum*, vbi sic legitur: *Si Patre cogente ducat vxorem, quam non duceret, si sui arbitrij esset, matrimonium contraxit, maluisse enim hoc videtur*, vbi Glosa subdit *Maluisse hoc videtur, quam odium Patris incurrere, non autem dicat metum adhibitum*, ex quo clarè deducitur solum metum reuerentialem non sufficere ad irritanda sponsalia, seù matrimonium.

Timor reuerentialis erga Patrem non est sufficiens ad irritanda sponsalia filij.

Alexander. Sanchez.

Plura euincentia intentum.

Vlterius sic euincitur, quià metus reuerentialis nudè sumptus non inducit vim, nec metum, siuè fuerit versus Patrem, siuè versus alterum, cui debeatur reuerentia, nec inualidat alios contractus, ergò &c. Antecedens probatur *ex c. 2. de pactis in 6.*, vbi dicitur, valere renuntiationem filiæ factam in fauorem patris, dummodò non intercesserit vis, nec metus, & fuerit iuramento firmata, & tamen ibi concurrebat paterna reuerentia, ergò &c. Confirmari potest vlterius, quià professio Religiosa inita ex solo metu reuerentiali Patris non est irrita *ex c. fin. Qui cler. vel vouent., & ibi Glosa verb. metu*, quam dicit singularem, *Abbas ibid. num.7., & ex c. puella 2. qu. 1.*, vbi ad anullandam professionem eiusdem puellæ textus non considerat metum præcisè reuerentialem, ergò etiam sponsalia, seù matrimonium inita ex solo metu reuerentiali Patris non erunt irrita. Consequentia probatur, quià tàm professio, quàm matrimonium liberum consensum exigunt, ergò, sicuti metus reuerentialis illam non irritat, vt potè, qui non tollit liberum consensum, ità nec istud irritabit propter eandem rationem.

Paritate etiam euincitur responsio.

Glosa. Abbas.

4 Ad id, quod afferebatur ex Barbatio, alijsq; supra allegatis, dicendum est timorem reuerentialem ex eo, quod fit ad Patrem non egredi à ratione formali metus purè reuerentialis, quantumvis inuoluat suauem quandam maiorem inclinationem ad obsequendum ipsius mandatis. Hæc autem suauis inclinatio, cum nó proueniat à principio extrinseco, sed potius à natura

Reuerentia Patris non infert vim ab extrinseco.

ra eiusdem filij obsequentis non vim aliquam infert iniuriosam eidem, & per consequens non constituit consensum inuoluntarium; ex quibus patet non congruè loqui, qui comparant timorem reuerentialem Patris metui cadenti in constantem virum, quandoquidem hic est ab extrinseco, & cum iniuria timentis, ille verò ab intrinseco scilicet ex inclinatione naturali, & sine aliqua iniuria, cum sit conformis naturæ; Ob hanc rationem iura etiam loquentia in terminis præcisis metus reuerentialis patris statuunt non irritare contractum sponsalium, & matrimonij, sicuti non irritat professionem Religiosam, nec minus renuntiationem factam à filia in fauorem Patris, si fuerit iuramento firmata, quantumuis metus reuerentialis in eadem interueniat.

Non irritat professionem Religiosam.

§. XIV.

An præcedentibus sponsalibus validis matrimonium metu contractum sit validum, an inualidum.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus cum sua ratione dubitandi. num. 1.
Matrimonium, si fuerit metu iniustè incusso initum, inualidum est, quantumuis præcesserint sponsalia legitima. 2.
Si fuerit ex metu iustè incusso per iuris remedia, & cum moderamine non est inualidum. 3.
Satisfit rationibus dubitandi in contrarium, num. 4.

1 DIsquisitio XIV. Contraxerant adinuicem sponsalia Caius, & Theodoricus seruatis omnibus iuris solemnitatibus, & regionis consuetudine præstito vero, & legitimo consensu, sed posteà Caius adueniente tempore matrimonij adimplendi per verba de præsenti renuebat absolutè adimplere, & contrahere, Grauis metus eidem per Parentes Theodoricæ, vel per alios homines atroces, & contrahentes nomine eiusdem Theodoricæ illatus est, quo stante consentit in matrimonium per verba de præsenti. Orta fuit hic controuersia, an illud matrimonium sic initum subsistat, an verò ex illo metu corruat.

In quo sita sit difficultas.

Ratio dubitandi ex eo consurgit, quià, quantumuis omnes contractus initio dicantur esse voluntatis, postquam tamen sunt initi, & promissio facta, contractaque obligatio, adimpletio est necessitatis *l. sicut C. de act., & obligat.*, & non dicitur inuitus, qui propter voluntariam promissionem vrgetur ad promissi solutionem, *c. quicunque 22. q. 2., & Glosa c. requisiuit de sponsalib.* Quamobrem tale matrimonium non potest dici inuoluntarium, cum necessitas non sit à principio extrinseco extrà partium consensum, sed à principio intrinseco scilicet à partium consensu, qui non tollit voluntarium; præcipuè cum quis non debeat mutare consilium in alterius præiudicium *c. mutare de reg. iur. in 6.* Nihilominus

Non videtur esse inuoluntarium, & quare.

Respondeo primò matrimonium, si fuerit metu iniustè incusso initum inualidum est, quantumvis præcesserint sponsalia legitima *Coaruuias de spons. part. 1. c. 4. nu. 6., Rota Rom. decis. 68. num. 33. apud Buratum Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 12. num. 137.* Nomine metus iniustè incussi intelligimus hic metum, qui incutitur, vel ab altera parte propria auctoritate, vel ab alijs personis non habentibus ius ad compellendum. Ratio ex eo deduci potest, quod habetur *in c. gemma de sponsalib.*, vbi propter matrimonij libertatem improbatur pæna apposita aduersus eum, qui resilit in contractu sponsalium. Secundò, quià si quis inuenerit iuuenem cubantem cum propria filia, eique minatus fuerit mortem, nisi cum eadem matrimonium contraxerit, & ille tali metu perterritus consenserit, matrimonium illud est irritum, quià ille metus est iniustè incussus, & tamen ex illo delicto ius aliquod habet, vt ille eandem ducat, maximè si cum eadem concubuerit cum promissione futuri matrimonij, ergò etiam &c. Ratio autem, ea est, quià contrahentes ipsi, seù alij ab ipsis habent quidem ius, vt promissio adimpleatur, sed per se ipsos non possunt inferendo grauem metum cogere, sed tantum per remedia iuris, & per Iudicis auctoritatem, quæ tamen debet esse cum moderamine, vt infrà clarius patebit, ergò, si per se ipsos metum ingerant, iniustè ingerunt, adeoque &c. Ad hoc maximè facit textus *in c. requisiuit de sponsalib.*, vbi sic legitur *Ad quod breuiter respondeo, quod cum libera debeant esse matrimonia monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

2 *Ex metu iniusto inualidatur.* Coaruuias. Rot. Rom. Bossius.

Iura innocentia responsionem.

Remedia iuris debent esse cum moderamine inculpata tutela.

Respondeo secundò. Matrimonium, si fuerit metu iustè incusso initum, hoc est auctoritate Iudicis per censuras, aliaque iuris remedia post contracta liberè, & legitimè sponsalia, non est inualidum, dummodò Iudex cum moderamine processerit. *Rota Romana decis. 213. num. 9. apud Buratum, Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 12. num. 137.* Ratio ex ijs deducitur, quæ superius dicta sunt, quià, quando metus incutitur per aliū ex causa obligationis cōtractæ, quē incutiens iustè inferre potest, tunc magis censetur ille metus oriri ex obligatione spontaneè assumpta, & proindè magis ab intrinseco incuti, quā ab extrinseco, ergò nō est, cur contractus ille nō debeat

3 *Secus si fuerit iustè incussus, & cum moderamine.* Rota Rom. Bossius.

debeat esse validus, & subsistens. Confirmatur, quià si quis ex aliquo delicto constituatur reus, ratione cuius possit apud Iudicem accusari, & damnari, & alter læsus ex tali delicto metum inferat de accusatione, nisi cum propria filia nubat, nubendo cum illa, non inualidè nubit per ea, quæ superiùs dicta sunt, quandoquidem ille alter ius habet accusandi, & ille motus originalitèr causatur ex delicto commisso, & per consequens prouenit ab intrinseco, ergò etiã si quis ex proprio contractu constituatur debitor ad cõtrahendum matrimonium, & per Iudicem compellatur ad exequendum cõtractum promissum, non inualidè contrahet. Consequentia probatur, quià ex vno capite in ordine ad obligationem itá se habet delictum ad delinquentem, sicuti contractus ad liberè, & spontaneè contrahentem; ex alio vterque metus prouenire videtur ab intrinseco, ille scilicet originalitèr ex delicto, istè verò à spontaneo contractu præcedente sponsalium.

Rationes ex dictis deducuntur.

Dixi, *dummodò Iudex cum moderamine processerit*, quod non solum verificatur *per textum in c. requisiuit de sponsalib.* sed etiam, quià si nimis rigorosè Iudex procederet, periculum esset, ne ex illo matrimonio grauia damna consurgerent, fornicationes in consentiente ex metu, rixæ, & seditiones inter coniuges, mala prolis educatio, alijque exitus infelices, quæ incommoda iura auertere satagunt.

Ratio, cur Iudex debet procedere cum moderamine.

4 Ad id, quod afferebatur in ratione dubitandi, dicendum est, non solum requiri ad validitatem matrimonij consensum liberum ad sponsalia, sed etiam alium consensum liberum ad idem matrimonium contrahendum, nec libertas ad sponsalia trahit secum ex necessitate libertatem ad matrimonium, & licet regularitèr promissio sit libertatis, & executio, seù adimpletio necessitatis, fallit etiam hoc quoad matrimonium propter summam libertatẽ, quam exigit in se ipso, nec præcisè in præambulis; cum *in d. c. requisiuit de sponsalibus* debeãt esse matrimonia omninò libera propter infelices exitus, qui sine tali libertate timentur, seù timeri possunt, vndè etiam dicitur, quod nec per Iudices compelli possint omni iuris rigore, sed moderatè moneri, itá tamen vt cognita futura resistentia non possit vlteriùs procedere ad rigorem iuris, sicut procederet in alijs, nec audiendi sunt hic aliqui explicantes d. textum *in c. requisiuit de sponsalibus*, vt solum importet, quod prius resiliens à sponsalibus sit monendus, posteà per censuras, aliaque iuris remedia rigorosa compellendus; Non, inquam, audiendi sunt, quià ex quo textus considerat infelices exitus, qui timentur ex matrimonio cum metu inito, videtur absolutè excludere coactionem.

Satisfit rationibus oppositis.

Matrimonium exigit summam libertatem in se ipso, non præcisè in præambulis.

§. XV.

An metus illatus à Iudice procedente secundum allegata, & probata irritet sponsalia, & matrimonium.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in casu particulari. 1.
Sententia asserens matrimonium sic contractum esse nullum. 2.
Matrimonium illud iuxtà illud iudicium initum, est validum. 3.
In foro tamen interno non tenetur eidem stare. 4.
Rationes sententiæ asserentis matrimonium esse nullum procedunt tantum in foro interno. 5.
Si Iudex procederet iniustè secundum allegata, & probata, contractus esset nullus. 6.

Disquisitio XV. Contraxerat Sempronius sponsalia cum Theodorica, 1
seruata iuris forma, & solemnitate. Post eadem sponsalia Theoderica fornicata est cum tertia quadam persona, ratione cuius fornicationis intendebat Sempronius à sponsalibus recedere. Re ad Iudicem delata per eandem Theodoricam, cum secundum allegata, & probata non constaret de tali fornicatione per eundem Iudicem coactus est idem Sempronius stare præcedentibus sponsalibus, & contrahere matrimonium. Quæritur iam, an tale matrimonium teneat.

Factum in quo consistat.

Basilius Pontius lib. 4. c. 19. nu. 11. absolutè 2
existimat in hac hypothesi matrimonium ex ea coactione esse absolutè nullũ, quià ea vis, & coactio, cum secundum rei veritatem non habeat fundamentum, cui innitatur, prouenit omninò ab extrinseco & quamuis ex parte Iudicis compellentis sit iustum bellum, cum procedat secundũ allegata, & probata; id tamen est per accidens, & ratione ignorantiæ, cui propterea præualere debet bellum iustum ex parte rei, innixum veritate ipsa. Nihilominus

Pontius.

Sententia asserens nullitatem.

Respondeo, matrimonium in ea hypo- 3
thesi illo metu initum esse validum, *Vera Crux prima parte specul. art. 8. ad fin. dub. 3. vers. clarissimè ex hoc sequitur*, *Sanchez de matrim. lib. 4. disp. 13. nu. 8. Bonacina qu. 3. punct. 8. nu. 1. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. nu. 165.* Probatur, quià compulsio, & coactio iuridicè facta, & seruato iuris ordine ad adimplendam iam promissa est iusta formalitèr, nec secundum se irritat matrimonium, quandoquidem hæc compulsio est secundum dispositionem, & ordinem iuris canonici per textum *in c. ex literis 2. de sponsalibus*, ibi: *Si*

Veracrux. Sanchez. Bonacina. Bossius.

Illud matrimonium esset validum.

Si monitis non acquieuerit, Ecclesiastica censura compellas, & ex c. 1. de pactis, Couaruuias de sponsalib. 1. part. c. 4. num. 3. Franciscus Molin. de ritu nupt. comp. 2. nu. 13. Francis. Leo Thesaur. for. Eccl. c. 24. nu. 26. August. Barbosa collect. ad c. ex literis 2. nu. 3. & in collect. ad c. requisiuit nu. 2. de sponsalibus,

Molinus. Franciscus Leo. Barbosa.

Sed Iudex procedens secundum allegata, & probata iuridicè procedit, & seruato iuris ordine, ergò compellendo innixus, allegatis, & probatis iuridicè compellit, adeoque non irritat per talem compulsionem matrimonium. Confirmatur, quià ille metus illatus per Iudicem procedentem secundum allegata, & probata non est iniuriosus illum patienti, nec infert iniuriam sponso, cogendo ipsum ad contrahendum, ergò non irritat matrimoniũ, quià ex alibi dictis solus metus cum iniuria irritat, & annullat.

Ille metus non est iniuriosus.

Dices, quod quantumuis Iudex procedens secundum allegata, & probata, iuridicè procedat, & secundum præsumptionem iuris non inferat iniuriam, infert tamen, inspecta rei veritate, & quamuis Iudex sic compellendo seruet iuris ordinem, coactus tamen, cum pro se habeat veritatem, secundum quam liberatur ab obligatione prius contracta, non tenetur subesse illi coactioni, sicque metũ patiendo, & ratione eiusdem consentiendo, patitur ab extrinseco, adeòque non potest obligari. Sed contrà, quià ex eo, quòd Iudex procedat seruato iuris ordine secundum allegata, & probata in foro externo tenetur ille, contrà quam lata est sententia eidem stare, nec potest ab eadem, nec à matrimonio promisso recedere, quandoquidem in eodem foro omnia iura clamant aduersus ipsum, & cum ipsi vtpotè allegantì incumbat onus probandi fornicationem, si legitimè non probat, reus absoluitur, & constituitur in suo iure primæuo. Quid verò sentiendum sit in foro interno animæ, in quo purè veritas attenditur; *Ioannes Angelus Bossius d. c. 11. num.* 177. videtur sentire etiam eundem sponsum non posse recedere à contractu, quià metus solum ratione iniuriæ irritat, vel rescindit contractus; in hac autem hypothesi nulla videtur interuenire iniuria, Nihilominus, non libentèr annuerem assertioni eiusdem Bossij, quandòquidem secundùm rei veritatem, quæ in eodem foro conscientiæ nudè attenditur, ius habet resiliendi, quià reuera intercessit fornicatio, & iniuria eidem illata per fornicarium, vndè quantumuis in foro externo per Iudicem inferentem metum, eidem non inferatur iniuria, secundum tamen veritatẽ per illum metum priuatur iure, quod ipsi competit ratione fornicationis, vndè, si assentitur contractui ex illo metu, assentitur quoad forum internum per iniuriam,

Cum non probet causam recessus tenetur sententia eidem stare in foro externo.

4

In foro tamen interno non tenetur eidẽ stare.

vndè non est, cur in eodem foro non possit recedere.

5 Ex quibus habes, quid respondeas ad ea, quæ ex Basilio Pontio supra afferebãtur; dic etenim ea procedere inspecto præcisè foro interno, secundum quod veritas nudè attenditur, non secundùm externũ, secundùm quod, cùm Iudex legitimè, & secundum iuris ordinem procedat, potest iustè, & legitimè obligare per iuris remedia ad contrahendum, & perseuerandum in eodem contractu. Quomodò verò se debeat gerere in tali contractu ille, qui per Iudicem fuit coactus, procedentem secundum allegata, & probata, quamuis inspecta præcisè rei veritate, habeat ius pro se, dicendum est, quòd vel teneatur nouum consensum internum elicere, & liberum, vel teneatur absolutè ab vsu coniugij abstinere, & etiam requisitus non reddere, quòd, si reddat affectu verè maritali, tunc videtur conualidare per nouum consensum implicitum, & interpretatoriũ priorem contractum inualidum ratione metus.

Quomodo intelligenda sit sententia asserens esse nullum.

Quomodo se gerere debeat passus illam sententiã.

6 Hinc deduces à contrario sensu, quod, si Iudex iniustè secundum allegata, & probata procedens compelleret sponsum ad contrahendum, & perseuerandum in contractu, tunc reuera etiam in foro externo ex illo metu iniustè incusso irritaretur contractus, tùm quià Iudex tunc non procederet formalitèr vt Iudex, cum non seruaret iuris ordinem; tùm quià ille metus verè, & in rigore esset illatus per iniuriam, & certè procederet ab extrinseco, cùm nulla ex parte coacti adesset causa coactionis, nec inspecta rei veritate, secundum quam habet ius resiliendi, nec inspectis extrinsecis probationibus, secundum quas non eidem adijcitur vinculum ad contrahendum, cum secundum allegata, & probata Iudex compellendo supponatur iniustè compellere,

Si Iudex procederet iniustè secundũ allegata, & probata contractus esset nullus.

§. XVI.

An vni testi deponenti de metu magis credendum sit, quam alijs pluribus testificantibus de spontanea voluntate.

SVMMARIVM.

Exponitur ratio controuersiæ, & eiusdem status. 1.

Sententia asserens dictum vnius testis deponentis de metu præualere pluribus deponentibus de spontanea voluntate. 2.

Si vnus testis deponat simul de metu, & de actibus inductiuis talis metus probabilius eidem credendum est magis, quam alijs deponentibus de spontanea voluntate. 3.

Secus, si deponat præcisè de metu, & non de talibus actibus. Ibid.

Si

Si vnus deponat de visu, & alij de auditu magis ipsi credendum est. 4.

Si vnus deponat de metu, & alij de spontanea voluntate concurrentibus circumstantijs pro istis eisdem credendum est. 5.

1

Status difficultatis expositus.

DIsquisitio XVI. Initis iam sponsalibus inter Theodoricum, & Caiam excipiebat Caia de eorundem inualiditate ob metum grauem sibi iniustè incussum, & ad probandam exceptionem testem vnicum adducebat, qui de visu deponebat; Ex aduerso Theodoricus testes plurimos afferebat, qui testificabantur de spontanea voluntate eiusdem Caiæ consentientis. Orta hic fuit controuersia, an præualere debeat testificatio vnius testis deponentis de metu ex visu, an verò depositio plurium testificantium de libero, & spontaneo consensu.

2

Sententia praeferens dictum vnius testis deponentis de metu. Mascardus. Cæpola.

Mascardus *concl.*1057.*de probationibus n.*3. ex cautela *Capola* 144. existimat præualere dictum vnius testis deponentis de metu suprà testimonium plurium testificantium de spontanea voluntate, quam tamen Cæpolæ opinionem existimat procedere tantum, quandò dicto vnius testis deponentis de visu accederet dictum aliorum deponentium de auditu, nam tunc talis probatio sufficeret, *Aretin. cons.* 13. *Boerius decis.*101.*n.*9.*Rota Rom. decis. Burati* 205. *num.* 17.*Fontanella de pact. nup. claus.*7.*glos.*2.*part.* 3. *num.* 82. Nihilominus

3

Si deponat simpliciter de metu nō magis ipsi credendum est.

Respondeo cum distinctione, vel enim testis vnicus deponens de metu deponit simpliciter, & actus metus inductiuos non deducit, vel deducit metum, & actus etiam inductiuos illius. Rursus vel vnicus est testis deponens de metu nullis alijs concurrentibus adminiculis, seù coniecturis ipsum inferentibus, vel alijs adminiculis concurrentibus, & fortè etiam alijs testibus de auditu; si simpliciter deponat de metu, & non de actibus inductiuis eiusdem, probabilius sentio non magis eidem credendum esse, quam alijs pluribus testificantibus de spontanea voluntate, *Alciatus tract. de præsumpt. reg.* 3. *præsumpt.* 7. *in fin. Coaruuias de sponsalib. part.*2. *c.*3.§.5. *num.*11. *Cuccus lib.*5. *instit. maior. tit.*12.*n.*166. Ratio non solum deducitur ex iuris reg. in ore duorum, vel trium stat omne verbum, *c. licet. c. veniens* 1. *de testib.*, & *l. vbi numerus ff. de testib.*, sed etiam, quià celebrato iam contractu, & apparente de consensu possessio stat pro perseuerante in contractu, quandòquidem de consensu præstito in contractu perfectè constat, qua possessione non est spoliandus sine debitis, & legitimis probationibus, sufficiens autem probatio non est depositio vnius, quià ex communi Iuristarum effato, *Dictum vnius est dictum nullius*. Confirmatur, quià regulare est, metum non præsumi illatum, nisi probetur *l. interpositas*, & *ibi DD. C. de transact. Menochius de præsumpt. lib.*3.*præsumpt.*4. *n.*4., & *præsumpt.*126.*num.*1. *Mascardus de probat. concl.*1055.*n.*1. *Mantica decis.*142.*n.*1. non est autem legitima probatio, (quantumvis, cum metus sit difficilis probationis, admittat leuiores probationes ad concludendum, *Seraphinus decis.* 818. *num.* 3. *Mantica decis.*113.*n.*13.) dictum simplex vnius deponentis de metu simpliciter concurrentibus ex aduerso pluribus alijs testificantibus de libero consensu, præcipuè si ille non probet actus inductiuos talis metus.

Alciatus. Coaruuias. Cucus.

Possessio stat pro perseuerante in contractu.

Metus non præsumitur illatus, nisi probetur. Menoch. Mascardus. Mantica. Seraphin.

Si deponat de metu, & simul de actibus inductiuis talis metus, quos vel probet per depositionem aliorum testium, vel per congruas coniecturas, & adminicula, & tunc probabilius sentio magis eidem credendum, quam alijs pluribus deponentibus de spontanea voluntate, *Mascardus de probat. concl.*1055. *n.*1., & 2., & 3. Ratio ex eo deducitur, quià ex vna parte facilius potest metus detegi, quam spontanea voluntas, ex alia coniecturæ, & adminicula, quæ probant interuenisse æquivalent semiplenæ probationi, ergò, si interueniat depositio vnius testis omni exceptione maioris cum huiusmodi coniecturis, & adminiculis sufficientèr probatis erit valida, & efficax probatio pro metu. Hinc in particulari, si huiusmodi testis probauerit per alios testes præcessisse tractatum de inferendo metum, quantumvis posteà huiusmodi testes non probant neque asserant, quod in actuali contractu idem metus fuerit illatus, quem ipse deponat re vera intercessisse, eidem credendum est suprà alios asserentes non interuenisse, *Rota Rom. decis.*643.*part.*1 *apud Farinacium*, & 86. *apud Buratum*, *Menochius de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.*4.*n.*6.*Genuensis in praxi Episc. c.* 77. *n.* 4.*Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.*12. *n.*358.

Si deponat cū alijs actibus quos probet eidē potius credendū est.

Rot. Rom. Genuensis. Bossius.

4

Eidem credendū est, si accedant alij de auditu. Rot. Rom. Fontanella. Bossius.

Si verò deponat ipse solus de metu ex visu, & alij accedant testes de auditu præcipuè, si rationem proprij testimonij reddiderit, tunc probabilius sentio eidem credendum esse suprà alios testificantes de spontanea voluntate, *Rota Rom. decis. Burati* 205. *num.* 17. *Fontanella de pact. nupt. claus.*7. *glos.*2.*part.*3.*n.*82. *Ioseph de Sesse decis. Arag.*60. *num.* 8. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.*12. *n.*349. Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà dicebamus, quià scilicet, cum metus sit difficilis probationis, non exigit ità rigorosas, & strictas probationes, sicuti exigunt alia, quæ de facili probari possunt, sicque cum concurrat testis vnicus de visu, qui supponitur omni exceptione maior iam constituit semiplenam probationem, & si alij eidem adducantur, qui deponant de auditu inducunt præsumptionem, *Iason in rub. ff. de iureiur. col. penult. Decius in auth. si quis in aliquo n.*25. *C. de edendo*, *Ioannes Cephalus*

Metus non exigit ità strictas probationes, & quare. Iason. Decius.

Cephalus. Bartolus. Ripa. Abbas.

phalus cons. 170. n. 46. vol. 2. præcipuè, si deponant se audiuisse, antequam lis, & controuersia esset orta *Bartolus in extrauag. ad reprimendum in verbo denuntiationem col. fin. Franciscus Ripa in l. 1. n. 87. ff. si cert. pet. Abbas in c. licet ex quadam de testibus*.

5 Respondeo secundò. Si vnus deponat de metu, & plures alij deponant de spontanea voluntate, & simul cum his sic deponentibus concurrant circunstantiæ, & præsumptiones pro eodem libero consensu, potius est his credendum, quam illi *Mascardus de probat. concl. 1057. n. 1. num. 3.*, Nec difficilis est probatio huius responsionis, quandòquidem coniecturæ ipsæ reddunt sensibilem ipsam spontaneam voluntatem, quæ cæteroqui lateret, & per testes non posset facilè probari, tum quià huiusmodi coniecturæ, & præsumptiones, quandò aliæ non suppetunt probationes, sufficientèr concludunt, maximè in ijs, quę sunt difficilis probationis.

Concurrentibus circunstantijs pro deponentibus de spontanea voluntate eisdem credendū est.

Concurrentibus autem coniecturis, & præsumptionibus tàm pro testibus de spontanea voluntate deponentibus, quàm pro deponente de metu dictum illius debet præualere, pro quo efficaciores concurrunt coniecturæ, & probationes; non enim nouum est in iure, quod coniecturæ, & præsumptiones aliquæ per alias vehementiores contrarias superentur per textum *in l. Diuus ff. de in integ. restit. Andreas Altiatus cons. 269. num. 2. Franciscus Curtius minor cons. 35. n. 6. vol. 1., & cons. 163. num. 22. vol. 2.*, Concurrentibus verò pro vtrisque coniecturis, & præsumptionibus æqualibus tunc probabilius crederem præualere depositionem plurium testificantium pro spontanea voluntate, quià in dubio possessio stat pro matrimonio, & cæteris paribus præferendus est possessor, nec obesse potest id, quod superius asserebatur, quod scilicet metus facilius detegatur, quam spontanea voluntas, cum ille cadat sub sensu, non sic voluntas, non, inquam obesse potest, quià, sicuti metus per sensibiles coniecturas, & signa manifestari potest, ità etiam voluntas, sicuti etiam diximus superius, quod interpretatiuè ex aliquibus signis dignoscatur sufficiens consensus ad sponsalia, quantumuis expressè non habeatur. Quamobrem dicimus, quod eadem voluntas possit manifestari per illas coniecturas, seù signa, & dependentèr ab illis cognosci à testibus deponentibus pro illo libero consensu, Quod, si quæras in quibusnā consistant huiusmodi coniecturæ, seù præsumptiones pro spontanea voluntate, infrà vberius satisfiet.

Concurrentibus circunstantijs pro vtrisque ille debet præferri, qui efficaciores habet circunstantias Altiatus. Curtius.

§. XVII.

An præsumptio metus cesset ex præsentia, & decreto Iudicis,

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Regularitèr loquendo in foro iudiciali ex præsentia, & decreto Iudicis, cessat præsumptio metus. 2.
Limitatio dicti valdè considerabilis. 3.
Existente per præsentiam Iudice, & autorante per decretum, si nihilominus assenserit contractui per metum perseuerantem in sua causa contractus est nullus. 4.

Disquisitio XVII. Contraxerunt adinuicem sponsalia Meuia, & Caius minis præmissis vel per eundem Caium, vel per alios aduersus eandem Meuiam, nisi contraheret. Contractus initus fuit præsente Iudice, & autorizante per suum decretum. Hic orta fuit controuersia, an ex decreto, & præsentia autorante Iudicis cesset præsumptio metus. 1

Factum expositum.

Respondeo primo, regularitèr loquendo in foro iudiciali ex tali præsentia, & decreto cessat præsumptio metus, *Rota Rom. decis. 198. n. 9. apud Farinacium tom. 2. consil. crimin., & decis. 733. n. 12. apud Buratum*, quæ pro se citat *Bartolum in l. 1. sub n. 4. C. de prædijs decur. Parisium cons. 10. n. 52. lib. 1. Aymonem cons. 114. n. 3.*, hisque adhæret *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. nu. 319. Farinacius 2. part. frag. crimin. verb. metus n. 55.*, quæ tamen responsio intelligenda est non absolutè, sed ità, vt ad probandum talem metum requirantur foriores probationes, sine quibus non esset audiendus illum allegans conformitèr ad ea, quæ suprà dicta sunt de sponsalibus contractis coram parentibus, & familiaribus. Ratio ex eo deduci potest, quià præsentia Iudicis autorizantis per suum decretum multum euacuat de suspicione metus, nam eodem præsente ille, cui metus inijcitur, posset talem metum allegare, & auctoritate eiusdem Iudicis eidem, eiusq; auctori efficacitèr resistere, ergò, cum eodem præsente, & autorante contrahat sine vlla penitus contradictione, præsumendum est, quod liberè, & non coactè contrahat; nam sicuti præsentia Iudicis in contractu tollit præsumptionem doli per textum *in l. fin., ff. quod met. caus. Bartolus in l. frater à fratre, ff. de condit. indeb. vers. 3. quæro*, ità non est, cur præsentia eiusdem non possit auertere quamcunque metus suspicionem.

2 *Cessat in eo casu præsumptio metus.* Rot. Rom. Bartolus. Parisius. Aymon. Bossius. Farinacius.

Non procedit absolutè, sed ita vt requirantur maiores probationes. Bartolus.

3 Dixi, *regulariter loquendo, & ità vt ad probandum talem metum requirantur fortiores probationes, sine quibus non esset audiendus*,

dus allegans talem metum, non enim negauerim, quod, si perseuerauerit causa metus etiam præsente, & autorante Iudice, cui nec ipse Iudex posset resistere, vel damnum comminatum timeretur post Iudicis decretum, & absentiam, ille contractus non subsisteret in foro conscientiæ, & si probauerit perseuerantiam causarum huiusmodi metus pro tempore celebrati contractus coram Iudice, nec etiam in foro iudiciali teneret; quià ille metus secundum se ipso iure irritat contractum, non solum de iure positiuo, si probetur, sed etiam de iure naturæ, si reuera existat. Ex eo autem, quod interuenerit præsentia Iudicis, & decretum, cum ex superius dictis aliquid minuatur de præsumptione metus, sequitur ex directo, quòd allegans talem metum debeat fortiores adducere probationes, quæ valeant supplere defectum illius præsumptionis.

Si tamen perseueraret metus nō obstante præsentia Iudicis adhuc contractus non teneret.

3

4 Respondeo secundò. In foro interno animæ si reuera existente per præsentiam Iudice, & autorante per decretum assenserit contractui per metum perseuerantē in sua causa, contractus est absolutè nullus, *Molinus lib. 2. de ritu nupt. disp. 17. nu. 28. Sanchez disp. 22. nu. 21. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contr. c. 12. nu.* 379. Ratio facilè ex eo deducitur, quià metus grauis cadens in constantem virum ex genere suo irritat contractus matrimonij, & sponsalium, ergò si in foro interno vrget metus iniustus cadens in constantem virum, contractus ex eodem initus erit nullus.

In foro conscientia perseuerante metu est nullus. Molinus. Sanchez, Bossius,

§. XVIII.

An actus subsequentes sponsalia metu graui inita, si appareant voluntarij, reualident eadem sponsalia.

SUMMARIUM.

Exponitur titulus in casu particulari, 1.
Cessante causa metus per illos actus subsequentes inducentes liberum consensum, sponsalia reualidantur, 2.
Perseuerante causa metus per illos actus subsequentes non fiunt valida. 3.
Causa metus eousque præsumitur perseuerare quousque perseuerat potestas in incutiente, & subiectio in timente. 4.

1 DIsquisito XVIII. Inierunt sponsalia non sponanea volumtate, sed ex metu cadente in constantem virum Sempronia, & Caius. Successiuè eadem Sempronia plures actus elicuit, qui videntur proprij inter sponsos, puta, recipiendo annulum ab eodem Caio, iocalia, aliaque munuscula sinè vlla penitus reluctantia, vel etiam tangendo, seù permittendo se tangi per oscula, & amplexus ab eodem Caio. Hic quæsitum fuit, an per huiusmodi actus subsequentes vel elicitos, vel permissos ab eadem Sempronia fuerint conualidata priora sponsalia inita cum metu cadente in constantem virum. Pro solutione

Facti series in suis terminis.

Considerandum est, an dum exerciti fuerunt illi actus, vel permissi sine reluctātia ab eadem Sempronia cessauerit absolutè causa metus, ob quem priora sponsalia inita fuerint, an verò adhuc perseueret. Regulariter metus semel illatus durare præsumitur, nisi per actus contrarios sublatus doceatur *Bartolus in l. 2. num. 10. C. de his, quæ vi, Iason. concl. 165. lib. 2. Osascus decis. Pedemontana 179. nu. 11. vers. hinc refert. Rota Romana decis. 263. nu. 5. apud Farinacium tom. 2. cons. criminal. & apud eundem Farinacium decis. 707. num. 2. in recent. part. 1.*

Consideratio notabilis iuxta titulum. Bartolus. Iason. Osascus. Rot. Rom.

Respondeo primò. Si causa metus non perseuerauerit pro tempore, quo Sempronia alios subsequentes actus elicuerit liberum consensum indicantes sponsalia antecedenter inita per illos redduntur valida, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. à nu. 383. vsque ad* 401. Deduci potest responsio *in c. significauit de eo, qui duxit, & in c. insuper. qui matrimonium accus. poss.* vbi mulier, quæ ex metu cadente in constantem virum contraxerat, dicitur conualidasse matrimonium ex eo, quod posteà spontè in copulam consenserit; ex quibus textibus sic argumentor. Matrimonium ex parte vnius per metum cadentem in constantem virum contractum redditur validum ex eo præcisè, quod metus passus consenserit liberè in actus consequentes ad idem matrimonium, & ad quos idem matrimonium ius tribuit, ergò etiam sponsalia ex parte vnius metu cadentem in constantem virum inita redduntur valida, ex eo quod Sempronia metum passa in celebratione contractus posteà liberè consenserit ad actus, ad quos ius tribuunt eadem sponsalia, & cum quibus eadem sponsalia secundum communē æstimationem coniunguntur; impossibile enim est, quod quis liberè velit effectus, qui coniunguntur cum aliqua causa, & saltem implicitè non velit etiam liberè eādem causam; Neque obesse potest, si asseratur, quod, cum eadem sponsalia fuerint ab initio inualida, non possint tractu temporis per subsequentes actus conualescere *reg. quæ ab initio de reg. iuris in 6.* Non, inquam, obesse potest, quià quandò diximus, quod per subsequentes actus priora sponsalia reddantur valida, non intelligimus eadem inualida transire in valida, sed per nouos illos consensus interpretatiuos constitui sufficientē rationem constitutiuā noui contractus validi, seù auferri

2 *Cessante causa metus illa sponsalia reualidantur.* Bossius.

Inualida non fiunt valida, sed noua constituuntur per illos actus.

ferri

ferri consensum inualidū, & nouum validū constitui, per quem contractus validus resultat eo modo, quo diximus de consensu ficto, nouo consensu vero, ac reali accedente.

Respondeo secundò. Si causa metus perseuerauerit etiam pro tempore, pro
3 quo huiusmodi actus subsequuntur sponsalia antecedenter inita, per illos non redduntur valida. *Menochius de præsūpt. lib. 3. præsūpt. 4. n. 22.*, *Mascard. de prob. concl. 1655. n. 36.*, *Gutierez de matrim. c. 76. n. 26.*, *Aloysius Riccius collect. decis. part. 1. collect. 154.*, *Farinacius 2. parte frag. criminali verb. metus num. 163.*, *Rota Rom. apud Seraph. decis. 771. num. 8. decis. 851. num. 1. decis. 863. nu. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià perseuerante eadem causa, quæ influxit in primum actum, præsumptio est manifestissima, quod perseueret, & influat in alios actus subsequentes *Rota Rom. decis. 263. num. 3. apud Farinacium prima part. recent.*, *& decis. 85. num. 1., 5., & 6. apud Seraphinum*, vbi expressè dicitur, quod durante causa metus omnia censentur ex eodem metu facta, quantumvis fiant aliqui actus, qui videantur spontanei, *& decis. 166. apud eundem Seraphinum*, vbi dicitur, quod initium metus in actu influat in omnes actus sequentes, & tempora durante eadem causa, nec incongrua sanè ratione hæc decernuntur; quandoquidem causa motiua, quæ impulit, & satis fuit impellere ad primum actum, non est, cur non satis sit impellere etiam ad subsequentes, & posteriores dependentes ab illo. Ob hanc tandem rationem sæpius in pluribus Tribunalibus decisum fuit professionem Religiosam elicitam per metum cadentem in constantem virum non reddi validam ex eo, quod sic professus elicuerit actus proprios Religionis dependenter ab eadem professione, si metus causa, ob quam compulsus fuit ad profitendum, perseueret, dum huiusmodi actus elicit, & in specie sic definitum fuit in quodam Religioso, qui metu à Patre incusso professus est, & posteà eodem Patre viuente in Religione promotus fuit ad ordinem Subdiaconatus, in quo protestatus fuit se professionem emisisse, & nihilominus irrita fuit professio declarata in Curia Archiepiscopali Mediolanensi nullo habito respectu ad talem protestationem eo, quod fuerit emissa viuente adhuc Patre, & perseuerante causa metus; hocque etiam definitum est in *Rota Rom. decis. 175. nu. 5. apud Farinacium part. prima in recent.*

Perseuerante causa metus non fiunt valida. Menoch. Mascardus. Gutierez. Riccius. Farinacius. Rot. Rom.

Causa influit etiam in actu subsequentes. Rot. Rom.

Professio Religiosa elicita per metū grauem non redditur valida ex eo, quod sic professus actus Religionis elicuerit perseuerante eadem causa.

4 Hic solum remanet dubitandum, quandonā censeatur causa metus durare ad effectum, vt præsumatur actus subsequenter eliciti, non spontanei, nec omninò liberi ea libertate, quæ requiritur ad ratificandū purū actū, seù tollendā inuoluntarietatem ab eodem, Respondet *Aretinus cons. 14. n. 18.*, *Socinus cons. 163. post nu. 11. lib. 2.*, *Sanchez lib. 4. de matrimon. disp. 18. num. 7.* eo vsque durare, quo vsque durat potestas in illum incutiente, & subiectio in timorem passo, adeò, vt si sit Iudex, qui metum inferat quoadusque ipsius officium duret, si tirannus, donec ipsius tirannicū imperiū, si vir, donec duret matrimonium, si pater, donec eius potestas. Hoc idem sentiunt *Glosa in c. 1. verbo postmodum de his, quæ vi*, *Bartolus in l. 2. nu. 7. & l. fin. nu. 5. & 7. ff. de vendit. ob turpem caus. Iason. instit. de act. § quadrupli.* Ratio est, quià causa metus est illa potestas, & subiectio in metum patiente, ratione cuius vtriusque non videtur patiens posse agenti resistere.

Perseuerat causa metus quousque perseuerat potestas. Aretinus. Socinus. Sanchez. Glosa. Bartolus, Iason.

§. XIX.

An metus ex vicinitate actuum præsumatur durare.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo sensu accipiendus sit titulus. 1.

Ratio euincens in hypothesi illas metum purgatum esse. 2.

Probabilius in ea hypothesi non purgatur metus, illumque passus immunis est ab onere contractus. 3.

Satisfit rationi contrariæ. 4.

Disquisitio XIX. Inuentus fuerat Caius puer cum Calidonia in cubiculo, & per metum grauium minarum à patre eiusdem Calidoniæ inuentore coactus fuit cum eadem contrahere sponsalia, seù matrimonium de futuro eidem spondere. 1
Post talem promissionem de matrimonio futuro, seù post talia sponsalia ex metu contracta idem Caius per multum temporis à recessu patris Calidoniæ, qui metum illum incusserat, permansit in eodem cubiculo cum eadem Calidonia, & pro eo tempore inter eundem Caium, & Calidoniam intercesserunt oscula, & amplexus. Hic excitata fuit controuersia, an ex illa permanentia in eodem cubiculo, osculis, & amplexibus arguatur sufficienter liber cōsensus ad eadē sponsalia conualidanda.

Status difficultatis propositæ.

Videtur absolutè dicendum, per illam moram subsequentem, illosque actus purgari quamcunque metus suspicionem, & reddi contractum validum, cum sufficiens coniectura metus purgati sit non recessus à loco, in quo metus illatus est, post eundem incussus, cum commodè metum passus posset ab illo recedere, *Alciatus in respons. 5. num. 15.*, *Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 4. nu. 26.*, *Genuensis in praxi Episcop. c. 87. num. 6.* hisque assentiri videtur *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. nu. 397.* Nihilominus 2

Non recessus à loco est sufficiens coniectura purgationis metus. Altiatus. Menochius. Genuensis. Bossius.

3 *Non purgatur metus.* Rot. Rom. Bossius. Respondeo, probabilius esse in ea hypothesi non purgari metum, & Caium immunem esse ab onere contractus *Rota Rom. decis. 643. num. 27. apud Farinacium 1. part. recent. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 12. num. 413.* Ratio ex eo deduci potest, quià in illa continuatione moræ ad illud modicum tempus præsumitur perseuerare metus incussus à Patre Calidoniæ, cum qua repertus est; perseuerante autem causa metus intelligitur idem perseuerare, & reddere irritos actus subsequentes per ea, quæ superiùs dicta sunt. Deinde illi actus subsequentes continuati in vlla mora ob vicinitatem eorundem intelliguntur quodamodò quid vnum cõstituere cum actibus antecedentibus præsumptis, quando inuentus est à Patre Calidoniæ in cubiculo cum eadem, sed ex illis actibus præcedentibus accedente consensu per metum non intelliguntur valida sponsalia, ergò nec ex subsequentibus, qui quodamodo moralitèr continuantur cum primis. Tandem, quià illi actus subsequentes intelliguntur procedere ex eodem affectu, quo primi processerunt, quando inuentus est à Patre cum Calidonia, sed primi processerunt ex affectu libidinis fine vlla prorsus intentione futuri cõiugij, cum de illo non præcesserit tractatus, nec promissio, ergò etiam subsequentes; nec dici potest, quod subsequentia ex eo, quod fuerint elicita post cõsensum, quamuis per metum appositum, intelligantur quodammodò discontinuata à primis, & ex nouo motiuo præcedente, non, inquam, dici potest, quià cum ille consensus fuerit elicitus ex metu, & ab eodem met consentiente cognoscatur insufficiens, & inefficax ad validitatem contractus, poterit nulla habita de eodem ratione, moueri duntaxat ex primo motiuo, & affectu libidinis, quod maximè præsumendum est ex vicinitate actuum.

Actus subsequentes cõstituunt quid vnum cum praecedentiis.

Illi actus subsequẽtes procedunt ex eodem affectu quo primi.

4 Ad id, quod ex aduerso afferebatur, dicendum est, non recessum à loco, cum commodè posset metum passus recedere, eundem metum euacuare, quandò non perseuerat amplius eadem causa metus, vel quandò inter primos actus, accedente metu, & secundos subsequentes ad eundẽ metum tanta intercedat distantia, vt censeantur huiusmodi actus discontinuari, & non vigere prius motiuum, quo primos actus elicuit, vt superius dicta sunt; vndè ad ea, quæ afferuntur ex DD. præallegatis dicendum est, ea procedere, vel cessante causa metus, vel moraliter discontinuatis subseqeentibus actibus à primis, vt videtur sẽtire *Ioannes Angelus Bossius supra allegatus*, qui etiam docet, quòd, si post matrimonium metu contractum alter, qui metum est passus, deosculatus fuerit vxorem, vel alium actum similem elicuerit, quo alioqui ratificatum censeretur matrimonium, non præsumatur purgatus metus, cum censeatur durare ex vicinitate actuum.

Soluitur ratio ex aduerso opposita.

§. XX.

Quæ, & quanta cohabitatio sufficiat ad conualidanda sponsalia metu cadente in constantem virum inita.

SVMMARIVM.

Exponitur planè titulus, & controuersia. 1.
Vndè desumatur ratio dubitandi. 2.
In foro exteriori, si perseueret causa metus, etiam si cohabitauerint per annum cum dimidio, non censentur liberè contraxisse, & purgasse metum. 3.
Si verò causa metus non perseueret, non requiritur cohabitatio anni cum dimidio, sed tempus remittitur arbitrio prudentis ad præsumptionem liberi contractus. Ibid.
In foro interno anima cessante etiam causa metus ex diutina cohabitatione non conualidantur sponsalia ex metu elicita, nisi verè adsit animus illa ratificandi. 4.

Disquisitio XX. Contractis sponsalibus inter Mariam, & Octauium, sed cum graui metu cadente in constantem virum initis ex parte dictæ Mariæ, quæ ex consuetudine Regionis illius per aliquod tẽpus cohabitauit cum eodem Octauio, orta fuit controuersia, an ex illa cohabitatione sufficiens sit præsumptio conualidationis eiusdem contractus sponsalium, qualiscunque, & quantacunque fuerit illa cohabitatio. 1

Factum elucidatum in terminis particularibus.

Ratio dubitandi potissimum consurgit ex c. *ad id de sponsalibus*, vbi sic legitur: *Quamuis vndecim annos habens ab initio inuita eidem fuisset tradita, & renitens, tamen quià postmodum per annum, & dimidium sibi cohabitans consensisse videtur ad ipsum esse cogenda redire*, ex quo desumunt Doctores fundamentum afferendi ad purgandum metum requiri cohabitationem voluntariam anni cum dimidio, nihilominus 2

Ratio dubitandi vnde nam desumatur.

Respondeo, in foro exteriori, in quo proceditur ex præsumptione, si perseueret causa metus, etiam si cohabitauerint per annum cum dimidio, non censetur liberè consensisse, & purgasse priorem metum; si verò causa metus non perseueret, non requiritur cohabitatio anni cũ dimidio, sed prudentis arbitrio definiendum est tempus aptum ad inducendam præsumptionem liberi consensus; Ita quoad primam partem, *Menochius lib. 3. præsumpt. 4. nu. 22. Caputa decis. 2. part. 2. Farinacius 2. part. fragm. crimin. verb. metus num. 163. Rota Rom. apud Seraphinum decis. 771. num. 8.* 3

Perseuerante causa metus non sufficit cohabitatio per annum, & vltra. Menoch. Caputa. Farinaci us Rot. Rom.

Gutierez

Innocentius, Rosella, Coaruuias, D. Antoninus, Sotus.

Gutierrez de matrimonio c. 76. nu. 26. Quoad secundam *Innocentius c. 2. nu. 1. de his quæ vi, Neuizanus conf. 46. n. 32. Rosella verb. impedimentum impedim. 10. num. 7. Coaruuias 4. decr. 2. part. c. 3. §. 6. num. 1. Diuus Antoninus tertia part. art. 1. c. 7. in fin. Sotus in 4. dist. 29. qu. 1. art. 3. concl. 2.*

Causa metus influit in omnes actus subsequentes.

Ratio primæ partis ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, quia durante causa metus intelligitur & idem metus perdurare, & influere in omnes actus subsequentes siuè expressos, siuè tacitos, & interpretatiuos, adeout sicuti præsumitur influere in priorem actum, quo metum passus assensum præbuit contractui, ipsumque in sua radice perimere, ita præsumatur influere in cætera subsequentia, ipsaque quoad effectum conualidationis contractus annullare.

Tempus remittitur arbitrio prudentis.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia cum tempus ad hunc effectum lege non præfiniatur iudicis arbitrio definiendum relinquitur attentis omnibus circunstantijs, quæ in hoc genere considerari possunt *c. de causis de offic. delegat., & l. 1. ff. de iur. delib.* Neque obstat textus *in d. c. ad id de sponsalib.* vbi per iura videtur decerni ad hanc præsumptionem tempus anni cum dimidio; Non, inquam, obstat, quia ille textus non importat legem generalem, sed definit id, quod in eo casu particulari, qui propositus fuerat Pontifici, erat præsumendum; asserit enim Pontifex, quod attenta illa cohabitatione anni cum dimidio possit præsumi de libero consensu; non tamen definit, quod illud tempus in omni contractu meticulosè inito requiratur ad illum conualidandum; quinimmò, si cessante causa metus absolutè posset ab illa cohabitatione recedere, & habita opportunitate recedendi non recederet, esset præsumptio liberi consensus conualidantis priorem actum meticulosum, *Antonius c. ad id num. 9. de sponsalib., & ibi Alexander de Neuo n. 6., & seq. Neuizanus conf. 46. n. 32.* Non ità tamen rigorosè procederem, vt rem restringerem ad non recessum post cessationem metus, & habitam opportunitatem recedendi quoad tempus mathematicum indiuisibile, sed tantum relinquerem, quantum requiritur ad maturè deliberandum de recessu commodo, & sine obuiantibus, præiudicijs, & incommodis, quæ haberentur in subito, & inopinato recessu. Hoc autem tempus ad illam maturam, & commodam deliberationem remittitur arbitrio prudentis viri per textum, *in l. quod dicimus 105. ff. de solut. Hostiensis in c. 1. in verb. non timore mortis de his, quæ vi, Neuizanus conf. 46. n. 32., & alij* apud Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 18. nu. 6. vers. hoc tamen.*

Textus non constituit legem generalem, sed definit id, quod propositum est.

Antonius. Alexander de Neuo. Neuizanus.

Hostiensis. Neuizanus. Sanchez.

Respondeo secundò, in foro interno animæ cessante etiam causa metus ex cohabitatione etiam diutina non conualidatur prior contractus ex metu initus nisi verè adsit animus illum ratificandi, ex parte eius, qui metum passus est, quamtumvis in foro externo præsumatur illa ratificatio, *Nauarrus comment. 4. de Regularib., quod est super c. Statuimus 19. q. 3. n. 71. Sanchez d. lib. 4. disp. 18. n. 6. vers. hac autem.* Ratio ex eo deducitur, quia in foro conscientiæ attenditur præcisè veritas secundum se, non præsumptio veritatis; cum igitur prior ille consensus præstitus ad sponsalia meticulosè non fuerit validus, nec aptus ad eorundem validitatem, sine nouo vero actu nec ille, nec illa poterunt conualidari, nec sufficit præsumptio, vbi nouus ille actus re vera non adest.

In foro animæ non reualidatur nisi sit animus reualidandi.

Nauarrus. Sanchez.

§. XXI.

An promissio matrimonij futuri facta infanti requirat acceptationem.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo sensu sit accipiendus titulus, num. 1.

Etiam antequam minor peruenerit ad vsum rationis non potest maior reuocare promissionem, & resilire, 2.

Maior potest recedere, si postquam minor deuenerit ad vsum rationis non annuerit promissioni, 3.

Si minor, postquam deuenerit ad vsum rationis, & conscius factus fuerit promissionis, nec assensum præbuerit, nec dissensum expectandus est quantum possit maturè deliberare, num. 4.

Disquisitio XXI. Franciscus duodecim annorum promisit matrimonium futurum Caiæ infanti minori septennio, quæ ob carentiam vsus rationis, & debitæ ætatis non poterat repromittere, nec acceptare promissionem. Excitata fuit hic controuersia, an Franciscus ante acceptationem Caiæ, postquam peruenerit ad vsū rationis possit reuocare promissionē, & resilire à debito promissi matrimonij. 1

Facti series.

Ratio dubitandi ex eo desumitur, quod dictum fuit *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. prænot. 5. sect. 6. assert. 1.* nempè promissionem matrimonij futuri factam absenti nemine pro eodem stipulante regulariter reuocabilem esse ante acceptationem per textum *in l. absenti ff. de donat. l. nec ambigi, ff. eod. tit.*, & per DD. ibidem allegatos argumento deducto ab alijs omnibus promissionibus ad promissionem futuri matrimonij, cum ex dispositione iuris nihil speciale sit statutum circa promissionem matrimonij ab alijs omnibus pro-

Ratio dubitandi.

promissionibus, ergò etiam hoc idem dicendum est de promissione facta infanti nemine pro eodem stipulante, siquidem quod sit absens, & quod hoc non ratificauerit, seù quod sit infans ante septennium, quod effectum paria sunt, Nihilominus

2 *Non potest maior promittens resilire antequam minor perueneriт ad vsū rationis.* Respondeo, etiam antequam Caia peruenerit ad vsum rationis, & promissionem ratam habuerit, non posse Franciscum reuocare eandem promissionem, & resilire, *D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 18. ante §. 1. Siluester verb. sponsalia qu. 2. d. 2. in fin. Tabiena eod. verb. qu. 4. §. 5. Bartholomæus à Ledesma de matrimon. dub. 11. concl. 4. Manuel primo tom. summæ in 2. edit. cap. 245. nu. 7.* Ratio deducitur ex speciali iuris dispositione in fauorem infantiæ per textum *in l. iubemus C. de emancip. lib.* vbi expresse dicitur, quod licet emancipatio fieri nequeat sine emancipati consensu, fallat tamen in infante, ibi; *nisi infantes sint*, ex quibus verbis elucet speciale priuilegium respectu ipsiusmet infantiæ, nec incongrua sane ratione hoc sentiendum est, quandoquidem, cum talis ætas expers sit consensus, & iura in ijs, quæ sunt fauorabilia infantibus, seù etiam minoribus, obligent alios eisdem, quamuis non ipsos alijs, vtique obligare potuerunt ipsos promittentes, quamuis promissioni ante legitimam ætatem non concurrerit ipsorum acceptatio; Ex quibus habes, quid respōdeas ad rationem dubitandi supra allatā, quamuis etenim regulariter ad quamcunque promissionem, seù donationem requiratur acceptatio ad hoc vt sit irreuocabilis, fallit tamen, quandò est in fauorem infantium ob speciale priuilegium, vt suprà.

D. Antoninus, Siluester, Tabiena, Bartolomæus à Ledesma, Manuel.

Oritur ex priuilegio infantiæ.

Dices ex superius dictis sponsalia non tenent nisi posita sit valida promissio, & repromissio ex parte vtriusq; contrahentis, vnde etiam docet *Cardinalis in cap. de illis de desponsi impub. nu. 2.*, quod si ambo contrahentes fuerint impuberes, seù infantes posse quamlibet ex illis resilire, quia sponsalia sunt nulla, ergò etiam si alter fuerit infans, scilicet promissarius, alter verò pubes scilicet promittens poterit hic ante acceptationem alterius à contractu recedere. Consequentia tenet, quià, quandò contractus ex vna saltem parte claudicat vterq; contrahens remanet liber. Sed contra, quià ea, quæ dicuntur in instantia ad summum verificantur, quandò promissio habet vim sponsalium, quæ ex necessitate, cum sit contractus, & per consequens vltrò citroque obligatoria, exigit habere ex vtraque consensum, & sic promissionem, & repromissionem, secus quandò habet vim simplicis promissionis gratuitæ, quæ licet in alijs ad obligandum promittentem versus promissarium exigat eiusdem promissarij acceptationem, fallit tamen quoad infantes ob speciale priuilegium eisdem à iure concessum.

Cardinalis

Non currit paritas' in alijs promissionibus sicut in promissionibus, quæ fiunt minoribus quoad sponsalia.

3 Hic tamen aduerte, quod, quamuis promittens in hac suppositione non possit antequam promissarius deuenerit ad vsum rationis, & septennium compleuerit à promissione recedere; nihilominus si post acquisitum vsum rationis, seù completum septennium promissarius renuerit matrimonium sibi de futuro promissum acceptare, remaneat ille liber, & possit cum quacunque voluerit, nubere; si verò postquam promissarius ad vusm rationis peruenerit, & conscius factus fuerit de tali promissione sibi facta, nec positiuè dissenserit, nec positiuè assensum præbuerit, si intrà modicum temporis consensum, vel dissensum suspenderit ad maturè deliberandum, tunc probabiliùs censeo, promittentem remanere obligatum quousque prudentum arbitrio tempus tale transierit, quo possit maturè deliberare, quamuis enim iura statuant, quod teneatur statim deliberare, ly tamen, *statim*, latitudinem aliquam patitur, quanta prudentū arbitrio requiritur ad maturam deliberationē *l. si ita quis §. si iactum ff. de verb. oblig. Abbas in c. potuit de locato*, nec sumitur indiuisibiliter, sed summariè *l. momentanea C. vndè vi Bartolus in l. rei quæ §. rei autem ff. de iure fisc. & in l. 1. in 2 col. vers. quid dicemus ff. iudicatam solut*, & in contractibus regulariter ponitur pro triduo *Glosa in verb. triduo in l. 3. C. de error. adu. & in l. lecta ff. si certum pet. & in l. quod dictum ff. de solut. Ioannes de Porta in l fructus ff. solut. matrim., Alexander post Bartolum in l. 1. §. cui præsens ff. de verborum obligat.* Si verò elapso illo tempore, quod regulariter conceditur ad maturè deliberandum, nec assenserit, nec dissenserit, tunc præsumptionibus standum est, nullaque stante præsumptione potius pro dissensu interpretandum.

Potest recedere si minor non acceptat promissionem cum deuenerit ad vsum rationis.

4

Ly statim non sumitur indiuisibiliter, sed summariè.

Glosa. Ioannes de Porta. Alexander Bartolus.

§. XXII.

An promissio facta absenti, eique delata per nuntium ad id deputatum sit immediatè irreuocabilis, ac per promissarium fuerit acceptata coram eodem nuntio.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.
Acceptata promittentis promissione coram nuntio ad id muneris specialiter deputato, non potest promittens eandem reuocare. 2.
Probabiliter etiam verificatur quamuis acceptatio promissionis fieret coram alijs à nuntio ad id muneris deputato. 3.
Satisfit rationi dubitandi. 4.

Dis-

1 *Proponitur factum in suis terminis.*

DIsquisitio XXII. Per expressum consensum Sempronius matrimonium de futuro promisit Calidoniæ absenti, eundemque consensum per nuncium ad id muneris specialiter deputatum ad eandem detulit. Accepto nuntio eadem Calidonia coram eodem per expressa verba promissionem acceptauit; Quibus stantibus, & promissione vt supra acceptata idem Sempronius, antequam eidem nuntiata fuerit acceptatio facta per eandem Calidoniam, suum consensum, suamque promissionem authenticè reuocauit. Contendebat posteà Calidonia ad executionem eiusdem promissionis, aduersus quam excipiebat Sempronius de reuocatione eiusdem, antequam acceptatio sibi fuerat delata. Excitata hic fuit controuersia, cuiusnam fuerint in ea hypothesi iura potiora.

Ratio etiā dubitandi proponitur. Ratio dubitandi ex eo potissimum deducitur in fauorem Sempronij promittentis, & reuocantis promissionem ante sibi delatam acceptationem eiusdem promissionis, quod nuntius se habet merè, vt Pica, & organum, & concipit verba in persona Domini *Bartolus in l. qui autem §. fin., & l. & licet ff. de constit. pecun.*, & stipulando non sibi actiones, sed Domino quærit *Bartolus in l. qui autem §. fin. ff. de constit. pecun.*, vnde nuntius dicitur missus ad notificandum, non ad substantiam actus, qui geritur inter absentes *Baldus in l. falsus 10. col ff de furtis*, sicque notificata absenti commissione sibi præstita per suum principalem non potest quid amplius agere, & sicuti sibi facta commissione per suum principalem, antequam sit delata ad absentem promissarium, potest reuocari, ità postquam eidem promissario delata est, & per eundem eodem nuntio præsente acceptata, non tamen acceptatione relata ad promittentem, poterit adhuc reuocari, quià quoad acceptationem idem nuntius nihil præstat, nullumq; ius lædit sui principalis. Nihilominus

Bartolus, Baldus.

2 *Acceptata coram nuntio est irreuocabilis.* Respondeo, acceptata promittentis promissione per promissarium absentem coram nuntio ad id muneris specialitèr deputato per eundem promittentem, eandem promissionem statim fieri firmam, & irreuocabilem *Hostiensis in c. 1. col. 5. vers. facultatum de concess. prabenda in 6., & ibi Innocentius num. 6. eod. verb. facultatum, Archidiaconus in 6. super eod. vers. Antonius in proemio decret. §. Gregorius nu. 26., Siluester verb. renuntiatio q 4.*, qui omnes, licet loquantur in diuersis terminis, vel priuilegij, vel renuntiationis, extenduntur tamen ob paritatem rationis etiam ad terminos nostræ responsionis, iuxtà quos in specie, & determinatè tenet *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalibus disp. 6. num. 29.* Ratio huius responsionis ex eo deducitur, quià ex quo principalis promittens nuntium ad hoc muneris specialitèr deputauit, videtur non solum deputasse ad notificandam propriam promissionem, sed etiam constituisse quasi procuratorem, & gerentem vices proprias, vt promissionis acceptatio coram ipso facta censeatur fieri coram mittente, hocque potissimum conijcitur ex interpretatiua voluntate eiusdem constituentis, & mittentis nuntium, & etiam colligitur ex communiori DD. consensu, qui docent, quod priuilegium non prosit absenti ante acceptationem, & tamen si ille, ad quem dirigitur, priuilegium acceptet coram nuntio electo specialitèr ad deferendum eidem prosit, & valeat *Ioannes Andreas in c. 1. num. 8., & ibi Ancharanus nu. 6. de concess. preben. in 6. cum omnibus DD. allegatis in respons., Rosella verb. indulgentia num. 8., & ibi Tabiena num. 30. q. 29.*, vndè meritò *Siluester verb. matrimonium 5. q. 12.* ex doctrina Astensis apud ipsum docet notificare nuntio perindè esse, ac si notificatio fieret mittenti nuntium, & *Felinus c. si cautio num. 24. vers. primus de fid instrum.* concedit confessionem absente parte factam, quamvis regularitèr non teneat, tenere tamen, si fiat interueniente nuntio nomine absentis. Confirmari potest ex eo, quod nuntius sit specialitèr deputatus; videtur enim tunc specialitèr electa ipsius industria ad gerendas vices ipsius constituentis, sicque etiam ad acceptandam repromissionem.

Hostiensis. Innocent. Archidiac. Antonius. Siluester. Sanchez.

Constitutus est quasi Procurator. Ioannes Andræas. Rosella. Tabiena. Siluester.

Dices, si acceptatio promissionis factæ absenti per nuntium fieret coram alijs ab eodem nuntio ad hoc munus non deputatis, vtique eadem promissio posset reuocari per ipsum promittentem, antequam acceptatio ipsi esset notificata *Hostiensis in summa tit. de sponsalib. §. qualiter contrahantur, Alexander de Neuo c. dilectus de sponsalib. num. 21., Abulensis c. 29. Genesis q. 10., Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. vers. postremo tandem*, nec incongrua sanè ratione, quià sicuti promissio debet fieri sensibilis ei, ad quam dirigitur, ità & repromissio debet fieri sensibilis ipsi promittenti; non fieret autem ei sensibilis, quando repromissio non fieret coram promittente, vel alio ab ipso deputato, & sicuti ex superius dictis, si fieret coram aliquibus promissio, & nullus esset deputatus ad ipsam deferendam non obligaret, quantumvis deferretur per aliquem ad hoc munus non deputatum, ità, si repromissio fieret coram alijs à nuntio ad hoc deputato non obligaret, quantumvis promittenti innotesceret per alios, ergò etiam, si talis acceptatio promissionis fieret coram nuntio, antequam deferretur ad principalem constituentem, erit promissio per eundē promittentem reuocabilis. Sed contra, quidquid sit de antecedenti quod absolutè negant *Archidiaconus in c. nec illud 30. q. 5. n. 5., & c. fin. propè fin. de procur. in 6. Felinus cons. 40. n. 13. D. Antoninus 3. part.*

Hostiensis. Alexander de Neuo. Abulensis. Sotus.

3

Valet etiā si acceptatio fuerat etiam alijs à nuntio. Archidiac. Felinus. D. Antoni. Siluester. Henriquez

part. tit. 1. c. 19. ante §. 1. *Siluester verb. matrimonium 5. q. 12. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 2. n. 6. in coment lit. N.*, & nos etiam suprà comendauimus, & iuxtà mentem horum DD. responderi potest ad id, quod dicebatur de prima promissione facta per promittentem absenti, & non delata per nuntium ad id specialitèr deputatum, si asseratur, quod cū prima promissio sit radix, & principium contractus, debeat legitimè innotescere, cum ex illa notificatione legitima acquiratur ius absenti, sine qua non acquireretur, cum autem illa supposita iam ius sit acquisitum promissario absenti, & promittens ex vi illius se obligauerit, nec amplius remaneat liber, sequitur, quod vbicunque eidem innotuerit acceptatio, non possit amplius resilire, cum fidem suam iam obligauerit; vndè notificatio legitima primæ promissionis pertinet ad substantiam contractus, secunda autem scilicet repromissionis solum ad probationem. Quidquid, inquam, sit de illo antecedenti, neganda est absolutè consequentia proptèr eam rationem, quià, ex quo nuntius est specialitèr deputatus ad hoc munus, videtur eius industria electa ad vices constituentis sustinendas in ordine ad ea perficienda, quæ requiruntur ad complendum finem muneris, ad quod est deputatus.

4 *Satisfit rationi dubitandi.*

Ex quibus habes, quid respondeas ad rationem dubitandi supra expositam; Dic etenim in primis, quod ex voluntate interpretatiua constituentis ipsum nuntium specialitèr ad hoc munus ipse nuntius non habeat rationem nuntij quomodocunque, sed quodamodò quasi procuratoris deputati ad perficiendum id, quod ex tali munere requiritur; Deindè subdere poteris, quod deputato nuntio ad absentem in ijs, quæ sunt fauorabilia eidem absenti ipse absens facta acceptatione acquirat omne ius ad complementum promissionis; iuxtà quem sensum etiam verificatur, quod si quis etiam per nuntium mittat donum, & donatarius acceptarit irreuocabile fit, nec opus est vt mittenti de acceptatione constet, *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 6. num. 29. propè medium.*

Sanchez.

§. XXIII.

An Procurator constitutus cum iuramento de non reuocando validè contrahat sponsalia, si fuerit ante contractum reuocatus.

SVMMARIVM.

Proponitur status controuersia. 1.
Sponsalia sic contracta, stante illa reuocatione, absolutè non tenent. 2.
Reuocans mandatum contrà iuramentum sit reus periurij, si reuocet sine legitima causa, secus si cum causa sufficienti. 3.

1 *In quo sita sit vis difficultatis.*

DIsquisitio XXIII. Constituerat Fabius suum Procuratorem seruata forma iuris Theodoricum ad contrahenda sponsalia, seù matrimonium de futuro cum Berta absente, atque in eodem mandato addiderat iuramentum de eodem Procuratore sic constituto non reuocando. Re sic constituta non obstante iuramento, antequam Procurator sponsalia cōtraheret, Fabius reuocauit mandatū, quod tamen, seù eius reuocatio non fuit eidem Procuratori intimata. Contraxit Theodoricus ignorans reuocationis sponsalia nomine eiusdem Fabij, & statim exorta est controuersia, an eadem tenerent, an verò ex reuocatione posteà innotescente essent inualida, & successiuè ex suppositione, quod essent inualida, an saltem idē Fabius ratione talis reuocationis esset periurus.

2 *Illa sponsalia absolutè non tenent.* Glosa. Felinus. Sanchez. Bossius. VeraCrux. Pontius. Barbosa

Respondeo primò, sponsalia sic contracta, stante illa reuocatione, absolutè non tenere, sed inualida omninò esse, *Glosa in c. fin. de procurat. in 6. Felinus in c. si diligenti de foro compet. col. 6. & in c. cum accessissent nu. 12. de constitut. Sanchez de matrimon. lib. 2. disp. 11. nu. 8. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 3. num. 269. Vera Crux prima part. specul. art. 16. dub. 8. Basilius Pontius de matrimonio lib. 2. cap. 15. num. 12. Augustinus Barbosa tom. 2. collect. lib. 1. tit. 19. c. 9. nu. 9.* Ratio ex eo deducitur, quià sine vero, & legitimo consensu principalis constituentis procuratorem ad contrahenda sponsalia, sponsalia ipsa non possunt subsistere, siquidem ipse consensus est substantialis forma contractus, sed quandò antè eadem contracta consensus ipse est reuocatus, idem consensus non interuenit in ipsa celebratione contractus, quin potius dissensus, & consensus reuocatus perindè est, ac si non esset consensus, & ex præactis antequam contractus sit per procuratorem completus potest reuocari, *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 2. §. 2. Gutierez c. 43. num. 15. Sanchez de matrimonio lib. 2. disp. 11. nu. 13. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. nu. 272.*, qui etiam docent, quod possit reuocari per actum merè internum, quod etiam nos docuimus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. prænot. 5. sect. 7. assert. 6. per totum*; Nec obesse potest, quod in hac hypothesi interuenerit iuramentum de non reuocando; Non, inquam, obesse potest, quià iuramentum non immutat substantiam contractus, sed sequitur naturam actus, cui interponitur, & solum addit robur Religionis *l. fin. C. de non num. pecun. l. fin. de liber. caus. l. fin. C. qui satisd. cog. c. quemadmodum de iur. iur.*, nec officit quod

Henriquez Gutierez. Sanchez. Bossius.

Iuramentū non immutat substantiam contractus.

quod consensus sit, vbi re vera non est, sed fuit retractatus *Glos. in c. fin. verb. reuocatus de procur. in 6.*

Reuocatio procuratoris addit negotia etiam cum iuramento valet. Coaruuias. Gutierez. Seraphinus

Confirmari potest ex eo, quòd reuocatio procuratoris etiam ad alia negotia cōtrà iuramentum de non reuocando valet, & sortitur suum effectum, *Coaruuias in c. quamuis pactum prima part. §. 4. n. 1. & part. 2. §. 2. nu. 8. Gutierez. tract. de contract. iuram. c. 37. Seraphinus tract. priuil. iuram. priuil. 75. nu. 7.* ergò etiam reuocatio procuratoris ad sponsalia contrahenda, quantumuis fuerit iuramentum de non reuocando, tenebit, & suum effectum sortietur. Cō sequētia tenet, quià nec dispositio iuris aliquid determinatè in hoc statuit, nec natura eiusdem contractus quid speciale in hoc exigit.

3 *Reuocans sine causa fit reus periurij.* Pontius. Bossius. Glosa. Coaruuias.

Respondeo secundò. Fabius reuocando mandatum contrà iuramentum præstitum, fit reus periurij, si reuocet sine legitima causa, secus interueniente iusta causa, *Basilius Pontius de matrimonio lib. 2. c. 15. §. 2. nu. 34. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 3. nu. 271.* & quoad primam partem *Glosa in c. fin. in verb. reuocatus de procurat. in 6. Coaruuias 4. part. de sponsalibus c. 4. num. 20.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià fides data de non reuocando obligat promittentem ex fidelitate ad non reuocandum, & iuramentum additū fidei datæ sub onere violatæ religionis, ergò si nulla causa recedendi interuenerit, non erit, cur recedens non constituatur reus periurij, sicuti constituitur infidelis, quandò data fide, sine causa à promissione simplici recedit.

Est contrà fidem datam Deo de non reuocando.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià mandatum habet tacitam conditionem, vt scilicet executioni mandetur, nisi interuenerit iusta causa illud reuocandi, antequam executioni sit commissum, *Basilius Pontius lib. 12. c. 8. §. 1. num. 7.* ergò etiam si fuerit firmatum iuramento de nō reuocando, poterit reuocari, si iusta, & legitima causa interuenerit reuocandi. Consequentia probatur, quià iuramentum videtur habere tacitam conditionem, quā habet mandatum; vndè meritò Sanchez, & alij loquentes de obligatione iuramenti asserunt, quòd ille, qui promittit sub iuramento nuptias de futuro adolescentulæ diuiti, sanæ Virgini &c. non teneatur stare iuramento, si post promissionem, & iuramentum inciderit in morbum insanabilem, in paupertatem, & fornicata fuerit, vel contraxerit amentiam propter prææallegatam rationem, quià scilicet iuramentum intelligitur sub illa tacita conditione.

Iuramentum sequitur naturam mandati, quod semper est cum implicita conditione.

§. XXIV.

An, si noua causa superueniat, quæ à principio existens impedisset sponsalia, ipsa irritet.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ, & ratio dubitandi. 1.
Ex huiusmodi causa superueniente sponsalia sunt dissolubilia. 2.
Soluitur ratio dubitandi. 3.
Ex huiusmodi causa, seu inconuenienti notabili superueniente priora sponsalia non redduntur ipso iure irrita. 4.

Disquisitio XXIV. Superueniente aliqua causa, seu inconuenienti aliquo notabili, quam, seù quod alter contrahens, si cognouisset, existere à principio, vtique non contraxisset, Titius contraxit sponsalia cum Berta. Cognita posteà illa causa, seù inconuenienti contendebat Titius eadem sponsalia esse ipso iure irrita, vel saltem dissolubilia. Quæritur iam quid iuris. 1 *Status controuersiæ.*

Videtur absolutè dicendum, nec sponsalia in ea hypothesi esse irrita, nec resolubilia, quià hic non versamur in liberali promissione, sed in contractu vltrò citroque obligatorio; ad rescindendos autem contractus huiusmodi causa non sufficit, vt docet, *Sanchez. de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 72. n. 3.* quinimmò addit etiam huiusmodi causam reprobari in toto, quantumvis sit liberalis promissio. Nihilominus

Ratio dubitandi. Sanchez.

Respondeo primo, ex huiusmodi causa, seù inconuenienti notabili posteà interueniente sponsalia esse dissolubilia, *Hostiensis in summa tit. de iureiur. n. 3. Antonius c. quemadmodum nu. 13. de iureiur. Angelus verb. sponsalia n. 21., & Siluester eod. verb. q. 20. cas. 17. Maior. in 4. dist. 27. qu. 3. Nauarrus in sum. c. 22. n. 27.* Ratio esse potest primo, quià præsumpta intentio contrahentium non est se obligandi indissolubilitèr, sed se obligandi stantibus rebus in eo statu, & conditione, quo, seù qua erant in celebratione contractus, ergò, si posteà superuenerit causa, seù inconueniens notabile, quæ, seù, quod, si extitisset à principio, contractum impediuisset, erit sufficiens ratio eandem contractum dissoluendi. Consequentia probatur, quià causa, quæ primò existens est sufficiens ad impediendum contractum, superueniens non potest non esse sufficiens ad dissoluendum, cum ad hoc videatur referri interpretatiua voluntas contrahentium. Confirmari potest ex eo, quod promissio non videtur obligare ad executionem, quandò

2 *Ex tali causa sponsalia possunt dissolui.* Hostiensis. Antonius. Angelus. Siluester. Maior. Nauarrus.

Causa sufficiens ad impediendum, est etiam ad dissoluendum.

 res,

res, circà quas versatur eadem promissio, notabilitèr commutantur per textum in c. quemadmodum de iur. iur., sed in hac hypothesi ob causam superuenientem, seù inconueniens notabile supponitur interuenire mutatio notabilis, & talis, quæ si fuisset à principio, contractum impediuisset, ergò eadem promissio non obligat ad executionem, sed potius ius tribuit ad dissolutionem eiusdem.

3 *Est specialis ratio in sponsalibus proptèr summam libertatem.* Ad id, quod ex aduerso dicitur, dicendum est specialem militare rationem in contractu sponsalium, seù in promissione acceptata futuri matrimonij propter summam libertatem, quæ in eodem, seù eadem exigitur, cum ad mutuum amorem ordinentur, & ad contrahendum vinculum indissolubile, quod certè esse non potest sine plena libertate, & sine qua infelices possent timeri exitus, vt supra dictum est, quæ certè non militant in alijs contractibus.

4 *Non tamen redduntur ipso iure irrita.* Respondeo secundò. Ex huiusmodi causa, seù inconuenienti notabili superueniente priora sponsalia non reddi ipso iure irrita. Ratio ex eo deducitur, quià ille contractus in sua prima origine est omninò subsistens, cum habeat omnia requisita ad illius validitatem, consensum scilicet absolutum in actu exercito, & habilitatem in vtroque contrahente, ergò per illam superuenientem causam non redditur ipso iure irritus, quandoquidem illa causa non supponitur ex genere suo resolutiua contractus, sed tantum ius tribuere ad dissoluendum. *Illa causa non supponitur ex genere suo resolutiua contractus.* Confirmatur, quià, si post sponsalia absolutè contracta oriatur in altero contrahente deformitas, vel fornicatio, vel ex diuite factus fuerit pauper, vel quid simile eueniat, sponsalia ipso iure non irritantur, sed tantum oritur ius ad recisionem per ea, quæ supra dicta sunt, & infrà dicentur, ergò etiam, si post eadem contracta superueniat causa, seù notabile inconueniens, orietur dumtaxat ius ad dissolutionem, non autem dissolutio, seù nullitas ipso facto.

Instantia proposita, & resoluta. Dices, si quis cum errore antecedenti contraxerit sponsalia aliqui non contracturus absolutè est inualidus contractus, ergò etiam, si quis contraxit absolutè, interuenerit tamen posteà causa sufficiens, seù inconueniens, ratione cuius, si à principio extitisset, contractus non fuisset initus, reddetur absolutè inualidus ipso iure. Consequentia probatur, quià in tantum primus contractus non subsistit, in quantum in actu exercito non interuenit consensus determinatè requisitus ad validitatem eiusdem, nam si cognouisset, non contraxisset, sed hoc quoque militat in hypothesi secundi contractus, de quo loquimur, tum quià supponitur consensus implicitè conditionalitèr præstitus, si res fuerint in eo statu, quo contractus fuit initus, tum quià re substantialitèr mutata censetur ipso iure cessare consensus. Sed contra neganda est consequentia, quià in secundo contractu præstitus est consensus in actu exercito absolutè, & consequentia ad illum consensum ius tribuunt ad recisionem, non secundum se rescindunt, & irritant, vt videre est in casu superuenientis fornicationis deformitatis, paupertatis &c. *In secundo contractu interuenit consensus in actu exercito.* Deindè causa in primo contractu est antecedens, & dat causam contractui; in secundo est subsequens, & supponit iam contractum perfectum.

§. XXV.

An noua causa superueniens contractui sufficiens ad dissolutionem post moram tribuat ius ad recisionem.

SVMMARIVM.

Series facti exposita. 1.
Etiam superueniente causa dissolutionis post moram non tenetur morosus eam, respectu cuius contigit illa causa, ducere, tenetur tamen damna mora resarcire. 2.
Soluitur ratio dubitandi proposita. 3.

Disquisitio XXV. Contraxerat Fabius sponsalia cum Theodorica, & matrimonium perficere statuit intra annum, intra quem tamen non compleuit. Elapso anno Theodorica fornicata est, vel eidem notabilis mutatio superuenit. Orta hic fuit controuersia, an non obstante tali notabili mutatione teneatur Fabius eum ducere, an verò ad quid aliud. 1 *Elucidatur factum.*

Ratio dubitandi ex eo desumitur, quià si huiusmodi causa superuenerit post contractum matrimonium ipsum non dirimit, nec ius tribuit ad ipsum dirimendum, ergò etiam, si superuenerit post sponsalia iam contracta, seù post moram à tempore statuto ad contrahendum matrimoniū, eadem sponsalia non dirimet, nec ius tribuet ad eadem dissoluenda. *Ratio dubitandi, circà titulum.* Consequentia tenet, quià causa superueniens post moram contractam perindè est, ac si superuenerit post complementum contractus, siquidem mora constituit morosum in culpa, eundemq; subdit omnibus contractus oneribus, perinde, ac si contractus essent perfectè constitutus, non etenim ex sua culpa commodum aliquod referre potest, præcipuè cum mora trahat ad se periculum deteriorationis rei *Bartolus in l. qui ob rem ff. de condit. indeb., & in l. sancimus in fin. ff. de fideiuss., & in l. quod te ff. si cert. petat., & in l. item si verberatum §. si seruus ff. de rei vendic., Cinus, & Glos. in l. 1. C. quod met. caus.; & in l. si de possessione C. vnde vi.* *Non debet ex sua culpa commodum referre.* Bartolus. Cinus. Glosa.

Nihilominus

2 Respondeo etiam superueniente causa disso-

Non tenetur ducere, tenetur tamen damna resarcire Sanchez. Molina.

dissolutionis post moram à tempore præfiuito ad contrahendum matrimonium, non tenetur morosus eam, respectu cuius contigit illa causa, ducere, tenetur tamen damna resarcire, quæ ex ea mora sponsæ prouenerunt *Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 62., Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 272. vers. sunt verò nonnulla*. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià quantumvis sit dilata adimpletio promissionis ex mora alterius ex contrahentibus, adhuc tamen contractus remanet in puris terminis sponsaliũ, seù matrimonij per verba de futuro, sed sponsalia, qua sponsalia sunt, possunt dissolui superueniente in altero sponso fornicatione, vel alia causa sufficienti ad dissolutionem; nec obesse potest, si asseratur quod, quantumvis possint dissolui, quatenus sponsalia sunt, non possint tamen dissolui, quatenus cum culpa alterius interuenit mora. Non, inquam, obesse potest, quià mora non constituit contractum diuersum ab eo, qui prius fuerat initus, & licet secundum se non eximat ab onere contrahendi, quin potius fortiori oneri subdat morosum, hoc tamen intelligitur re non notabilitèr mutata, & hoc fortius onus, cui subditur, est in ordine ad damna, quæ sequuntur ex tali mora, non ad contrahendum, vbi viget causa eximens ab obligatione perficiendi promissum. Confirmatur, quià causa eximens promissorem ab adimplendis promissis post promissionem, eximit etiam ab eadem obligatione post moram, quandoquidem mora solum tribuit actionem alteri aduersus morosum, & ad compensanda damna ex mora prouenientia, ergò, si superueniente fornicatione in sponsa potest post promissionem ab illa recedere, poterit etiam post moram; Neque dicas, quod, si sponsus non commisisset moram, sed adimpleuisset promissum non posset posteà recedere etiam superueniente illa causa, puta fornicatione, deformitate, & his similibus, vt per se patet, ergò, neque poterit recedere post moram, si quidem ipse ex sua culpa illam commisit, & ea, quæ subsequuntur ad moram imputanda sunt moroso; contra enim impugnaberis, quià in primis, si loquamur de fornicatione imputanda est eidem fæminæ fornicariæ, cum mora alterius eidem ius non tribuerit ad fornicandum, sicque non est compensanda pæna moræ cum illa pæna fornicationis; Si verò loquamur de deformitate superueniente, paupertate, alijsq; similibus, dicendum est, quod quantumvis non proueniant ex culpa eiusdem sponsæ, tribuant tamen semper ius ad recisionem, donec contractum fuerit vinculum coniugale indissolubile, nec vitium alterius in mora demit ius, quod superuenit ex tali causa, quantumvis ipsum subijciat oneri soluendi interesse proueniens ex tali mora, & compensandi damna, quæ ex eadem mora proueniunt. Ratio autem ea est, quià non adimpleta promissione semper ius viget non adimplendi, quotiescunque ante tale impleméntum res est notabilitèr mutata, & posita adhuc promissione, & mora promittens, & morosus debet liberè contrahere, nec potest cogi, cum matrimonia debeant esse omninò libera, & sine plena libertate timeri possint infelices exitus; non liberè autem contraheret, si stante deformitate, ratione cuius contenderet recedere, cogeretur contrahere.

Remanent sponsalia in puro esse sponsalium.

Intelligitur re non notabilitèr mutata.

Mora solum tribuit actionem aduersus morosum ad damna.

Ius liber, donec constingat vinculum coniugale.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod per talem moram supponitur causa iniusta talium damnorum, quæ certè non orta fuissent, si ipse moram non commisisset, ergò ex iustitia tenetur eadem compensare, & sic sentit expressè *Molina d. tom. 2. de iustit. tract. 2. disp. 272. vers. sunt verò nonnulla*, sicque in mora in alijs contractibus habetur in *l. 2. ff. de eo, quod cert. loc., Innocentius in c. sacro de sent. excom., Glosa in l. curabit C. de act. empt., & in l. Iulianus §. offerri ff. eod., Abbas in c. peruenit de fideius. col. 3., & in c. constitutus eod. tit., & in l. centum Capua ff. de eo quod cert. loc.*

Supponitur ex mora causa iniusta damnorum. Molina. Innocentius. Glosa. Abbas.

3 *Soluitur ratio opposita in ratione dubitandi.*

Ad id, quod afferebatur in ratione dubitandi, patet quid dicendum sit ex superius dictis; diuersa etenim est ratio de causa superueniente post contractum matrimonij omninò completum, ac de eadem superueniente ante complementum illius; tum quià completo iam matrimonio oritur vinculum ex quocunque titulo insolubile, eodem autem non completo vinculum illud non oritur, sed ex multis causis, de quibus infrà, dissoluitur, tum quià completo iam matrimonio mulier iam constituta est per traditionem sub pleno dominio mariti, vndè si quid eidem contingat debet proprio infortunio imputare maritus eo modo, quo contingeret in perfecta emptione rei, quæ si fuerit integrè tradita emptori, eidemque post perfectam emptionem cum traditione superuenerit aliqua deterioratio, cedit quoad eandem deteriorationem ipsi emptori, qui nullum ius habet ex illa aduersus venditorem; eodem autem non completo adhuc mulier remanet sub sua potestate, nec est indissolubilitèr alligata marito, cui propterea, si superueniat aliqua notabilis deformitas, vel quid simile, eidem deformitas cedit, nec est imputanda marito, adeovt eiusdem ius lædat ad recedendum; nec in hoc eidem vxori ius aliquod tribuit mora commissa à marito, quià solum reũ constituit quoad interesse, aliaq; damna inde prouenientia, non obstringit ad contrahendum superueniente illa notabili rei mutatione. Ad illud, quod subditur ex *Bartolo in l. qui ob rem ff. de condit. indeb., &* in

Non est eadem ratio, quandò iã contractum est matrimonium, ac quandò non est contractum ex mora.

in alijs testib. supra allegatis, quod scilicet mora trahat ad se periculum deteriorationis dicendum est, hoc verificari, quandò contractus est perfectus, non autem, quando est simplex promissio eiusdem contractus, vel in alijs contractibus, in quibus posita promissione vrget necessitas contrahendi, non sic in contractu sponsalium, quo adhuc posito, requiritur plena libertas ad contrahendum matrimonium per rationes superiùs allegatas.

§. XXVI.

An conditio in se necessaria respectu nostri tamen incerta suspendat sponsalia.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.

Sponsalia secundum illam conditionem necessariam secundum se, incertam tamen quoad nos, suspendunt, eaque purificata, vel non purificata purificantur, & non purificantur. 2.

Explicatur textus in §. conditiones Instit. de verborum obligat. *vt nobis non aduersans*. 4.

1 Disquisitio XXVI. Stante dispositione causarum naturalium iuxtà ordinē ab auctore naturæ eisdem inditum necessariò pro tali, vel tali tempore euentura est Ecclipsis Solis, vel Lunæ, quæ tamen respectu nostri quandoque est incerta. Hoc supposito Titius contraxit cum Caldonia sponsalia sub hac conditione. *Contraho tecum sponsalia, si tali die Sol, vel Luna Ecclipsim patiatur*. Hic excitata fuit controuersia, an sponsalia immediatè subsisterent ante talis conditionis euentum, an verò dumtaxat ipsa purificata, an verò eadem non purificata pro tali die sponsalia euanescant.

Exponitur factum in suis terminis.

Sponsalia contracta sub conditione impertinenti, possibili tamen, & contingenti suspendi vsque ad eundem euentum, eaque purificata purificari, & non purificata extingui docuimus *sub hoc eodem titulo Contractus XIV. de sponsalib. praenot. 5. sect. 9. assert. 5.* prout etiam docent *Henricus c. fin. nu. 4. de condit. appos. Molinus lib. 1. de ritu nupt. comp. 26. num. 66. Filliutius tract. 10. cap. 1. num. 156. & alij*, vbi tamen talis conditio secundum se necessaria, licet incerta quoad nos non habuit specialem quæstionem, quam nunc ex professo examinandam assumimus, & licet *loco mox cit. assert. 4. vers. contendunt hic aliqui* dixerimus per illam conditionē *Contraho tecum sponsalia, si Antichristus nascatur, seù veneris*, nec contractum reddi conditionalem, nec suspendi, prout docent *Ludouicus Lopez secunda part. instruct. nou. materia de matrimonio c. 43. ad finem. Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 2. num. 7. vers. caeterum magis placet, Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 10. nu. 279.* Nihilominus non videtur par ratio, quandoquidem illa prima conditio de Antichristo futuro non respicit determinatum tempus, sed eundem præcisè futurum, quod est necessarium infallibiliter tanquam in sua causa in præscientia diuina, & de hac infallibilitate certè constat contrahentibus ex testimonio infallibili diuinarum scripturarum; Secunda verò conditio respicit diem determinatum, in quo licet ex causarum naturali dispositione debeat certò euenire, non tamen certò constat ipsis contrahentibus. Quamobrem

Sponsalia sub condi. tione impertinenti, & possibili suspenduntur.

Lopez. Sanchez. Bossius.

Hac conditio respicit diem determinatum.

2 Respondeo in data hypothesi casus propositi sponsalia suspendi vsque ad conditionis euentum, eaque purificata, vel non purificata purificari, vel non purificari *Sanchez de matrimonio lib. 5. disput. 2. nu. 4. Paludanus in quarto dist. 29. qu. 2. art. 5. nu. 31. ad fin.* Ratio ex eo deducitur, quià, quantumuis illa conditio spectata naturalium causarum dispositione sit necessariò euentura, respectu contrahentium est omninò contingens, cum sit incerta, sed quādò in contrahentium intentione conditio contingens est, suspendit cōtractum vsque ad conditionis euentum, per ea, quæ docuimus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. praenot. 5. sect. 9. assert. 4. vers. dixi dummodò ab ipsis contrahentibus. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 12. nu. 4. Petrus de Ledesma de matrimon. qu. 43. art. 5. dub. 2. concl. 3. Sanchez de matrimon. lib. 5. disp. 2. nu. 4.* nec incongrua ratione hoc decernitur, quandòquidem contractus regulantur ad normam intentionis cōtrahentium, ergò, si intentio eorundem limitata fuerit secundum contingentiam appræhensam conditionis appositæ, contractus iuxtà eādem purificabitur, vel non purificabitur.

Sponsalia sub hanc conditionem suspenduntur.

Sanchez. Paludanus. Henriquez. Petrus de Ledesma. Sanchez.

3 Quod si ex aduerso adducatur textus *in §. conditiones instit. de verb. obligat.* vbi sic legitur. *Quandò enim per rerum naturam certa sint non morantur obligationem, quamuis nobis incerta sint*, statim respondebitur ea, quæ in allegato textu afferuntur, procedere de conditionibus incertis quoad nos, vel de præterito, vel de præsenti, non sic de futuro, prout docent *D. Thomas in 4. dist. 29. qu. vnica, artic. 3. quaestiuncula 3. Nauarrus in manual c. 22. n. 62. vers. tertiū Gutierez de matrimonio c. 81. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. cap. 10. nu. 24.* per textum *in l. cum ad praesens 37. ff. si certo. petat. & §. conditiones Instit. de verb. obligat.* quià tūc re vera adest conditio purificata, & sic in terminis docent *Sotus in 4. dist. 29. quaest. 2. art. 1. concl. 2. Sanchez dict. lib. 5. disp. 7. nu. 2. & disp. 8. nu. 6. Laiman. lib. 5 tract.*

Ille textus procedit de conditionibus incertis vel de praesenti, vel de praeterito.

D. Thomas. Nauarrus. Sanchez. Laiman.

Hurtadus. tract. 10. c. 7. *Hurtadus de matrimonio disp. 7. difficult. 2. nu. 7.* & conditio illa apponitur in ordine ad existentiam, vel præsentem, vel præteritam, non in ordine ad notitiam eiusdem existentiæ.

§. XXVII.

An conditio secundum se impossibilis reputata possibilis à contrahentibus reijciatur, an verò vitiet contractum.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.
Sententia asserens, huiusmodi conditionem nec vitiare, nec vitiari, sed suspendere. 2.
Sententia asserens vitiari, & haberi pro non adiecta. 3.
Huiusmodi conditio non reijcitur à contractu, sed eundem absolutè vitiat. 4.
Soluuntur rationes primæ sententiæ. 5.
Soluuntur rationes secundæ sententiæ. 6.

1 *Factum expositum.* Disquisitio XXVII. Contraxerunt inter se sponsalia Titius, & Theodorica, adiecta quadam conditione secundum se impossibili, quæ tamen ab eisdem possibilis reputabatur. Hic ortum fuit dubium, an huiusmodi conditio reijciatur à contractu, sicuti reijcitur conditio simplicitèr impossibilis sine appræhẽsione possibilitatis, an verò admittatur, itaut vitiet contractum.

2 *Sententia asserens nec vitiare, nec vitiari.* Sotus. Lopez. Videtur in primis dicendum nec vitiari, nec vitiare contractum, sed eundem suspendere vsque ad ipsius conditionis euentum. *Sotus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 2. vers. per hæc indicandum. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. noui materia de matrim. qu. 43.* & ratio ex eo deduci potest, quia conditio necessaria euentura secũdum se, si tamen reputetur contingens à contrahẽtibus, suspendit cõtractũ vsq; ad ipsius cõditionis euentũ, ergò si cõditio secundũ se impossibilis, reputetur possibilis à contrahentibus eundem contractum suspendet vsque ad eiusdem effectum, qui, cum nunquam sit futurus, nunquam contractum constituet. Consequentia tenet, quia contractus tenet secundum intentionem contrahentium.

3 *Sententia asserens vitiari.* Adrianus. Paludanus. D. Antoninus. Videtur deindè dicẽdum, huiusmodi cõditionem vitiari, & per consequens eadem reiecta contractum subsistere. Ratio ex eo deducitur, quià conditio impossibilis secundum se reijcitur à contractu, *Adrianus in 4. materia de matrimonio qu. 3. dub. 7. vers. respondeo in foro iudicij, Paludanus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 2. concl. 3. nu. 72. Diuus Antoninus tertia part. tit. 1. c. 17. §. 1. paulò post princip.* ergò, quantumuis reputetur possibilis à contrahentibus, erit ab eodem contractu reijcienda. Consequentia probatur, quià quantumuis reputetur possibilis, nunquam potest purificari, sed remanet in suo statu impossibilitatis, & quamuis contractus regulentur ad normã intentionis contrahentium, eadem tamen intentio non potest constituere possibile id, quod absolutè est impossibile. Nihilominus

4 *Vitiat contractum, nõ vitiatur* Adrianus. Coaruuias. Petrus de Soto. Metina. Sanchez. Respondeo, huiusmodi conditionem non reijci à contractu, sed eundem contractum absolutè vitiare, *Adrianus in 4. q. 3. de matrimon. dub. 11. in fin. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 2. n. 5. Petrus de Soto lect. 3. de matrimon. §. quarto deniq; infertur Metina q. 23. de restitutione §. verum adhuc remanent tria dubia Sanchez de matrimon. lib. 5. disp. 3. num. 8.* Ratio potissimum ex eo deducitur, quià contractus non potest subsistere sine contrahentium consensu, cum consensus sit forma substantialis eiusdem contractus, sed adiecta conditione secundum se impossibili habita ab eisdem contrahentibus pro possibili consensus non est ad contractum simplicitèr, sed dumtaxat purificata illa conditione, cum intentio reguletur ad normam conditionis appositæ, ergò cum illa concipiatur à contrahentibus tanquam possibilis modificat consensum ad normam sui ipsius, adeoque cum ipsa non sit purificabilis, vtique vitiabit contractum. Ad hanc responsionem confirmandam maximè facit textus *in l. seruo manumisso ff. de condit. indeb.* vbi dicitur conditionem impossibilem adiectam per testatorem actui testandi, quam ipse testator possibilem reputabat vitiare absolutè eundem actum, quod idem docet *Bartolus in l. 1. n. 5. ff. eod. tit Ioannes de Immola in l. 1. n. 11. ff. de condit. instit. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 2. n. 5.*, ergò etiam conditio impossibilis adiecta per contrahentes contractui sponsalium, quam tamen ipsi contrahentes reputabant possibilem vitiabit absolutè eundem contractum, quià in testamentis similis conditio reijcitur, quæ reijcitur in sponsalibus, & matrimonio, ergò, si quià in illis reputatur possibilis à testatore non reijcitur, sed vitiat actum, etiam, quià in istis reputatur talis non reijcietur, sed inficiet contractum. Addi etiam potest, quod conditiones impossibiles, & turpes pariformitèr se habent per textum *in cap. fin. de condit. appos.*, sed quandò conditiones turpes à contrahentibus reputantur honestæ, non habentur pro non adiectis, sed vitiant per ea, quæ docet *Sanchez lib. 5. disp. 15. n. 7. Adrianus 4. q. 3. de matrimon. dub. 7. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 2. num. 6. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. nou. materia de matrimonio cap. 43.*, ergò etiam quandò conditiones impossibiles, &c.

Non subsistit contractus, nisi ad normam consensus contrahentium. *Exemplitur etiam paritate.* Bartolus. Immola. Coaruuias.

Sanchez. Adrianus. Coaruuias. Lopez.

Ad id, quod primo loco ex aduerso dicebatur

cebatur dicendum est, disparem esse rationem de conditione necessariò euentura reputata contingente à contrahentibus, ac de conditione impossibili reputata possibili ab eisdem. Ratio disparitatis in eo consistit, quod conditio illa necessaria secundum se potest, & debet purificari, & per consequens, cum habeatur pro contingenti à contrahentibus debet in ordine ad contractum iuxtà normam intentionis eorundem sic apprehendentium regulari, & tunc purificabit contractum, quandò aduenict, quià tunc perficitur intentio contrahentium; conditio verò illa impossibilis secundum se nunquam potest purificari, cum nunquam possit poni in esse, & per consequens intentio contrahentium quantumvis ad eandem referatur, vt possibilem efficere quidem potest, vt non habeatur pro non adiecta, non autem, vt nō sit impossibilis, & sic cum nequeat purificari, vitiabit absolutè contractum. Vno verbo, id, quod necessario erit potest iuxtà intentionem contrahentium regulari ad normam contingentium, ità vt tunc perficiat, quando erit; id, quod necessario non potest esse, cum nunquam sit futurum, nunquam potest perficere, adeoque contractus ipse semper remanet vitiatus.

Diuersa ratio de conditione necessariò euentura reputata contingenti, & de conditione impossibili reputata possibili.

6 Ad id, quod secundo loco dicebatur, dicendum conditionem quidem impossibilem, vt talem in se, & vt apprehensam haberi pro non adiecta, secus verò, quandò apprehenditur, vt possibilis. Ratio diuersitatis in eo consistit, quià, quando est impossibilis in se, & in apprehensione contrahentium, ius semper præsumit, quod fuerit apposita non animo suspendendi contractum, & per consequens, quod contractus fuerit purus non solum in se, sed etiam in animo eorundem contrahentium; quandò verò est impossibilis in se, possibilis tamen in animo contrahentium, tunc supponitur admitti ab eisdem contrahentibus, & ad normam eiusdem ipsorum regulari consensum, quem propterea inficit cum non possit existere; repugnat etenim, vt conditio natura sua impossibilis ponatur in esse, & sic ex tunc contrahentes manent liberi ab obligatione, cum euentum impossibilem nemo teneatur expectare.

Diuersa ratio, quandò conditio est impossibilis in se, & in animo contrahentium, ac quandò est solum in se impossibilis.

Contendunt hic aliqui, ea, quæ dicta sunt in responsione, verificari dumtaxat in hypothesi, qua contrahentes cum aliquo rationis dictamine saltem apparenti arbitrarentur conditionem illam impossibilem in se, esse possibilem, secus quandò sine aliquo rationis fundamento, & omninò imprudenter. Sed huic limitationi libentèr non acquiescerem, nisi ad summum quoad præsumptionem in foro externo, vt docent *Adrianus 4. q.3. de matrimon. dub.11. in fin., Sanchez de matrim. lib.5. disp.2. num.10.*, nam quoad forum internum animæ, semper deficit consensus, cum enim credant re vera conditionem posse euenire, non videntur consentire, nisi in illius euentum. Dixi, *nisi ad summum quoad præsumptionem in foro externo*, quià tunc Ecclesia non præsumeret contrahentes reputasse illam conditionem esse possibilem, cum nullum appareret signum prudentis credulitatis.

Limitatio quædam reiecta.

Adrianus. Sanchez.

§. XXVIII.

An conditio impossibilis, vt habeatur pro non adiecta, exigat, vt contrahentes non solum sint conscij impossibilitatis, sed etiam iuris constituentis haberi pro non adiecta.

SVMMARIVM.

Status disquisitionis exponitur. 1.
Stante ignorantia illius iuris in vtroque contrahente conditio illa, vt impossibilis cognita à contrahentibus, vitiat contractum. 2.
Etiam si sit ignorantia tantum ex parte vnius. 3.

Disquisitio XXVIII. Pontifex *in c. fin. de condit. appositis* habet hæc verba *Aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent propter fauorem eius pro non adiectis haberi*. Hoc supposito Titius contraxit sponsalia cum Theodorica sub conditione tamen impossibili non solum in se, sed etiam in mente, & animo ipsorum contrahentium, quià tamen ignorabant dispositionem illius iuris *in c. fin. de condit. appos.* decernentis huiusmodi conditiones haberi pro non adiectis, orta fuit hic controuersia, an in ea hypothesi huiusmodi conditio sic apposita habeatur pro non adiecta, eademque sublata contractus remaneat purus, an verò admittatur, & absolutè irritet eundem contractum. 1

Factum in suis terminis particularibus.

Hæc controuersia examinari potest, vel quando vterque contrahens cognita impossibilitate cōditionis appositæ fuit ignorans illius iuris habentis huiusmodi conditionem pro non adiecta, vel quando cognita ab vtroque tali impossibilitate alter erat conscius illius dispositionis legalis, alter verò illius penitus ignorans. His positis

Considerationes circà factum.

Respondeo primò. Stante ignorantia illius iuris in vtroque contrahente conditionem illam cognitam, vt impossibilem non haberi pro non adiecta, sed vitiare absolutè contractum *Metina C. de restitutione qu. 23. ante fin. §. ad cognoscendum autem., Coarruuias 4. decret. 2. part. c.3. §.2. nu.1. Alexander Carrerius lib.2. de sponsalib. c.5., Palacius lib. 6. de contractibus c.6. concl.1., & 2., Sanchez de matrim. lib.5. disp.3. num.11., & alij* 2

Stante ignorantia in vtroque viciat contractum.

Metina. Coaruuias Carrerius. Sanchez

magis

Ex genere suo huiusmodi conditiones viciant. Bartolus. Baldus.

magis communiter. Ratio ex eo deducitur, quià ex genere suo conditio impossibilis vitiat contractum *Bartolus*, *& Baldus in l. ab administratione C. de leg*, *& Baldus plenè in l. 1. app. 10. vers. sed quaero quid in contractibus C. de his, qui pan. nom.*, quod etiam verificatur in contractibus bonae fidei *Baldus in l. 1. opp. 9. vers. item nota C. de his, quae pan. nom.*, *Alexander in l. impossibilis ff. de verb. oblig.*, & quidem iuri optumo haec omnia innituntur, quandoquidem apponens talem conditionem non intelligitur assentiri, sed eandem opponere ad subterfugiendum consensum, ergò, in tantum in contractu matrimonij, & sponsalium huiusmodi conditio reijcitur, in quantum est specialis iuris dispositio in fauorem eorundem *in d. c. fin. de condit. appos.*, ergò, si huiusmodi dispositio fuerit ignorata per contrahentes perindè erit, ac si non esset, cum constitutio non obliget ignorantes *c. 2. de constit.*

Quod si dicatur, ignorantiam facti quidem praesumi; non verò ignorantiam iuris *reg. ignorantia c. 3. de reg. iur. in 6.* iminò praesumitur potius mala fides *l. quemadmodum C. de agricol.*, *& censit. lib. 11.*, *& c. qui contra de reg. iur. glosa in c. si diligenti de for. compet.*, *Bartolus*, *& Angelus in l. sed si lege §. scire ff. de pet. hared.*, vndè ignorantia iuris debet probari *l. si adulterium cum incestu §. idem Polioni ff. de adult.*, *Glosa*, *& Clem. appellanti de appel.*, nec excusat mulieres, quae potuerunt consulere peritiores *l. iuris, & ibi DD.*, *& Alexander C. qui admit.*, nec etiam rusticum *Glosa in l. 1. C. de interd. ma.*, *& in l. qui contra C. de incest. nupt.*, ergò in praesenti hypothesi haec ignorantia perindè est, ac si non esset, nisi probetur, & per consequens habebitur pro non adiecta, iuxtà dispositionem *d. c. fin. de condition. appos.*, si, inquam, hoc dicatur, statim erit impugnatio, quià in primis haec militant dumtaxat in foro externo, secundum quod attenduntur praesumptiones, non sic in foro interno, in quo nudè consideratur veritas, & sicuti ex praedictis conditio impossibilis secundum se, quantumvis sine dictamine prudentis rationis reputetur possibilis in foro conscientiae admittitur, & non reijcitur, quià supponitur dissensus, nisi purificata illa conditione, ità si conditio illa ignoratur, quantumvis crassissimè, in eodem foro non reijcietur, sed absolutè inualidabit contractum. Deindè quoad forum etiam externum ignorantia iuris etiam excusat, quando est ius non frequentatum, & dubium *Ioannes Andraas in reg. ignorantia de reg. iur. in 6.*; *Alexander in l. non fatetur ff. de confes.*, *Couaruuias in 4. decret. 2. part. c. 8. §. 1. num. 9.*, ius autem, de quo loquimur, valdè dubium est, cum DD. in varias traxerit, easq; inter se discordantes opiniones, & ignorantia iuris de aequitate

Quod ignorantia iuris non praesumatur habet locum tantùm in foro externo.

Ioannes Andraas. Alexander Coaruuias.

canonica toleratur *Baldus in l. iubemus C. de sacros. Eccl.*, *Alexander in l. non fatetur ff. de confes.*

Baldus; Alexander

Respondeo secundò. Etiam stante ignorantia ex parte vnius dumtaxat ex contrahentibus, quantumvis ab vtroque sit cognita impossibilitas conditionis, conditio illa non habetur pro non adiecta, sed absolutè vitiat contractum *Adrian. 4. quaest. 3. de matrim. dub. 11. ad fin.*, *Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 3. num. 12.*, quibus videntur, licet non ità clarè adhaerere *Metina C. de restit. qu. 23. ante fin. §. ad cognoscendum*, *Couaruuias 4. decret. part. 2. c. 3. § 2. num. 1.* Ratio facilè ex eo deducitur, quià sponsalia consistunt in mutuo vtriusque contrahentis consensu, sine quo non perficiuntur, sed quando est ignorantia ex parte vnius illius dispositionis *in d. c. fin. de condit. oppos.* respectu eiusdem non est consensus, sed potius dissensus, ergò non erit contractus sponsalium perfectus, sed claudicans ex vna parte, adeoq; &c.

3 *Etiam si sit ignorantia tantu ex parte vni°.* Sanchez. Metina. Coaruuias.

§. XXIX.

An non constante de intentione contrahentium conditio impossibilis habeatur tanquam irrisoria, an verò apposita cum animo consentiendi.

SVMMARIVM.

Status controuersia exponitur. 1.
In dubio praesumendum est in fauorem sponsalium in sensu absoluto, ac proindè habetur pro non adiecta. 2.
Procedit, quando dubium est aequilibro, si enim praeponderarent rationes pro negatione animi contrahendi praesumendum esset pro inualiditate contractus. 3.

Disquisitio XXIX. In celebratione contractus sponsalium Titius, & Caia addiderunt conditionem quandam ex natura sua impossibilem. Non apparet de conditionis illius impossibilitate, nec de ignorantia, vel cognitione iuris *in d. c. fin. de condit. appos.*, & per consequens dubium est, an illam conditionem apposuerint cum animo consentiendi, an potius irridendi, seù quod idē est, an assenserint in sensu absoluto perindè, ac si illa conditio non fuerit apposita, an in sensu conditionato perindè, ac si illa esset apposita, vel tanquam possibilis cognita ab ipsis contrahentibus, vel cum ignorantia iuris habentis illam pro non adiecta. Quaeritur iam quid in illa suppositione sit praesumendum. 1

Quomodo accipiendus sit titulus.

Respondeo, praesumendum esse in fauorem sponsalium, seù matrimonij futuri esse appositam in sensu absoluto, ac proindè, quod habeatur pro non adiecta, 2

Habetur pro non adiecta.

Metina

Metina, Palacios. Adrianus. Sotus. Henriquez

Metina C. de restit. qu. 23. §. respondeo saluo meliori iudicio, *Palacios lib. 6. de contract. c. 6. ad fin. in solut. ad 4.*, *Adrianus in 4. qu. 3. de matrim. dub. 7.*, *Sotus in 4. dist. 29. q. 2. vers. ad propositum ergò*, *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 12. nu. 5.* Ratio ex eo deducitur, quià in dubio regularitèr præsumendum est in fauorem matrimonij per textum *in l. fin. de sent. & re iudic.* & licet communitèr dicant Doctores, hæc verificari in ordine ad matrimonium, cuius fauor potissimum attenditur ab Ecclesia ad euitandum scilicet periculum animæ, ne per statuta hominum separentur legitimè coniugati, qui apud Deum sunt legitimè coniuncti; non video tamen, cur verificari etiam nequeant in ordine ad sponsalia, cum eorum causa etiam sit fauorabilis, & sint quodammodò initium eiusdem matrimonij, quæ propterea sicuti metiuntur iuribus matrimonij, ità metiri debent eiusdem priuilegijs, & licet in eisdem non vertatur periculum animæ, sicuti in matrimonio, quià in illis non est illa coniunctio inseparabilis, quæ est in eodem, nihilominus cum illa tribuant ius ad illam coniunctionem inseparabilem futurã, videntur trahere etiam illum fauorem, cũ fauorabilia sint extendenda.

Causa sponsalium est etiam fauorabilis.

Hæc, quę diximus, procedunt solummodò, quandò dubium esset æquilibre pro vtraque parte, si enim supponas, militare coniecturas validiores, quòd illa conditio fuerit apposita absq; animo contrahendi, tunc certè in foro externo nec matrimonium, nec sponsalia subsistent, *Seraphinus Caietanus in Sacrament. Neapolit. quæst. 46. de matrim. concl. 8.*, *Bartholomæus de Ledesma dub. 21. de matrimon. concl. 7.*, *Palatios lib. 6. de contract. c. 6. concl. 4.*, *Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 3. nu. 16.* Ratio huius limitationis ea est, quià ex illis coniecturis fortius euincitur intentio contrahentium de non contrahendo, nisi supposità illa conditione, & vbi coniecturæ militant prò dissensu iam in foro externo non est dubia mens contrahentium, cum coniecturæ causas decidant *Bartolus in l. voluntatis in vlt. col. vers. quæro si statutum C. de fideic.*, & coniectura dicitur argumentum à contrario sensu *Glosa, & Doctores in l. apud antiquos in verb. coniecturam C. de furt. textus in l. 2. ff. si ta. test. ext.* Hinc in sponsalia si contrahens expræssè dixerit, se nolle consentire, nisi prius illa conditione adiecta purificata, iam non est dubium, quod defectu consensus contractus ille non subsisteret, & per consequens illa conditio admitteretur, quod etiam intellige, si inter ipsos contrahentes maxima fuerit disparitas, tunc etenim ioco præsumitur apposita illa conditio, & non cum animo se obligandi.

3 *Extantibus coniecturis validiorib⁹ pro negatione voluntatis contractus esset nullus.* Stephanus. Caietanus. Bartolom. à Ledesma. Palacios. Sanchez. Bartolus.

§. XXX.

An soluens pœnam promissam in sponsalibus, vel sciens se non teneri, vel ignorans dispositionem iuris, possit eam repetere.

SVMMARIVM.

In quo sensu accipiendus sit titulus. 1.
Si soluerit sciens, se non teneri soluere, non potest iustè repetere. 2.
Si soluerit ignorans illius dispositionis legalis potest iuste repetere. 3.
Proponitur obiectio, & soluitur. 4.

DIsquisitio XXX. Celebratis sponsalibus Titij cum Caja, adiecta fuit pœna propria solutionis centum aduersus eum, qui ab eisdem recederet, & contenderet non perficere tempore præfinito per verba de præsenti matrimonium. De facto recessit Titius, & aliam duxit per verba de præsenti, & pœnam conuentam soluit Caiæ, vel fortè sciens se non teneri, vel ignorans dispositionem iuris se eximentis ab onere soluendi. Quæritur iam, an iustè possit repetere pœnam solutam tanquàm indebitam, an verò recipens possit iustè retinere. 1

Exponitur factum.

Respondeo primò: *Si soluerit sciens, se non teneri soluere, non potest iustè repetere, sed receptor potest iustè retinere.* *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 11. nu. 452.* Ratio ex eo deducitur, quià tradens titulo translatiuo dominij, sciens se non teneri tradere, supponitur tradere per gratuitam donationem, vndè emanauit regula iuris, *Cuius per errorem dati repetitio est, eiusdem consultò dati donatio est*; nec hæc datio tribuenda est stultitiæ, nam sanæ mentis compos supponitur, & vnusquisque rerum suarum est moderator, & arbiter, & potest pro suo libito de illis disponere, nisi lex obsistat, vel conuentio prohibeat; nec obstare potest, si asseratur, quod supposito contractu oneroso præcedenti, intuitu cuius fit illa traditio, nunquam præsumatur donatio, cum si ille cõtractus non extitisset, illa solutio, seù traditio facta nõ fuisset; Non, inquam, obstare potest, quià, cũ fuerit in plena sua libertate soluere, & non soluere, & sciuerit se non teneri soluere, vtique ex mera libertate, & solo gratuito animo præsumitur persoluisse; nec obstat contractus ille præcedens, cum ille vim non conferat ad soluendum, sed solummodò fuerit occasio illius gratuitæ solutionis, seù liberalis donationis eo modo, quo contingere potest in seruo ab aliquo domino conducto ad obsequia personalia, cui si ex occasione famulatus aliquid vltrà mercedem contulerit,

2 *Soluens sciens se teneri non repetit.* Fossius.

Præsumitur transferre libera donatione.

rit, supponitur ex merâ beneficentia contulisse, non vt pretium laboris, neque in compensationem contractûs præcedentis, licet occasione eiusdem, cui tamen non contulisset illud superexcedens mercedem, nisi tali famulatui fuisset addictus.

3 *Ignorans potest iustè repetere. Mascardus Bossius.*

Respondeo secundò. Si soluerit ignorans illius dispositionis legalis, seù iuris sibi competentis ex illa potest iuste repetere pœnam solutam, *Gutierez de matrim. c.17.n.16., Mascardus de probat. concl.555.n.1. & seqq., Ioannes Angelus Bossius de matrimonii contract. c.11. n.454.* Ratio ex eo deducitur, quià soluens ex aliquo contractu præcedenti ignorans se non teneri soluere supponitur soluere ex vi promissionis, per quam se obligauit in illo contractu, ergò, cum soluerit ex illo titulo, quo non tenebatur eximente cum iure ab onere solutionis, poterit iustè tanquam indebitè solutum repetere. Confirmatur primò, quià ignorans non est liberè consentiens, quià libera voluntas non potest esse sine præcedenti cognitione eius, in quod tendit, vt suppono ex quæstionibus de actibus humanis, sed donatio esse non potest sine libero consensu donantis, siquidem prouenire debet ex plena libertate, ergò illa solutio supponi non potest esse ex donatione, ergò ex titulo præcedenti, ex quo soluens supponitur obligatus; ille autem titulus, cum sit ex causa indebita, nec est obligatorius ad solutionem, nec eximit à iure repetendi, si posita fuerit solutio, cum sit solutio indebiti. Confirmatur secundò, quià in dubio donatio regulariter nô præsumitur per textus *in l. Campanus ff. de oper. libert. l. cum de indebito verf. qui enim soluit ff. de probation. Mascardus de probat. concl.* 555. *n.* 5. vbi asserit potius præsumi pro errore, quam pro donatione, quod præcipuè verificatur, quando solutio ponitur ex præcedenti causâ onerosa, sine qua absolutè non solueret.

Ignorans non est consentiens.

In dubio donatio nô præsumitur

4 Neque audiendi sunt, qui asserunt, dispositionem iuris *in l. Titia ff. de verb. oblig. & l. fin. C. de sponsalib., & c. gemma de sponsal.* adeò notam esse, vt vix præsumi posse videatur de eiusdem ignorantia saltem stando in foro exteriori; Non, inquam, audiendi sunt, quià vbi ponitur factum noxium illud exercenti ex eodem sufficienter conijcitur ignorantia; non enim præsumendum est, quemquam actûs sibi noxios elicere, si cognosceret posse non elicere; cum igitur ponat illam solutionem, quæ secundum se est indebita stante dispositione iuris, vtique præsumi debet illam ponere ex errore, & ignorantia, quod præcipuè procedit in materia pœnali, & per hoc respondetur etiam ad id, quod dicitur *in l. quod te mihi, & ibi communiter Doctores ff. si cert. petat.*, & in regulis generantibus, quod paria sint scire, vel scire debere, & quod ignorantia iuris neminem excuset; respondetur, inquam, hæc non subsistere in materia pœnali, in qua requiritur scientia certa, nec sufficit præsumpta, prout docent expressè, *Mascardus de probat. concl.* 155.*n.*1., *& sequent., Gutierez de matrimon. d.c.17. n.17., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.11. n.455.*, nec incongrua sanè ratione, quandòquidem non præsumitur donatio, vbi apparet de obligatione aliqua pœnali præcedenti, nam ibi potius præsumitur pro errore, quam pro donatione, & potius procedere ex stultitia, quam ex benefica largitate.

In facto noxio exercenti præsumitur ignorantia.

In materia pœnali requiritur certa scientia. Mascardus Gutierez. Bossius.

§. XXXI.

An in sponsalibus possit imponi, & exigi pœna ratione interesse.

SVMMARIVM.

Exponitur facti series. 1.
Sententia asserens posse exigi interesse lucri cessantis, & damni emergentis. 2.
Secunda sententia negans absolutè posse exigi. num. 3.
Tertia asserens posse exigi ratione damni emergentis, non lucri cessantis. 4.
Hæc tertia sententia præfertur. 5.
Satisfit rationibus pro secunda parte adductis. num. 6.

DIsquisitio XXXI. Initis sponsalibus inter Meuiam, & Caium non fuit quidem adiecta pœna compellens ad complementum contractus per verba de præsenti, quæ sit propriè pœna, sed tantum fuit dictum, quod, si quis ex ipsis recederet; compensaret interesse, in quantum interest alteri, quod matrimonij contractus non fuerit completus ex culpa illius, qui recessit; hocque adiectum fuit, quià valdè intererat alteri, quod non dissolueretur contractus eo, quià alter erat locupletissimus, nec alter ita locuples poterat inueniri. Hic quæsitum fuit, an huiusmodi pœna non quidem sub nomine, & ratione pœnæ, sed sub ratione interesse posset imponi, & iustè exigi.

Exponitur casus in terminis particularibus

2 Circà hoc quæsitum in varias abiere DD. sententias, inter quas tres inuenio, duas extremè oppositas, alteram quasi mediam. Prima docet posse imponi, & exigi interesse siuè ratione lucri cessantis, siuè ratione damni emergentis eo, quià hoc prouenit innocenti ex iniusto recessu alterius *Glosa in l. Titia in princip. verb. matrimonia ff. de verb. obligat., Cardinalis in c. gemma de sponsalibus num.3. qu.* 4. Secunda asserit, nec posse imponi, nec exigi, siuè ratione lucri cessantis, siuè ratione damni emergentis eo, quià per illam impositionem, & ius exactionis læditur quodamodo

Sententia asserens posse exigi interesse siuè lucri cessantis, siuè damni emergentis. Glosa. Cardinalis

3 *Secunda sententia negans absolutè posse exigi.*

Dd liber-

libertas matrimonij, nam timidior redditur sponsus ob solutionem interesse ad recedendum à sponsalibus *Hostiensis in summa tit. de sponsalib.* §.1. *num.*2., *Bartolus in d. l. Titia in princip. num.*3. *ff. de verb. oblig.*, *Rosella verb. sponsalia num.*7., *Ioannes Andreas c. gemma num.*7. *de sponsalib.* Tertia tandem docet posse imponi, & exigi interesse consistens in damno emergenti, non tamen in lucro cessante. *Dinus in d. l. Titia in princip. ff. de verb. oblig.*, *Baldus in l. sponsalia nu. vnico ff. de sponsalib.*, *Præpositus in d. c. gemma num.*12. *de sponsalib.* Quid igitur in hac re concludendum?

Hostiensis. Bartolus. Rosella. Ioannes Andreas.

4 Respondeo cum tertia hac opinione, posse imponi, & exigi interesse damni emergentis, vt si sponsus ratione sponsalium expensas fecerit, non sic interesse lucri cessantis, ità præter DD. præallegatos *Salicetus in l. fin. num.*9. *C. de sponsalib.*, *Antonius c. gemma num.*9. *de sponsalib.*, *Sanchez de matrimon. lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 30. *num.*15. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ille, qui promisit matrimonium futurum in contractu sponsalium fidem suam obligauit ad illud contrahendum, posteà recedendo sine legitima causa illam violat, sed iniustus fidei violator tenetur interesse damni emergentis alteri compensare, etiam si ea promissio adiecta non esset in celebratione contractus, ergò &c. Minor probatur, quià iniustè recedens à quocunque alio contractu tenetur ad huiusmodi interesse nemine prorsus discrepante, ergò &c. Neque obesse potest, si asseratur, stipulationem illam de soluendo interesse pro damno emergente esse in iure damnatam, cum aliquam vim inferat aduersus recedentem, ne recedat, sicque quodamodò violat libertatem matrimonij futuri. Non, inquam, obesse potest primò, quià huiusmodi onus ex naturà sua videtur implicitè inesse contractui, & stipulatio illa aliud non addit supra illud onus, nisi expressionem; conditiones autem, quæ ex natura sua insunt contractui, nec vitiant, nec vitiantur per superius allegata, & probata. Secundò, quià iura quidem decernunt, ne ad impediendum libertatem matrimonij apponantur conditiones, quæ sint supra iura partium, non autem conditiones, quæ seruent partium earundem indemnitatem, sicque stipulationes pœnales irritant, non autem tollunt ius ad exigendam compensationem illius damni, quod ex alterius culpa, alteri subsecutum est: *Sanchez d. lib.* 1. *de sponsalib. disp.* 30. *num.* 15. *in fin.* Confirmatur, quià interesse damni non est propriè, & in rigore pœna, sed potius debitum iustitiæ; non enim æquum est, vt quis ex alterius culpa damnum sortiatur, maximè dum agit in virtute contractus præcedentis. Ratio secundæ partis ex eo deducitur

Tertia asserens posse exigi ratione damni emergentis non lucri cessantis.

5 Salicetus. Antonius. Sanchez.

Iniustus fidei violator tenetur ad interesse damni emergentis.

Stipulatio aliud non addit nisi expressionē.

Interesse damni non est propriè, & in rigore pœna.

(Consistit autem præcisè, & præcipuè hoc lucrum cessans in eo, quod ille, à quo receditur, amittit ius ad diuitias, aliasque qualitates, quas acquireret, si contractus ille non dissolueretur) quod innocens non habet ius ad illud lucrum, illasque qualitates, nisi matrimonio iam contracto, ergò non potest exigere illius compensationem eodem matrimonio non contracto, & si petat antecedenter, & exigat, iniustè petit, & exigit. Confirmatur primò, quià, si contractis sponsalibus apponatur aliqua pœna propria consistens in diminutione patrimonij respectu illius, qui recedit illa pœna est absolutè inualida *Couaruuias de sponsalibus part.*2. *c.*3. §.7. *num.* 5., *Augustin. Barbosa collect. ad c. gemma de sponsalib. num.*2., alijque DD. communiùs allegati *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. prænot.* 5. *sect.*10. *assert.*1. per rationes etiam ibidem adductas, ergò etiã si apponatur onus compensationis illius lucri cessantis erit tale onus absolutè inualidum, nec obligatorium. Consequentia probatur, quià illa compensatio cum sit de iure indebito, nisi sit completum matrimonium, habet potius rationem pœnæ, quam iustæ compensationis, vt per se patet. Confirmatur secundò, quià contractis sponsalibus non potest quis compelli ad celebrationem matrimonij sub pœna amissionis dotis, nam hæc est pœna propriè sumpta consistens in priuatione patrimonij, ergò, nec poterit compelli ad celebrationem eiusdem sub pœna compensationis lucri, quod alter acquireret, si matrimonium compleretur. Consequentia probatur, quià illa compensatio lucri esset pro dote, quam amitteret, dum non celebratur contractus.

Non habet ius ad illud lucrū, nisi consūmato matrimonio.

Couaruuias. Barbosa.

esset propriè pœna.

6 Quamobrem ex ijs facilè responderi potest ad ea, quæ dicebantur pro secunda opinione, nempè illam timiditatem, si quæ esset, soluendi interesse pro damno emergente prouenire ex motiuo intrinseco orto ex natura contractus non ex extrinseco, cum insit ipsis sponsalibus, & sic natura cuiuscunque contractus, vt recedens ab illo iniustè, & sine legitima causa teneatur ad compensationem damni alteri emergentis ex illo iniusto recessu; vndè non est propriè pœna recessus, nec potest exigi ratione stipulationis pœnalis, sed ratione iniustitiæ, quam alter committit recedendo sine legitima causa, nec iura vetant fieri compensationem eorum, quæ quis patitur ex alterius iniustitia.

Satisfit rationibus secunda opinionis.



§. XXXII.

§. XXXII.

An pactum adiectum in sponsalibus, vt vir teneatur moram trahere in certo loco, & si non trahat soluere certam pœnam obliget, & an tunc vxor teneatur, eum sequi, quocunq; migrauerit.

SVMMARIVM.

Titulus exponitur in determinata causa. 1.
Tale pactum in iure non reprobatur, adeoque obligat. 2.
Excipe, nisi interueniret iusta causa habitandi alibi. 3.
Si recederet à tali loco nulla interueniente iusta causa teneretur ad pœnam. 4.
Si recederet sine iusta causa alter non teneretur illum sequi. 5.
Si recederet cum iusta causa teneretur sequi, nisi alia causa excusaret. 6.

1 DIsquisitio XXXII. Contraxerant inter se sponsalia Titius, & Theodorica ea adiecta inter se conuentione, & pacto, vt Titius teneretur moram trahere in hac Ciuitate Mediolani, & si non traxerit lueret certam conuentam, & determinatam pœnam. Quæritur iam primò, an, si Mediolano recedat, teneatur pœnam conuentam persoluere. Secundò, an in ea hypothesi Theodorica teneatur eundem Titium sequi quocunque migrauerit.

Ratio dubitandi potissimũ desumitur ex *l. Titio centum* §. *Titio centum ff. de conditionibus, & demonst.* vbi sic legitur. *Titio centum relicta sunt, ita vt à monumento meo non recedas, vel vt in illa ciuitate domicilium habeas, potest dici non esse locum cautioni, per quam ius libertatis infringitur*; ex quo textu sic arguitur. Non valet conditio legato adiecta, vt legatarius teneatur in certo loco permanere, eo quod adimitur libertas permanendi quocunq; voluerit, ergò neque etiam valere poterit conditio adiecta sponsalibus, per quam quis obligetur permanere in certo, & determinato loco, cum per illam restringatur potestas immorandi, vbicunque sponsus voluerit, ex quibus deducunt *Alexander de Neuo c. 1. num. 9. de coniug. seruor. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 7. incl. n. 5. Antonius Gomez. 2. var. c. 10. num. 24.* nec pactum, nec pœnam obligare, adeoque vxorem teneri sequi virum quocunque migrauerit. Nihilominus,

Ius tribuens rationem dubitandi.

Alexander de Neuo. Coaruuias Gomez.

2 Respondeo primò, tale pactum non improbari in iure, adeoque subsistere. *Hostiensis in summa tit. de coniug. seruor. n. 5. in fin. Henricus cap. de illis nu. 4. de sponsalib. Rosella verb. vxor. n. 3. Antonius Cucus lib. 5. institut. maior. tit. 11. nu. 15. Phyliarcus de offic. sacerd. tom 1. part. 2. lib. 4. c. 19. Manuel 1. tom. summæ c. 15. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quia huiusmodi pactum non adimit libertatem in ordine ad contrahendum, & non contrahendum, sed solumodò modum præscribit, quo possit conseruari indiuidua comitas, & cohabitatio inter coniuges, sed per iura *in d. c. gemma de sponsalib., & in l. Titia ff. de verb. oblig.* vetantur solumodò pacta, & conditiones adimentes libertatem in ordine ad contrahendum, vel non contrahendum matrimonium; Neq; dicas, spondentem posse retrahi à matrimonio, ne obstringatur certæ habitationi in loco determinato, & amittat libertatem habitandi, vbicunque voluerit, sicuti potest retrahi, ne quid ex pacto conuentum teneatur soluere: æquè enim libertas videtur pretio æstimabilis, ac pecunia ipsa; contra enim impugnaberis, quià habitatio in certo loco conuento est maximè conformis conseruationi indiuiduę vitæ, quam tenentur seruare ex vi matrimonij ipsi coniuges, neque hoc ex genere suo inducit aliquam pœnam distinctam ab eo, quod exigit, licet non ità strictè, ipsum coniugium, quod, sicuti obstringit ipsos coniuges ad indiuiduam vitæ rationem, ità videtur quodamodò obstringere ad ea, quæ ad eandem conducunt, nisi aliud necessitas postulet, & sicuti possunt conuenire, vt simul cohabitent, quià hoc spectat ad commoditatem eiusdem coniugij, ità non est, cur non possint conuenire de habitando in determinato loco; nec valet paritas de conuentione pecuniæ soluendæ, quia hæc habet rationem præcisè penæ, nec ex se ordinatur ad illam indiuiduam vitæ rationem, quam seruare tenentur coniuges.

Hostiensis. Henricus. Rosella.

Pactum illud validum est.

Cucus. Phyliarchus.

Nõ adimit libertatem, sed modum perscribit.

Cohabitare in certo loco est maximè conforme iuri coniugij.

Confirmari potest responsio, quià in concessione rei suæ potest quilibet pactum interponere. dumodò non aduersatur naturæ talis concessionis, & bonis eius per textum *in c. verum de condit. apposit., & in l. 1. C. de pactis*, ergò etiam poterit interponere pactum in concessione sui corporis, sed habitatio in certo loco non aduersatur naturæ matrimonij, nec bonis eius, nec libertas adimitur in ordine ad matrimonium; nam, sicuti positis præcisè sponsalibus non potest compelli ad contrahendum matrimonium, ità etiam posito illo pacto adiecto eisdem sponsalibus de habitando in tali loco non poterit compelli, ex quo etiam patet discrimen inter sponsalia adiecta pœna soluendi pecuniam, & inter eadem adiecto pacto habitandi in certo loco, nam si recedat à sponsalibus teneretur luere illam pœnam, quam propterea iura irritarunt, si verò recedat à sponsalibus non teneretur habitare in illo loco, sicque si liberè consentit

Liberè consentit habitationi in tali loco, sicuti liberè consentit sponsalibus

matrimonio libero etiam consentit habitationi in illo loco conuento.

Limita tamen responsionem, vt non procedat, quandò superueniret iusta causa, seù necessitas alibi habitandi, vt si maritus in tali loco ob aeris inclementiam subesset morbis, vel rixas noxias contraxisset; tunc etenim spreto pacto, posset aliò migrare per textum *in l. si conuenerit ff. pro socio*. Ratio est, quià semper supponitur illud pactum adiectum cum tacita conditione implicita, nisi necessitas, vel iusta causa aliud suadeat.

3 *Pactum semper intelligitur cum tacita conditione.*

Ad rationem dubitandi, quæ excitatur *ex d. l. Titio centum ff. de condit. & demonst.* dicendum est, paritatem ibi adductam non subsistere, quandòquidem ille textus procedit in suppositione, quandò illa conditio in nullius fauorem cedat, quæ propterea tanquam vana reijcitur, sicque nec pactū, nec pœna obligat; responsio autem procedit de conditione, quæ supponitur cedere in maximum vxoris fauorem, & coniugij, prout notat *Sanchez d. lib. 1. de spons. l. 6. disp. 40. num. 2. vers. tertia quia in d. l. Titio centum.*

Soluitur ratio dubitandi.

Sanchez.

Respondeo secundò. Si Titius nulla intercedente iusta causa recedendi pactū violaret recedendo, teneretur ad pœnam, per illam conuentionem adiectā, *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 40. nu. 1.* qui pro se citat, & refert Doctores plurimos. Ratio ex eo deducitur, quià illud pactum absolutè tenet, nec reprobatur à iure per superiùs allegata, & probata, ergò nō est, cur tenere non debeat pœna adiecta in securitatem, & firmitatem eiusdem pacti. Consequentia probatur, tùm quià supposita honestate pacti non aduersantis naturæ, & bonis matrimonij, non est, cur idem pactum non possit firmari iuramento, & stipulatione pœnali, tùm quià nullibi in iure reprobata reperitur talis pœna; nec obstat, si asseratur licitum, & honestum esse pactum, quo contrahentes se obligant ad matrimonium futurum, nec tamen tale pactum firmari potest stipulatione pœnali, quæ propterea, si adijciatur, habetur pro non adiecta; ergò etiam quantumuis illud pactum de habitando in certo, & determinato loco sit licitum, & honestum, non propterea poterit firmari stipulatione pœnali; Non obstat, inquam, quià prima pœnalis stipulatio aduersatur libertati requisitæ ad matrimonium, & expræsè in iure reprobatur; secunda autem nec eiusdem libertati opponitur, nec vllibi reprobata reperitur, *Tiraquel. lib. 1. connub. glos. 1. part. 1. nu. 39., Perez lib. 4. ordinat. tit. 11. l. 29.*

4 *Recedendo sine iusta causa tenetur ad pœnam.*

Sanchez.

Supposita honestate pacti non repugnat illi adiuncta.

5 Respondeo tertiò. Si Titius, nulla intercedente legitima causa, nonobstante illo pacto adiecto, recesserit ab illo loco, in quo conuenit permanere, Theodorica non tenetur illum comitari, *specul. conscientiæ tract. 2. c. 36. §. 1., Pedraza 6. præcep. §. 17., Manuel. primo tom. summæ c. 15. nu. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià stante illo pacto, quod validum, & honestum probatū est in præcedentibus, Theoderica ius acquisiuit, vt Titius secum moraretur in tali determinato loco, ergò, si iste recedendo fidem non seruauerit, illa immunis erit ab onere eum commitandi, non enim fidem sibi frangenti, tenetur fidem seruare contrà ius, quod acquisiuit ex valido, & legitimo pacto. Nec obesse posset, si asseratur, præceptum diuinum præualere debere cuicunque iuri humano; lex autē diuina adstringit vxorem ad sequendum virum, vt indiuidua vitæ ratio inter coniuges seruetur. Non, inquam, obesse potest, quià licet regulariter lex diuina obstringat ad talem indiuiduam vitæ rationē, in determinatis tamen casibus non obligat, nam licet vinculum coniugale non possit dissolui, cum ex genere suo sit insolubile, vinculum tamen quoad torum, & mutuam cohabitationem potest tolli, vel per diuortium in causis à iure statutis, vel per mutuum contrahentium consensū, in hac autem hypothesi ex eo, quòd Theodoricus per expressam conuentionem spoponderit cohabitare in tali loco videtur implicitè, & liberè ius alteri tribuisse, & quotiescunque ipse sine causa recesserit à conuentione, & cohabitatione in tali determinato loco, posset ipsa in tali loco permanere, & sic ius illius cohabitationis mutuo consensu dissoluitur. Dici etiam potest, quod sit iusta causa separationis non obseruantia conuentorum, si hæc fuerint iusta, & honesta.

Alter non tenetur recedentem sine iusta causa sequi Speculum, Pedraza. Manuel.

Fragmenti fidem fides non est seruanda.

Vinculum quoad torū dissoluetur quasi mutuo consensu.

Si verò supponas, quod ex iusta causa superueniente Titius recesserit, tunc non obstante tali pacto Theodorica teneretur eundem comitari, nisi etiam ex parte eiusdem vrgeret causa iusta, & rationabilis non comitandi, *Hostiensis in summa tit. de coniug. seruorum nu. 5. in fin., Rosella verb. Vxor. num 3. & ibid., Angelus nu. 9., Bernardus Diez reg. 800., Antonius Gabriel. tom. 2. commun. lib. 14. verb. pactum; & lib. 19. verb. vxor, Manuel. primo tom. summæ c. 15. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià vrgente legitima causa ex parte eiusdem Titij recedentis pactum illud non obligat, & perindè se habet, ac si non esset appositū per superiùs allegata, & probata, sed nullo interueniente pacto vxor tenetur sequi maritum aliò comigrantem, quandò legitima causa ex parte vxoris non militat, quæ eximat eandem ab onere sequendi, cùm maritus sit caput familiæ, ad quod trahuntur cætera membra inferiora, ergò vrgente ea legitima causa ex parte Titij recedendi, tenebitur eadem vxor eundē sequi *Paleaz de Meres de maior. prima part. qu. 57. nu. 4.*

6 *Recedentē cum iusta causa tenetur sequi* Hostiensis. Rosella. Angelus. Diaz. Gabriel. Manuel.

Paleez.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

An modus honestus, & possibilis pendens à voluntate tertij suspendat contractum sponsalium.

SVMMARIVM.

Series facti exposita. 1.
Sententia asserens per illum modum honestum, & possibilem sponsalia suspendi. 2.
Modus ille honestus, & possibilis relatus ad alterius arbitrium nullo modo suspendit contractum. 3.
Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. 4.

1 *Factum in suis termi nis.* Disquisitio XXXIII. Contraxerant adinuicem Caia, & Meuius hac forma concepta sponsalia, secundum quam Meuius dixit Caiæ: *Contraho tecum, vt Patri tuo placeat.* Hic excitata fuit controuersia, an per talem modum sic appositum dependentem à tertij voluntate, & arbitrio intelligatur suspensus ille contractus vsque ad beneplacitum Patris. Modum appositum dependentem à voluntate ipsorum contrahentium obligare, & non suspendere contractum latè docuimus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. praenot. 5. sect. 11. Assert. 4. per totum*, & tradunt etiam *Paludanus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3. concl. 7. num. 22., Siluester verb. matrimonium 2. qu. 12., Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 19. num. 9. vers. quarè dicendum est*, *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 10. num. 207.*, quare tota difficultas reducitur ad possibilem modum, & honestum dependentem ab alterius arbitrio. (Paludanus. Siluester. Sanchez. Bossius.)

2 *Sententia asserens contractum suspendi.* (Hostiensis. Ioannes Andreas.) Qua in re *Hostiensis c. de illis in fin. de condit. appositis, & ibi Ioannes Andreas num. 3.*, docent per illum modum dependentem ab alterius arbitrio suspendi contractum ea fortasse moti ratione, quia ille modus æquiualet conditioni, quæ cum ex genere suo sit possibilis, & honesta suspendit contractum vsque ad illius purificationem; neque in alio sensu interpretari potest intentio contrahentium illam conditionem apponentium; ad quid etenim apponerent, illumque modum in alterius placitum referrent, nisi intenderent idem placitum expectare? Nihilominus

3 *Non suspendit.* (Calderinus. Ancharan. Alexander de Neuo. Præpositus. Sanchez.) Respondeo, modum illum honestum, & possibilem relatum ad alterius arbitrium nullo modo suspendere contractum sponsalium. *Calderinus cap. de illis, & ibi Ancheranus num. 12, Alexander de Neuo nu. 10., Præpositus num. 4. de condit. appos., Sanchez de matrimon. lib. 5. disp. 19. num. 10.* Ratio ex eo deducitur, quia modus ex genere suo non suspendit, si fuerit honestus, & possibilis, naturam actus, cui apponitur per textum *in l. cum ab eo 41 ff. de contrahend. empt.*, & per ea, quæ nos docuimus supra *d. praen. 5. sect. 11. assert. 4.*, nec iura distinguunt inter modum relatum ad arbitrium contrahentiũ, & modum relatum in aliorum voluntatem, & proindè, nec nos distinguere debemus, cum modus aliud non sit, nisi moderamen contractui adiectum explicatum per particulam *Vt*, nec aliud discrimen potest assignari inter modum relatum in contrahentium arbitrium, & modum dependentem ab aliorum voluntate, nisi quod quando est appositus, & relatus in arbitrium contrahentium, si sit in fauorem apponentis, & ab altero accceptatus obligat acceptantem ad illius adimplementum per ea, quæ dicta sunt *loc. cit. d. assert. 4.* per DD., & iura ibidem allegata, quandò verò est appositus, in aliorumq; voluntatem relatus non obligat ad illus executionem, nisi quantum ille alter se obligauerit, ergò quantumuis fuerit relatus in alterius voluntatem non poterit contractum suspendere stante natura modi: vndè in hac hypothesi potest dici, quod ille modus non sit appositus ad inducendam aliquam obligationem, sed vt causa impulsiua, seu ad explicandam causam impulsiuam. (*Ille modus inductus est vt causa impulsiua.*)

4 *Soluuntur rationes oppositæ sententiæ.* (Hostiensis. Ioannes Andreas.) Ex quibus deducere potes, quid respondeas ad ea, quæ afferebantur ex *Hostiensi, & Ioanne Andrea*; Dic etenim, gratis omninò dici in ea hypothesi illum modum æquiualere conditioni, cum diuersimodè exprimatur, & ad normam modi, non conditionis, & sine vllo prorsus iuris fundamento asserunt intentionem contrahentium non posse in alium sensum referri, quid etenim vetat, quin possit intelligi de explicatione causæ impulsiuæ, & ad indicandam voluntatem contrahentis beneplacendi patri alterius contrahentis, & cum verba secundum se magis apta sint ad hunc sensum explicandum, non est, cur detrudi debeant in impropriam significationem, vbi etenim de mente contrahentium non constat, verba sunt attendenda in formali sua significatione propria, quando alicui iuri non repugnant, nec obsistunt ijs, quæ verisimilia sunt.

§. XXXIV.

An adiectio in diem vitiet, aut suspendat sponsalia.

SVMMARIVM.

Explicatur, in quo sensu sumenda sit difficultas. 1.
Si adiectio facta fuerit in diem resolutiuè iuxtà modum expositum vitiat contractum. 2.
Si illa adiectio facta fuerit suspensiuè iuxtà sensum secundo loco expositum suspendit contractum vsque ad aduentum diei. 3.
Adueniente die non requiritur nouus consensus. 4.

Si

Si adiectio fuerit in diem certum non suspendit contractum. 5.

1 *Quot modis possit contingere adiectio in diem.* DIsquisitio XXXIV. Multis modis potest cõtingere hæc adiectio in diem, vel resolutiuè, quatenus dicatur, *contraho tecum tantum per duos menses, vel per annum, & non vltrà*, vel quodamodò suspensiuè, quatenus dicatur *Accipio te in meum, vel meam in crastinum, vel post tres dies*, vel tandem in diem certam, quatenus dicatur *contraham tecum ab hinc vno anno*. Quibus suppositis Titius contraxit cum Calidonia vno, vel altero ex his modis; vndè quæsitum fuit, an contractus quocunque modo fuerit initus sit validus, an vero vitietur, vel suspendatur, an potius vitietur eadem in diem adiectio.

2 *Adiectio in diem resolutiuè vitiat contractum.* Bossius. Respondeo primo. Si adiectio facta fuerit in diem resolutiuè, vel iuxta primum modum in facti serie expositum vitiat contractum, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.10. n.212.* Ratio ex eo deducitur, quià talis adiectio directè opponitur naturæ, & substantiæ eorundem sponsalium, quæ, quamuis secundum se dissolubilia sint, sunt tamen ordinata ex natura sua ad matrimonium contrahendum, quod, secundũ se dissolui non potest *Opponitur naturæ contractus sponsalium.* sicuti ità, nec dissolui possunt sine legitima causa, ergò absolutè vitiat contractum eorundem sponsalium, quià non potest esse consensus ad eadem, & simul consensus ad eius opposita. Antecedens probatur, quià adiectio illo modo concepta æquiualet huic. *Contraho tecum ita tamen, vt elapsis duobus mensibus, vel vno anno contractus sit infectus, & dissoluatur*; sed hæc adiectio absolutè aduersatur naturæ eiusdem contractus sponsalium, ergò, & ille &c.

3 *Adiectio suspensiuè suspendit contractũ.* Coninch. Hurtadus. Bossius. Respondeo secundo. Si illa adiectio facta fuerit suspensiuè, vel iuxta secundũ modum in facti serie expositum suspendit contractum vsq; ad aduentum diei *Coninchus disp.29. n.44. Hurtadus disp. 7. difficul.8. n.57. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 10. n. 213.* eamque communem asserit Hurtadus loc. quo mox citatus est. Ratio ex eo deducitur, quià tunc tempus adijcitur in vim conditionis: equiualet enim illa propositio, *Accipio te in meam, vel meum in crastinum, vel post tres dies* huic alteri; *Ex nunc decerno, & statuo in crastinum, vel post tres dies contrahere tecum sponsalia, vel matrimonium*, sed conditio honesta, & possibilis de futuro per superius dicta suspendit contractum vsque ad eiusdem effectum, & purificationem, ergò non erit, cur contractus ad huiusmodi adiectionem non suspendatur vsque ad eiusdem diei aduentum.

4 Hic disputant DD., an in hac hypothesi ad perficiendum contractum sponsalium adueniente die adiecta requiratur nouus consensus vtriusque contrahentis, an verò sufficiat ille, qui fuit præstitus in illa adiectione in diem. Sentiendum est, non requiri nouum consensum, sed adueniente die immediatè contractum perfici, nisi interim prior ille consensus fuerit reuocatus, *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c.10. nu. 212.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià consensus conditionalis posita conditionis purificatione immediatè purificatur, & de conditionali transit in purum, & absolutum, sed consensus absolutus, & purus, vbi aliud non deficit ad validitatem ipsius, immediatè perficit contractum, ergò cum ille adiectio in diem habeat vim conditionis, si fuerit purificata, constituet consensum purum, quo immediatè constituetur contractus purus, adeoque non indigebit nouo alio consensu. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià vbicunque ante adimpletionem contractus consensus fuerit reuocatus contractus ob defectum formæ substantialis non potest subsistere ea proportionali ratione, qua superius diximus, consensum principalis commissum procuratori ad contrahenda sponsalia reuocatum ante celebrationem eorundem non constituere validè eundem contractum, nisi nouus consensus constituatur, ergò tunc erit necessarius nouus consensus ad validum contractum constituendum. *Non requiritur nouus consensus.* Bossius. *Æquiualet contractui conditionali.*

5 *Adiectio in diem certam non suspendit contractũ.* Sanchez. Paludanus. Gutierez. Filliutius. Bossius. Respondeo tertio. Si adiectio fuerit in diem certam iuxtà tertium modum in facti seriè expositum non suspendit contractum, *Sanchez lib. 5. de matrimon. disp. 19. nu. 11. Paludanus in 4. dist. 29. qu. 2. art. 4. n. 24. Gutierez de matrim. c.82. num. 37. Filliutius tract.10. c.4. n.158. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c.10. nu.213.* Ratio ex eo deducitur, quià stipulatio in diem certam statim parit obligationem, quamvis id, quod ex tali stipulatione debetur, non possit ante diem exigi *l. cedere diem ff. de verb. signif. Gomez tom. 2. var. c. 11. n. 21. Laiman. lib. 3. tract. 4. part. 3. c. 4. art. 2. Sanchez lib. 5. de matrimonio disp. 19. num. 11. Filliutius tract. 10. c. 4. n. 151.* Neque obesse potest, si asseratur, quod dies habens annexam tacitam conditionem voluntariam, quæ possit adijci, & non adijci, suspendat obligationem, quod clarè exemplificatur in annuo legato relicto sub conditione, si legatarius vixerit, quod respectu legati anno secundo debiti est conditionale, *Glosa in l. senatus §. fin. verb. multa ff. de donat. caus. mortis* per textum *in l. si in singulos ff. de annuis legat.*, quod propterea non debetur, nisi legatarius assecutus fuerit primum diem secundi anni; Non, inquam, obesse potest, quià vt bene notat *Sanchez* Gomez. Laiman. Filliutius.

loco

loco citato id ad summum verificatur, quandò conditio illa est voluntaria, vt euenit in casu illius legati annui, quæ poterat adijci, & non adijci ex voluntate testatoris, qui poterat velle, vt legatum illud cederet etiam hæredibus legatarij, secùs autem quandò conditio illa est necessaria, vt euenit in casu, de quo loquimur, de matrimonio, respectu cuius necessaria est vita vtriusque contrahentis, sine qua &c. & conditio illius tacitè necessariò intelligitur.

Soluitur instantia proposita.

§. XXXV.

Ad quid teneatur dubitans, an promiserit matrimonium, vel votum castitatis emiserit.

SVMMARIVM.

Facti series in suis terminis. 1.
Opinio asserens obligari ad matrimonium. 2.
Stante certitudine promissionis, & dubio de animo se obligandi opinio eximens ab obligatione. 3.
In dubio promissionis promittens non tenetur. 4.
Procedit siuè de dubio suspensiuo, siuè opinatiuo. 5.
Ideò dic in dubio voti Castitatis, & Religionis. 6.
Promittens certus de promissione, & dubius de animo se obligandi, probabilius obligatur. 7.
Dubius de promissione, & voto ad neutrum tenetur. 8.
Certus vel de promissione matrimonij, vel de voto, incertus tamen de quo determinatè, potest eligere matrimonium. 9.

1 DIsquisitio XXXV. Constitutus Caius in casu eligendi statum aliquem vel matrimonij, vel Religiosę professionis ancipiti agitabatur animo, an matrimonium promiserit certæ, vel determinatæ personæ, vel votum castitatis, vel Religionis emiserit. Anceps in hac cogitationũ suarum vicissitudine me consuluit ad quid in conscientia teneretur, & an liber esset statum quemcunque voluerit, eligere. Circa dubium promissionis matrimonij duo considerabam; primum, an illud dubium versaretur circa existentiam, vel non existentiam promissionis. Secundum, supposita vera existentia illius promissionis, an verè habuerit animum se obligandi, an non.

Factum expositum, & varia considerationes circa ipsum.

2 Videbatur in ordine ad primum prima fronte dicendum in illo dubio promissionis Caius obligari ad matrimonium adimplendum, prout etiam in simili casu dubij circa votum emissum, vel non emissum asserebat *Corduba in summa qu.* 147., nam quantumuis vim habere videatur regula generalis, quod in dubio melior sit conditio possidentis per textum *in reg. in pari 65. de reg. iur. in 6.* nihilominus hoc fallere videtur, quandò possessio non est cum bona fide, quæ certa esse non potest, vbi viget dubium.

Corduba. Existimans in illo dubio obligari ad matrimonium.

3 Videbatur etiam in ordine ad secundũ dicendum, quod in dubio animi se obligandi in promissione præstita, ea pars sit eligenda, quæ fauorabilior est promittenti, fauorabiliùs autem eidem est, non obligari, quàm obligari, adeòque &c. Nihilominus

In dubio fauor est attendendus promittentis.

4 Respondeo primò, adhibita in primo casu dubij promissionis debita diligentia, si Caius fuerit adhuc anceps in sua dubitatione eidem fauendum esse, & per consequens minimè teneri, *Sotus lib. 7. de iust. qu. 3. art. 2. docum. 2. vers. sed est hic, Henriquez lib. 11. de matrim. c. 11. n. 5. Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disput. 9. nu. 11. vers. sed dicendum.* Ratio deducenda est non solum ex generali regula suprà relata, quod *in dubio melior sit conditio possidentis*, sed etiam ex natura, & qualitate contractus, de quo agitur, qui cum sit maximè fauorabilis, & exigat plenam libertatem, *ex c. gemma de sponsalib.* in dubio non debet ingerere necessitatem respectu dubitantis; possessio autem stat pro ipso dubitante, qui certè possidet suam libertatem; nec valet ratio suprà adducta, quod cum deficiat bona fides ratione dubij non constituat perfectam possessionem in ipso dubitante; Non valet, inquàm, quià cum antecedenter ad tale dubium libertas sit indita naturaliter vnicuiq; non est eidem adimenda per solum dubium superueniens, quamobrem tunc solum procedit, quod dubium tollit bonam fidem, & defectus istius perfectam possessionem, quãdò possessio incipit cum tali dubio, secùs verò, quandò possessio habetur ab ipsa natura, vt in casu nostro, & dubium superuenit.

Dubitans de promissione non tenetur. Sotus. Henriquez. Sanchez.

Libertas est naturalis cuicunque.

5 Hic tamen pro clariori notitia aduertendum est, hoc dubium, circa quod versatur Caius, circà existentiam, vel non existentiam promissionis posse quodammodò esse duplex, alterum merè suspensiuum, alterum verò opinatiuè, prout expresè docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus I. de contractibus vt sic prænot. 2. nu. 15.* responsio procedit potissimum quoad dubiũ merè suspensiuum, quod licet non inclinet potius pro vna parte, quàm pro altera, sed consensum ratione sui suspendat quoad vtrumque, accedente tamen præcedenti possessione libertatis inditæ à natura non tollit ius, nec priuilegia eiusdem per superiùs dicta. In ordine verò ad dubium merè opinitatiuũ, cum rationes pro vtraque

Dubium duplex, alterum suspensiuum, alterum opinatiuum, & quid de vtroque.

que parte probabiles inducat, poterit dubitans ad normam probabilitatis in eam partem inclinare; quæ probabilioribus innititur fundamentis.

6 *Nec tenetur ad votum in dubio, quod fuerit elicitum.*

Respondeo secundò. Ea, quæ dicta sunt in dubio promissionis, vel non promissionis matrimonij futuri, æquè intelligenda sunt de dubio circà votum vel castitatis, vel Religionis emissum, vel non emissum, seruata debita proportione, *Medina lib. 1. summa c. 14. §. 7., Capua lib. 1. decis. c. 31. in fin. Manuel. secundo tom. summæ c. 99. nu. 5. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. c. 45. §. dubitans de vot., Couaruuias reg. possessor. secunda part. §. 7. nu. 4. Sarmiento secundo select. c. 10. num. 5.* Ratio ex eo deducitur, quià in se habet promissio ad matrimonium spirituale, sicuti eadem in ordine ad corporale, sed extante dubio suspensiuo de promissione circa corporale, fauor est in ordine ad libertatem, quam quis possidet, nisi expresse, & positiuè constet de priuatione eiusdem, ergò etiam eodem extante circà promissionem spiritualis, fauor erit in ordine ad eandem libertatem, nisi contrarium positiuè euincatur. Accedit, quòd vbi agatur de obligatione contrahenda, strictissima facienda est interpretatio per textum *in c. 1. de iure iur. in 6. & in l. quidquid adstringendæ ff. de verb. oblig.* ergò quantum fieri potest illa promissio restringi debet aduersus promittentem, sicque ipsum obligare nequit, nisi constet de ipsa promissione.

Medina. Capua. Manuel. Lopez. Couaruuias. Sarmiento.

In obligatione contrahenda strictissima sit interpretatio.

7 *Dubius de animo se obligandi probabilius obligatur.*

Respondeo tertiò. Supposita existentia promissionis, vel circa matrimonium, vel circa votum, & extante dubio de animo se obligandi, vel non obligandi probabilius est promittentem obligari *Felinus c. si vero de iure iur. num. 7. vers. quarto declarat, Nauarrus lib. 3. consil. in 1. edit. tit. 34. de voto cons. 4. in fin. D. Antoninus 2. part. tit. 11. c. 2. in inic. vers. nota sexto.* Omissis pluribus rationibus, quas affert, & commendat *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 9. num. 13. per totum* ad vnam, vel alteram me restringo. Prima est, quià regularitèr ad promissionem sequitur obligatio, & tunc tantum secernitur, quando ex mente contrahentis illa intenditur sine ista, cæterum quando certò constat de promissione, & non constat de negatione animi se obligandi semper possessio stat pro eadem promissione, cum ex genere suo promissio trahat secum obligationem, potissimum cum probato facto præsumantur omnia interuenisse ad factum requisita *Panormitanus c. 1. de his, quæ vi per c. in præsentia de probat.* & regularitèr promittentes se obligant; in dubio autem præsumendum est pro eo, quod vt plurimum, & regularitèr euenit, non pro eo, quod quandoque, & rarò contingit, & pro eo, quod iura præsumunt, non pro eo, quod quis quandoque sibi præfigit; iura autem supposita existentia illius promissionis semper iudicant pro illa obligatione; neque hoc pro foro præcisè externo intelligendum est, quandoquidem quando forus externus non innititur falsæ præsumptioni eidem conformatur etiam internus, ergò extante veritate promissionis, & dubio de animo se obligandi præsumendum est etiam pro obligatione. Secunda est, quià extante promissione, & constante de eiusdem veritate possessio nō stat pro libertate, sed pro eadem promissione, ergò, si quando possessio stat pro libertate non obligatur dubitans ad contrahendum per superius probata, quando possessio stat pro promissione promittens obligabitur, nec poterit recedere à promissione, & naturali proprietate eiusdem.

Felinus. Nauarrus. D. Antoninus. Sanchez.

Obligatio regularitèr sequitur ad promissionem. Panormit.

Extante promissione possessio non stat pro libertate.

Aduersus ea, quæ dicta sunt in hac responsione obstare videtur textus *in c. 1. de his, quæ vi*, vbi cum esset sermo de muliere quadam, quæ post professionem emissam dimisit habitum, & prætextu, quod animum non habuerit profitendi, & proindè spontè non vouerit Pontifex declarauit cogendam esse ad Religionem redire, si monasterium probauerit eam spontè professam esse, ergò cum Pontifex onus monasterio imposuerit probandi spontaneam professionis emissionem videtur relinquere mulierem, quæ dicitur professa in sua libertate, non obstante quod constet de professione emissa, ergò etiam, quantumvis constet de promissione, nec tamen cōstet de animo se obligandi promittens permanebit in sua libertate. Sed facilè occurri potest, si asseratur, textum ibi requirere probationem faciendam à monasterio prædictam mulierem non timore mortis professionem emisisse eo, quià in eo casu præsumptio iuris erat, quod timore mortis illa mulier ingressa fuerit monasterium, & professionem emiserit eo, quod erat coniugata, & viro spoliata; ratione autem spolij præsumitur consensus metu extortus per textum *in c. 2. de restit. spol.*

Instantia aduersus promissionē eiusque solutio.

Respondeo quartò. Existente dubio de existentia promissionis, & voti simul liber remanet dubitans ab onere vtriusque. In hoc conuenire debent omnes DD. præallegati pro prima, & secunda responsione. Ratio ex eo deducitur, quià dubitans de existentia vnius, vel alterius diuisiuè, seù disiunctiuè non tenetur ad illud, de quo dubitat per superius allegata, & probata in prima, & secunda responsione, ergò dubitans de existentia vtriusque collectiuè, & simul ad neutrum tenebitur, sed liber erit ab vtroque. Consequentia probatur, quià ex eo, quod dubietas coniungatur quoad vtrumque non auget maius ius, nec quoad vnum, nec quoad alterum, nec maiori 8

Dubius de promissione, & voto ad neutrum tenetur.

oneri

oneri dubitantem subdit, & si dubium quoad vnum illum eximit ab onere, cur dubium etiam quoad alterum ipsum non eximet? Cæterum huiusmodi dubia non communicantur ad inuicem, vt vim maiorem sibi ad inuicem tribuant.

9 *Certus vel de vno, vel de altero, incertus tamen de determinato potest eligere, quod sibi minus graue est.*

Respondeo quintò. Si dubitans anceps sit, vel de promissione matrimonij, vel de emissione voti, itá tamen, vt certus sit, vel de vno, vel de altero, non tamen determinatè de vno potius, quam de alio probabilius poterit eligere quemcunque statum voluerit, & in rigore potius statum matrimonij, quam cælibatus, & Religionis. Ratio ex eo deducitur, quiá in dubio melior est conditio possidentis per textum in *reg. in pari 65. de reg. iur. in 6., & in l. pari 170. ff. eodem tit.*, sicuti igitur, quando est dubius de existentia promissionis matrimonij potest matrimonium eligere, vel non eligere, quiá possessio stat pro libertate, itá quando est certus, quod vnum, vel alterum promiserit, nec tamen constat, pro quo promiserit, poterit quodcunque voluerit eligere, quiá etiam in ea hypothesi possessio stat pro libertate, non quidem quomodocunque, sed ad alterum eorum, quæ cadunt sub tali dubio. Accedit, quod, quando dubium est ex duobus oneribus, cui quis subesse debeat, ex eo, quod se, vel ad vnum, vel ad alterum obligauerit, præsumendum semper sit pro eo, quod eidem minus graue est, & onerosum; minus autem graue est statum matrimonialem eligere, quam Religiosum, vel cælibem stante naturæ inclinatione; Neque obstat, si dicatur iura fauorabiliora esse statui Religionis, quam matrimonij, eo, quod contracto matrimonio intrà duos menses, si non fuerit consumatum, potest quis eodem matrimonio spreto Religionem ingredi, aliaque statui Religioso concedunt, quæ non statuunt matrimoniali; Non obstat, inquam, quiá maior fauor, qui per iura conceditur statui Monacali, vel Religioso est in ordine ad eundem statum eligendum, vel ad eundem iam electum eo, quiá maiorem præseferat perfectionem, non autem inducit onus, ratione cuius debeat eligi, vnde si liber est, vel ratione possessionis propriæ libertatis, vel ratione alicuius alterius ex vi illorum iurium fauorabilium non obligatur ad illum statum eligendum.

Præsumendum est pro minus graui.

Maior fauor Religionis in quo consistat.



§. XXXVI.

An clandestinè contrahentes matrimonium per verba de præsenti, si habuerint animum se obligandi eo modo, quo possunt, intelliguntur contraxisse sponsalia.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ in terminis particularibus. 1.

Nec tenet contractus, nec in ratione sponsalium remissiuè. 2.

Professio ante legitimam ætatem emissa non obligat, nec in vim voti simplicis. 3.

Saluari tamen potest, quod obliget in vim voti simplicis, quando verè fuit animus se ad illud obligandi. 4.

Quare professio nulla obliget in vim voti simplicis, non sic matrimonium clandestinum in vim sponsalium. 5.

Disquisitio XXXVI. Per verba de præsenti contraxerunt matrimonium Caius, & Seia in legitima ætate constituti, & ex alio quocunque capite habiles ad contrahendum, non tamen adhibitis solemnitatibus iuris, hoc est præsentia Parochi, & testium, itá tamen vt per eum contractum sibi suaserint eo meliori modo contrahere, quo potuerunt. Quæsitum fuit, an huiusmodi contractus, si subsistere non potuit in vim matrimonij stante dispositione Concil. Trid., substiterit tamen in ratione sponsalium stante præparatione illius animi contrahendi eo omni modo, quo potuerunt. 1 *Status controuersiæ in suis terminis.*

De hac difficultate fusè egi *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. prænot. 5 sect. 18. assert. 1. vers. amplia 2. vt matrimonium*, ad quæ vos remitto; non enim vacat hic implere paginas repetendo ea, quæ alibi dicta sunt. Solum hic remanet soluenda difficultas, quam excitat *Vega lib. 6. summa cas. 120. Manuel primo tom. summa in 2. edit. c. 220. num. 1.* dum asserunt, quod si quis professionem emiserit in Religione approbata ante annum sextum decimum aduersus dispositionem *Concilij Trident. sess. 25. de reform. c. 15.* intendens se obligare eo modo, quo potuit, remaneat obligatus saltem in vim voti simplicis. Facile tamen erit respondere, si asseratur in primis gratis omninò asseri in ea hypothesi sic profitentem obstrictum remanere voto simplici, quandoquidem ille animus se obligandi eo modo, quo potuit, intelligitur relatiuè ad illam Religionem, in qua professus fuerat, in ordine, ad quam propterea, si professio cessat, cessare videtur quæcunque obligatio dependens ab illa, cum id, quod in se nullum est,

2 Non tenet, nec in ratione sponsalium.

Vega. Manuel.

3 Vbicunque professio est nulla defectu ætatis, nec obligat in vim voti simplicis.

Ee nullam

nullam posit parere obligationem, nec ille animus vim habet obligandi, cum sit limitatus in ordine ad finem, ad quem actio dirigitur.

Dici etiam posset, disparem esse rationem de professione emissa ante legitimam ætatem cum animo se obligandi eo modo, quo potuit, ac de matrimonio clandestino inito sine præsentia Parochi, & testium cum eodem animo &c., quandoquidem quoad obligationem quoad votum simplex sufficit intentio purè mentalis, & interna de se obligando quoad illud vinculum, cum obligatio consurgat in ordine ad Deum, cui omne cor patens est, & secreta cordium omnia manifesta, quoad obligationem verò quoad sponsalia non sufficit internus ille animus, sed requiritur etiam sensibilitas extrinseca, cum sint contractus humano modo, adeoque exigunt sensibilitatem; atque iuxtà hos terminos loquitur, *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disput. 21. num. 7. vers. sed credo adhuc non teneri in fin.* Quod, si adhuc obstes, sensibilitatem illam extrinsecam sufficienter haberi in matrimonio illo clandestino, quod quamvis secundum se nullam vim conferat quoad substantiam, potest tamen conferre sensibilitatem, quoad apparentiam, & modum humanum, quæ propterea, si coniungatur cum illo actu interno, quo se contrahentes obligare intenderunt, eo modo, quo potuerunt, constituet sufficiens conflatum ad validitatem eorundem sponsalium; Si hoc, inquam, obstes, statim impugnaberis ex ijs, quæ dicta sunt *loco cit. scilicet. d. prænot. 5. sect. 18. vers. amplia 2.*, cum etenim ille contractus matrimonialis sit nullus, non potest aliquam significationem illi intentioni tribuere.

4 *Votum internum obligat quoad Deum.*

Sanchez. *Sensibilitas requiritur quoad contractum hominum.*

§. XXXVII.

An sponsalia ab impuberibus contracta possint ante pubertatem per eosdem dissensu dissolui.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ. 1.
Variæ interpretationes textus in c. de illis, & c. à nobis de desp. impub. 2.
Sponsalia impuberum possunt dissolui dissensu ante pubertatem. 3.
Textus allegati propriè intelliguntur de sponsalibus infantium, & contractis per parentes. 4.
Infans praeueniens alterum in legitima ætate potest resilire altero non expectato. 5.
Maior septennio contrahens cum minore, non potest resilire, nisi minor resiliat. 6.

1 *Controuersia exposita.*

Disquisitio XXXVII. In statu impubertatis existentes contraxerunt ad inuicem sponsalia Theodoricus, & Meuia, & posteà antequam pubertatem attingerent, contendebat alter ab eisdem resilire. Quæsitum hic fuit, an iustè, & legitimè posset resilire.

Originem traxit hæc difficultas à duobus iuribus canonicis, primò *ex c. de illis primo, secundo ex capit. à nobis de desponsat. impub.*, vbi dicitur impuberes non posse resilire à sponsalibus ante adeptam pubertatem, ea verò adepta posse. Quià verò diuersimodè huiusmodi textus explicantur à DD. varias decidendi rationes tribuerunt. Aliqui, inter quos *Laurentius, & Vincentius* apud *Hostiensem in summa tit. de despons. impub. §. quid iuris num. 11.*, *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 14. num. 7.*, *Phylarcus de offic. sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. c. 1.*, quod etiam nonnulli tribuunt *D. Thomæ in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad* 8. docent allegatos textus intelligi solummodò de sponsalibus infantium, qui dissolui nequeunt ante legitimam ætatem adeptam requisitam ad contrahendum. Alij, inter quos *Durandus in 4. dist. 27. q. 3. art. 3.*, cui etiam adhærere videtur *D. Thomas loc. cit. d. q. 2. art. 2. ad primum*, asserunt intelligi de sponsalibus impuberum contractis per alios ab ipsis nomine ipsorum. Alij tandem eosdem explicant de impuberibus intendentibus contrahere solum matrimonium, quod, cum sit inualidum ratione ætatis, constituit quodamodò sponsalia, à quibus possunt post pubertatem resilire.

2 *Variè explicantur textus in cap. de illis, & c. à nobis de desp. impub.*

Hostiensis. Henriquez Philarchus D. Thomas

Secunda explicatio illorum textuum. Durandus. D. Thoma *Tertia explicatio.*

Respondeo sponsalia in statu impubertatis contracta per eundem Theodoricum, & Meuiam posse per eosdem mutuo consensu, vel dissensu alterius ex legitima causa dissolui, antequam peruenerint ad pubertatem. Ità DD. præallegati in prima explicatione illorum textuum, quibus etiam adhæret *Manuel in summa tom. 1. 2. edit. c. 245. num. 7.* Ratio ex eo deducitur, quià impuberes ante adeptionem pubertatis possunt mutuo consensu legitimè cõtrahere sponsalia per ea, quæ latè superius probata sunt, ergò etiam ante eandem pubertatem poterunt per dissensum mutuum eadem sponsalia dissoluere. Consequentia probatur, tùm quià omnis res, quæ per quascunque causas nascitur per easdem etiam dissoluitur *c. 1. de reg. iur.*

3 *Dissolui possunt etiam ante pubertatem.*

Manuel.

Neque responsioni aduersari possunt allegati textus, & *DD. c. de illis, & c. à nobis de despons. impub.*, quandoquidem illi non intelliguntur de impuberibus præcisè sumptis, sed de infantibus, prout notarunt DD. præallegati in prima responsione, qui certè antequam peruenerint ad legitimam ætatem, non possunt resilire. Quod, si vrgeas, textus allegatos loqui propriè de impuberibus, nec posse intelligi præcisè de infantibus, quandòquidem ibi dicitur, *intra eosdem pubertatis annos altero existente*

4 *Procedunt de sponsalibus infantiũ per parentes.*

cum

cum sponsalia contrahunt; infantes autem non possunt contrahere sponsalia; statim impugnaberis, quia quantumvis infantes non possint per se contrahere, possunt tamen parentes nomine ipsorum contrahere, in quo casu quantumvis iidem infantes obligati non remaneant, nisi postquam peruenerit ad vsum rationis, ea rata habuerint; nihilominus ratione contractus per parentes initi, quoquo modo dicuntur sponsi, eademque sponsalia saltem incohatiuè videntur subsistere, & vim aliquam habere, cæteroqui rata haberi non possent per eosdem cum peruenerint ad legitimam ætatem, secundum id, quod in sua origine inualidum est, non possit conualescere, quod etiam videtur innuisse *D. Thomas in 4. dist. dist. 27. q. 2. art. 3. ad 8.*, vbi asserit, quod *quamvis non fuerint in rigore vera sponsalia, fuerit tamen ibi quidam specialis modus sponsalium*; qui non potest dissolui, nisi post legitimam ætatem, quod clarius exprimit *ead. dist. 27. q. 2. art. 2. ad primum*, dum dicit, quod *sponsalia, quæ inter aliquos per personas alias contrahuntur, robur habeant in quantum illi, inter quos contrahuntur ad ætatem debitam venientes non reclamant*. Hæc omnia etiam robur habent ex dispositione iuris *in c. de desponsat. impub.*

D. Thomas

In contractibus infantium est quidam specialis modus sponsalium.

Confirmari potest responsio, quia contractis sponsalibus per parentes nomine filiorum minorum septennio, eadem spõsalia tenent, si postquam peruenerint ad vsum rationis, non reclament, sed præcisè taceant, non tenent, si reclament, seu contradicant, per ea, quæ superiùs latè probata sunt, ergò antequam peruenerint ad pubertatem possunt reclamare, & per dissensum sponsalia dissoluere. Consequentia tenet, quia si hoc possunt quãdò contractus per parentes est initus, cur non poterunt, quandò per se ipsos est initus, superueniente causa dissolutionis, vel conuenientia ad dissolutionem inter se mutuo consentiunt? Certè ratio, quam aduersarij negant, posse impuberes ante pubertatem resilire, est propter fragilitatem ætatis, ratione cuius non præsumitur perfectè attingere ea, quæ faciunt, vt notat *Glossa in d. c. de illis primo de desponsat. impub.*, si autem non obstante ætatis fragilitate possunt recedere à sponsalibus per parentes nomine ipsorum initis, ergò etiã poterunt, eadem non obstante, recedere à sponsalibus per se ipsos initis, nam si non possunt perfectè cognoscere id, quod agunt, dum ab istis recedunt, nec vidẽtur posse perfectè cognoscere id, quod agũt, dum etiam ab illis resiliunt.

Ratio, ob quam iura approbant talem recessum.

Glossa.

5 Hinc deduces primò, quòd, si inter minores inita fuerint sponsalia per parentes, & alter ipsorum peruenerit antè alium ad legitimam ætatem possit recedere ab eisdem sponsalibus, non expectato, quòd alter ad eandem ætatem peruenerit, quia iura eidem tribuunt potestatem statim reclamandi, ac peruenerit ad vsum rationis, quo proptereà reclamante, seù recedente, sponsalia remanent dissoluta.

Qui prauenit potest statim reclamare.

6 Deduces secundò, quòd, si quando fuerunt celebrata sponsalia, alter erat maior septennio, alter minor, concurrentibus parentibus pro isto, non possit maior sine legitima causa resilire, benè tamen minor, cum peruenerit ad legitimam ætatem, prout colligitur *ex d. c. de illis 1. vers. multis de desponsat. impub.* Ratio est, quia contractus potest in fauorem minoris claudicare, sicque illi soli reclamare permissum est, *l. non eo minus C. de procurat. Nauarrus lib. 4. consil. tit. de desponsat. impub. in prima edit. cons. 2. Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 13. nu. 5. Vega lib. 6. summæ cas. 107.*

Potest claudicare in fauorem minoris.

Nauarrus. Henriquez. Vega.

§. XXXVIII.

An data sententia non posse impuberes ante pubertatem recedere, si impubes dissentiat ante pubertatem, & factus pubes non recordetur dissensus, contractus dissoluatur.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.
Sententia Hostiensis asserens remanere dissoluta. 2.
Sententia contraria sustinetur, & defenditur. 3.
Habitus totam vim habet ab actibus. 4.
Contractus initi à minoribus sunt etiam inualidi, quandò facti sunt maiores. 5.
Senatus consultum Macedonianum absoluit filios familias ab onere restitutionis etiam quando facti sunt maiores. 6.
Satisfit rationibus aduersis. 7.

1 Disquisitio XXXVIII. Suppono pro nunc opinionem magis communẽ, quod impuberes, qui contraxerunt inter se sponsalia non possint ab eisdem recedere, nisi postquam peruenerint ad pubertatem, quod tamen suprà reprobauimus. Hoc supposito Titius, & Meuia impuberes inter se contraxerunt, & posteà Titius per dissensum à sponsalibus recessit, eoque dissensu non mutato peruenit ad pubertatem, cum tamen eiusdem dissensus non recordaretur, non reclamauit. Hic excitatum fuit dubium, an illa priora sponsalia adueniente tempore pubertatis ratione illius dissensus intelligantur dissoluta, an non.

Facti series exposita.

2 Hostiensis *in d. c. de illis 1. de desponsat. impub., & ibi Alexander de Neuo num. 16. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 51. num. 16.* vers.

Hostiensis. Alexander de Neuo. Sanchez.

vers. sed credo manere absolutè sentiunt, tunc sponsalia adueniente pubertate remanere dissoluta, quantumvis in puncto pubertatis Titius non reclamet, seù reclamauerit. Rationem ex eo adducunt, quià in tantum impuberes non reclamando post adeptam pubertatem intelliguntur eadem ratificare, & confirmare, in quantum intelliguntur persistere in priori voluntate, qua contraxerunt, sed quando impubes dissentit, & non mutat actum dissensus non intelligitur in priori voluntate, qua contraxit, perseuerare, ergò &c. Accedit, quod ille dissensus præstitus in impubertate, quantumvis secundum se stante illa iuris dispositione non sit sufficiens ad dissoluenda sponsalia, est tamen sufficiens post pubertatem ad indicandam ipsius voluntatem non perseuerandi in priori contractu, nam quamvis ille dissensus actu non perseueret, perseuerat tamen habitu. Nihilominus

Sententia asserens remanere dissoluta.

3 Respondeo, illa priora sponsalia adueniente tempore pubertatis non intelligi dissoluta, nisi accedat nouus dissensus in puncto eiusdem pubertatis. Ratio in primis ex eo deducitur, quià ille dissensus præstitus perseuerante statu impubertatis ex dispositione iuris *in d. c. de illis 1., & c. à nobis de desponsat. impub.* est omninò in sua origine inualidus ob immaturitatem iudicij, quo præstitus est, nec vllam vim tribuit in ordine ad dissolutionem eorundem sponsalium, ergò ex vi eiusdem adueniente posteà statu pubertatis non poterit eadem sponsalia dissoluere, nisi accedat nouus dissensus, seù reclamatio. Consequentia probatur, quià ex actu omninò nullo nullus potest oriri effectus, nullaque actio, nec obligatio, nec potest dici perseuerare quoad effectum deobligandi, seù dissoluendi contractum, quando in sua origine nullam vim habebat in ordine ad hunc effectum. Confirmatur, quià habitus ille, qui per Sanchez dicitur perseuerare in statu pubertatis in virtute illius dissensus eliciti perseuerante adhuc impubertate non potest maiorem vim habere, ac ille actus dissensus, in cuius virtute perseuerat; nam habitus totam vim acquirit ab actibus, à quibus producitur; sed ille actus dissensus secundum se nullam prorsus vim habet in ordine ad deobligandum à contractu antecedentèr inito, ergò, nec illam vim potest habere habitus ab eodem actu relictus. Confirmatur vlterius, quià extante statuto irritante omnes contractus elicitos à minoribus, nisi seruatis certis iuris solemnitatibus, si quis minor eisdem non seruatis contraxerit tempore minoritatis contractus est absolutè inualidus, nec posteà in virtute illius actus conualescit; si factus fuerit maior, & nouum actum non elicuerit, & hoc non alia ratione, nisi, quià ille prior actus fuerat in sua origine irritus; & inualidus, ergò etiam extante iure communi irritante dissensum tempore impubertatis elicitum quoad dissolutionem sponsalium antecedentèr initorum, ille dissensus erit absolutè inualidus, nec posteà in virtute illius conualescet, si factus fuerit dissentiens pubes, nouumq; actum dissensus non elicuerit. Confirmatur vlterius, quià extante Senatu consulto Macedoniano irritante quoscunq; contractus mutui, & deobligante filios familias à restitutione eiusdem *in l. 1., & seqq. ff. & C. ad Macedonianum, & Instit. quod cum eo, quod in alieno est potestate §. penult.*, si filius familias existens sub potestate Patris mutuum acceperit non solum deobligatur à restitutione pro tempore subiectionis paternę, sed etiam pro tempore, quo ab illa exemptus est mortuo Patre, quià ius illud onus extinguit in sua radice, onus autem semel extinctum in radice non amplius reuiuiscit; ergò etiam extante iure irritato dissensum præstitum ab impuberibus, si impubes præstiterit dissensum tempore impubertatis dissensus erit nullus non solum pro tempore eiusdem impubertatis, sed etiam pro tempore, quo ad pubertatem deuenerit, cum ius illius dissensus sit extinctum in sua radice; ius autem semel extinctum non potest reuiuiscere. 6

Sententia negans, vt probabilior defenditur.

Ille dissensus est in sua radice inualidus.

4 Habitus totam vim habet ab actibus.

5 Statutum irritans contractus minorum reddit semper irritos.

Filij familias non tenentur restituere mutuũ, etiam quandò facti sunt sui iuris.

Ad ea, quæ ex Hostiensi, & alijs afferebantur, dicendum est, quod, quantumvis ex non retractatione dissensus præsumatur dissentiens in illo dissensu perseuerare, non propterea dissoluatur contractus, quià ille dissensus, cum in radice sua sit nullus, non potest vim aliquam conferre, & perseuerare in dissensu nullo, non est perseuerare in dissensu valido ad dissolutionem, nisi nouus constituatur dissensus; nec valet causalis adducta per eosdem auctores, quod in tantum impuberes non reclamando post adeptam pubertatem intelligantur ea ratificare, & confirmare, in quantum intelliguntur persistere in priori voluntate, qua contraxerunt non valet, inquam, quià in hac hypothesi non reclamando perseuerare præsumuntur in priori voluntate, quæ secundum se valida est ad eadem sponsalia; impuberes etenim ex dispositione iuris *in d. c. de illis 1. & c. à nobis de desponsal. impub.* validè contrahunt, quamuis validè non recedant à sponsalibus contractis; in hypothesi vero dissensus præstiti perseuerante impubertate perseuerantes in eodem dissensu perseuerant in voluntate nulla, adeoque &c. Ad id, quod subditur, dicendum est non sufficere ad dissoluenda sponsalia prius legitimè contracta voluntatem quandam quomodocunque præsumptam ex actibus nullis; sed requiri voluntatem vel 7

Satisfit rationibus Hostiensis.

Ex actu nullo nulla potest esse obligatio, nec effectus.

Non sufficit voluntas præsumpta ex actibus nullis.

vel explicitam, vel saltem interpretatiuam ex actibus pro tempore, pro quo dissolui potest contractus, validis, & per se conferentibus ad illam dissolutionem.

§. XXXIX.

An supposita præfata sententia sufficiat post pubertatem dissensus internus ad dissolutionem sponsalium.

SVMMARIVM.

Exponitur status difficultatis. 1.
Sententia negans dissolui. 2.
Sententia affirmans probabilior. 3.
Plura requiruntur ad contrahendum, quam ad dissoluendum. 4.
Reuocato per actum internum mandato ante contractum non subsistit contractus. 5.
Cur actus internus dissensus elicitus ante pubertatem, & non reuocatus in pubertate non soluat contractum, soluat tamen, si fuerit elicitus in pubertate. 6.
Fictio ob defectum actus interni non est sufficiens ad sponsalia. 7.
Fictio reuocari potest per actum internum. 8.
Explicatur sententia negans. 9.

1 *Facti series in terminis particularibus.*

DIsquisitio XXXIX. Non recedo à suppositione prædictæ opinionis, qua dicitur dissensus impuberum non sufficere ad dissolutionem priorum sponsalium. Hac stante Titius, qui tempore impubertatis contraxerat sponsalia cum Meuia item impuberi durante eodem tempore impubertatis, perstitit semper in eisdem sponsalibus; posteà factus pubes interius dissensit. Orta hic fuit controuersia, an per talem internum dissensum dissoluta fuerint saltem in foro conscientiæ eadem sponsalia.

2 *Sententia negans dissolui.*

Prima fronte videtur dicendum, quod non remaneant dissoluta, nec in foro interno animæ, hocque potissimum propter textum *in d. c. de illis 1. de desp. impub.* vbi dicitur, *si reclamauerit iudicio Ecclesiæ separentur*, quod idem confirmant DD. plurimi, dum asserunt reclamationem debere fieri coram Episcopo, vel eius Vicario *Hostiensis in d. c. de illis in verb. negauerit, & ibi Ioannes Andreas num. 5. Henricus n. 6. de despons. impub.*, vel dissolutionem debere fieri per sententiam absolutoriam Iudicis *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. §. 1. cas. 8. Siluester verb. sponsalia q. 10. cas. 12. Bartolomeus de Ledesma de matrimon. dub. 13. c. 13.* Nihilominus

Hostiensis. Ioannes Andreas. Henricus. D. Antonin. Siluester. Bartolomeus de Ledesma.

3 *Sanchez. Probabilius sponsalia dissoluuntur.*

Respondeo, in foro interno illa sponsalia esse dissoluta *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 52. num. 17. vers. credo tamen satis esse.* Ratio ex eo deducitur, quià non potest esse subsistentia contractus, vbi pro tempore, quo debet conualidari non est consensus, sed potius dissensus, sed pro tempore pubertatis coram Deo, & in foro conscientiæ non est consensus conualidans eundem contractum, sed potius dissensus, vt supponitur, ergò &c. Neque obstat, si asseratur, dissensum illum vt potè merè internum non esse sufficientem ad dissoluendum verum consensum internum, & expressum sensibilitate extrinseca, nam sicuti consensus merè internus nullo modo obligat, nec etiam in foro interno, ità nec dissensus purè internus nullo modo potest tollere obligationem ortam ex consensu vero externo, & sensibili. Non obstat, inquam, quià plura requiruntur ad constituendum, quam ad dissoluendum, tum quià ad constituendum morale contractũ positiuum requiruntur partes omnes constitutiuæ, ad dissoluendum sufficit, quod auferatur vna dumtaxat pars substantialiter requisita; tum quià contractus est quid positiuum, & bonum, distractus autem, seù dissolutio eiusdem contractus est, quid negatiuum, & malum, bonum autem ex integra causa, malum ex singulis defectibus; tum quià contractus exigit causas positiuas, dissolutio eiusdem solum negationem, quæ cum sit malignantis naturæ totum destruit; sicque ad constituendum contractum humano modo non sufficit solus consensus internus, sed requiritur etiã sensibilitas, qua indicetur, ad dissoluendum autem sufficit sola negatio eiusdem consensus per dissensum, qui tollit formam substantialem eiusdem. Confirmatur primò ex superius dictis, quià, si quis constituerit procuratorem ad cõtrahenda sponsalia nomine sui ipsius cum absenti, & posteà antequam procurator contraheret per actum merè internum reuocauerit mandatum, & consensum eidem delatum contractus per procuratorem initus non subsistit. *Glosa in clem. vnica de renunt. verb. ignorantem, Glosa c. nec illud 30. q. 5., Felinus c. edoceri num. 11., & c. ex parte num. 9. de rescript.*, hocque expressè habetur *in c. fin. de procurat. in 6.*, vbi sic legitur. *Sanè si procurator antequam contraxerit à Domino fuerit reuocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem (licet tàm ipse, quàm ea, cum qua contraxit reuocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit*, ergò etiã si quis in statu impubertatis contraxerit sponsalia, & posteà tempore ratificationis eiusdem, scilicet cum peruenerit ad pubertatem per actum internum eadem reuocauerit nullius roboris erunt, nec momenti. Consequentia probatur, quià, si defectus consensus purè interni sufficiens est in primo casu ad inualidanda sponsalia, cur non erit sufficiens defectus eiusdem ad eadem inualidanda in secundo casu?

4 *Ad dissoluendum sufficit ablatio vnius partis substantialis.*

5 *Reuocato ante contractum mandato per actum internum non subsistit contractus.*

Glosa. Felinus.

6 Dices ex dictis in præcedenti §., si impubes

pubes, antequam peruenerit ad pubertatem per actum interni dissensus reuocauerit eadem sponsalia, nec posteà eueniente pubertate eundem internum dissensum retractarit, absolutè non inualidantur sponsalia præcedentèr inita, ergò per dissensum purè internum eadem nō possunt reuocari, seù dissolui. Sed contrà, quià in præcedenti casu, ideò per illum dissensum internum sponsalia non reuocantur, nec dissoluuntur, quià ille dissensus, cum sit elicitus tempore impubertatis non est sufficiens, nec validus, cum pro eo tempore ex dispositione iuris reuocans reddatur incapax ad reuocandum, quinimmò etiam esset inualidus, quantumuis per sensibilitatem extrinsecam esset elicitus, non quià præcisè sit dissensus internus; in præsenti autem casu ille dissensus, cum sit elicitus tempore pubertatis, non est, cur non debeat esse validus, adeoque non currit paritas.

Actus internus dissensus ante pubertatem elicitus, & non reuocatus in pubertate non est validus.

7 Confirmatur vlterius responsio, quià, si quis per consensum fictum internè contraxerit sponsalia, licet omnia quoad sensibilitatem extrinsecam posuerit inualidè omninò contraxit ob defectum formæ substantialis per superius latè probata, ergò defectus solius consensus interni sufficiens est absolutè ad inualidanda eadem sponsalia, non obstante quòd sensibilitas extrinseca perseueret; sed in nostra hypothesi consensus internus verè deficit, cum fuerit sublatus per positiuum dissensum, ergo &c. Adde, quod si quis fictè constituerit procuratorem ad contrahenda sponsalia nomine proprio, fine animo tamen contrahendi, vel se obligandi, & posteà,

Sponsalia ficta non tenent ob defectum actus interni.

8 antequam procurator contraxerit per verum consensum internum reuocauerit fictionem, contractus ille verò tenet per ea, quæ docuimus *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. prænot. 5. sect. 7. assert. 6.* & docent *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 2. §. 2. Gutierez cap. 43. nu. 15. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 11. num. 13. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 3. n. 272.* ergo, si per consensum purè internum potest constitui validum, sed quod secundum se fuisset inualidum, per dissensum etiam purè internum poterit constitui inualidum id, quod antecedentèr erat validum.

Fictio reuocatur per actū merè internum. Henriquez. Gutierez. Sanchez.

9 Ad id, quod ex aduerso afferebatur, dicendū esse ea omnia procedere quoad forum duntaxat externum, & contentiosum; cum etenim illa sponsalia fuerint celebrata cum omnibus requisitis in facie Ecclesiæ, eadem Ecclesia semper præsumit pro validitate eorundem, nisi sensibilitèr eidem constet de reuocatione prioris consensus, adeoque exigit, quod reclamatio fiat coram Episcopo, vel eius vicario, & absolutio debeatur per Iudicem. Cæterum quoad forum internum animæ nullam vim habent, cum semper verificetur, quod deficiat forma substantialis contractus.

Procedunt solū quoad forum externum.

§. XL.

An contractus sponsalium sub conditione initus trahatur post conditionis euentū ad initium, quandò ab initio fieri non potuit.

SVMMARIVM.

Refertur disquisitionis casus particularis. 1.
Contractus non refertur ad sui initium, sed indiget nouo consensu. 2.
Vim habet solummodò à dispensatione Pontificis. 3.
Non refertur ad initium etiam, si iuramento fuerit firmatus. 4.
Soluuntur argumenta aduersa. 5.

DIsquisitio XL. Contraxerant inter se sponsalia Titius, & Meuia consanguinei, & addita conditione, *si Pontifex dispensauerit*. Facto verbo post huiusmodi contractum cum ea conditione cum Pontifice posita fuit dispensatio, vt posset pro libito non obstante consanguinitate contrahere matrimonium. Hic excitata fuit controuersia, an ille contractus post illam dispensationem trahatur ad suum initium, ità vt in ordine ad eadem sponsalia non indigeat nouo consensu, an verò non solum in ordine ad matrimonium requiratur nouus consensus, sed etiam in ordine ad sponsalia, si in eisdem per aliquod temporis ante matrimonium velint persistere. 1

Pacti series exposita.

Respondeo, cum contractum ad suum initium non referri, adeoque requiri nouum consensum ad ipsius validitatem. *Siluester verb. matrimonium 3. qq. Francisc. de Aret. in l. apud Iulianum §. continet ff. de leg. 1. Gutierez lib. 1. can. qq. cap. 22. & tract. de matrim. c. 78. Rota Rom. in valentina matrimonij coram Blanchetto die 24. Ianuarij 1578. In Taurinensi coram Gripno 2. Decembris 1594. In Abulensi matrimonij 28. Maij 1595. apud Farinaceum in decis. criminalib. decis. 107. num. 4. In Colimbriensi sponsalium 26. Octobris 1606. apud Buratum decis. 203. n. 6. & seqq. August. Barbosa tom. 1. in collect. ad decret. lib. 4. tit. 5. c. super eo n. 8. Sotus in 4. dist. 29. art. 1. vers. quod autem.* Ratio ex eo deducitur primo, quià consanguinei contrahentes sponsalia, vel matrimonium sub ea conditione, *si Papa dispensauerit* pro eo tempore erant omninò inhabiles ad contrahendum, ergò accedente posteà Pontificis dispensatione, vt contractus sit validus, nouus requiritur vtriusque con- 2

Indiget nouo consensu. Siluester. Franciscus de Aret. Gutierez. Rot. Rom. Barbosa. Sotus.

Contrahentes pro eo statu sunt inhabiles. contrahentis consensus; Consequentia tenet, quià quod à principio erat inualidum in sua radice, non potest secundum se conualescere, ex vulgatis iuribus. Secundò, quià contractus ille præscindendo à Pontificis dispensatione, est omninò inualidus, ergò totam vim sumet dependentèr ab eadem dispensatione, & ad normam eiusdem, sed Pontifex in dispensatione intendit solummodò facultatem cōcedere contrahendi, & constituere habiles eos, qui alias erant inhabiles, non approbare id, quod illicitè, & inualidè factum, ergò &c. Tertiò, quià vel huiusmodi contrahentes consanguinei in illa celebratione contractus voluerunt se obligare de præsenti ad sponsalia, vel ad matrimonium contrahendum, & ad procurandam dispensationem; Neutrum dici potest *quoad effectum aduersantem nostræ responsioni*, ergò &c. Non primum, quià cum sint inhabiles ad sic contrahendum, iusque resistat huiusmodi contractibus, non possunt validè contrahere; Non secundum, quià, quantumvis illa conuentio inter ipsos subsisteret, per illam tamen non constituitur contractus, sed promissio de contrahendo, postquam obtenta fuerit talis dispensatio, ergò tunc ad constituendum validum contractum requiritur nouus vtriusque contrahentis consensus, sicque illa prior conuentio suspenditur vsque ad tempus licitum, quo posteà adueniente debent per nouum consensum contrahere.

3 *Pontifex non approbat factũ, sed permittit faciendum.*

4 *Etiam, si iuramento fuerit firmatus.* Gutierez. Valerus. Bossius.

Amplia responsionem, vt procedat etiam, quantumvis contrahentes inierint illa sponsalia sub illa conditione sub iuramento, *Gutierez. d. tract. de matrim. c.* 78. *Ioannes Valerus verb. matrimonium dif.* 7. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 10. *n.* 319. Ratio ex eo deducitur, quià iuramentum additum contractui inualido secundum se non potest illum reddere validum, cum sequatur naturam actus, cui adijcitur, & existente principali inualido accessoria quoque irritantur.

5 Neque aduersari potest responsioni, si asseratur primo, omnes conditiones honestas ex natura sua hanc sortiri rationem, vt statim eueniente conditione retrotrahantur, & purificentur, neque in hoc est aliqua lex excipiens quoad conditiones circà matrimonium, vel sponsalia. Quis autem dubitat illam conditionem, *si Pontifex dispensauerit* esse honestam, & rationabilem? Secundò, quià sic contrahentes sub illa conditione non contrahunt pro tunc, sed pro tempore futuro impletæ conditionis, quo tempore sunt habiles, & nihil obstat; contractus autem est licitus, quandò per contrahentes ad licitum tempus transfertur per textum *in l. in tempus ff. de hæred. instit., & l. cedere diem ff. de verb. oblig.* Tertiò, quià, si instituatur spurius simplicitèr inualida est, institutio, si verò fiat sub conditione, *si Princeps eum legitimauerit* tenet, & obligat purificata legitimatione, *Paulus Durandus in tract. de impossib. condit.* 4. *p. c.* 6. *num.* 50., *Ioannes Valerus de dif. inter vtrumq; for. verb. matrimonium dif.* 7, ergò etiam quantumvis contractus sponsalium, seù matrimonij inter consanguineos sit inualidus, si tamen fuerit initus sub conditione, si Papa dispensauerit, tenebit, & obligabit purificata dispensatione. Quartò, quià, si colligitantes super beneficio inter se absolutè conuenerint de pensione, irrita est illa cōuentio vt potè simoniaca, si verò conuenerint sub illa conditione, si Papæ placuerit, vtique tenet supposita Pontificis approbatione, & beneplacito. *Felinus in c. ad audientiam* 2. *num.* 3. *de rescriptis*, *Rebuf. in prax. benef. tit. de permutat.* Non, inquam, aduersari potest; non primum; quià illud procedit solummodò, quandò contrahentes sunt habiles ad contrahendum, secus quandò inhabiles, vt in nostra hypothesi, nec relatio ad tempus, in quo potest esse licitus contractus, ipsum potest reddere validum ab initio, quià certum est non valere absque Pontificis dispensatione, quæ tunc non est, nec ea extraditur ad approbandum id, quod in sua origine fuit inualidum, sed ad efficiendum habiles contrahentes ad contrahendum, qui ante erant inhabiles; non secundum propter eandem rationem, quià inhabiles pro aliquo statu non possunt in illo existentes pro aliquo alio contrahere, quià inhabilitas in radice est inhabilitas absoluta. Non tertium, quià inhabilitas non est ex parte instituentis, sed ex parte instituti, qui si quandoque reddatur habilis potest gaudere institutione; inhabilitas autem in nostra hypothesi est ex parte contrahentium, seù præbentium consensum; Non quartum, quià illa conuentio iuxtà communem praxim supponitur habere vim solummodò simplicis tractatus, qui secundum se non facit contractum simoniacum, *Glosa in clem. vnica verbo volentibus de rer. permut.*

Argumenta aduersa afferuntur.

Paulus Durandus. Valerus.

Felinus. Rebuffus.

Soluuntur argumenta opposita.



DISQVI-

DISQVISITIONES III.

Ad reliquas omnes de sponsalibus I. Prænotiones.

§. I.

An sponsalia inter fidelem, & infidelem sub conditione, si hic fiat fidelis teneant à principio, an indigeant nouo consensu.

S V M M A R I V M.

Exponitur series difficultatis. 1.
Sententia asserens, non subsistere tunc sponsalia sine nouo consensu, & eius ratio. 2.
Illa sponsalia sub illa conditione valida sunt, & referuntur ad principium. 3.
Hoc est speciale in fauorē Religionis, & fidei 4.
Illa conditio non est generalis, nec ex natura sua inest. 5.
Ratio, propter quam huiusmodi sponsalia teneant, quando sunt conditionata. 6.

1 DIsquisitio I. Titius Fidelis contraxit sub hac conditione sponsalia cum Sempronia pagana. *Contraho tecum sponsalia, & promitto matrimonium futurum, si conuersa fueris, seù conuertaris ad fidem Catholicam.* Quæsitum fuit, an talia sponsalia tenerent, adeòvt purificata conditione conuersionis immediatè fuerint perfecta non expectato vlteriori consensu, an verò indiguerint nouo consensu ad sui substantiam.

Proponitur casus particularis.

2 Videtur absolutè dicendum, immediatè purificata conditione non fuisse perfecta, sed indiguisse nouo consensu argumento deducto ex ijs, quæ supra dicta sunt de consanguineis contrahentibus sub illa cōditione, *si Pontifex dispensauerit*; æquè enim nequeunt sponsalia, seù matrimonium contrahi inter fidelem, & infidelem, ac inter consanguineos; si ergò celebratis sponsalibus inter consanguineos sub illa conditione, *Si Papa dispensauerit*, eadem non tenent, nisi superueniente dispensatione nouos consensus addiderint, ità celebratis sponsalibus inter fidelem, & infidelem sub illa conditione, *Si infidelis conuersus fuerit ad fidem*, eadem non tenebunt, nisi purificata cōuersione per nouos actus consenserint. Nihilominus

A paritate arguitur nō subsistere sine nouo consensu.

3 Respondeo, huiusmodi sponsalia sub illa conditione valida esse, referri ad suum initium, & purificata conditione sine nouo consensu compleri. *Siluester verb. matrimonium* 8. *q.*10.*num.*10., *Cucus lib.*5.*instit. tit.* 12.*num.* 93., *Ioannes Angelus Bossius de matrimon.contract.c.*10.*num.*296.,*&* 320.*vers. ad exemplum verò sponsaliorum*, *Sanchez lib.* 5. *de matrimon.disp.*5. *num.*24. *vers.*, *& in posteriori exemplo*, vbi refert innumeros Doctores. Expressè colligitur responsio *ex c. non oportet* 28. *qu.* 1. vbi Ecclesia videtur expressè permittere huiusmodi sponsalia, & quod Fidelis possit in domum accipere mulierem infidelem, vt notauit *Marcus Antonius Cucus lib.* 5. *instit.maior. tit.*12.*n.*93.

Valida sunt, & referuntur ad principium. Siluester. Cucus. Bossius. Sanchez.

Si autem inquiras, cur iura disponant, quod sponsalia fidelis cum infideli sub illa conditione, *si conuertaris ad fidem*, teneant, & purificata conditione perficiantur sine nouo consensu, cum tamen huiusmodi sponsalia secundum se, & absolutè inita inter eosdem sint omninò irrita, & tamen non disponant, quod eadem sponsalia inter consanguineos sub illa conditione, si Pontifex dispensauerit, teneant, nec indigeant eadem purificata nouo consensu. Sanchez *d. lib.* 5.*disp.* 5.*n.*24.non valdè premitur in solutione huius difficultatis, quandòquidem etiam loquens de sponsalibus consanguineorum initis sub illa conditione asserit eadem perfici sine alio purificata conditione dispensationis, eo quià ea est conditionis natura, vt suspendat actum, & eius absolutam obligationem in tempus impletæ conditionis, vt habetur *in l. cedere diem* 23.*ff. de verborum obligatione*, Sed hæc nobis suffragari nequeunt, quandòquidem hanc opinionem suprà reiecimus. Quamobrem 4
insistendo nostris principijs assero, hanc esse specialem iuris dispositionem permissam, & inductam in fauorem fidei, & religionis, vt faciliùs infideles reducantur ad fidem. Pro quo aduerte, inhabilitatem, quæ est inter fideles, & infideles contrahendi adinuicem sponsalia, seù matrimonium esse de iure positiuo, non de iure naturæ, vt videtur sensisse *Siluester verb. matrimonium* 8. *qu.* 10. *dict.* 3. vbi etiam pro se citat quandam Gasparem canonistam, cū igitur in hoc Pontifex possit dispensare, æquum maximè fuit, quòd dispensarit, potissimum cum hoc cedat maximè in nostrę fidei vtilitatem, non in præiudicium, nàm si infidelis non conuersus fuerit, non tenēt sponsalia, vtpotè quod conditio non est purificata, si verò fuerit conuersus, iam decor eiusdem fidei elucet, & Religionis augumentum, & propter hoc tenent DD. Pontificem *in d. c. non oportet* 28. *qu.* 1. dispensasse, seù permisisse huiusmodi conditionata sponsalia posse validè, & efficaciter contrahi.

Sanchez. Existimat etiam subsistere sub illa conditione, si Papa dispensauerit.

Est priuilegium speciale in fauorem Religionis. Siluester.

Impedimentum inter fidelem, & infidelem est de iure positiuo.

Si vlterius inquiras, cur inducta fuerit huiusmodi dispēsatio, seù permissio quoad sponsalia conditionata fidelis cum infideli, non autem quoad absoluta, cum ex istis etiam videatur posse resultare eiusdem Religionis augmentum. *Bartholomæus à Ledesma de matrim. dub.* 25. *de matrimonio* 5

Bartholomæus à Ledesma.

paulò

Sotus: *paulò post princip.* secutus Sotum videtur, quodammodò asserere, etiam si non fuerit apposita expressè illa conditio, illa sponsalia sustineri, quandòquidem illa conditio est generalis, quæ nihil facit, & tacitè inest, si infidelis conuertatur ad fidem, ea proportionali ratione, quâ hæc conditio est generalis, & tacitè inest; *Contraho tecum, si non est consanguinea*, eo quia cum consanguinea nec possunt subsistere sponsalia, nec matrimonium, quod etiam verificatur quoad matrimonium, & sponsalia fidelis cum infideli. Sed non libenter annuerem huic explicationi, quandòquidem cum illa conditio; *si non es consanguinea*, sit de præsenti, non potest suspendere, sicque vel constituet absolutè contractum, si non sit consaguinitas; vel ipsũ irritabit, si illa fuerit, conditio autem, de qua loquimur, pendet à futuro euentu, adeoque non tacitè inest. Quamobrẽ ad quæsitum dico, inta fauere expressè illis spõsalibus cõditionatis, quià illa conditio expressa attrahit ad Religionis augmentũ, ad quam iura in tali permissione respexerunt, quæ ratio atractionis non ità elucet, quandò sponsalia inter fidelem, & infidelem fuerint absolutè, & sine illa contracta.

Illa conditio non est generalis, nec ex genere suo inest.

6 *Nũ valent, quãdò sunt absoluta, & quare.*

§. II.

An Fideiussor adiectus sponsalibus adhuc teneatur, si deuentum fuerit ad matrimonium clandestinum.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo sensu accipiatur titulus propositus. 1.

Dispositio Concilij Tridentini annullantis matrimonium clandestinum. 2.

Irritatur matrimonium clandestinum, quantumuis iuramento firmatum. 3.

Fideiussor adhuc tenetur, nec absoluitur ratione matrimonij clandestini. 4.

Tridentinum est correctorium iuris antiqui, & strictè interpratandum. 5.

Annullat obligationes ex eodem contractu nullo, non antecedentes ex contractu valido. 6.

1 *Dilucidatur status controuersia.*

Disquisitio II. Celebratis sponsalibus inter Meuium, & Caiam, adiectus fuit eisdem pro securitate adimplementi fideiussor Sempronius. Posteà alio non expectato, nullaque seruata iuris solemnitate per præsentiam Parochi, & testium ijdem deuenerunt ad matrimonium per verba de præsenti. Quæsitum hic fuit, an fideiussor, qui fuerat adiectus sponsalibus, adhuc remaneat obligatus pro adimplemento.

2 Concil. *Trident. sess.* 24. *de reformat. matrim. c.* 1. annullat quodcunque matrimonium, quod celebratum fuerit non seruata iuris solemnitate ab eodem præscripta, hoc est non adhibita præsentia Parochi, & testium. Ibi- *Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seù ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Sinodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit; & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit; prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat*; ex quo decreto, seù iuris dispositione asserũnt DD communitèr, quod ex illo nulla oriatur obligatio, nec ciuilis nec naturalis, nec illud resoluitur in sponsalia, quantumvis fuerit iuramento firmatum; *Gutierez tract. de iuram. confirm. c.* 51. *n.* 21., *in practicis qq. lib.* 2. *q.* 4. *n.* 12., *& de matrim. c.* 11. *num.* 1. *Franciscus Molinus lib.* 1. *de rit. nupt. comp.* 19. *num.* 128. *Caualus quæst.* 604. *nu.* 7.; si igitur principales contrahentes eximuntur per matrimonium clandestinum à quacunq; obligatione siuè ciuili, siuè naturali, sequitur ex directo, quod etiam eximatur fideiussor, qui non potest obligari magis, quam principalis, & fideiussio non potest subsistere sine obligatione aliqua, vel ciuili, vel naturali. Nihilominus.

Decretum Cõcilij Trid. per extensum.

3 *Matrimonium clandestinum, quantumvis iuratũ infirmum.* Gutierez. Molinus. Caualus.

Respondeo, fideissorem in ea hypothesi adhuc teneri, nec absolui ratione matrimonij clandestini posteà contracti; *Brixianus in repert. decis. Canalcani verbo matrimonium. Caualcanus part.* 3. *decis.* 21. *n.* 44. *Sanchez lib.* 1. *de matrim. disp.* 17. *n.* 1. *Franciscus Molinus lib.* 2. *de rit. nupt. dis.* 11. *nu.* 159. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 1. *n.* 15., *& n.* 27. *in fin.* Ratio ex eo deducitur, quià priora sponsalia, vtpotè legitimè contracta absolutè tenent, nec dissoluuntur ex matrimonio clandestino posteà contracto, sed existentibus præcisè sponsalibus fideiussor remanet absolutè obligatus, sicuti ciuilitèr, & naturalitèr obligantur principales contrahentes, ergò &c. Maior quoad primam partem non vertitur in dubium; quoad secundam probatur, quià Concilium Trident. in hac parte est correctorium, & restrictorium iuris communis antiqui, ergò strictè est interpretandum, ità vt non extendatur vltrà expressam eiusdem dispositionem, sed concilium præcisè annullat, & irritat matrimonium clandestinum sine præsentia Parochi, & testium, adeò vt ex eodem nulla penitus oriatur obligatio, non autem annullat iura præcedentia, vt patet ex eiusdem Concilij expressis verbis, ergò ex vi matrimonij clandestini non dissoluuntur sponsalia antecedentèr legitimè inita, ex quibus soluuntur omnia, quæ ex cod. Concil. Trid. afferuntur.

4 *Fideiussor adhuc remanet obligatus.* Brixianus. Caualcanus. Molinus. Bossius.

5 *Est strictè interpretandum, nec extendendum vltra expressa.*

6 Nec obstat, quod d. Concil. Trident.

loco cit. annullat quamcunque actionem, & obligationem, quæ consurgere posset post dictum matrimonium clandestinum; Non obstat, inquam, quià irritat quidem quascunque actiones, & obligationes, quæ cæteroqui præscindendo ab ipsius dispositione consurgerent ex eodem matrimonio clandestino, non illas actiones, & obligationes, quæ ex natura suâ pullulant ex alio contractu antecedentèr legitimè, & seruato iuris ordine inito, cuiusmodi sunt illæ, quæ consurgunt ex sponsalibus anteà legitimè celebratis; nec dici potest, huiusmodi actiones, & obligationes dissolui quodamodò in pœnam delicti commissi in celebratione matrimonij clandestini; Non, inquam, dici potest, quià nullibi reperitur huiusmodi pœna imposita sic delinquenti, quæ propterea non debet pro libito apponi, cum pœnæ sint stricti iuris, nec extendendæ vltra expressa. Accedit, quod Concil. Trident. constituit sic contrahentes inhabiles quoad illum præcisè contractũ clandestinum, non tamen in ordine ad cõtrahendum posteà cum eadem seruatis iuris solemnitatibus, vt ex contextu verborum clarè eruitur, non enim inducit inhabilitatem absolutè, sed dumtaxat limitatè, ne ex illa clandestinitate oriantur fraudes, adulteria, & similia, vt ex proemialibus eiusdem dispositionis manifestè colligitur, ergò nec constituit inhabilitatem ex contractibus antecedenter initis, & absolutè validis. Consequentia tenet, quià non est maior ratio, cur non inualidet contractus subsequentèr ineundos, & non antecedenter initos, cum non absolutè constituat contrahentes inhabiles.

Annullat eundem contractum non antecedentes, nec subsequentes ex alio capite licitos.

Non potest esse in pœnâ cum hæc pœna non sit in iure statuta.

§. III.

An fideiussor adiectus matrimonio clandestino saltem teneatur pro interesse.

SVMMARIVM.

Exponitur, in quo sensu accipiẽdus sit titulus. 1.
Sententia obligans ad illius interesse compensationem, illiusque rationes. 2.
Sententia deobligans fideiussorem ab illius interesse solutione præfertur. 3.
Etiam si vterque contrahens fuerit ignarus nullitatis matrimonij. 4.
Soluuntur rationes opposita. 5.

1 *Pacti series in suis terminis particularibus*

DIsquisitio III. Dictum fuit in præcedentibus posse sponsalibus licitè, & validè adijci fideiussores pro securitate matrimonij futuri sine læsione libertatis eiusdem matrimonij, non quidem in ordine ad aliquam pœnam soluendam, benè tamen in ordine ad arrhas, & pro interesse damni emergentis. Hoc supposito Titius, & Caia contraxerunt non quidem præcedenter sponsalia, sed immediatè matrimonium, non seruata iuris solemnitate hoc est sine præsentia Parochi, & testium, illique Titius adiecit fideiussores. Ex prædictis certũ est, fideiussores adiectos matrimonio clandestino non remanere obligatos pro securitate eiusdem matrimonij, cũ nulla oriatur in cõtrahẽtibus obligatio ciuilis, nec naturalis. Hic iã cõtrouertitur, an saltem fideiussor in ea hypothesi, obligatus remaneat pro interesse damni emergentis.

Videtur absolutè dicendum, pro huiusmodi interesse fideiussorem obligatum remanere, si quidem ipse principalis obligatus remanet de iure naturæ; æquitas quippe naturalis exigit, vt qui in ordine ad aliũ intuitu contractus inter eosdem initi expensas aliquas fecit, in eisdem ab eodem resarciatur; non etenim illud interesse est effectus aliquis contractus, qui sit nullus, sed effectus iustitiæ commutatiuæ generalis, quæ dictat, quod vnus pro alio damnum inuitus non consequatur etiam extra contractum, maximè si ille alter, pro quo patitur in aliquo iure deficiat. Nihilominus 2 *Rationes evincentes teneri ad illius interesse solutionem.*

Respondeo, nec principalem, nec fideiussorem obligatum remanere pro illo interesse. Ratio ex eo deducitur, quià illa obligatio non consurgit, nec ex vi contractus, nec ex vi iustitiæ illius commutatiuæ generalis; non ex vi illius, quià cum absolutè sit nullus, nullam potest parere obligationem, nullum gignere effectum *l. sicut ff. de oper. libert. l. non putauit §. non quavis de bon. possess. contra tabul.*, non ex vi illius iustitiæ commutatiuæ generalis, quià, cum ille, qui huiusmodi expensas fecit, nouerit contractum illum non posse subsistere, & nihilominus easdem fecerit, videtur spontè fecisse, & debet sibi imputare, quod fecerit, non ab alio exigere compensationem eius, quod spontè fecit. Neque obstat, si dicatur, quod etiam alter, intuitu cuius illæ expensæ factæ sunt nouerit contractũ illum nullius roboris esse potuisse; adeoq; quod cũ sit reus culpæ in sic contrahendo secundum aliquam portionem saltem teneatur. Non obstat, inquam, quià cognitio istius de nullitate contractus non tollit, quin alter sciens nullitatem, & consentiens expensas illas fecerit, nec effecit vt vis aliqua alteri inferatur ad illas faciendas, qui propterea debet sibi imputare; non in alterum, quantumvis non ignorantem refundere. 3 *Fideiussor non obligatur ad illud interesse.* *Cognitio vnius non tribuit ius alteri scienti.*

Quod si supponas, vtrumq; contrahentem ignarum fuisse illius nullitatis, & tunc inquiratur, an in ea hypothesi saltem fideiussor teneatur ad illud interesse; Respondeo primò, illam ignorantiam, vt potè iuris notissimi post Tridentinum non præsumi, adeoque idem dicendum videtur, 4 *Ignorantia illius iuris vtpotè notissimi non præsumitur*

tur, quod mox dictum fuit, quando contrahentes, sunt conscij illius nullitatis. Secundò dato etiam, quod fuerint ignorantes, sentiendum existimo, nec alterum contrahentem, nec fideiussorem teneri ad illius interesse compensationem, quandoquidem illa dissolutio contractus non prouenit ex causa, seù culpa eiusdem contrahentis, sed ex dispositione iuris irritantis eundem contractum, quod autem ex culpa vnius nō oritur, eidē imputandum non est, ea proportionali ratione, qua, si contraheretur matrimonium inter consanguineos ignorantes consanguinitatem, vel impedimentum ex eadem consurgere, & per alterum factæ fuerint expensæ damnum earūdem est ipsius facientis imputandum & eiusdem conditioni, non alteri. Hoc intellige quoad ea, quæ vel in ipsis nuptijs, vel subsequenter consumpta sunt, non quoad arrhas, aliasque res permanentes; quæ titulo donationis propter nuptias in alterum translata sunt, quandoquidem hæc nullo penitus discrepante restituenda sunt ei, qui eadem contulit; cessante etenim fine donationis cessare debet, & eadem donatio, & ex contractu nullo nullus debet acquirere ius aduersus alterum.

Intellige quoad consumpta, nō quoad permanentia.

5 Quamobrem ad ea, quæ ex aduerso dicebantur, iam patet quid dicendum est; licet enim quando quis fine legitima causa recedit à sponsalibus iam contractis fideiussor obligetur quoad illud interesse, non tamen obligatur quoad illud, quando ex clandestinitate matrimonium dissoluitur, quià in primo casu ex sponsalibus oriebatur obligatio, in secundo autem nulla oriri poterat, adeoque &c. In primo recessus esset ex culpa, & arbitrio recedentis; in secundo ex dispositione iuris irritantis altero nullam vim conferente. Ad id, quod subditur de iustitia commutatiua iam liquet ex dictis, quid sit dicendum, nec eadem iustitia commutatiua exigit compensationem damni, quando damnificatus sua sponte, & sciens, & consentiens passus est, nec potest dici inuitus, cum sciuerit contractum, in ordine ad quem illas expensas contulit, non posse subsistere.

Recessus est ex dispositione iuris irritantis.



§. IV.

An fideiussor adiectus matrimonio clandestino pro omni eo, pro quo intuitu eiusdem, & consequentium ad idem obligari potest principalis, teneatur ad aliquid ratione iniuriæ, si principalis fœminam deflorauerit.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in suis terminis. 1.
Prima sententia negans principalem teneri. 2.
Secunda sententia affirmans teneri, eiusque rationes. 3.
Media sententia asserens non teneri ad totum, sed tantum ad augmentum. 4.
Principalis obligatur ad augmentum, si parentes filia deflorata fuerint ignari matrimonij clandestini. 5.
Probabilius fideiussor non tenetur subsidialiter ad conferendum illud augmentum. 6.

1 Disquisitio IV. Inito tractatu de contrahendo adinuicem matrimonio inter Meuiam, & Caium, & conditionibus inter eosdem statutis adiecerunt pro eiusdem, seù earum complemento fideiussorem Franciscum, qui non solum se obligauit pro effectuatione conditionum statutarum, sed etiam pro omnibus damnis, & interesse, quæ inde consurgere potuissent eidem Caiæ, si matrimonium illud non fuisset initum vsque ad eiusdem matrimonij perfectum complementum. Contractum fuit inter eosdem posteà matrimonium, sed clandestinè non seruata iuris solemnitate, hoc est non adhibito Parocho, & testibus in celebratione eiusdem, & intuitu, & prætextu eiusdem matrimonij Titius Caiam deflorauit, & posteà Concilij Tridentini fretus dispositione eandem recusabat, asserens præfatum matrimoniū fuisse ipso iure inualidum, nec reualidari posse ex subquenti defloratione, quamvis prætextu eiusdem matrimonij habita. Hic duplex excitata fuit controuersia. Prima, an ipsemet Titius in ea hypothesi teneatur defloratæ dotem constituere, seù damna ex defloratione secuta ei resarcire. Secunda, an Franciscus, qui accessit vt fideiussor pro quolibet damno, & interesse vsque ad perfectum, & legitimum matrimonij complementum teneatur in subsidium ad eandem dotem, seù damnorum ex defloratione prouenientium reparationem.

Status difficultatis dilucidè expositus.

2 Quoad primam difficultatem absolutè negant Titium teneri, vel ad dotem, vel ad reparationem damnorum ex defloratione

Sententia negās principalē teneri.

Nauarrus. Bartolomeus à Ledesma, Brixianus, Sanchez,

ratione prouenientium constituendam. *Nauarrus in summa c. 16. num. 16., & lib. 4. sponsaliorum tit. de sponsalib. in prima edit. cons. 1. n. 4., in 2. tit. de clandest. desponsat. cons. 3. n. 4. Bartolomeus à Ledesma de matrim. dub. 19. in fin. Brixianus in repert. decis. Caualcan. verb. matrimonium sine denunt. n. 2., vers., & quando secuta esset deflor. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 21. n. 6.*, qui omnes ea potissimum mouentur ratione, quià ad quid magis non tenetur deflorator Virginis post contractum matrimonium clandestinum, ac sine illo teneatur deflorator Virginis consentientis, & non deceptæ, siquidem virgo post contractum matrimonium clandestinum scire debuit, se decipi in illa defloratione deficiente forma concil., quæ adeò vulgaris est, & nota, vt non præsumatur subterfugere cuiuscunque cognitionem, sed deflorator puellæ volentis, & leuitèr rogatæ in foro conscientiæ ad nihil tenetur, quià volenti, & consentienti nulla fit iniuria, & puella est domina sui corporis etiam ad scindenda claustra virginitatis per textum *in c. 1. verb. si seduxerit de adult. Nauarrus in summa cap. 16. nu. 16.*, ergò neque deflorator eiusdem post contractum matrimonium clandestinum ad aliquid tenebitur versus eandem. Confirmatur, quià huiusmodi deflorator post contractum matrimonium clandestinum non tenetur nec ratione contractus, nec ratione iniuriæ illatæ; non ratione primi, quià cum sit nullus nullum potest parere effectum nullámque inducere obligationem ex vulgatis iuribus; non ratione secundi, quià iniuria non est respectu consentientis in ijs, quæ iuris sunt ipsiusmet consentientis.

Dispositio Concil. Trid. notissima est, & vulgaris.

Nauarrus.

Non tenetur nec ratione contractus, nec ratione iniuria.

3 Ex aduerso affirmarunt teneri ad reparationem damnorum indè prouenientium *Gutierez de matrim. c. 11. nu. 33. Hieronimus Venerus lib. 1. examin. c. 37. n. 10. Iacobus Cancerius in var. resolut. tom. 3. c. 11. num. 47.*, qui ea potissimum mouentur ratione, quià, quantumvis daremus nullam eidem Virgini irrogatam esse iniuriam, non demitur tamen, quin magna sit irrogata eiusdem parentibus, maximè si fuerit sub eorum cura, cum teneantur ex vno capite sufferre infamiam, & ex alio pinguius eandem dotare, si velint iuxtà congruentiam proprij status eandem matrimonio coniungere. Limitant tamen in suppositione, quod ijdem parentes non consenserint matrimonio clandestino, nam si consenserint nullum penitus ius haberent ad illum reparationem ex iuris regula, quod is, qui actui consentit non amplius potest eum reuocare aut impugnare, ac si idemmet ipse fecisset per textum *in l. non videtur ff. si quid in fraudem patron. l. cum Pater §. libertis ff. de legat. 1.*

Sententia affirmans teneri. Gutierez, Venerus. Cancerius.

Iniuria irrogatur parentibus, & quomodo.

Media via alij procedunt dum asserunt huiusmodi defloratorem non teneri quidem ad dotem simpliciter, sed tantum ad augmentum dotis, vt consequi possit corrupta maritum, & æqualem *Coaruuias in 4. decret. tit. de sponsal., & matrim. part. 2. c. 6. § 8. n. 15. Petrus Nauar de restit. c. 3. n. 439.* quibus assentiri videtur *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. nu. 23., & seqq. Rot. Rom. decis. 74. criminalium apud Farinacium tom. 1. consil. crimin., & decis. 779. part. 4. in nouis. Penia.* Rationem ex eo adducunt, quià parentes ex illa defloratione, cum ius habeant, vt congruè nubat filia, & ratione eiusdem violationis sine augmento non posset nubere, damnum paterentur, ergò actionem acquirunt aduersus defloratorem, vt illud augmentum sibi conferatur ad congruè, & commodè eandem matrimonio iungendam.

Sententia docens teneri ad augmentum. Coaruuias. Petrus Nauar. Bossius. Rot. Rom.

Quoad secundam difficultatem mensuranda res videtur ad normam obligationis cui subesse debet ipse principalis deflorator; si enim ipse ad nihilum tenebitur, nec tenebitur fideiussor, cuius obligatio cum sit accessoria non potest subsistere sine principali; si verò principalis obligabitur ad integram dotem, & ipse videtur ad eandem integrè persoluendum subsidialitèr; si verò ille ad augmentum solummodò, & iste ad illud solum. Quid ergò concludendum.

Onus fideiussoris regulatur ad normam oneris principalis.

5 Respondeo primò ad primum probabilius esse, si parentes fuerint ignari de matrimonio clandestino propriæ filiæ, & Titius prætextu eiusdem matrimonij cum deflorauerit teneri eundem Titium ad id conferendum supra dotem eiusdem, quo commodè possit nubere. Ita vltra DD. præallegatos *Bernardus Diaz, & cum eo Salzedo in pract. can. c. 77. qui est c. 89. in vltima impressione Cacheranus decis. 107. num. 10. Cancerius in var. resol. tom. 3. c. 11. num. 130.* Ratio ex eo facilè deducitur, quià parentes ius habent iungendi propriam filiam iuxtà decentiam proprij status, & ne ex culpa alterius, vt eam commodè locent, compellantur eum dotare supra id, quod iuxtà id, quod exigit eorum conditio ex consueto erogaret, si non esset deflorata, ergò cum ratione deflorationis teneantur, si congruè velint iungere, quod magis erogare poterunt iustè à defloratore illum excessum exigere; quod enim ex vnius culpa notum est, ex eiusdem ære luendum est; Neque obstat, si asseratur id, quod in prima opinione dictum est, scilicet virginem esse dominam sui corporis etiam ad scindenda claustra virginitatis, nec in hoc dependere à iurisdictione, & voluntate parentum, adeoque parentes ex illa violatione nullum ius acquirere; Non obstat, inquam, quià quantumvis parentes non habeant ius absolutè in corpus propriæ filiæ, habent tamen ius ad conseruan-

Sententia nostra quoad principalem exponitur. Bernardus Diaz. Salzedo. Cacheranus. Cancerius.

Ex illa defloratione consurgit onus in parentibus augendi dotem.

seruandum splendorem propriæ familiæ, adeoque, quod illa non teneatur nubere cum eiusdem familiæ dedecore, quod certè eueniret, nisi suprà consuetam dotem erogarent, neque eidem iuri eadem filia potuit cedere, cum sit in detrimentum status. Quod si vlterius vrgeas, quoad matrimonium filiam non dependere à voluntate parentum, adeoque etiam posse nubere validè extrà gradum propriæ conditionis *Vasquez in opusc. de restitut. c. 3. de stupro §. 2. dub. 4.*; adhuc impugnaberis, quià cum filia intelligatur esse sub cura parentum, quatumvis daremus ex propriæ voluntatis arbitrio posse nubere cuicunque voluerit etiam inferiori independentèr à voluntate parentum, ex honestate tamen non tenetur virum sibi quærere, sed à parentibus debet expectare, qui iuxtà ordinem naturalis rationis, & politicæ æquitatis debent eandem iungere æquali in ordine, & conditione, quod, cum nequeant præstare intuitu illius deflorationis nisi supplendo per excessum dotis id, quod deficit in integritate eiusdem filiæ, ius vtique habent, & actionem ad illum excessum exigendum à stupratore.

Habent ius conseruando splendorem familiæ

Fæmina nō quærunt sibi virum, sed parentes ipsi.

Tandem si vrgeas, quod licet parentibus fiat iniuria, quatenus censetur lædi honor, & decus familiæ, non tamen fiat iniuria, quæ sit speciale peccatum contra specialem iustitiam, adeoque non debeat onere ex iustitia compensari, præcipuè cum bona famæ, & honoris non possint compensari per bona fortunæ; statim impugnaberis, quià, quantumvis bona famæ, & honoris regularitèr nequeant compensari per bona fortunæ, cum sint altioris ordinis, damnum tamen, quod consequitur ad amissionem talis famæ, & honoris potest validè compensari, cum sit in eodem ordine, vt videre etiam est in compensatione damnorum temporalium, quæ consurgunt ex læsione vitæ, & corporis.

Non honor compensatur per pecuniam, sed damnum, quod consequitur ad honorem læsum.

Ad confirmationem responsionis maximè facit *decisio Rotæ Romanæ 779. part. 4. in Nouissimis Peniæ*, quæ ad verbum refertur à *Martha tom. 3. digestorum tit. dos c. 66.* Ibi: *Conclusum fuit, quod Ioannes, qui illam viri potentem deflorauerat ad congruè dotandam cogendus esset, quam si vxorem duxerit, satis esse, si dotem iuxtà puellæ qualitatem, regionisque consuetudinem constitueret; sin autem nuptias rennendas putauerit ad illud supplendum teneri, quo magis indiget corrupta, vt virum sibi æqualem inueniat, atque defloratorem, qui causam damni dedit ad compensandum teneri.*

Decisio Rotæ maximè apta ad rem nostrā.

Ex quibus omnibus habes, quid respondeas ad id, quod in prima sententia afferebatur, quod scilicet scienti, & consentienti nulla fiat iniuria, & per consequens nulla fieri debeat compensatio. Habes, inquam, si dicas ex illa defloratione duplicem quodamodò consurgere ex genere suo iniuriam, alteram in fæminam defloratam, cui, si consentiat, cedit, alteram in parentes, & familiam, cui ipsa nequit cedere; vndè si in his ex illa iniuria aliquod damnum oriatur in congruè illam matrimonio iungendo seruato æquitatis ordine vtique debet compensari.

Duplex consurgit iniuria, altera in fæminā, altera in familiam.

6 Respondeo secundo ad secundam, probabilius esse in ea hypothesi fideiussorem ex illa defloratione non teneri subsidialitèr ad conferendum id, ad quod tenetur ipsius principalis, qui deflorauit. Ratio ex eo deducitur primò, quià fideiussor se obligauit præcisè in fauorem fæminæ pro omni eo iure, quod ipsa acquisiuit, seù acquirere potuit ex eo, quod alter recedat, seù recesserit ab implemento matrimonij promissi, non pro iure, quod alij ab ipsa acquirere potuerint ex aliquo effectu prætextu eiusdem matrimonij secuto, quandòquidem ipsa fideiussio est contractus stricti iuris, adeoque potius restringenda, quam extendenda per ea, quæ diximus *tom. 4. sub tit. Contractus XII. de fideius. & assecur. prænot. 1. n. 8.*, sed ex illa defloratione nullum ius acquiritur, seù acquisitū fuit ipsi fæminæ defloratæ; vtpotè, quæ spontè consensit, & consentienti nulla fit iniuria, sed ad summum parentibus ipsius iuxtà ea, quæ diximus in præcedenti responsione, ergò cum non se obligauerit parentibus pro iure ipsorum, sed tantum ipsi fæminæ pro iure proprio, & illud ius potius ad parentes pertineat, quam ad ipsam, fideiussor non tenebitur pro illo iure; Neque dicas, ius parentum acquiri dependenter ab actione exercita prætextu matrimonij promissi, & redundare in fauorem eiusdem fæminæ, cui cedit, seù cederet quidquid erogaretur ratione illius actionis; contra enim impugnaberis, quià, quantumvis parentes acquirant illam actionem dependenter ab opere exercito prætextu matrimonij, & illa actio cedat in fauorem fæminæ defloratæ, non propterea sequitur fideiussorem obligari ad illam, cum non se obligauerit ad quidquid posset acquiri ex illo matrimonio actione aliorum, sed tantum actione propria. Secundò, quià fideiussio obligat tantum ad normam intentionis fideiubentis, & pro ijs, in quibus ipsius principalis deficeret renuente altero, in cuius fauorem se obligauit, sed principalis eiusdem fideiussoris non defecit altero renuente, sed spontè consentiente, ergò pro eo, in quo sic defecit, non tenetur, adeoque aduersus ipsum pro eo nulla actio poterit intentari; Neq; dicas, quod licet principalis defecerit altero consentiente, non eximitur tamen ab onere reparationis damni indè secuti in ordine ad parentes, ergò etiam non eximetur ipsius fideiussor subsidialitèr à tali onere; cum obligatio fideiussoris semper

Fideiussor non obligatur ad illud augmentum.

Obligatur pro iure fæminæ, non pro iure parentum.

Et pro ijs, in quibus contrahentes discordant non pro ijs, in quibus conueniunt.

semper comitetur obligationem sui principalis; contra enim impugnaberis, quiã non quamcunque obligationem principalis sequitur obligatio fideiussoris, sed obligationem dumtaxat, cui accessit; accessit autem pro ijs, in quibus non conuenirent contrahentes, non pro ijs, in quibus ipsi conueniunt.

§. V.

An deflorator ex defloratione obligatus dotare defloratam, adhuc ad eandem dotem teneatur, si deflorata aliundè competentèr dotata nupsit digno.

SVMMARIVM.

Pacti series in suis terminis. 1.
Ius supponit deflorantem tenere ducere, & dotare. 2.
Ex æquitate intelligitur alternatiuè. 3.
Si nubat pauperiori, vel ignobiliori tenetur ad augmentum dotis. 4.
Quando nubit æquali sententia asserens defloratorem ad nil teneri. 5.
Ius ad alimenta iure actionis extenditur ad præterita, 6.
Præfertur in praxi sententia obligans ad augmentum. 7.
Iura disponentia de dotatione sunt in pœnam delicti. 8.
Violatio est compensabilis per bona fortunæ, & quomodo. 9.
Soluuntur argumenta opposita. 10.

1 *Ius disponens de pœnis defloratoris.* DIsquisitio V. Titius, vel inuitam, vel prætextu, seù spe futuri matrimonij Fabiam deflorauerat. Ex dispositione iuris *in c. 1. & 2. de adult.* statuta est pœna contra stupratorem sub terminis copulatiuis, non sub disiunctio, & quod teneatur defloratam ducere, & dotare, vbi tamẽ Doctores communitèr tenent, quod licet in rigore iuris, & attenta proprietate verborum vtraque pœna per stupratorem copulatiuè incurratur; 2 *Intelligitur dispositio alternatiuè non copulatiuè.* ex benigna tamen iuris interpretatione, & attenta communi Doctorum praxi vna, vel altera sit dumtaxat persoluenda, & non inducat coactionem præcisam, seu causatiuam, si recusset stuprator ducere, 3 *Menochius. Clarus. Gutierez. Rot. Rom.* *Menochius in addit. ad lib. 2. de arbitr. c. 288. nu. 15. Iulius Clarus §. stuprum in 3. notabili. Gutierez can. 99. lib. 1. c. 36. nu. 7.* hocque exprẽsè definiuit *Rota Rom. decis. 779. part. 4. in nouissimis Penia:* Ibi: *responsum est præceptum de ducenda, atque dotanda Virgine deflorata copulatiuè non posse, sed disiunctiuè; & hanc sententiam legislatoris menti magis conformem existere visum est.* His iam suppositis virgo scilicet Fabia deflorata, habita à parentibus congrua dote matrimonio copulatã est Theodorico viro æquè nobili, & iuxtã propriam conditionem. Hic immediatè quæsitum est, an non obstante tali dotatione, & matrimonio congruo eiusdem Fabiæ, teneatur Titius ad eandem dotandam, vel conferendum id, quod conferre debuisset ex dispositione iuris pro dote, si non fuisset aliundè congruè dotata, & æqualitèr nupta.

Conueniunt communitèr Doctores, quod si ex vi illius deflorationis Fabia fuerit matrimonio coniuncta pauperiori; à quo congrua proprio statui non recipiat alimenta vel ignobiliori, vel etiam si æquè nobili, & diuiti, ita tamen vt maritus depræhensa defloratione eam derelinqueret, in illam sæuiret, & malè tractaret, tunc Titius teneretur ad satisfactionem, seù compensationem viri prudentis arbitrio, 4 *In nuptijs disparibus deflorata tenetur deflorator ad compensationem.* *Ludouicus Lopez in prima part. instructorij c. 76. Iacobus Cancerius var. resol. tom. 3. c. 11. num. 38. Hieronymus Fram. tertia part. method. c. 8. §. 18. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. nu. 97.* *Lopez. Cancerius. Fiamma. Bossius.* quod tamen intelligunt in casu, quo esset nupta æquali, & cognita defloratione malè tractaretur à marito, teneri scilicet ad huiusmodi compensationem in bonis fortunæ arbitrio boni viri, quandò per illam compensationem præsumeretur maritus leniendus, secus ad nihilum teneri. *Limitatio ad supradicta.* Difficultas igitur pro nunc solum ad hoc reducitur, an scilicet quandò est nupta æquali, & æquè tractatur, ac si fuisset virgo teneatur stuprator ad aliquam compensationem.

5 *Sententia asserens ad nihil teneri.* Qua etiam in difficultate duplicem inuenio sententiam, alteram *Nauarri in summa c. 16. nu. 17. Corduba in quæst. lib. 1. qu. 13. vers. quartum dictum, Diaz in praxi c. 86. nu. 7. & ibi Salzedo lit. D. Rugerij in tract. de dote qu. 22.* *Nauarrus. Corduba. Diaz. Salaedo. Rogerius.* asserentium neque in foro externo, neque in interno stupratorem in ea hypothesi ad aliquid teneri; fundamentum ipsorum est, quiã in tantum tenetur stuprator ad illam compensationem, in quantum ex illa debet adæquari damnum, quod deflorata passa est; in illa autem hypothesi, in qua nupsit æquè digno, ac si fuerit Virgo nullum damnum sensit, quandòquidem damnum consistit in eo, quod stante defloratione non posset æquè digno nubere; *Sententia affirmans teneri.* Alteram *Iacob Cancerij var. resol. tom. 3. c. 11. nu. 32. & seqq. Antonij Gomez in l. 80. Tauri n. 11. Fontanella de pactis nupt. tom. 2. claus. 5. glos. 5. part. 1. num. 107.* *Cancerius. Gomez. Fontanella.* asserentium adhuc teneri ad dotem congruam erogandam, Multis rationibus, & iuribus adhoc mouentur. Primo quiã textus *in d. c. 1. & 2. de adulter.* absolutè sine vlla restrictione decernit stupratorem vel debere ducere, vel dotare, quod vtique est in pœnam delicti deflorationis, ergò

ergò cum delictum vigeat vel ad vnum, vel ad alterum tenebitur, nec eximetur à tali onere ex eo, quod æquè digno fuerit nupta, per hoc etenim à delicto etiam non eximitur, quod vtique *Canterius loc. cit.* probat per glosam singularem, & vnicam *in l. obligamur verf. lege ff. de act., & oblig.*

6 *Ius ad alimenta iure actionis extenditur etiam ad præterita.*

Secundò, quià textus *in l. de alimentis C. de transaction.* absolutè statuit, quod si alicui debeantur alimenta iure actionis puta ex iuris dispositione, vel ex proprio contractu, eidem adhuc debeatur compensatio eorundem præteritorum, quantumuis se aluerit de suo, licet secùs procedat, quando debeatur tantum Iudicis officio, sed dos debetur stupratæ iure actionis, hoc est dispositione iuris *in d. c. 1. & 2. de adult.* ergò etiam eadem debebatur, quantumuis eadem stuprata fuerit nupta dote, vel à parentibus erogata, vel ab alijs tradita; & ad hoc etiam facit, quod communitèr tradunt Doctores, quod si scilicet ex statuto vxori defuncti debeantur vestes lugubres ex bonis eiusdem defuncti; easque sibi de suo confecerit possit easdem ab hæredibus exigere, quantumuis post annum luctus fuerit alteri nupta. Quid igitur concludendum?

Argumentum à paritate deductum.

7 *Probabilius tenetur ad augmentū.*

Respondeo, in praxi consentaneum magis esse, si dicatur stuprator etiam in data hypothesi honestarum nuptiarum fœminæ defloratæ cum congrua dote aliundè habita teneri ad augmentum eiusdem dotis arbitrio viri prudentis attenta qualitate personæ, & damni illati. Ità præter præcitatos DD. pro secunda sententia *Franciscus Victoria apud Nauarrum in summa d. c. 16., Rebellus de oblig. iust. part. 1. lib. 3. q. 9. concl. 2.*, hancque in praxi probabiliorem existimat *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. num. 105.* licet asserat contrariam communiorem esse. Ad hanc comprobandam vltra rationes, & iura superius adducta multum facit hoc, quià finis iuris canonici *in d. c. 1., & 2. de adulter.* duo respexit, & pænam scilicet delicti, & æqualitatem, quantum fieri potuit, fœminæ corruptæ, vt scilicet quantum passa est in corruptione, tantum acquirat in bonis fortunæ, ratione quorum melius tractetur à marito, sed delictum viget quantumvis fuerit æquali nupta, nec ex eo amisit ius, quod stante defloratione, suppositaque congrua dote, quam habet aliundè acquisiuit vt melius tractaretur à marito, seù possit tractari, ergò &c.

Victoria. Rebellius. Bossius.

8 *Iura respiciunt pænā, & æqualitatem.*

9

Dices ius, quod acquisiuit virgo corrupta ex illa defloratione est in ordine ad interesse, & damnum temporale, nec potest esse in ordine ad bona famæ, & honoris, quæ sunt per bona fortunæ incompensabilia, cum sint superioris ordinis, sed in ordine ad interesse nullum damnum passa est, quandoquidem æquè nupsit, ac si non fuisset corrupta, nec in alio potest damnum pati, ergò &c. Sed contrà, quià defloratio ipsa secundum se sumpta non tam pertinet ad bona famæ, & honoris, quàm ad genus compensabile per bona fortunæ; nam sicuti vsus corporis voluntariè locatus nomine disceptante est pretio compensabilis, ità à fortiori non est, cur eodem pretio non sit compensabilis vsus eiusdem corporis violentus, seù inuita eadem fœmina habitus. Accedit, quod secundum se attento etiam interesse temporali est minori dote matrimonio iungibilis virgo non corrupta cum persona æquali, ac sit virgo corrupta, & per accidens est, quod hæc coniungatur cum eodem pretio, quo coniungeretur, si non esset corrupta, sed hæc supposita iniqua alterius violatione potest velle, quod sibi debeatur id; quod ex genere suo requiritur ad ipsam æquè digno nubendam, non attento eo, quod per accidens contigit, ergò &c.

Violatio etiam est compensabilis per bona fortunæ, & quomodo.

Ad id, quod pro prima sententia afferebatur, dicendum est in primis non esse adæquatam rationem illorum iurium illā reintegrationem damnorum, cum sit pæna delicti, vt supra diximus. Deindè dato etiam, quod iura respicerent illam reintegrationem, hæc sumenda est, non præcisè in ordine ad id, quod aliundè esset habitura, si non fuisset corrupta, sed ad id, quod exigit ipsius corruptio supra illud, quod haberet, si non esset corrupta. 10

Satisfit rationibus contrariæ sententiæ.

§. VI.

An, si virgo deflorata maneat innupta, possit agere vel ad dotem, vel ad ipsius augmentum.

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in casu particulari. 1.
Sententia asserens non posse agere, nisi secuto matrimonio. 2.
Et legatum puellæ pro dote esse conditionale. 3.
Sententia asserens etiam non secuto matrimonio agere probabilior est. 4.
An vt debeatur debeat peti remissiuè. 5.
Satisfit rationibus primæ sententiæ, & asseritur legatum pro dote regulariter purum. 6.

Disquisitio VI. In suppositione, quod deflorator teneatur vel ad integram dotem, vel ad augmentum ipsius, si nolit defloratam ducere, orta fuit controuersia, an Titius, qui Caiam inuitam defloraueràt, vel sub spe matrimonij futuri, quam eadem Caia non potuit dignoscere irrationabilem, cum eidem non constaret de inæqualitate, teneatur adhuc vel eandem dotem, vel augmentum dotis conferre, quan- 1

Series facti in suis terminis.

quantumuis eadem Caia innupta remaneat.

2 *Non teneri stupratorē, nisi post secutas nuptias stupratę*

Borguinus, Caualcanus decis. 10. *nu.* 38. *part.* 3. *& Brixianus ad eundem Caualcanum in repert. verb. matrimonium sine donat. nu.* 7. *& seqq.* expressè dixerunt stupratorem non teneri ad illam dotem, vel augmentum dotis; nisi secuto matrimonio, nec per consequens, si innupta remaneat. Fundamentum præcipuè deducunt ex interpretatione iuris *in d. c.* 1. *&* 2. *de adult.* vbi dicunt huiusmodi onus dotationis virgini stupratæ statui sub nomine, & ratione dotis: Ibi: *tradat pecuniam iuxta modum dotis, quam Virgines accipere consueuerint*; sed dos propriè non est sine matrimonio, vt habetur *in l. fin. C. de donat. ante nupt.*, ergó &c. Confirmat paritate legati facti puellæ pro dote, vel causa dotis, quod asserunt esse conditionale, & non purum, sicque non deberi, nisi matrimonium præcedat, vel sequatur, vt docent *Bartolus in l. Titio §. Titio ff. de condit. Baldus Nouellus de dot.* 6. *part. priuil.* 76. *Couarruuias c.* 3. *de testament. num.* 11. *Spino in specul. testament. glos.* 14. *nu.* 41. *Caualos comm. contra com. qu.* 138. *nu.* 1. Nihilominus

Caualcanus. Brixianus.

3 *Sententia asserens legatū puellę pro dote esse conditionale.* Bartolus. Baldus. Nouellus. Coarruuias. Spino. Caualos.

Respondeo, quantumuis Caia deflorata remaneat innupta Titium teneri vel dotem, vel augmentum dotis eidem conferre, si ab eadem Caia petatur *Cancerius var. resol. tom.* 3. *c.* 12. *n.* 140. *Addictionator ad decis. Antonij Thesauri decis.* 3. *in princip. Ioannes Baptista Lupus tract. de illegit., & natur. comment.* 1. §. 5. *nu.* 125. *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.* 1. *n.* 110. Ratio in primis ex eo deducitur, quià ius disponens de illa dotatione est pœnale, & in pœnam delicti, vt supra dictum est, ergò æquè debetur siuè virgo corrupta fuerit nupta, siuè remaneat innupta, cum non tollatur delictum ex nuptijs, vel negatione nuptiarum eiusdem fæminæ defloratæ. Deindè mens legislatoris *in d. c.* 1. *&* 2. *de adulterijs*, vt explicant communius DD. fuit subleuare corruptam quoad interesse, & damnum, quod pati posset ob violatam virginitatem, vt in specie *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c.* 1. *n.* 111., sed æquè pati potest, interesse, & damnum, siuè fuerit nupta, siuè maneat innupta, si enim vt nubat, debet dotari congruentèr, vt commodè viuat, debent alimenta conferri. Tandem, vt benè notat *idem Bossius loc. cit.*, si per stupratorem non esset eroganda dos, vel augmentum dotis, nisi secuto matrimonio, vt asserunt DD. contrariæ opinionis, eueniret, quod si eadem deflorata ob deformitatem virginitatis amissæ maritum non posset inuenire, nunquam posset consequi compensationem iniuriæ acceptæ violationis claustri virginalis, & damni temporalis in victu, & vestitu, quod pateretur, si maritum non inueniret, quo quid duriùs?

4 *Probabilius etiam innupta potest agere.* Cancerius. Lupus. Bossius.

Est in pœnā delicti,

Et subleuare corruptā quoad interesse, & damnum,

Dixi, *si ab eadem Caia petatur* propter nonnullos asserentes id, quod nomine pœnæ alicui applicatur non deberi, nisi exigatur, cum nemo teneatur offerre, seu soluere pœnam, sed quià illa iura statuentia talem dotationem, vel nuptias aduersus defloratorem non habent præcisè rationem pœnæ, sed etiam iustæ compensationis in ordine ad interesse, & damna etiam temporalia, quæ ex tali defloratione incorrupta sequuntur, ideò non plenè procedunt huiusmodi Doctores, sed in hoc non immoror, quià erit sermo vberrimus in sequenti disquisitione, in qua, quid expressè sentiam circa hanc limitationem exponam.

5 *Non solum habet ratio nem pœnæ, sed etiam iustæ compensationis.*

6 Hinc placet ad ea, quæ ex Caualcano, & alijs obijciebantur, respondere, & quidem dico in allegatis textibus non dici expressè, quod illud, quod decernitur virgini stupratæ sit dos, vel pro dote, sed *iuxtà modum dotis*; per quam particulam innuitur quædam proportio ad similitudinem eorum, quæ dantur pro dote, vt sicuti si nuptiæ celebrantur, erogatur dos, ità, si non celebrantur, erogetur pro alimentis eo modo, quo erogatur dos pro nuptijs, nec hæc explicatio dura videri debet, quandoquidem allegata iura respiciunt præcisè fauorem virginis defloratæ, ne scilicet ex defloratione aliquod damnū patiatur, vel interesse, quod vtique esse potest, siuè nubat, siuè non nubat.

Non est in rigore dos, sed admodum dotis.

Ad confirmationem dico in primis, non ità verum esse legatum relictum puellæ pro dote, vel causa dotis esse conditionale, vt plurimi Doctores nō asserant contrariū, & quidem cum iuris fomento; *vt glosa in l. Titio §. Titio ff. de condit. & demonstrat. Angelus in l. item quià §.* 1. *ff. de pactis. Mastrillus in decis. Rot. Siciliæ decis.* 78. *part.* 1. *Thesaurus decis.* 45. Deindè tunc tantum esse conditionale crederem, quando ex verbis testatoris, vel ex alijs coniecturis esset præsumptio pro tali; secus secundum se esset præsumendum pro puro. Quænā autem, vel quales coniecturæ requirantur ad inducendam prudentem credulitatem pro esse conditionali, vide apud *Crauettā consil.* 101. *& apud Menochium cons.* 60. *num.* 307. *& sequ. vol.* 1.

Legatum puellæ pro dote regulariter est purum. Glosa. Angelus. Mastrillus. Thesaurus. Crauetta. Menochius.

Cæterum, quod iura non restringunt illam pœnam dotationis ad casum, quo esset virgo stuprata nupta, & solummodò sub titulo, & ratione dotis, ex eo facilè euincitur, quià cæteroqui huiusmodi iura vim quodammodò inferrent ad eligendum potiùs statum coniugalem, quam alium statum perfectiorem, quod expressè est contrà bonos mores per textum *in c. statutum de hæreticis in* 6. vt rectè notauit *Cancer. loco cit.*

Iura non possunt vim inferre ad statum coniugale.

§. VII.

§. VII.

An si puella deflorata innupta decesserit ius illud ad modum dotis, quod sibi decernitur à iure, transferat ad hæredes.

SVMMARIVM.

Proponitur status controuersiæ. 1.
Sententia afferens transmittere ad hæredes, si viuens petierit, secus si non petierit. 2.
Regulariter trasmittitur, nisi corrupta spontè cesserit. 3.
Iura inexacta debita iure actionis cessante adhuc fine vigent. 4.
Quomodo illud ius fœminæ defloratæ dicatur personale. 5.
Soluitur argumentum oppositum. 6.

1 *Exponitur in quo sensu sit accipiendus titulus.* DIsquisitio VII. Inuita, & quodamodò per vim Caia fuerat deflorata à Sempronio, & deindè vel quià ob deformitatem pudicitiæ amissæ virum dignum non inuenit, vel quià vitam cælibem sibi elegit innupta remansit, nec vnquam consecuta est à Sempronio ratione deflorationis id, quod sibi à iure est statutum *in d.c.* 1., & 2. *de adulter.* E viuis abijt indotata, seù non compensata quoad iniuriam sibi illatam in illa defloratione. Excitata fuit hic controuersia, an illud ius, quod sibi ex defloratione competebat à iure, trâsmiserit ad hæredes.

2 *Sententia afferens transmitti, si fuerit petita, secus non.* *Cancerius Thesaurus* Communior sententia procedit cum distinctione; vel etenim Caia corrupta adhuc viuens petijt compensationem violati iuris sibi fieri, & iuxtà hunc sensum afferit, quod illud ius post ipsius obitum transmittatur ad hæredes *Cancerius var. resolut. lib. 3. c. 11. n. 140. Addictionator ad decis. Anton. Thesauri decis. 3. in princip.*, & *alij communiter*, vel adhuc viuens non petijt compensationem illius iuris violati, & tunc ius illud non transmittit ad hæredes; Ità præter DD. præcitatos *Brixianus* *Brixianus. Nauarrus. VeraCrux* *ad Caualcanum in repertorio verb. matrimonium sine denuntiat. n. 7., & seqq. Nauarrus consil. lib. 4. tit. de sponsalib. cons. 20. in 2. edit.*, rationemque adducunt, quià id, quod nomine pœnæ alicui applicatur non cognitum ad hæredes non trasmittitur *l. pænam, & l. cum fine ff. quandò dies leg. ced.* hocque confirmat *Veracrux in append. ad specul. de impedimento raptus vers. hic aduertendum* exemplo raptoris fœminæ, qui pænam dotis raptæ dandam statutam à *concil. Trid. c. 6. sess. 24. de reform. matrimonij* non tenetur soluere ante sententiam, & condemnationem Iudicis. Nihilominus

3 Respondeo probabilius esse, nisi eadem Caia corrupta spontè cesserit illi iuri, illud transmittere ad hæredes quamvis expressè non petierit. Ita *Cancerius var. resol. lib. 3. d. c. 11. nu. 140., & 146.*, qui etiam refert suum senatum sic iudicasse contra quendam Iuris Consultum virginis stupratorem, & quendam Iudicem Florentiæ coegisse Virginis defloratorem ad eam dotandam, & dotem hæredibus restituendam eadem innupta defuncta. Ratio ex eo deducitur, quià omnia iura realia defuncti transeunt ad ipsius hæredes, potissimum, quandò eidem debebantur iure actionis, sed ius fœminæ stupratæ aduersus defloratorem est ius reale, eique competit iure actionis, cum debeatur ex dispositione iuris, ergò &c. Neque dicas illud ius eidem decerni à iure, vel vt commodè possit nubere, vel alimenta commodè percipere, si innupta remaneat; transacta autem necessitate vel nuptiarum, vel huiusmodi alimentorum non videtur amplius ius illud illi, vel eius hæredibus competere, cum cesset finis legis ea proportionali ratione, qua alimenta debita filijs familias non amplius eisdem debentur transacta necessitate, si fuerint præterita; contrà enim impugnaberis, quià iura inexacta, quantumvis ad aliquem finem determinatum concessa, quandò debentur iure actionis, & non mero Iudicis officio adhuc debentur, quantumvis trâsierit necessitas illius finis, prout supra dicebamus *ex l. de alimentis C. de transact.* de eo cui debentur alimenta vel ex iuris dispositione, vel ex proprio contractu, qui si ea non exegerit, sed de suo se aluerit, adhuc potest eadem petere, quantumvis præterita, quià iure actionis debentur, & de statuto decernente vestes lugubres pro anno luctus mulieri defuncti, quæ si eas ab hæredibus non acceperit, sed quoad easdem de suo sibi consuluerit potest nihilominus earum compensationem exigere, quantumvis elapso eodem anno luctus ad secundas nuptias conuolarit. Certè in vtraque hac hypothesi, & alimenta & vestes lugubres debentur, ad determinatum finem, & tamen eodem cessante adhuc conceditur ius ad eadem; nec currit paritas de alimentis debitis filijs familias à parentibus, quià illi debentur solummodò ex naturali pietate in ordine ad necessitates eorundem filiorum, quibus propterea transactis nulla est necessitas eadem compensandi; illa autem dos, seù augmentum dotis quocunque titulo, seù modo sumatur est debita, seù debitum ex iustitia commutatiua proptèr læsionem enormem eiusdem fœminæ stupratæ, nec propterea ius ad illam, seù illud cessat, cum debita ex iustitia commutatiua debeantur creditori, vel eius hæredibus, pro quocunque tempore.

Si vlterius vrgeas, quod id, quod nomine pœnæ alicui applicatur non cogni-

Nisi cesserit iuri suo transmittit *Cancerius*

Iura realia transeunt ad hæredes

4 *Iura inexacta debita iure actionis etiam cessante fine vigent*

Varijs exemplis euincitur.

Non habet præcisè rationem pœnæ, sed iustæ compensationis Brixianus.

tum ad hæredes non transmittatur per allegata iura *in l. pœnam, & l. cum fine ff. quandò dies leg. ced. Caualcanus decis. 10. n. 58. part. 3. Brixianus ad Caualcanum in repert. verb. matrim. sine denunt. n. 7., & 8.*, contra adhuc impugnaberis, quià in primis illud, quod statuitur *in d. c. 1., & 2. de adulterijs* contrà defloratorem non habet præcisè rationem pœnæ, sed iustæ & congruæ compensationis, adeoque quod dicitur in allegatis iuribus præcisè de pœna non potest præsenti materiæ congruè applicari. Deinde non potest dici, quod illa pœna non sit cognita, quantumvis non fuerit expressè petita à fœmina stuprata, potissimum si declarauerit se iuri illi non cedere, & in sua vltima dispositione de iure illo disposuerit in fauorem hæredis. Verum tamen est, quod si nunquam tempore suæ vitæ compensationem illius iuris exegerit oriatur vehemens præsumptio liberæ cessionis quoad eandem.

5 *Dicitur personale, quatenus prouenit à persona, non quatenus sit affixum ossibus eius.*

Si vlterius vrgeas, quod illud ius fœminæ defloratæ sit personale, adeoque, quod non possit mortua eadem fœmina ad hæredes ipsius transmitti, cum hæres nequeat personam defuncti quoad onera, & iura personalia repræsentare, & sicuti hæres delinquentis non tenetur ad pœnam pro delicto defuncti, quià hoc est personale *l. 1. C. ne ex delict. defunct. l. 1. §. penult. cum glosa ff. de hæred., & act.*, ità hæres eius, in quem commissum est delictum, non potest pœnam ab altero soluendam exigere, cum etiam ius illud sit personale; adhuc impugnaberis, quià quantumvis illud delictum sit commissum in personam fœminæ defloratæ, parit tamen ius reale ad compensationem damnorum, & interesse, quæ seù quod ex illo delicto proueniunt, & quamvis ius ad reparationem illorum damnorum interesse oriatur ex persona eiusdem stupratæ non proptereà tollitur, quin sit transferibile, sicuti sunt transferibilia alia omnia iura acquisita, vel ex damnis illatis in persona propria, vel ex operibus, & obsequijs personaliter præstitis ab eadem persona in suos hæredes, & successores; vndè illud ius dici potest personale respectu eiusdem fœminæ defloratæ, quatenus prouenit ex propria persona, non quatenus non sit transferibile in alios maximè hæredes necessarios, cum hæres necessarius, & persona, cuius est hæres, sint, & reputentur pro vna, & eadem persona ex vulgaris iuribus, vndè hæres non potest venire contrà factum sui institutoris, quià quodamodò veniret contra factum proprium.

Omnia iura realia acquisita ex læsione in persona transferuntur.

6 Ad illud, quod dicitur de pœna raptoris statuta *à Concilio Trid. d. c. 6. §. 24. de reformatione matrimonij* de dotatione fœminæ raptæ, quæ non obligat ad executionem ante Iudicis sententiam, & declarationem dicendum est illud rectè procedere, quià cum idem Concil. statuerit raptorem teneri raptam dotare, siuè illam duxerit, siuè non, vtique congruum fuit, vt modus dotationis quoad quantitatem, & qualitatem Iudicis arbitrio remitteretur, præcipuè in casu, quo eam duceret, quià tunc videtur, cum satisfecerit eam ducendo, dotationem cedere solummodò in pœnam. Deindè *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 12. nu. 42.*, & certè non incongruè asserit, quod si rapta damnum passa esset ob raptum, ad id resarciendum absque Iudicis sententia in foro conscientiæ teneretur raptor, sicuti quilibet alius damnum iniustè inferens; in nostra autem hypothesi damnum passa supponitur stuprata, adeoque, &c.

Solutio argumenti oppositi.

Bossius.

§. VIII.

An fœmina deflorata, quæ posteà alteri copiam sui fecit, amittat illud ius ad illud, quod ipsi debetur ad modum dotis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ in suis terminis. 1.
Duplex sententia extremè opposita refertur. 2.
Per subsequentem fornicationem stuprata non eximitur deflorator ab onere compensandi. 3.
Soluitur instantia contra assertionem. 4.
Nec illa compensatio est diminuenda ex subsequentibus actibus fornicationis, & quare. 5.

Disquisitio VIII. Ex dictis in præcedentibus à stupratore debetur defloratæ, quandò eandem renuit ducere, vel dos, vel aliud ad modum dotis, vt congruè possit alteri nubere, vel de alimentis, si non nubat, sibi consulere. Deflorauit Caius Semproniam inuitam, vel sub spe futuri matrimonij, quam renuit posteà ducere. Eadem Sempronia posteà non petita compensatione damnorum, & interesse, seù non exacta dote, vel àlio ad modum dotis fornicariè se alijs prostituit. Orta hic fuit controuersia, an ex illa subsequenti prostitutione amiserit ius ad dotem, vel ad compensationem ad modum dotis, & an Caius exemptus intelligatur ab onere illa erogandi, an verò adhuc teneatur.

1 *Elucidatio dubij propositi.*

Cancerius *var. resol. lib. 3. c. 11. n. 451. Vincentius Carocius decis. 58. - Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. n. 115.* existimant in ea hypothesi eximi defloratorem ab illo onere, nec posse defloratam exigere compensationem illius iuris, & ad hoc adducit Cancerius *decisionem Rotæ Romanæ*

2 *Sententia eximens deflorat orem.* Cancerius Bossius.

mana 808. *n.* 12. *parte* 1 *in Nouissimis*. Nauarrus verò *consil. lib.* 4. *conf.* 1. *n.* 6. *tit. de sponsalib. in* 1. *edit.*, *& tit. de Clandest. desponsf. conf.* 3. *n.* 6. *in* 2. *edit.*, *& cum eo Zipeus lib.* 4. *tit. de sponsal. nu.* 6. absolutè sustinent, nec defloratorem per subsequentem fornicationem defloratæ eximi ab illo onere, nec defloratam amittere ius ad illud consequendum, quamvis posteà Nauarrus subdat illud ius in ordine ad quantitatem dotis, vel erogandi ad modum dotis respectu illius fæminæ diminui eo, quod subsequens copula inducit vehementem præsumptionem, quod facilè consensisset eidem defloratori, si leuitèr eam rogasset, nec fortiter restitisset. Rationē adducit idem Nauarrus; quià sequens fornicatio non est modus, seù causa dissoluens priorem obligationem. Quid ergò iam concludendum.

Sententia ipsum supponens tale onere. Nauarrus. Zipæus.

3 Respondeo probabilius esse in ea hypothesi, quod nec deflorator eximatur ab onere, nec deflorata à iure illam compensationem ad modum dotis consequendi. Ratio facilè ex eo deducitur, quià onus respectu defloratoris, & ius respectu defloratæ incipit ab ipso actu deflorationis, & ex læsione ab illa prouenienre, sed ius antecedentèr perfectè acquisitum, & onus completè exortum non perimitur per actũ subsequentem, ad quem remouendum ius non habet deflorator; non enim ex eo, quod deflorauerit defloratam sibi obstrixit, nec ius in eius corpus acquisiuit, ergò ex illa subsequenti fornicatione, nec stupratæ ius, nec stupratoris onus extinguitur.

Deflorator adhuc teneatur, quantumvis posteà deflorata se prostituerit.

4 Neque obesse potest, si asseratur, ius illud stupratæ, & onus stupratoris statutum esse à iure ad effectum compensandi infamiam ex illo actu prouenientem, ex qua incommoda, & damna temporalia proficiscuntur, non est autem compensatio eiusdem necessaria, vbi fæmina ipsa stuprata prodigè suam famam profundit; Non, inquam, obesse potest, quià si sumatur præcisè in ratione delicti delictum subsequens non euacuat pœnam ratione delicti præcedentis in suo esse completi, & consummati, adeoque illa semper viget non obstante subsequenti delicto; si verò sumatur in ratione compensationis in ordine ad illam læsionem ex illo actu subsequutam, iam læsio illa secuta est, & in sua origine exigit compensationem; quod deindè stuprata profundat suam famam non tollit ius, quod antecedentèr acquisiuit, cum stante adhuc illa defloratione in ordine ad actus subsequentes sit domina sui corporis, & de illius vsu possit disponere, nec ex eo, quod posteà suam famam profundat, tollitur, quia antecedentèr fuerit læsa inuita, nec profusio illius famæ per fornicariam concessionem, & voluntariam sui corporis tollit ius ortum ex fractione claustri Virginalis, & integralis pudicitiæ, & eorum, quæ ex eadem consequuntur, & sicuti si, ex contractu, vel aliquo alio titulo teneatur dotare fæminam non eximitur ab onere illius dotationis, ex eo quod illa se prostituerit, ità si quis ex iustitia læsa teneatur eidem vel dotem, vel ad modum dotis aliquid conferre, non eximetur &c. ex eo, quod se posteà prostituerit, potissimum cum illius prostitutionis causa potuerit esse illa defloratio, cum sine illa forsitan non se prostituisset.

Instantia aduersus responsionem.

Delictum subsequens nõ euacuat pœnam præcedentis.

Illa læsio in sua origine exigit compensationem.

5 Nec in hoc audiendum esse existimo Nauarrum, dum asserit per illam fornicariam, & voluntariam concessionem vsus sui corporis quoad fæminam defloratam diminui ius quoad quantitatem illius iuris ad compensationem, ex eo, quod possit esse præsumptio, quod non restitisset, vel solum leuitèr deflorationi; Non, inquam, audiendus est, quià si re vera in foro conscientiæ vi oppressa est, non habet locum illa præsumptio. Deindè facilis concessio ad actus fornicarios subsequentes non est validum argumentum vehementis præsumptionis leuis resistentiæ quoad primum actum, per quem ablata est virginalis integritas, cum plures valdè curent de integritate, qua semel amissa non amplius curant de actibus subsequentibus.

Nec est diminuenda compensatio illius iuris, & quare.

§. IX.

An facta conuentione inter defloratorem, & defloratam de matrimonio posteà contrahendo teneatur adhuc deflorator ad dotem, si deflorata ante matrimonium se prostituerit.

SVMMARIVM.

Elucidatur facti series. 1.
Sententia asserens, adhuc teneri ad illam compensationem. 2.
In ea hypothesi stuprator eximitur ab onere compensandi. 3.
Compensatur læsio cum læsione, & quomodo. 4.
Assignatur ratio, cur tollatur ratio compensationis post fornicationem stante promissione matrimonij. 5.

1 Disquisitio IX. Vi oppresserat Caiam Virginem Sempronius. Agente eadem Caia aduersus eundem Sempronium, vel pro nuptijs, vel pro doratione congrua iuxtà dispositionem iuris *in d. c.* 1., *&* 2. *de adult.* idem Sempronius promisit matrimonium de futuro, quod per verum, & realem consensum in authentica forma acceptauit Caia, & repromisit, Hæc deindè ante

In quo sensu accipiatur fit sermo.

dè ante contractum matrimonialem fornicata est. Titulo fornicationis ab eadem Caia commissæ recedere contendebat Sempronius à sponsalibus, seù ab onere contrahendi matrimonium, quam legitimam esse causam dissolutionis videbimus infrà. Ex aduerso eadem Caia agebat ad compensationem iuris violati in defloratione. Hic excitata fuit controuersia, an in ea hypothesi Sempronius teneatur ad illam compensationem.

2 Ex subsequenti fornicatione secundum se ad deflorationem non oriri exemptionem in stupratore ab onere illius compensationis satis superque dictum est supra in præcedenti disquisitione; nunc difficultas est, an saltem eximatur ab illo onere ex promissione futuri matrimonij, cuius dissolutioni causam dedit subsequens fornicatio eiusdem Caiæ. Videtur dicendum, quod absolutè à tali onere non eximatur, cum iura *in d. c. 1., & 2. de adulter.* defloratorem obligent, vel ad matrimonium in effectu, vel ad dotem, quamuis autem subsequens fornicatio ius tribuat ad dissolutionem sponsalium, seù promissionis matrimonij, non tamen tribuit ius ad non compensandam læsionem præstitam in præcedenti defloratione, & in hoc locum habent dicta in præcedenti disquisit. Nihilominus

Fornicatio subsequens ius tribuit ad dissolutionem spõsalium, non compensationis.

3 Respondeo in data hypothesi stupratorem eximi nedum ab onere eam ducendi, sed etiam ab obligatione ei erogandi dotem, vel aliud ad modum dotis *Sanchez, de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 10. nu. 13.*, cui etiam ex parte adherere videtur *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 1. num 117.* Ratio ex eo deducitur, quià illa obligatio illius compensationis ad modum dotis pro defloratione dissoluta est per illam matrimonij de futuro conuentionem initam ex mutuo vtriusque contrahentis consensu, ergò illa promissione sublata per legitimam causam non amplius vigebit onus illud ad modum dotis soluendi, cum obligatio semel extincta nõ amplius reuiuiscat per textum *in l. cum ex causa C. de remis. pignoris* Antecedens probatur, quià illa obligatio dotandi, seù soluendi aliquid ad modum dotis ex mutuo contrahentium consensu commutata est in onus posteà matrimonij contrahendi; per commutationem autem vnum onus in aliud transfertur, & per consequens hoc exoriente illud deperit, quià ex eadem causa duplex onus alternatiuè impositum non potest copulatiuè consurgere.

Non tenetur stuprator tunc cõpensare. Sanchez. Bossius.

Illa obligatio compensationis cõmutata est cum onere ducendi.

Dices illam commutationem, de qua dicitur in probatione, oneris dotandi cum onere de futuro contrahendi matrimonium non esse absolutam, sed quodamodò conditionalem, si scilicet deflorator posteà ad actum reduxerit promissionem, ergò, si eandem ad actum completum non reduxerit, ius primum adhuc vigebit, adeoque obligabit ad illam compensationem ad modum dotis. Sed contrà, quià gratis omninò fingitur illa conditio in illa commutatione, cum mutuo se obligauerint absolutè ad adimplendum scilicet illud onus impositum à iure *in d. c. 1. de adulterijs* scilicet vel ducendi, vel dotandi, sicque per illam promissionem deflorator ius perfectè acquisiuit ad rem in corpore fœminæ, quæ repromisit, ideoque nõ dissoluitur ex defectu conditionis non purificatæ, sed ex causa superueniente ex culpa defloratæ, cæteroqui omnes contractus sponsalium liberè initorum dicerentur semper conditionales, cum superueniente legitima causa dissoluerentur. Deindè dato etiam, quod esset conditionalis illa promissio, defectus purificationis eiusdem esset ex culpa fœminæ defloratæ, cui proptereà illa dissolutio esset imputanda, non alteri, qui secundum se fidem seruauit, & paratus est contractum ad actum perfectum reducere.

Illa commutatio nõ est conditionalis, sed absoluta.

Non purificatur defectu stupratæ.

Ratio ex eo deducitur secundò, quia ex illa promissione matrimonij contrahendi stuprator acquisiuit ius saltem incohatum in corpus fœminæ, & fœmina in corpus eiusdem stupratoris, ergò, si fœmina læserit ius eiusdem stupratoris compensabitur læsio cum læsione, & iniuria pro iniuria, & stuprator ad quid aliud non tenebitur; Neque dicas, quod semper vigeat inæqualitas, quandoquidem, si læditur ius stupratoris per subsequentem fœminæ fornicationem compensatur per recessum à promissione, ius autem stupratæ nunquam compensatur, cum semper remaneat læsa; contra enim impugnaberis, quia ius fœminæ læsæ sufficienter compensatur per promissionem stupratoris de matrimonio futuro, ex qua consurgit obligatio, ex qua proptereà, si decidat ex sua culpa, sibi debet imputare, potissimum cum ius, quod acquisiuit, transegerit pro illa promissione. 4

Fit compensatio læsionis cum læsione.

Hinc patet discrimen, quod intercedit, quando fœmina post defloratioñé, & post fornicariam sui corporis concessionem, se prostituit non accepta promissione stupratoris de futuro matrimonio, ac quando se prostituit accepta eadem promissione, & facta ex parte sui repromissione; in prima etenim hypothesi, cum fœmina habeat absolutum ius sui corporis non lædit aliquo modo ius stupratoris, & ex alio capite ius habet, vt sibi fiat compensatio pro læsione per aliud non compensata; in secunda autem hypothesi fornicando lædit ius saltem inchoatum eiusdem stupratoris, & nullum ius habet, vt sibi fiat compensatio, cum fuerit posita per illam commutationem, de qua suprà, vndè, si decidit 5

Fornicando post promissionem lædit ius saltem incohatum promissoris.

dit ab illo iure, quod acquisiuit in eadem commutatione debet sibi imputare.

§. X.

An priora sponsalia dissoluantur per raptum alterius fœminæ alteri promissæ.

SVMMARIVM.

Exponitur status controuersiæ. 1.
Ratio dubitandi vnde desumatur. 2.
Varij articuli ducentes ad explicationem dubij. 3.
Raptus aliena sponsa ad finem solum explendæ libidinis comprenditur in c. statutum. 4.
Statutum respicit raptum non solum sponsæ de præsenti, sed etiam de futuro. 5.
Sententia asserens impediri etiam matrimonium cum sponsa, cum qua raptor sponsalia contraxerat. 6.
Contraria sententia asserens non impediri. 7.
Raptus aliena sponsa non est impedimentum dirimens, sed tantum impediens. 8.
Rapta assentiens raptui eadem pœna afficitur. 9.
Præfertur sententia asserens non impediri. 10.
Huiusmodi impedimentum est abrogatum. 11.

1 DIsquisitio X. Contraxerat Fabius sponsalia cum Calidonia seruata debita iuris solemnitate. Vigente adhuc tempore ad celebrandum matrimonium idem Titius aliam fœminam rapuit sponsam alterius, & è domo parentum traduxit. Hic orta fuit controuersia, an per huiusmodi raptum priora sponsalia cum Calidonia fuerint dissoluta, adeò vt cum eadem nequeat posteà matrimonium contrahere.

Pacti feriet in suis terminis.

2 Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod habetur *in c. statutum 27. q. 2.*, vbi sic legitur *Statutum est à sacro conuentu, vt si quis sponsam alterius rapuerit sine spe coniugij maneat*, quod præcisè DD. non explicant præcisè in ordine ad raptam, sed in ordine ad coniugium cum quacunque alia *Paludanus in 4. dist. 34. disp. 2. vers. aut raptus*, *Caietanus 2. 2. q. 154. art. 15. concl. 2.*, *Sotus in 4. dist. 37. qu. vnica art. 1. vers. de raptore*, *VeraCrux in speculo part. 1. art. 15.*, nec incongrua sanè ratione, vt in eo, in quo deliquit, puniatur, & qui ausus fuit alienum violare matrimonium impediatur in suo.

Fundamentum dubitationis à iure desumptum.

Paludanus. Caietanus. Sotus. VeraCrux.

3 Circa hunc textum nonnullæ oriuntur dubitationes, quarum explicatio plurimũ proderit ad propositæ difficultatis dissolutionem. Prima est, an pœna in hoc canone statuta intelligenda sit, siuè aliena sponsa fuerit rapta ad finem matrimonij cum ipsa contrahendi, siuè præcisè ad finem explendæ libidinis. Secunda, an statutum hoc respiciat solummodo raptum sponsæ de præsenti, an verò etiam sponsæ de futuro. Tertia, an prohibeat solummodo matrimonium contrahendum cum rapta, vel cum qualibet alia, an verò etiam impediat, seù dissoluat contractum sponsalium iam antecedenter initum cum alia, quod est præcipuus scopus præsentis difficultatis.

Varij articuli examinandi.

Ad primam dicendum est, illam pœnam extendi etiam ad raptum alterius sponsæ ad finem præcisè explendæ libidinis. Consentiunt in hoc communiter. Moueor non solum ex paritate pœnarum, quæ præscribuntur à *Concil. Trid. c. 6. sess. 24. de reformat. matrimonij*, quas raptorem afficere, quantumvis rapuerit ad finem præcisè explendæ libidinis, docent *Marcus Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 12. num. 19.*, *Rebellius de oblig. iust. part. 2. lib. 3. q. 11.*, *Nauarrus in summa c. 7. num. 150.*, *& lib. 5. tit. de raptoribus cons. 21.*, *Bellarminus ad d. c. 6. Concil. Trident. in declaration.*, *& etiam in obseruat. verb. excommunicati*, & ità declarasse sacram Congregationem Cardinalium eiusdem Concilij interpretum refert *Prosper Farinacius in declarationibus ad d. c. 6. Tridentini* per ea verba *Quomodocunque sit, fuit decisum per Sacram Congregationem die 23. Ianuarij 1586. raptores ob aliam causam, quam vt in vxores ducant comprehendi à Concilio propter eandem, vel maiorem rationem, & constitutio etiam pœnalis extenditur tali casu*, nec incongrua sanè ratione fit huiusmodi extensio, quandòquidem Concilium loquitur indefinitè, & generalitèr, & per consequens indefinitè est intelligendum; Sed etiam ea ratione moueor, quià cum plerique intelligant textum *in d. c. statutum 27. q. 2.* de raptore sponsæ de præsenti, vtiq; verificari non potest in ordinè ad contrahendum cum ipsa matrimonium, cum iam sit alteri addicta, sed tantum in ordine ad explendam libidinem, & tamen inibi statuitur talis pœna carendi spe cuiuscunque coniugij, ergò &c. 4

Raptus etiam ad explendam solum libidinem continetur in illo iure.

Cucus. Rebellius. Nauarrus. Bellarminus. Farinacius.

Concilium loquitur generaliter, & indefinitè.

Ad secundã dicendũ est hoc statutum nõ solum respicere raptum sponsæ de præsenti, seù matrimonio copulatæ, sed etiam raptum sponsæ de futuro *Glosa in d. c. statutum 27. q. 10. verb. rapuerit*, *& ibi Vgo, Archidiaconus*, *Turrecremata num. vnico*, quidquid ex aduerso dixerint *Paludanus in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. num. 13.* *Palacios ibid. disp. 2. vers. aut raptus*, Ratio ex eo deducitur, quod diximus *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. prænot. 1. in principio*, nempè nomine sponsi, vel sponsæ in rigore, & secundum propriam significationem veniant solummodo illi, qui sunt tales de futuro; in pœnalibus autem verba sunt accipienda potius secundum propriam, & rigorosam significationem, quod secundum latam, & im- 5

Comprenditur etiam raptũ sponsa de futuro.

Glosa. Hugo. Archidiaconus. Turrecremata.

impropriam; ius autem *in d.c. statutum* 27. *q*.10., loquitur de raptu sponsæ, quinimmò *sub eod. tit. Disq*. 1. §. 1. diximus in fauorabilibus tantum sponsam venire nomine nuptæ, & nuptam nomine sponsæ per textum *in l. non sine C. de bon. quæ lib*., Neque dicas ex hac probatione sequi, quod, si quis raperet alterius nuptam non subiaceret dispositioni illi pœnali *d. c. statutum* quandoquidem secundum propriam, & strictam significationem nupta non venit nomine sponsæ; contra enim impugnaberis, quià probatio non procedit restrictiuè, sed tantum demonstratiuè excludendo in fortioribus terminis attenta verborum proprietate id, quod ex aduerso poterat obijci; cæterum cum ex contextu verborum, & ex certa statuentis mente cognoscatur dispositionem etiam referri ad nuptam, non est, cur ad eandem etiam non debeat referri, & licet in pœnalibus regularitèr non fiat extensio vltra propriam, & germanam verborum formam; fallit tamen, quando ex mente statuentis alitèr conijcitur, & eadem quinimmo fortior ratio militat pro eo, quod non venit in propria significatione, vt in casu nostro, secundum quem iura intenderunt remouere, ne ob violentum sponsæ raptum alterius ius violaretur, quod certè fortius violatur, quando rapitur nupta, seù sponsa de præsenti, ac quando rapitur dumtaxat nupta de futuro, quià in primo casu læditur ius complete, & perfectè acquisitum; in secundo autem non nisi ius imperfectum, & incohatum.

Sponsa in rigore est de futuro.

A fortiori comprehenditur etiã sponsa de præsenti.

6 Ad tertiam videtur absolutè prima fronte dicendum impediri etiam à contrahendo matrimonium cum ea, cum qua prius contraxerat sponsalia, quià textus *in d. c. statutum* 27. *qu*. 2. absolutè eum priuat spe coniugij, nec cum relatione ad promissionem de futuro, nec de præterito, ergò absolutè illa dispositio intelligenda est, adeo vt quemcunque contractum postea ineundum impediat, & licet contractus sponsalium fuerit antecedentèr initus, contractus tamen matrimonij est subsequenter ad raptum exequendus; cum igitur allegatum ius priuet spe cuiuscumque coniugij, quod propriè in matrimonio perficitur vtique priuare videtur iure ad matrimonium cum ea etiam contrahendum, cum qua sponsalia prius contraxerat. Accedit, quod, cum huiusmodi priuatio spei coniugij sit pœna delicti vtique afficit delinquentem nullo habitò respectu ad ius alterius, quod possit per talem priuationem lædi, nam sicuti si quis post contracta cum vna sponsalia non adhuc inito matrimonio concumberet cum ipsius consanguinea priuaretur iure illam ducendi non obstante præiudicio, quod inde sponsæ eueniret, ita si post contracta sponsalia cum vna sponsam alterius raperet extante iure priuante spe coniugij non solum cum rapta, sed etiam cum quacunque alia priuabitur iure illam ducendi non obstante præiudicio, quod priori sponsæ indè prouenirer. Nihilominus alij statuunt, non eximi huiusmodi raptorem ab onere contrahendi cum priori sponsa, si ipsa non obstante raptu alterius sponsæ velit cum eodem contrahere, quorum multiplex potest esse ratio. Prima, quià huiusmodi ius disponens de priuatione coniugij respicit contractum de futuro, ibi *sine spe coniugij maneat*, spes autem respicit futura, non præterita, ergò, cum raptor antecedentèr cum alia contraxerit, eodem iure non priuabitur ad perficiendum contractum cum ipsa. Neque dicas, quod coniugium non consistat in illa promissione præcedenti, sed in consensu posteà præstando, qui tempore raptus alienæ sponsæ positus non erat, ergò raptor spe illius coniugij verè priuatur; contrà enim impugnaberis, quià quantumvis coniugium propriè, & in rigore non sit positum tempore raptus alienæ sponsæ, antecedentèr tamen ad illud tempus raptus ius ad illud coniugium iam ortum erat; iure autem iam acquisito quis priuandus non est, nisi expresè de ea priuatione sit in iure dispositum. Secunda est, quià vbi agitur de præiudicio tertij, non est præsumendum, quod iura disponant, nisi expresè id statuant. Sed in illa dispositione *d. cap. statutum* 27. *q*. 2. non est expresè dispositum, quod illa priuatio iuris coniugij sit contrà ius tertij, & vtique cederet in damnum sponsæ, cum qua prius contraxerat, ergò non est præsumendũ, quod in illa dispositione veniat priuatio iuris ad coniugium, cum iam ius ad idem alter antecedentèr acquisierit per sponsalia antecedentèr contracta. Tertia est, quià iura pœnalia ex genere suo sunt strictè interpretanda, ita vt non afficiant delinquentem, nisi secundum quod verba, quibus sunt imposita, sonant, nec extendantur ad aliorum præiudicium, nisi expresè fuerit actum; Neque dicas, verba importare præcisè coniugium, quod antecedentèr ad raptum non erat, & intendere præcisè pœnam delinquentis, ad quam per accidens est, quod sequatur priuatio iuris alterius; contra enim impugnaberis, quià quantumvis formalitèr coniugium non esset ante raptum, erat tamen æquiualentèr, quatenus erat ius ad illud contrahendũ iam acquisitum, nec pœna delinquentis debet afficere alterum ab ipso, cui iam ius acquisitum fuerat. Quid igitur circà propositum dubium iam concludendum?

Sententia excludens etiam à matrimonio cũ sponsa propria.

Rationes pro hac sententia afferuntur.

7 *Contraria asserens nõ impediri.*

Rationes pro hac secunda sententia afferuntur.

Iura non disponunt in præiudicium tertij, nisi expresè agant.

Pœnalia sunt strictè interpretanda.

Pro solutione aduertè primo, raptum alienæ sponsæ in ordine ad contrahendum cum quacunque alia non numerari inter 8

impe-

Raptus alienæ sponsæ non dirimit, sed impedit. Sanchez. Bossius.

impedimenta dirimentia, sed dumtaxat inter simplicitèr impedientia *Sanchez de matrimon. lib. 7. de impedim. q. 12. n. 93. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 12. n. 50.*, quandòquidem verba textus continent præcisè prohibitionem absque vllo verbo significante irritationem actus.

9 Aduerte secundo, quod, si aliena sponsa rapta assensum raptui præbuerit, quantumvis non possit alium ducere arg. deducto à contrario sensu *à d. c. statutum* 27. q. 2. vbi dicitur, quod, *si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negatur*, ex quo sequitur, quod, si fuerit consentiens, licentia nubendi eidem negatur, prout docent *Paludanus in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. n. 13. Vera Crux in specul. part. 1. art. 15. August. Barbos. collect. ad d. c. statutum*; nihilominus *ex d. c. statutum 27. q. 2.* non excludatur, quod, si sponsus, à quo fuerat rapta, adhuc assentiatur matrimonio, non teneatur cum eodem contrahere, quiâ delictum vnius non potest alteri innocenti officere, quod etiam ex eo euincitur, quod si sponte contractis cum vno sponsalibus posteà cum alio primo inuito contraxerit teneatur stare primis, quiâ non potest præjudicare iuri iam alteri quæsito, vt supra dictum est.

Rapta assentiens raptui non potest alteri nubere.

Aduerte tertio, quod contractis prioribus sponsalibus non sequatur ipsorum dissolutio ipso iure superueniente aliquo impedimento non dirimente, sed simplicitèr impediente, sic v. g. si quis cum vna contraxerit sponsalia, & posteà votum simplex castitatis emiserit, quod ex genere suo impedit, non dirimit, non proptereà eadem sponsalia primò contracta dissoluuntur *Siluester verbo matrim. 7. qu. 5. dict. 5. & verb. sponsalia q. 7. Nauarrus in summa c. 22. n. 27. Ioannes Brunellus de sponsal. concl. 8. nu. 2. & concl. 31. n. 3. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. n. 84. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 5. n. 23. vers. sexto de voto D. Antoninus 8. part. tit. 1. c. 18. §. 2.*, quod videtur colligi *ex c. veniens. Qui cleric. vel vouentes*; non enim Deus acceptat promissionem rei alteri promissæ, & debitæ, ex iustitia. His præsuppositis pro hac tertia difficultate, & resolutione tituli propositi.

Siluester. Nauarrus. Brunellus. Cucus. Paludanus D. Antoninus.

10 Respondeo, saluo meliori iudicio probabilius esse ex illa iuris dispositione non eximi raptorem alienæ sponsæ in ea hypothesi ab onere primam ducendi, cum qua antecedentèr contraxerat sponsalia eadem sic exigente, nec recedente à primæuis suis iuribus. Rationes adductæ pro secunda sententia multam vim conferunt ad probandam responsionem, quæ tamen adhuc sic euincitur, quiâ iura in suis dispositionibus non præsumuntur derogare iuribus tertij, nisi de illis expressè egerint, sed vtique sine tali expressione in præsenti hypothesi derogarent iuribus sponsæ, quę antea cum raptore sponsalia contraxerat, si hic ex vi illius dispositionis *in d. c. statutum* non posset cum illa contrahere coniugium, maximè si illa exigeret contrahi, ergò? Neque dicas iura absolutè constituere raptorem inhabilem ad imposterum contrahendum, ad quod per accidens sequitur præiudicium alterius, cum quo ille prius contraxerat, ad quod iura non respiciunt, vt videre est in eo, qui post contracta sponsalia cum aliqua ex proprio delicto damnatur ad triremes in perpetuum, vel in perpetuum exilium; contra enim impugnaberis, quiâ inhabilitas illa, quæ inducitur à iure est in ordine ad contractum ineundum, & ad iura acquirenda, non in ordine ad iam initum, & ad ius iam quæsitum, nec potest dici inhabilitas absoluta, cum non dirimat, sed ad summum impediat; & hinc etiam patet, quid respondeas ad id, quod supra dicebatur de eo, qui contractis sponsalibus cum vna posteà non adhuc completo matrimonio concumberet cum consanguinea eiusdem in gradu prohibito, vbi dictum est, quod, quantumvis illa dissolutio priorum sponsalium sit contrà ius sponsæ, nihilominus non obligetur sponsus, qui consanguineā eiusdem carnalitèr cognouit ad perficiendum cum priori sponsæ matrimonium, & consumandam promissionem antecedentèr factam; Patet, inquam, quid respondeas, nam in hoc casu, de quo antea locuti fuimus, interuenit absolutè impedimentum non solum impediens, sed simpliciter irritans, quod propterea absolutè dissoluit præcedentem contractum; in casu autem, de quo in præsenti responsione loquimur, impedimentum, quod ex dispositione iuris inducitur, non est absolutè irritans, sed dumtaxat impediens, & pænale, prout supra notauimus *ex Sanchez, & Bossio*, & proindè prout est pænale est strictè interpretandum, ità vt non lædat ius alteri acquisitum, prout est impediens solummodò, non est extendendum ad iam contractum.

Potest non obstante raptu contrahere coniugium cum priori sponsa.

Est inhabilitas non absoluta, sed secundum quid.

Solutio argumenti propositi.

Sanchez. Bossius.

Tollit tandem quamcunque ambigendi rationem id, de quo testantur *Nauarrus in summa c. 22. n. 85. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 17. n. 8. Coninchus de sacram. disp. 30. d. 3. num. 25.*, & alij innumeri apud eundem Sanchez, quod scilicet quantumvis per huiusmodi raptum alienæ sponsæ contraheret etiam impedimentum cum propria sponsa, cum qua contraxerat antecedentèr sponsalia, nihilominus hoc impedimentum non vrgeat, cum iam contraria consuetudine legitimè præscripta scientibus prælatis Ecclesiasticis sit abrogatum, ita vt affecti hoc impedimento minimè petita dispensatione ineant matrimoniū, vndè *Sanchez loc. cit. n. 8.* eosdem eximit ab omni culpa, quantumvis affecti illo impedimento posteà contrahant. 11

Hoc impedimentum est consuetudine abrogatum. Nauarrus. Sanchez. Coninch.

§ XI.

§. XI.

An in dubio, quod sponsalia calore iracundiæ inita sint cum sufficienti deliberatione, nec ne, sit potius præsumendum pro libertate, an pro insubsistentia contractus.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ refertur. 1.
In dubio supponendum est potius pro sufficienti deliberatione. 2.
Natura facit homines liberos, & rationis compotes. 3.
Gesta per amentem, & furiosum supponuntur gesta tempore amentiæ, & furoris, & quare. 4.
Possessio stat pro naturali dispositione, non pro libertate. 5.

1 *Exponitur facies difficultatis.*

DIsquisitio XI. Feruente iracundia Titius sponsalia contraxerat cum Caia. Dubium erat, an feruor iracundiæ talis, ac tantus fuerit, vt subuerterit vsum rationis, & deliberationem iudicij, adeò vt non esset proportionata deliberatio ad validitatem eorundem, an verò non talis, & tantus, vt cum eodem posset compati sufficiens deliberatio. Dubium adeò vigebat, vt attentis omnibus circumstantijs; & coniecturis adhuc anceps esset animus, ad quam partem prudenter, & rationabilius inclinaret. Hic quæsitum fuit, pro quanam parte sit præsumendum, an pro sufficienti deliberatione, an veró pro insufficienti.

2 *Præsumitur pro validitate contractus.* Molinus. Sanchez. Bossius.

Respondeo, in ea hypothesi præsumendum esse potius pro sufficienti deliberatione ad validitatem sponsalium *Franciscus Molinus de rit.nupt. comparat.20. num 37, & seqq., Sanchez lib. 1 disp. 8. num 10., Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c.14.nu. 27.* Ratio ex eo deducitur, quià in dubio, an actus gestus fuerit tempore furoris, & dementiæ, an verò tempore, quo actor fuerit mentis compos, semper præsumitur, quod gestus fuerit pro tempore sanæ mentis *Mascardus de probat.tom.2. verbo furiosus 1. concl.824.nu.5., & seqq., Menochius de præsumpt.lib.6 præsumpt.45.num.18., Coaruuias in epit.part. 2. c 2. num.6., Sanchez lib.1.disp.8. num.27.,* & quidem iure meritò hoc statuitur, quià regulariter natura facit homines liberos, & mentis compotes, & per consequens semper præsumendum est pro hoc naturali instituto, nisi contrarium probetur. Quod, si dixeris contrarium sufficientèr probari ex eo, quod iracundia percitus sponsus sponsalia inierit ? statim impugnaberis, quià iracundia non semper vsum rationis peruertit, adeo vt exercita in eadem

Mascardus. Menochius Coaruuias.

3 *Natura per se facit homines rationis compotes.*

præsumantur exercita sine ratione, vnde eodem etiam extante, & non innotescente per vehementiores coniecturas, quod vsus rationis in ea hypothesi viguerit, præsumendum pro naturali inclinatione, quod scilicet fuerint exercita per sufficientem deliberationem ad validitatem contractus.

Dices primò, si constet aliquem semel fuisse furiosum, seù dementia affectum, & nihilominus dilucida interualla habuisse in dubio gesta per eundem supponuntur gesta tempore furoris, vel dementiæ, ergò etiam, si constet pro tempore iracundiæ quem sponsalia contraxisse præsumendum erit sine deliberatione sufficienti ad validitatem sponsalium contraxisse. Antecedens latè probatur à *Coaruuia part.2.c.2.nu. 6., Menochio de præsumpt. lib 6. præsumpt.45. num.59. Calda Pereira quæst.for.cons.24.num. 4., August.Barbosa tom.2. collect lib.4 tit.1.c. 24., Riccio in praxi for. Eccl. decis.251., Sanchez lib.1.disp.8.num.18.* Sed contrà, quià inprimis non ità verum est antecedens, quin contrarium à pluribus asseratur, & præcipuè contrarium sentit *Mascardus verb. furiosus 2. concl.825. num. 6., Alexander in l. pretia rerum ff. ad leg. falcid., & in l. is potest post num.9.ff.de acq.poss. Aret.in §. præterea testamentum post num.3. vers.2. casu instit.quib. non est permis.facul.test., Mantica de coniect. vlt.volunt.lib.2.tit.5.num.7.vers.quinto extenditur* propter eandem rationem, quià præsumptio furoris statui originali repugnat. Deindè neganda est absolutè consequentia, quià, cum status furoris, & dementiæ regularitèr sit incurabilis, & quodamodò fiat naturalis furor de præsenti præsumitur durare in futurum, & quodamodò tollere præsumptionem naturalis illius qualitatis inditæ à natura; status autem iracundiæ, nec est durabilis, nec ex natura sua tollit sufficientem deliberationem, nisi probetur in gradu summo fuisse, & fuerit talis, vt absorbeat vsum rationis, quod non est præsumendum, nisi probetur.

Gesta amentis supponuntur gesta tempore amentiæ.

Coaruuias Menochius Caldas. Barbosa Riccius. Sanchez.

Contrarium alij asserunt.

Amentia est morbus incurabilis.

Dices secundò, in dubio semper melior est conditio possidentis, & possessio stat pro libertate, ergò in illo dubio promissor erit liber ad contrahendum, vel non contrahendum, nec præsumptio erit determinatè pro validitate contractus. Sed contrà, quià in dubio quidem possessio stat pro libertate, quando attentis rerum conditionibus præsumptio non stat pro altera parte determinatè, vt euenit in casu nostro, secundum quem naturalis dispositio secundum regularem modum habee pro se efficaciorem rationem saltem præsumptiuam.

5 *Possessio stat pro naturali dispositione.*



§. XII.

§. XII.

An in dubio sufficientis deliberationis ad sponsalia in iracundia percito præsumendum sit pro insufficientia, si immediatè resiliat.

SVMMARIVM.

Facti series in suis terminis. 1.
Sententia asserens præsumi pro insufficientia deliberationis. 2.
Immediata resilientia non est sufficiens ratio indeliberationis. 3.
In motu iracundiæ potest esse noxa lathalis. 4.
Satisfit rationibus contrarijs. 5.

1 *Exponitur status difficultatis.* DIsquisitio XII. Subito iræ ardore percitus, qui etiam per aliquid temporis perseuerauit, contraxit Caius sponsalia cum Theodorica. In dubio, an pro illo tempore habuerit sufficientem animi deliberationem ad contrahendum orta fuit controuersia, an sufficientèr conijciatur insufficientia eiusdem ex eo, quod idem Caius post eadem contracta sponsalia per pænitentiam resilierit, suumque animum reuocauerit. Nonnulla hac de re diximus *sub hoc eodem titulo contractus XIV. de sponsalib. prænot. 9. assert. 2. vers. ad concludendum autem*, vbi potius pro sufficientia conclusimus, quamvis hanc subitam resilientiam dixerimus validam coniecturam multum conferentem ad dissoluendum contractũ. Quia tamen DD. plurimi de hac re valdè dubitant, quorum autoritas, & rationes magni momenti sunt, & roboris, ideò ad magis firmanda ibi afferta placuit hanc disquisitionem proponere, & rem magis ex professo examinare. Pro qua

2 Molinus. *Sententia concludens pro insufficientia deliberationis.* *Molinus de rit. nupt. lib. 1. comparat. 30. nu. 20., & seqq.* asserit, quod, si incontinenti resipuerit, & recesserit à sponsalibus initis in iracundia præsumatur, quod eadem facta fuerint sine sufficienti deliberatione, quandòquidem iura canonica interpretantur id factum sine sufficienti deliberatione, quod momentaneum fuit per textum *in c. diuortium de pænit. dist. 1., & l. 3. ff. de diuort.*, ad quod comprobandum multa refert exempla in iure fundata, & primò, quod confessio calore iracundiæ in iudicio facta potest validè retractari, ità vt nõ faciat probationem, vt docet *Parisius in c. per venerabilem de exceptionib.*; nec incongrua sanè ratione, quià, quæ incontinenti fiunt censentur actui inesse *l. lecta vers. dicebam ff. de reb. credit.* Secundò, quià testis incontinenti dictum suum corrigens, maximè, si illud motu iracundiæ elicuerit, auditur, & validè illud retractat *Felinus in c. præterea de test. b. cog.* Per ly autem, quod dicitur *incontinenti fieri* intelligunt aliqui id, quod fit intra dies tres *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 13. num 34.*, qui pro hoc allegat textum *in l. fin. §. illicò C. quomodo, & quando Iud.* alij extendunt ad dies decem *Gloss. in l. ab eo C. quomodo, & quando Iudex* alij remittunt arbitrio Iudicis *Menochius de arbitr. Iud. lib. 2. cas. 9.* Nihilominus

Parisius. *Argumenta eandem comprobantia.* Felinus. Ioannes Angelus Bossius. Menochius

3 *Non arguit insufficientiam deliberationis.* Respondeo iuxtà superius dicta loc. cit. hanc coniecturam immediatæ resilientiæ non esse sufficientem ad indicandam negationem sufficientis deliberationis requisitæ ad validitatem contractus initi tempore iracundiæ. Ità præter DD. allegatos loc. cit. *Aragonius 2. 2. q. 88. art 1. Sotus lib. 7. de iustitia q. 1. art. 2. vers. colligamus ergo. Angles Floribus 2. parte q. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 8. nu 8. Pontius lib. 4. de matrimon. c. 1. num. 6.* Ratio non solum ex eo deducitur, quià in subito iracundiæ motu potest committi actus, qui sit peccaminosus læthalitèr, quantumvis re vera immediatè retractetur, ergò potest esse sufficiens deliberatio ad contrahenda sponsalia, quantumvis ira percitus immediatè post contractum resiliat; consequentia tenet, quià non maior requiritur deliberatio ad contrahenda sponsalia, ac requiratur ad læthale Peccatum committendum, ergò &c. Non, inquam, ex hoc solum deducitur, sed etiam, quià nos sæpè pænitet eorum, quæ magna cum deliberatione gessimus. Quamobrem spectandum semper erit, an talis ira eo vsque percrebuerit, vt rationis lumen obfuderit, nec ne, & vbi non probetur idem lumen obfudisse præsumendum est pro naturali dispositione à natura indita regularitèr vnicuique liberæ, & sufficientis deliberationis iuxtà superiùs allegata, & probata.

Aragonius. Sotus. Angles. Sanchez. Pontius.

4 *In subito iracundiæ motu potest esse noxa lathalis.*

5 *Satisfit rationibus contrarijs.* Ad ea, quæ ex aduerso afferebantur à Molino, & alijs dicendum est, iura præallegata dumtaxat procedere non ex eo præcisè, quod incontinenti ponatur pænitentia, & resilientia, sed ex eo, quod sit vehemens præsumptio, quod ille contractus fuerit initus cum metu iracundiæ tali, vt vsum rationis peruerterit, quę præsumptio, si coniũgatur cum illa immediata resilientia inducit probabile fundamentum non sufficientis deliberationis; secus secundum se illa subita pænitentia non est sufficiens ratio præsumendi pro indeliberatione. Ad primum exemplum de confessione calore iracundiæ in iudicio facta dicendum est eam admitti quidem ad minuendam pænam delicti, non autem ad non concludenter probandum. Ad secundum dicendum est, quod, cum in delictis requirantur probationes ipsa luce meridiana clariores, nec vlla requiratur penitus hæsitatio, testis in feruore iracundiæ deponens auditur quidem quoad aliquam diminutionem fidei in dictis, nõ absolutè, & illius depositio

In delictis requiruntur probationes luce clariores.

positio, cum inseruiat tantum ad probationem humano modo, debet esse cum confirmatione, vt probet, non cum retractatione immediatè; non sic autem res se habet in præsenti hypothesi, in qua attenditur rei veritas, an scilicet re vera fuerit deliberatio, quæ vtique esse potuit, & præsumitur fuisse in illo iracundiæ ardore, nisi contrarium probetur, non enim exigit illa deliberatio tractum temporis successiuum.

§. XIII.

An sponsalia contracta tempore feruentis iracundiæ cum persona inæquali sint præsumenda inita cum sufficienti deliberatione.

SUMMARIUM.

Exponitur status difficultatis. 1.
Ex inæqualitate sufficienter præsumitur fictio consensus. 2.
Ex calore iracundiæ secundum se cum illa inæqualitate non arguitur indeliberatio. 3.
Ardor iracundiæ potest coniungi cum deliberatione, vel indeliberatione. 4.
Ardor iracundiæ cum illa inæqualitate est sufficiens motiuum ad recisionem. 5.

1 *Elucidatur titulus in suis terminis.*

Disquisitio XIII. Iuxta hypothesim, cuius facti seriem in præcedenti disquisitione expositam in calore iracundiæ contraxerat sponsalia Titius persona potens, & diues cum Theodorica ignobili, & paupere, licet non despectibilis formæ; quibus contractis resilire posteà contendebat ex motiuo insufficientis deliberationis, quam allegabat tum ex eo, quod consensus fuerat elicitus tempore feruentis iracundiæ, tum ex eo, quod persona, cum qua contraxerat, erat deterioris conditionis. Quæsitum fuit, an ipsius iura subsisterent ad effectum inualidandi contractum.

2 *Fictio præsumitur ex inæqualitate.*

Ex dictis in præcedentibus clarè liquet ex inæqualitate conditionis inter contrahentes de facili præsumi fictionem consensus ex parte præpotentis, quam certè fictionem, cum satis potuerit dignoscere alter contrahens, debet sibi imputare, quod cum eo contraxerit, nec actionem poterit intentare aduersus alterum præpotentem, quià facilè poterit elidi per exceptionem inæqualitatis conditionis, & præsumpti ficti consensus. Ex hoc asserit *Franciscus Molinus lib. 1. de rit. nupt. comparat. 30. num. 20.*, quod, si hæc qualitas inæqualitatis coniungatur cum calore iracundiæ existentis pro tempore celebrationis contractus vehementem inducat præsumptionem non sufficientis deliberationis ad validitatem eiusdem contractus, sicuti è

Molinus.

contrà non præsumitur sufficiens indicium etiam existente illo ardore, si contractus fuerit cum persona paris gradus, & conditionis. Nihilominus

Respondeo ex eo præcisè, quod illa inæqualitas coniungatur cum illo ardore iracundiæ excitatæ pro tempore celebrationis contractus non induci sufficientem præsumptionem insufficientis deliberationis ad validitatem eiusdem *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 14. n. 37.* Dixi, *ex eo præcisè, quod coniungatur, cum illo ardore iracundiæ*, nam, si supponas aliundè sufficientem consensum non extitisse, qui certè argui potest ex illa inæqualitate interuenientibus alijs adminiculis, tunc certè non subsisteret contractus, sed hoc non esset, quià coniungeretur cum ardore iracundiæ. Difficultas igitur solummodò est, an ex illo feruore iracundiæ arguatur illa inæqualitas ratio insufficientis deliberationis, quod in hac responsione negatur; cuius negationis ea ratio est, quià cum plena deliberatione, & maturo iudicio plerique contrahunt cum imparibus, ergò illa inæqualitas coniuncta cum illo iræ ardore tempore celebrationis contractus non est sufficiens ratio insufficientis deliberationis. Consequentia tenet, quià ex genere suo illa inæqualitas non pugnat cum sufficienti consensu, & ex alio capite ardor iracundiæ ex supra probatis non absorbet omninò rationis vsum. Confirmatur, quià ardor iracundiæ iuxtà maiorem, vel minorem gradum indifferens est, vt coniungatur cum maturo animi iudicio, & sufficienti deliberatione, vel cum immatura, & non sufficienti, sed ex eo, quod ita sit indifferens potest contingere, quod contrahens in illo cum pari inualidè contrahat ob insufficientem deliberationem, ergò etiam ex eo, quod sit indiferens potest contingere, quod contrahens cum inæquali valdè contrahat proptèr sufficiens iudicium, ergò illa inæqualitas secundum se cum illo ardore non est ex genere suo sufficiens ratio indeliberationis, & inualiditatis contractus.

3 *Non concluditur pro indeliberatione.* *Bossius.*

Restringitur status difficultatis.

Cum maturo iudicio plura in calore iracundiæ concluduntur.

4 *Indiferentia ita ad iudicium maturum, vel immaturum.*

Non negauerim tamen, quod, quantumvis ex genere suo illa inæqualitas cum ardore iracundiæ non inualidet secundum se contractum, tribuat tamen iuuamen ad eundem facilius dissoluendū, prout etiam notat *Ioannes Angelus Bossius d. c. 14. n. 37. in fin.*, cum etenim huiusmodi contractus plures habeat causas, quibus potest dissolui ad differentiam matrimonij, quod secundum se est insolubile, hinc est, quod extantibus illis conditionibus, seù qualitatibus maximè in iudicio probatis detur exceptio ad eadem inualidanda vel officio iudicis, vel etiam præcisa ope exceptionis, vt videre etiam est in læsione enormi in contractu emptionis, & venditionis, quæ quam-

5 *Tribuit ius ad recisionem.* *Bossius.*

quamuis secundum se non irritat contractum, tribuit tamen fundamentum ad recisionem.

§. XIV.

An sponsalia inita in ardore iracundiæ cum damno promittentis in ira, & suorum præsumantur inualida.

SVMMARIVM.

Dilucidatur factum. 1.
Prima sententia præsumens pro inualiditate. 2
Secunda sententia concludens pro validitate præfertur. 3.
Est tamen sufficiens fundamentum recisionis. num. 4.

1 *Status controuersiæ.* Disquisitio XIV. Contractis sponsalibus iuxtà modum præcedentium duarum disquisitionum pro tempore, quo ardor iracundiæ in Titio vigebat, ex eisdem idem Titius multa passus est incommoda in sui, vel suorum detrimentum, & ex alio capite in commodū patens Theodoricæ, cui fidem suam obligauit. Orta fuit hic controuersia, an ex illis incommodis proprijs, & suorum, & commodis mulieris exuberantibus desumatur sufficiens argumentum euersionis iudicij non sufficientis ad validitatem eorundem.

2 Molinus. *Sententia afferens præsumi inualida, eiusq; probationes* Franciscus *Molinus d. lib. 1. de ritu nupt. comp. 30. n. 32.* expressè asserit in ea hypothesi ex præsumptione iuris sponsalia illa esse inualida, quià incommoda illa, & damna, quæ indè oriuntur sunt signa insufficientis considerationis, summæ imprudentiæ, & quod tali ita percitus non respexerit, quæ sua sunt, & despexerit ea, quæ apud prudentes, & consideratos homines in maxima habentur consideratione, & non despiciuntur, prout etiam considerauit in simili (Menoch.) *Menochius consil. 144. n. 17. ad fin cum seqq. & cons. 956. n. fin. lib. 10.* His tamen non obstantibus

3 *Praefertur contraria sententia.* Respondeo illam præsumptionem ortā ex illis incommodis, & damnis non esse secundum se sufficientem ad inferendam negationem liberi consensus, & inualiditatem contractus ipso iure (Bossius.) *Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 14. num. 38.* Ratio ex eo deducitur, quià contrahere etiam cum proprijs incommodis, & damnis sæpè contingit in operantibus deliberatè, & cum plena libertate, & maturo animi iudicio, ergò ex eo, quod incommoda illa, de quibus dicitur in responsione, ex illo contractu promanēt, non sequitur, quod ille contractus non fuerit initus cum plena deliberatione, præcipuè cum potuerit moueri, vel ex nimia propensione erga talem determinatam personam, cum qua contraxit, vel ex singulari aliqua ipsius dote, seù prærogatiua. Quot enim diuites sunt, qui ob motiuum pulchritudini contrahunt cum paupere, quot nobiles, qui ob aliquam prærogatiuam in ipsa elucescentem contrahunt cum ignobili? (*Plures contrahunt liberè cum proprio incommodo.*) quantumvis ex illis contractibus damna plurima oriantur. Deindè, vel illa incommoda, & damna præsumuntur præuisa ab eo, qui ea patitur in celebratione contractus, vel cognita solummodò subsequentèr; si primum asseratur, ex eo quod ijs non obstantibus consensum præbuerit, præsumi debet, quod liberè eisdem cesserit, eaque nulla in consideratione habuerit; si secundum; id, quod consequitur ad contractum iam initum non potest eundem ex natura sua irritare, quamuis quandoque possit tribuere fundamentum ad recisionem. (*Cognitio damnorum subsequens non irritat contractum*) Quis enim diceret reddi contractū emptionis initum cum plena deliberatione irritum ex eo, quod posteà ex eodem consurgant emptori incommoda ex illa emptione?

Hic solum monerem, quod, si reuera posteà probaretur contractum illum fuisse initum vigente iracundiæ calore, & posteà damna illa, seù incommoda consurgerent, posset desumi sufficiens fundamentum rescindendi posteà eundem contractum; quandòquidem contractus ille non est ex genere suo indissolubilis, & quandoque dissoluitur ex leuioribus etiam causis, præcipuè cum contractus ille ordinetur ad matrimonium, quod in sui celebratione exigit plenam libertatem propter ipsius indissolubilitatem, cum qua plena libertate non videtur posse compati illa damnorum, & incommodorum præuisio, nisi illis animo deliberato cesserit; ex quo sequitur, quod possit nolle illis cedere, adeoque ratione ipsorum validè intentare prioris contractus dissolutionem. 4 *Possunt tamen ex illa causa sponsalia dissolui.*

§. XV.

An raptor fœminæ, vt alius cum ipsa contrahat, vel coeat afficiatur pœnis iuris, & an ille tertius afficiatur pœnis Concilij Trident.

SVMMARIVM.

Exponitur status controuersiæ. 1.
Præsupposita nonnulla ad quæsitum. 2.
Tertia persona, si fuerit ignorans raptus intuitu sui commissi potest validè contrahere cum rapta. 3.
Si fuerit conscia inualidè contraheret. 4.
Raptor nomine alterius, si ipse mutato consilio eam ducat, non inualidè ducit. 5.
Si quis rapiat virginem nomine alterius scientis, & consentientis vterque contrahit alias

pœnas iuris. 6.
Etiam si non fuerit secutum matrimonium, nec consummata copula. 7.

1 *Pœna contra raptorem, eiusq; fautores.* Disquisitio XV. Per concilium Tridentinum *sess. 24. c. 6. de reformatione matrim.* statutum est inter raptorem, & raptam, quandiu rapta in raptoris manserit potestate, nullum posse consistere matrimonium, & per consequens, nec sponsalia. Item quod raptor ipse, omnesq; consilium, auxilium, & fauorem præbentes afficiantur excommunicatione, perpetua infamia, sintque ad omnes dignitates incapaces, raptorque ipse siuè raptam duxerit, siuè non duxerit teneatur arbitrio Iudicis ipsam decenter dotare. His ergò sic suppositis. Titius rapuit Bertam non ad effectum, vt ipse cum ipsa contraheret, vel concumberet, sed vt Caius cum ipsa copularetur. Hic orta fuit controuersia, an in ea hypothesi Titius teneatur easdem iuris expositas pœnas subire, & an Caius easdem subire debeat, intuitu cuius eadem Berta fuerit rapta.

2 *Nonnulla notabilia circa quæsitum.* Pro pleniori difficultatis discussione aduertendum est, an Caius, intuitu cuius Berta supponitur, rapta fuerit antecedentèr conscius illius raptus, eidemque consentiens, an verò penitus ignorans, nullumque tali crimini præbens assensum antecedentèr, sed tantummodò consentiens post factum. Deindè, vel Titius raptor, & Caius, intuitu cuius fuit raptus intentatus, considerari possunt, vel relatiuè solum ad impotentiam contrahendi cum rapta, vel relatiuè ad alias omnes pœnas supra expositas, qua posita consideratione inquiri potest primò, an si Berta maneat sub potestate Titij raptoris possit Caius cum eadem validè contrahere, siuè Caius fuerit conscius raptus, siuè ignorans. Secundò, an in illa eadem hypothesi possit Titius, qui non in ordine ad se, sed in ordine ad Caium rapuit mutato fine, & ordine eandem ducere. Tertiò, an vterq; subeat alias pœnas ab eodem Concil. Trident. statutas.

Ratio dubitandi circà idem quæsitum. Videtur in ordine ad primum absolutè dicendum, quod neuter comprehendatur in illa dispositione Concilij, quandòquidem illud ius est quodamodò pœnale, & correctoriũ iuris antiqui *in c. fin. de raptor.* sicque est strictè interpretandum, vt non excedat limites verborum, quibus concipitur, nec mentis statuentium ad modum, quo exprimitur: ius autem præcisè disponit de impotentia inter raptorem, & raptam; sed in illa hypothesi Caius siuè fuerit conscius, siuè ignorans non est raptor, ergò respectu ipsius in primis non habet locum dispositio, quæ præcisè loquitur de raptore. Deindè raptor ad finem, vt comprehendatur in illa dispositione debet duplicem habere qualitatem; primam, vt rapiat; secundam ad finem contrahendi matrimonium, seù sponsalia, vel ad explendam libidinem, sed in data hypothesi, nec rapuit ad finem matrimonij secum ineundi, nec explendæ libidinis causa, vt per se patet, ergò in illa dispositione non comprehenditur. Nihilominus procedendo iuxtà distinctiones præpositas

Respondeo primo. Caius, si non fuerit conscius illius raptus non comprehenditur in illa dispositione Concilij quoad impotentiam contrahendi cum rapta, quantumvis hæc remaneat sub potestate Titij. *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 13. n. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 13. n. 12. Zipeus in anal. ennart iur. nou. lib. 4. tit. de sponsalib., & matrim. n. 25. Gutierez de matrim. c. 86. n. 10.* Ratio ex eo deducitur, quià pœna, seù dispositio illius decreti est, vt inter raptorem, & raptam non possit consistere matrimonium quousque ista permanserit sub potestate illius, sed in ea hypothesi matrimonium non esset inter raptorem, & raptam, sed inter raptam, & alium ab ipso raptore, & vtique non conscium raptus, eidemque non consentientem antecedentèr, ergò illud matrimonium non comprehenditur sub illa concilij dispositione, hocque eo magis firmatur, quo certius est dispositiones pœnales, & correctorias iuris antiqui non extendi extrà formalem verborum significationem, sed restringi ad eorum formale significatum. 3 *Non impeditur contrahere, si fuerit ignorans.* Sanchez. Bossius. Zippæus Gutierez. *Dispositiones correctoriæ sunt strictè interpretandæ.*

Instantia ad responsionem, eiusque solutio. Dices, eandem formalem militare rationem decreti irritantis contractum siuè fuerit initus cum ipso raptore, siuè cum alio ab ipso, si permanserit in illius potestate, qui rapuit, quandòquidem in vtroque casu eadem potest esse præsumptio metus quoad raptam, & defectus substantialis, & sufficientis consensus, in quo innititur Concil. Trident. quoad illud decretum irritans; cum etenim raptor eandem abduxerit ad effectum, vt contraheret cum illo alio æquè illa timere potuit, vel cum ipso raptore contrahendo, vel cum alio ab eodem raptore intento. Sed contrà, quià, si verè talis fuerit metus, vt secundum se sit sufficiens ad irritandum contractum, quandò alius à raptore eam ducit manentem sub ipsius raptoris potestate, certè contractus ille non subsisteret non quidem in vim Concilij Tridentini irritantis, sed ex natura sua ob defectum sufficientis substantialis consensus. Cæterum quoad dispositionem Concilij, quod est pœnale in ea parte, quodque non respicit præcisè ipsum metum, sed periculum metus, etiam si actu metus non fuerit, non comprehenditur, nisi matrimonium inter raptorem, & raptam, quod absolutè nullum est, quantumvis metus ipse non inter-

intercesserit, quod certè non verificatur, quandò matrimonium est cum alio à raptore, qui non fuerit conscius illius raptus, cum verba pænalia non extrahantur à sua formali, & propria significatione.

Respondeo secundò. Si ipse Caius fuerit conscius illius raptus, & promotor

4 eiusdem ad effectum, vt ipse raptam duceret, vel cum ea concumberet comprehenditur in illa dispositione Concilij, adeo vt validè eam nequeat ducere. Consentiunt *Sanchez, & Bossius locis cit. in superiori responsione*. Ratio ex eo deduducitur, quià in ea hypothesi Caius est propriè, & quoad substantiam raptor, cum ipse rapiat per manus alterius, quod enim præstamus per alios, per nos met ipsos præstare videmur ex vulgatis iuribus, ergò &c. Antecedens probatur, quià ex eo, quod sit promotor verè, & propriè influit in illum raptum, & mouet quodamodò in vim mandati alium ad rapiendum, ergò &c.

Conscius inualidè contraheret Sanchez. Bossius.

Dices primo, verba Concilij, vtpotè pænalia, & correctoria iuris antiqui sunt strictè, & in formalissima sua significatione accipienda, sed verba concilij loquuntur præcisè de raptore, qui formalitèr est ille solus, qui per manus proprias rapit, non de illo, qui consulit, præmouet, vel mandat, qui ad summum est æquiualentèr raptor, non formalitèr, ergò &c. Confirmatur, quià leges pænales disponentes præcisè quoad agentes non comprehendunt consulentes, & mandatum dantes, nisi in illa dispositione expresè apponatur, ergò &c. Sed contrà, quià attento fine præfati iuris irritantis, qui rapit per alienas manus, est quoad substantiam raptor propriè, & vbi eadem militat ratio finalis à iure intenta valide fit extensio etiam ad æquipollentia quoad substantiam, nec est præcisè consulens, quià consilium non est in fauorem eius, cui datur, sed in fauorem consulentis, seù instantis, vndè potius est mandator, cui absolutè tanquam actori imputatur delictum, quod mandauit, sicque mandatarius est solummodò instrumentum eiusdem mandantis tanquam principalis agentis, quare in iure actiones mandatarij dicuntur actiones mandantis.

Qui rapit per alienas manus per se ipsum rapit.

Dices secundo. Concilium disponit, quod raptor non possit validè contrahere cum rapta quovsque in eiusdem raptoris remaneat potestate, sed in hypothesi, de qua loquimur, rapta non remanet in potestate eius, qui cum eadem contrahere intendit, sed alterius, qui nomine ipsius rapuit, ergò &c. Sed contrà primo, quià sicuti raptus imputatur ei, cuius nomine factus est raptus, vt ipse cum rapta contraheret, ità detentio raptæ eidem imputatur, cum nomine ipsius detineatur. Secundò, quià Concilium non solum disponit, quod raptor non possit cum rapta contrahere, quousque hæc in illius remanet potestate, sed etiam quod non possit contrahere cum ipsa, donec in loco tuto constituatur. Quomodo autem potest esse in loco tuto, si remanet in potestate eius, qui rapuit, & detinet nomine alterius, in cuius persona rapuit?

Raptus imputatur ei, cuius nomine fit.

Respondeo tertio. Si Titius, qui rapuit ad instantiam Caij, vt cum eodem Caio nuberet, mutato consilio intendat ipse cum eadem rapta nubere, antequam in loco tuto constituatur, probabilius est non inualidè contrahere *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 13. n. 6. in fin.* Ratio ex eo deducitur primo, quià pæna huiusmodi inualiditatis contractus inducta per Concil. Trid. duo respicit indiuisibilitèr, & traductionem scilicet fæminæ ab vno in alium locum, & finem contrahendi matrimonij, vel explendæ libidinis respectu eiusdem raptoris; sed in ea hypothesi ille, qui per manus proprias rapuit ad alterius instantiam, nec finem habuit matrimonij secum ineundi, nec intentionem explendæ libidinis, ergò propriè non cadit sub dispositione illius legis pænalis, & irritantis. Maior probatur ex contextu verborum *in illo cap. 6. de matrim. sess. 24.* vbi in principio est sermo de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam, ex quo deducitur Concilium, quoad illam pænam de illo solo raptu agere, qui causa matrimonij admittitur *Salzedo in practicam Bernardi Diaz c. 78. in fin. Manuel. 1. tom. summa in 2. edit. c. 213. n. 7. Vega 2. tom. summa c. 34. cas. 157. not. 1.*, quod etiam multis rationibus probat *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 13. n. 4.* ad quem vos remitto. Confirmatur primo, quià, quantumvis auxilium ferentes ad raptum afficiantur alijs pænis iuris puta excommunicationis, infamiæ non tamen subduntur pænæ inualiditatis contractus, si contrahant cum ipsa rapta, quià distincta oratione pæna inualiditatis contractus, & excommunicatio, & infamia inferuntur, sed ille, qui ad instantiam alterius rapit fæminam se habet præcisè, vt auxilium eidem ferens, ergò &c. Confirmatur secundò, quià si quis rapuerit fæminam, vt nubat cum tertia persona eadem prorsus ignorante, quantumvis hic posteà contrahat non inualide contrahit per ea, quæ superius probata sunt, ergò etiam si quis rapuerit fæminam non nomine proprio, sed ad instantiam alterius sine intentione per se ipsum cum ea contrahendi matrimonium, quantumvis posteà mutato consilio cum ea contrahat, non inualidè contrahet. Consequentia probatur, quià non minus requiritur ad raptum, prout infert pænam irritationis, quod raptor concurrerit ad traductionem fæminæ ab vno loco in alium, sed etiam, quod

5 *Rapiens nomine alterius validè contrahit cum rapta.* Sanchez.

Pœna raptus est, quandò fit causa matrimonij. Salzedo. Manuel. Vega. Sanchez.

Varia rationes comprobantes assertionem.

quod fœmina traducta fuerit præcisè ad finem matrimonij contrahendi, vt vult *Sanchez loc. cit.* vel etiam ad finem explendæ libidinis, vt sentiunt alij, sed ex eo, quod fœmina fuerit abducta ab alio ab eo, quem debet ducere, si hic fuerit ignorans non inualidatur contractus, si hic posteà contrahat, ergò etiam ex eo, quod fœmina fuerit abducta, non tamen cum animo contrahendi matrimonium, non inualidabitur contractus, si posteà raptor eundem contractum ineat.

Sanchez.

6 *Vterq; contrahit pœnas iuris.* Respondeo quarto. Si Titius rapuerit fœminam, vt matrimonium ineat cum Caio sciente, & petente vterque contrahit alias pœnas iuris à Concil. Trident. statutas *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 13. nu. 6. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 13. n. 12.* Ratio ex eo deducitur, quià *Concil. Trident. in d. c. 6. sess. 24. de reform. matrim.* exprefsè decernit huiusmodi pœnas non solum contrà raptorem ipsum, sed contrà omnes consilium, auxilium, & fauorem præbentes ad talem raptum, sed in data hypothesi vterque vel est raptor, vel consilium, fauorem, & auxilium præbens, ergò &c.

Sanchez. Bossius.

7 Hic oritur difficultas, an, si in data hypothesi, qua Titius rapuit fœminam ad finem, vt cum Caio matrimonium contraheret, vel cum ipso concumberet, nec secutum fuerit matrimonium, nec copula consũmata, adhuc vterque contrahat excommunicationem, aliasque pœnas iuris. *Consumatur delictũ in abductione.* Videtur prima fronte dicendum, quod non, quià in similibus pœnæ non incurruntur, nisi consummato delicto, delictum autem non consummatur, nisi completo effectu, ad quem fuit ordinatũ. Nihilominus sentiendũ absolutè est, quod cõtrahãt, dummodò fuerit ab vno in alium locum traducta *Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 13. n. 1., & 2. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 13 num. 28., & 29.* Ratio ex eo deducitur, quià delictum raptus in ea abductione de loco ad locum cum animo contrahendi matrimonium absolutè perficitur, & consummatur; non enim Concil. Trident. statuit eam pœnam contra contractum matrimonij, sed ob raptus delictum, solumque decernit non eximi raptorem ab ea pœna, quamvis raptam ducat.

Sanchez. Bossius.

§. XVI.

An huiusmodi pœnæ incurrantur ipso iure ante sententiam.

SVMMARIVM.

Explicatur titulus in suis terminis. 1.
Pœna excommunicationis contrahitur ipso iure. 2.
Hæc excommunicatio non est reseruata. 3.
Pœna perpetua infamiæ est sententia ferenda, non lata. 4.
Raptor, si posteà raptam in loco tuto constitutam ducat non euitat pœnam infamiæ. 5.
Incapacitas ad omnes dignitates exigit sententiam. 6.
Clericus raptor non deponitur à proprio gradu, nisi per sententiam. 7.
Pœna dotationis exigit sententiam declaratoriam. 8.
Irregularitas non incurritur, nisi indirectè. num. 9.

Disquisitio XVI. Abduxerat Caius per vim è propria domo Bertam, illamque traduxerat in certum determinatum locum ad finem cum ea contrahendi matrimonium, vel explendi propriam libidinem. Siuè completum posteà fuerit matrimonium, siuè expleta libido per carnalem copulam, siuè non, dummodò secuta fuerit traductio ad eum finem dictum fuit suprà, quod pœnæ iuris à raptore contrahantur. Huiusmodi pœnæ per superius etiam dicta consistunt in excommunicatione, in perpetua infamia, in incapacitate ad omnes dignitates, & si raptor fuerit Clericus, à proprij gradus depositione. Hic oritur iam controuersia, an raptor contrahat huiusmodi pœnas ipso iure, an verò tantum post Iudicis sententiam. 1 *Exponitur factum.*

Respondeo primo, pœnam excommunicationis raptor ipso iure contrahit nulla expectata Iudicis sententia *Nauarrus in summa c. 23. n 120. Sanchez d. lib. 7. disp. 13. n. 1. Zipæus in anal. enarrat. iuris noui lib. 4 tit. de sponsalib., & matrim. num. 25. Rebellus de oblig. iust. part. 2. lib. 3. q. 11. nu. 4 Farinacius in pract. crim. part. 5. q. 145. n. 21. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 13. num. 34.* Ratio deducitur ex ipso contextu verborum, quibus inducitur illa pœna, dicitur enim *ipso iure*, quæ particula certè importat latam sententiam, non ferendam *Tiraquel in l. si vnquam verb reuertatur n. 20. C. de reuoc. donat. Vera Crux in append. ad specul. vbi de raptu fol. 83. §. relicta ergò,* adeoque nullum exigit Iudicis actum, nec ministerium; non enim talis est huiusmodi pœna, vt in sui executione exigat aliquam hominis actionem, cum consistat in mera priuatione iurium spiritualium. 2 *Excommunicatio est lata sententia.* Nauarrus. Sanchez. Zipeus. Rebellus. Farinacius Bossius. Tiraquel. VeraCrux

Hic disputant DD., an huiusmodi excommunicatio, quæ dicitur latæ sententiæ sit reseruata, nec ne. Manuel 1. *tom. summa 2. edit. c. 213.* exprefsè afferit esse reseruatam Summo Pontifici, quod vel arguit ex grauitate materiæ, vel ex modo, quo statuitur. Nihilominus communitèr statuunt nemini esse reseruatam *Sanchez d. lib. 7. de matrim. disp. 13. n. 1. Bellarminus ad d. c. 6. sess. 24. Concil. Trident. de reform. matrim.* 3 Manuel. *Non est reseruata.* Sanchez. Bellarminus.

in obseruat. verb. excommunicat. Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. d. c. 13. n. 34. in fin. Ratio est, quià hic versamur in pœnalibus, quæ non sunt extendenda vltrà verborum formam, qua statuuntur, sed per Concilium Trid. illa excommunicatio, nec per verba expressa, nec per implicita reseruatur, ergò &c. atque in hoc locum habet *cap. nuper vers. in 2. casu de sent. excommunic.*

4 *Infamia non incurritur ipso iure.* Nauarrus. Sanchez. Laiman. Molina.

Respondeo secundo. Pœna perpetuæ infamiæ à dicto Concil. Trident. statuta loco cit. contra raptores non incurritur ipso iure, sed exigit sententiam Iudicis saltem declaratoriam, *Nauarrus in extrauag. Gregorij XIII. de datis pro iust. vel gratia not. 31. n. 44. Sanchez d. lib. 7. disp. 13. n. 1. Paulus Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 4. cap. 13. num. 4. Molina de iust. tract. 2. disp. 96. vers. quod attinet ad pœnam.* Ratio ex eo deducitur, quià infamia potissimũ consistit in hominũ æstimatione, secundũ quam tali nota affectus parui penditur, nulloque in honore habetur, sed ad hanc inducendam non est sufficiens delictum secundum se commissum, nisi per sententiam declaretur, & pœna à iure imposita ad hominũ notitiam promulgetur, sine qua suam famam quicunque retinet, seù ius habet ad illam, ergò &c. Neque dicas, quod in eodem verborum contextu, seù in eadem oratione Concil. Tridentinũ complectatur pœnam excommunicationis, & perpetuæ infamiæ addendo particulam ampliatiuam ad vtramque *ipso iure*, ergò, si excommunicatio contrahitur à raptore sine vlla iudicis declaratione, seù sententia, etiam sine illa contrahetur infamia perpetua in eodem iure statuta; contra enim impugnaberis, quià verba iuris adaptari debent secundum materiam, cui applicantur, quæ in casibus, de quibus loquimur, ex natura sua exigit diuersam dispositionem; excommunicatio etenim cum habeat rationem formæ priuatiuæ absolutæ, suosque effectus respicientes subiectum, cui adijcitur sine vllo ordine ad alios non exigit hominis ministerium; infamia verò cum se habeat, vt quid relatiuum ad hominum æstimationem, quæ certè oritur ex manifestatione, & culpæ, & pœnæ incussæ certè exigit hominis publici ministerium, sine quo non videtur posse oriri, adeoque, &c.

Infamia consistit in hominum æstimatione.

5 *Sententia asserens raptorem vitare infamiam, si raptam ducat.* Henriqu. Manuel. Vega.

Disputant hic DD., an si raptor constituta posteà rapta in loco tuto iuxtà eiusdem Concilij dispositionem eandem consentiẽtem duxerit liberetur ab huiusmodi pœna infamiæ perpetuæ. Henriquez *lib. 11. de matrim. c. 14. n. 4. Manuel. 1. tom. summæ 2. edit. c. 232. n. 1. Vega tom. 2. summa c. 34. cas. 157. in fin.* asserunt vtique liberari, quod deducunt ex benigna eiusdem Concilij interpretatione, ne rapta, si consentiat raptori nubere, dicatur infami nubere, & sine aliqua sua culpa aliqualitèr contrahat infamiam propter coniugium cum infami. Alij tamen communius asserunt à tali nota non liberari. *Sanchez de matrim. d. lib. 7. disp. 13. n. 1.* Ratio deducitur ex expressis verbis eiusdem Concilij loc. cit. vbi postquam dixerit, quod, si rapta fuerit in loco tuto constituta, & posteà liberè consenserit nubere cum raptore, validus sit, & subsistat contractus, subdit immediatè. *Et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, & fauorem praebentes sint ipso iure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces*, vbi nota illam particulam. *Nihilominus*, quæ refertur ad præcedentia, & importat, quod ijs non obstantibus illæ pœnæ per raptorẽ incurrantur *arg. l. fin. ff. de in integ. restit., & l. 59. §. eaque nihilominus ff. de verb. signif.* Quod si rapta dicatur, infami nubere, hoc est ex eius libertate; non enim cogitur, quantumvis in loco tuto constituatur, cum eo contrahere, sed poterit alterum, qui secum contrahat, eligere, si hic alter tali contractui velit consentire.

Sententia negans præfertur. Sanchez.

6 *Non incurritur incapacitas ad omnes dignitates nisi post sententiam.* Nauarrus. Sanchez.

Respondeo tertio. Pœna incapacitatis omnium dignitatum respectu raptoris non incurritur, nisi post sententiam *Nauarrus in d. extrauag. Gregorij XIII. de datis pro iust. vel gratia not. 32. num. 44. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 13. n. 1.* Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi incapacitas ex genere suo subsequitur infamiam, & post infamiam à Concil. Trid. statuta est, sed infamia ex prædictis non incurritur, nisi post sententiam Iudicis declaratoriam, ergò &c. Neque obesse potest, si asseratur huiusmodi incapacitatem à iure inductam consistere in priuatione, quæ præcisè afficit subiectum, cui adijcitur, nec secundum se indigere hominis ministerio, vndè nec ex natura sua exigit Iudicis sententiam, nec ex iuris dispositione, cum Concil. Trident. in allegato textu in eadem oratione coniungat, & pœnam excommunicationis, & incapacitatem ad quascunq; dignitates, & propterea vtraque debet afficere delinquentem eodem modo scilicet ipso iure; Non, inquam, obesse potest, quià quantumvis eadem oratione comprehendatur, nec ex genere suo, cum sit merè priuatiua, & absoluta, exigat hominis ministerium, cum tamen apponatur, vt quid subsequens ad pœnam infamiæ, quæ ex genere suo exigit declarationem, ideò imitatur naturam eius, ad quam subsequitur, sicque quamvis non exigat ministerium secundum se, exigit in ratione illius, ad quam subsequitur, & cum qua connectitur, cum accessorium sequatur naturam sui principalis.

Est quid subsequens ad pœnam infamia.

Respondeo quarto. Pœna decidendi à proprio gradu, si raptor fuerit Clericus, non incurritur ipso iure, sed exigit senten- 7

tiam

Clericus raptor non decidit à proprio gradu ipso iure.
Sanchez. Laiman. Molina.

tiam Iudicis *Sanchez de matrimonio d. lib. 7. disp. 13. n. 1. Laiman. lib. 5. tract. 10. part. 4. c. 13. num. 4. Molina de iust. tract. 2. disp. 96. §. quod attinet ad pœnam*. Ratio ex eo deducitur primo, quià in dicto Concilio Tridentino talis pœna apponitur per verba exprimentia sententiam ferendam, non latam vt notauit *Sanchez loc. cit.* Ibi *deijciendos esse, & deponendos*, per quæ indicatur non depositos esse, donec sententia Iudicis accedat; secundo, quià sequitur modum aliarum pœnarum. Tertio, quià regulariter in alijs omnibus delictis huiusmodi pœna fit per sententiam Iudicis. Quarto, quià, cum huiusmodi pœna sit atrox, & nimis rigida ex benigna legis interpretatione est potius moderanda, quam extendenda.

8 *Dotatio est facienda per Iudicis sententiam*
Barbosa. Coninch. Reginald. Bossius. Vera Crux Henriqu.

Respondeo quintò. Pœna dotationis faciendæ à raptore ex vi eiusdem Concil. Tridentini, siuè raptam ducat, siuè non ducat, non incurritur ipso iure, sed exigit sententiam declaratoriam. Ita præter allegatos Doctores *Augustinus Barbosa collect. 2. ad decret. part. 2. causa 36 q. 2. c. si quis virginem n. 5. Coninchus disp. 31. n. 48. Reginaldus lib. 12. n. 31. vers. de dotatione, Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. c. 13 n. 41. VeraCrux append. ad speculum vbi de rapta ad fin. fol. 84. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 14. n. 5.* Ratio in primis ex eo deducitur, quià quantumvis daremus præcedentes pœnas ab eodem Concilio impositas incurri ipso facto, non propterea ex dispositione eiusdem argueretur, & hæc pœna ipso facto incurri, quandòquidem distincta apponitur oratione, vt legenti textum sit manifestum. Deindè, cum Concilium expresse asserat, huiusmodi dotationem faciendam esse arbitrio Iudicis, vtique requiritur sententia Iudicis, qui attenta qualitate raptoris, & raptæ, alijsque qualitatibus decernat quid, & quantum sit erogandum.

9 *Irregularitas non imponitur nisi indirectè.*

Disputant hic DD., an præter allegatas pœnas sit contrà raptorem siuè clericum, siuè laicum irrogata pœna irregularitatis. Affirmat *Maiolus lib. 5. de regul. c. 42. in fin.* Sed melius alij statuunt per idem Concilium hanc pœnam directè non apponi, cum de eadem nulla penitus fiat mentio, vndè ex arbitrio non debet statui. Dixi, directè, non enim negauerim ex eo, quod idem Concilium induxerit perpetuam infamiam induxisse etiam indirectè irregularitatem, quæ ex natura sua consequitur ad eandem infamiam. Verum tamen est, quod, sicuti infamia huiusmodi non incurritur, nisi post sententiam declaratoriam per superius dicta, ità nonnisi post eandem incurratur irregularitas, quæ tamen non exigit nouam sententiam distinctam à sententia inferente infamiam, sed eadem posita immediatè subsequitur ex genere suo; vndè valet illatio, est perpetuò infamis, ergò etiam est irregularis.

§. XVII.

An raptor contrahens cum rapta constituta in loco tuto, & liberè consentiente post raptum euitet pœnas ordinarias, & præcipuè mortis.

S V M M A R I V M.

Status controuersiæ expositus. 1.
Sententia asserens raptorem ducentem raptam in loco tuto prius constitutam non euitare pœnam mortis. 2.
Præfertur sententia asserens euitare. 3.
Attenta benigna iuris interpretatione, & æquitate. 4.
Satisfit rationibus aduersis. 5.

Procedit de pœnis quoad ius ciuile, & præcipuè mortis.

Disquisitio XVII. In ordine ad pœnas excommunicationis, perpetuæ infamiæ, incapacitatis ad quamcunque dignitatem, & dotationis respectu raptæ siuè nupserit cum raptore, siuè non nupserit dictum est in præcedenti disquisitione easdem raptorem non euitare, quantumvis raptam postea liberè consentientem, & in tuto loco constitutam duxerit; sed quià de iure ciuili aliæ pœnæ constitutę sunt contrà raptorem virginis sub patria potestate existentis, & præcipuè mortis, inquiritur iam in præsenti, an sicuti raptor contrahendo cum rapta, quantumvis liberè consentiente non euitat pœnas eiusdem Concil. Trident., ità cum eadem contrahendo non euitet etiam pœnas iuris ciuilis, & præcipuè mortis ab eodem impositæ *in l. vnica C. de rapt. virg.* Hanc pœnam per ius ciuile impositam non esse per ius canonicum, nec correctam nec abrogatam docent communitèr DD. Quo supposito. 1

2 *Sententia negans euitare pœnas.*
Andreas. Afflictus.

Docuerunt *Andreas antiquus Neapolit. constit. glossator in constit. capitalem Matthæus de Afflictis in constit. si quis rapere q. 6. & alij* non euitare huiusmodi pœnas iuris, ea moti ratione, quià cæteroqui facilius præberetur occasio delinquendi, quod certè valdè considerandum est per textum *in l. vnica C. de raptorib.*, & aduersa sententia facilè incitaret raptores ad huiusmodi delictum, cum certiorari quodamodò possent se mortem euitaturos, quandòquidē possent sibi suadere, quod raptæ, ne innuptæ remaneant, quod de facili contingeret, cum alium maritum non inuenirent, sint præbituræ consensum contractui. Nihilominus

Respondeo probabilius esse, raptorem, si rap- 3

Probabilius euitat. Molina. Barbosa. Bossius. Paulus. Decianus. si raptam sponte, & liberè consentientem duxerit euadere pœnas ordinarias iuris, & præcipuè mortis *Molina de iustitia tract. 2. disp. 105. n. 10. August. Barbosa tom. 4. collect. in decret. part. 2. caus. 36. q. 2. c. si quis virginem n. 4. Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 13. n. 48. Paulus in l. penult. n. 5 C de Episcop., & Cleric. Bossius pract. crim. tit. de rapt. mulieris n. 17. Decianus tract. crim. lib. 8. c. 13. n. 48.* Ratio fundatur in benigna iuris interpretatione, secundum quam inita concordia inter partes mitius iustitia legalis procedit. Accedit, quod frustrà ius canonicum permitteret inter raptorem, & raptam coniugium, si hęc in loco tuto constitueretur, & posteà liberè consentiret, si inito adhuc matrimonio raptor subire deberet pœnam mortis ob delictum raptus.

4 *Procedunt ex benigna iuris interpretatione.* Hæc procedunt attenta benigna iuris interpretatione, & inspecta æquitate; cæterum inspecto iuris rigore non video, cur ille raptor posset subterfugere huiusmodi pœnam, cum delictum, ob quod fuit inducta, intelligatur consummatum in traductione eiusdem fœminæ ab vno ad alium locum, nec obstat, quod inanis redderetur iuris canonici dispositio permittens matrimonium, si posteà rapta in loco tuto constituatur, & liberè consentiat; Non obstat, inquam, quià in primis ius canonicum procedit secundum sua principia, secundum quæ pœnam mortis non statuit, sicque non respicit dispositionem iuris ciuilis. Deindè per illam dispositionem iuris ciuilis non redditur inutile jus canonicum, quandòquidem etiam respectu damnatorum permittuntur coniugia, si non ad finem procreationis prolis, ad alios saltem fines honestos, vt passim contingit.

5 Neque aduersus ea, quæ dicta sunt in responsione, eiusque probatione vim aliquam habere possunt ea, quæ dicta sunt in superiori disquisitione de pœnis impositis à Concil. Trident., quæ incurruntur, quamvis raptor posteà raptam consentientem duxerit; Non, inquam vim aliquam habere possunt, quandoquidem de huiusmodi pœnis Concilij expresſè actum est etiam sub ea conditione, adeoque in ordine ad eas non potest aliqua interponi interpretatio, quià vbi ius clarè, & distinctè loquitur non indiget, nec explicatione, nec interpretatione; De pœnis verò iuris ciuilis maximè mortis nihil expresſè in ea suppositione dispositum est, adeoque ex benigna iuris interpretatione pœnæ illæ non incongruè restringuntur, nec à pœnis vnius ordinis valet illatio ad pœnas alterius ordinis, quando cum diuersa expressione sunt appositæ, & in vno ordine est expressio etiam interueniente aliqua conditione, non sic in alio. *Diuersa ratio de pœnis Ciuilij, ac iuris civilis.*

Ad illud tandem, quod dicebatur ex Andræa Constit. Neapol. glosatore, & ex Matthæo de Afflictis dicendum est minui quidem pœnas, non tamen per hoc præberi occasionem in eo genere delinquendi, quandoquidem in primis delinquens non potest esse tutus de consensu futuro fœminæ raptæ ad contrahendum matrimonium; deindè pœnæ absolutè non tolluntur, sed dumtaxat ordinariæ ad extraordinarias trahuntur, quod arduum non est, cum partes ad inuicem concordarint, & læsa cesserit iuri suo. *Non præbetur occasio delinquendi, & quare.*

§. XVIII.

An traductio fœminæ de vno loco in alium propinquum commodiorem sine animo abducendi inducat pœnas iuris contra raptores

SVMMARIVM.

Exponitur status controuersiæ in suis terminis. 1.
Sententia afferens non euitari pœnas iuris. 2.
Probabilior sententia afferens non esse propriè raptum, nec induci pœnas raptorum. 3.
Illa traductio non fuit cum animo abducendi. 4.
Satisfit rationibus contrarijs. 5.

DIsquisitio XVIII. Ardore concupiscentiæ maxime illectus Franciscus versus Caiam Virginem statuit in corde suo eam quoquo modo habere ad suas explendas libidines, eandemque in vno cubiculo adinuentam, in quo facilis vnicuiq; poterat esse aditus, in aliud cubiculum eiusdem domus remotius, & commodius propriæ nequitiæ traduxit, vel fortè inuentam in via publica in propinquam domum attraxit, vel in agro existentem ad aliquot passus per vim abduxit, ibique suam expleuit libidinem aduersus fœminam reluctantem. Orta fuit hic quæstio, an illæ traductiones habeant propriè vim raptus, & sic traducens subeat omnes iuris pœnas contra raptores comminatas. 1 *Facti series exponitur.*

Videtur prima fronte absolutè asserendum in ea hypothesi, & esse propriè raptum, & pœnas raptorum incurri, quandoquidem propriè ibi interuenit abductio ab vno in alium locum, & vtique per vim, vt supponitur, & finis explendæ libidinis, quod in multorum sententia satis est, cum non requiratur præcisè finis contrahendi matrimonium, sed sufficiat intentio eiusdem libidinis explendæ; iura etenim præcisè loquuntur de abductione, nec requirunt tantam determinatam distantiam inter locum, à quo abducitur, & locum, ad quem traducitur adhoc, vt dicatur raptus, vt ex se est manifestum, quinimmò, si quis 2 *Prima sententia afferens nō euitari pœnas.*

fœminam rapiat cum animo abducendi ab vno in alium locum, non tamen transtulerit ad locum determinatum, & verè raptor dicitur, & subit pœnas iuris aduersus raptores comminatas *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 12. num. 21. in fin.* Nihilominus

3 *Nec est propriè raptor, nec subit pœnas raptoris.* Bernardus. Cumanus. Clarus. Decianus. Mascardus. Vela. Azebedo.

Respondeo in ea hypothesi, nec Franciscum verè, & in rigore esse raptorem, nec subire pœnas iuris contra raptores comminatas *Bertrandus cons. 39. vol. 6., Cumanus item cons. 39. num. vnico, Iulius Clarus lib. 5. recept. § raptus nu. 1., Decian. tract. crim. lib. 8. c. 7. num. 32., Mascardus de probat. concl. 1259. num. 20., Vela de pœn. delict. c. 29. § 5. Azebedo lib. 8. recopal. tit. 13. l. 2. num. 83.* Ratio ex eo deducitur, quià in omnibus allegatis casibus in facti serie est præcisè violatio fœminæ per vim, non autem in rigore raptus eiusdem, ergò pœnæ contra raptores propriè inductæ non sunt extendendæ ad huiusmodi casus. Antecedens probatur, quià in eo casu, seù iis casibus non est propriè abducere de vno in alium locum cum animo abducendi, sed dumtaxat quærere locum opportuniorem, & commodiorem ad vsum, & coitum cum animo, vt eadem remaneat sub potestate, sub qua prius erat, nec regulariter secundum communem hominum æstimationem habetur illa traductio ad locum modicè distantem pro traductione, seù abductione, vt importet propriè raptum, cæteroqui esset raptus, si ad modicos passus traheretur fœmina, vt per vim violaretur, quod nemo dicet.

4 *Illa traductio nō fuit cum animo abducendi.*

Ex quibus omnibus habes quid respondeas ad ea, quæ ex aduerso afferebantur, quamvis etenim Physicè illa sit traductio, moralitèr tamen non est talis, quantum ad effectum, vt habeatur pro raptu, quem iura sub pœnis illis, de quibus supra, prohibent, cum non fuerit cum animo abducendi; & sicuti ex superius dictis, si quis fœminam rapuerit non cum animo cum ipsa contrahendi, vel explendæ propriæ libidinis, sed ad finem vt cum tertio contraheret non incidit in pœnas iuris, si ipse mutato consilio cum ipsa contrahit, ità, si fœminam ab vno in alium locum propinquum non cum animo abducendi, sed habendi commodiorem locum ad vsum, & coitum non incidit propriè in pœnas iuris, quandoquidem in vtroque casu non interueniunt conditiones requisitæ ad raptum formaliter sumptum, & in rigore.

5 Sanchez.

Ad illud, quod subditur ex *Sanchez loc. cit.* dicendū est, illud habere locū, quià re vera in ea hypothesi verificatur vera, & rigorosa abductio, quandoquidem est translatio de loco ad locum cum vero animo abducendi, & re vera consumatur abductio, quam non constituit terminus ad quem determinatus, sed potius terminus à quo cum illa intentione ad quamcunque locum.

§. XIX.

An conatus ad raptum effectu non secuto trahat secum pœnas iuris.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.
Prior sententia subdens sic conantem pœnis, num. 2.
Sanior sententia eximens à pœnis ordinarijs. 3.
Explicatur textus in l. vnica C. de raptor. Virg. 4.
Quomodo intelligatur, quod in grauioribus delictis conatus habeatur in iure pro facto. 5.

1 *Elucidatur titulus.*

DIsquisitio XIX. Eodem concupiscentiæ ardore allectus Franciscus, quo dictum fuit in præcedenti disquisitione, omnem lapidem mouit, omnesque vires adhibuit ad finem abducendi Caiam à domo propriorum parentum, sub quorum potestate erat constituta, eamque ad aliū locum traducendi, vel ad finem contrahendi cum eadem matrimonium, vel explendi propriam libidinem, adeovt iuerit ad domum eiusdem Caiæ, seù eiusdem parentum hominibus armatis comitatus ad eandem rapiendam, sed fortè, vel eadem non inuenta, vel alio modo impeditus delictum per actualem raptum non potuit consumare.

2 *Sic tentia afferēs subire pœnas iuris.* Menoch. Zauallos. Cantera.

Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 4. casu 360. num. 30., & seqq. Zauallos qq. pract. 101. q. 34. Cantera quæst. crimin. quæst. tangentibus punitionem delicti c. 4. num. 20. docent sic conantem non euadere pœnas raptus præcipuè, si inuentus fuerit in conamine ad raptum, hocque asserunt speciale esse in raptu ob atrocitatem delicti per textum *in l. vnica C. de rapt. virginum*, aliaque grauiora delicta, cum conatus in istis pro facto reputetur *Cardinalis in clem. pastoralis num. 3. not. 8. de sententia, & re iudicata*, qui etiam hoc probat ex allegato textu *in d. l. vnica C. de rapt. Virg.* Nihilominus — Cardinalis.

3 *Probabiliter eximitur à pœnis ordinarijs.* Coaruuias. Gomez. Sanchez. *Conatus ad raptum non est in rigore raptus.*

Respondeo in hac suppositione Franciscum eximendum esse à pœnis iuris ordinarijs, non sic extraordinarijs *Coaruuias clem. si furiosus de homic. 2. part. in initio num. 8. Gomez l. 80. Tauri num. 40., Sanchez lib. 7. disp. 12. nu. 19.* Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi pœnæ latæ sunt contrà raptores formalitèr, vt tales, & contra raptum, sed ille conatus non est formalitèr raptus, nec conator raptor, ergò &c. Confirmatur in alijs omnibus delictis, in quibus pœnæ impositæ non incurruntur, nisi consummato delicto, & in effectu posito, nisi expresè alitèr in iure apponente tales pœnas sit dispositum, sed nec in tali *l. vnica C. de*

rapt.


raptu virg. nec alibi est dispositum, quod huiusmodi pœnæ incurrantur per solum conatum raptu ipso non consummato, cum non sit assignabile tale ius, ergò &c.

Dices, quod *in d. l. vnica C. de raptor. virg.*
4 dicuntur huiusmodi pœnæ incurri, si raptor fuerit in delicto inuentus, quantumvis non fuerit consummatum, nec fœmina abducta. Sed contra in eodem textu tantum dicitur, quod, si fuerit in delicto inuentus, possit impunè occidi, sicuti statuitur in pluribus alijs delictis, quod vtique statutum est ob atrocitatem delicti per ius ciuile, quod certè impunitatem permisit in pluribus alijs delictis puta in adulterio, in quo per maritum mulier fuerit adinuenta; ex hoc tamen non sequitur, quod, si delictum non fuerit consummatum, pœnæ illæ sint exequendæ in eum, qui tale delictum intentauerat. Quis enim dixerit eum, qui intentauit adulterium, nec tamen impeditus consummauit rigorosis pœnis adulteri esse torquendum? Certè ob actualem iniuriam, in qua actu quis inuenitur per dispositionem iuris multa conceduntur iniuriam illam patienti, quæ extra actum illum posteà non permittuntur, & ratio concessionis est fundamentum subitæ indignationis, quam supponitur concipere læsus in actuali illa læsione propriæ famæ, & honoris, seù iuris, quod habet.

Dicitur tantū, quod possit impunè occidi.

5 Nec valent, quæ ex aduerso dicebantur, quandoquidem textus allegatus id non euincit, quod statuunt aduersarij, vt mox innuimus, & illud, quod dicitur, quod conatus in grauioribus delictis habeatur pro facto verificatur ad summum in ordine ad pœnas subeundas quoad crimen læsæ maiestatis respiciens immediatè personam Principis, hoc enim maximè congruum est ad deterrendos homines à tam atroci crimine, cum hoc cederet in maximum Reipublicæ detrimentum, cuius species, nedum factum est abominabilis apud Deum, & apud homines; hoc autem sine iuris expressa dispositione non est extendendum ad alia delicta quantumvis atrocia.

Procedit de crimine læsæ maiestatis.



§. XX.

An sit propriè raptus, si fœmina fuerit consentiens ignorantibus parentibus.

SVMMARIVM.

Elucidatur status controuersiæ. 1.
Sententia asserens esse propriè raptum. 2.
Siuè parentes fuerint præcisè ignorantes, siuè etiam inuiti, si fœmina consenserit, non est propriè raptus, nec abducens subit pœnas iuris. 3.
Fœmina est domina sui corporis, & sui iuris quoad matrimonium. 4.
Si fœmina fuerit inuita abducta, est propriè raptus, quamvis parentes consenserint. 5.

DIsquisitio XX. Inscijs parentibus, vel fortè etiam inuitis Titia consensit 1
propriæ abductioni factæ per Caium ad finem cum eodem contrahendi matrimonium, cui ijdem parentes repugnabant præbere consensum, & de facto, dum eadem Titia maneret sub potestate raptoris inita sunt sponsalia, vel fortè etiam matrimonium seruatis iuris solemnitatibus. Hic quæsitum fuit, an Caius abductor fuerit obnoxius pœnis raptorum.

Factum ex positum.

Quod propriè fuerit raptus, & Caius 2
subdatur pœnis iuris præcipuè, si parentes fuerint inuiti ad talem abductionem docuerunt *Nauarrus lib. 4. consil. in priori edit. tit. de sponsalib. cons. 32. num. vnico Salzedo pract. Bernardi Diaz c. 78. §. vlt. in postrem. edit. Henriquez lib. 11. de matrim c. 14. nu. 4. Vega 2. tom. summa c. 34. cas. 157. not. 1. Toletus lib. 7. summæ c. 13. num. 2. in fin.* Ratio eorum est, quia propriè est raptus, quando res abstrahitur per vim ab eis, sub quorum potestate est res rapta. Nihilominus

Qui dicant esse raptum

Nauarrus.
Salcedo.
Henriquez.
Vega.
Toletus.

Respondeo, quod siuè parentes fuerint 3
præcisè ignorantes, siuè etiam positiuè inuiti, dummodo fœmina fuerit consentiens, abducens non subdatur ordinarijs pœnis iuris *VeraCrux in append. ad speculum vbi de raptu §. verum animaduersione Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 12. num. 120, Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 13. num. 13.*, & alij magis communitèr. Ratio ex eo deducitur, quod dictum fuit superius, quod fœmina possit nubere etiam inuitis parentibus, nec aliquam pœnam subit ex illis nuptijs, ergò 4
etiam consentiens poterit alio trahi, vt nubat eisdem etiam inuitis sine illo incursu pœnarum tàm respectu abducentis, quàm ipsius abductæ; si etenim impunè potest iniri contractus tali pacto, poterunt etiàm ea fieri, quæ conducere possunt ad talem contractum. Confirmatur, quia Concil. Tridentinum loco cit. consulere dumtaxat voluit libertati matrimonij, ne scilicet

Non est in rigore raptus.

VeraCrux.
Cucus.
Sanchez.

Est fœmina domina sui corporis.


abducta præsumatur inuita consentire, non voluntati parentum, quibus non tenetur annuere ex necessitate fæmina, sed ad summum ex quadam honestate, ergò, si ipsa consenserit tali abductioni ad finem contrahendi matrimonium in alio loco, abducens propriè non contrahet pœnas iuris. Confirmatur secundò, quià idem Concilium Tridentinum ad validè contrahendum matrimonium, quando fæmina etiam per vim est abducta solum requirit, quod posteà constituatur in loco tuto, nec aliquid exigit à parentibus, ergò etiam, vt validè possit nubere, quando consentiens fuit abducta, non exiget eorundem parentum consensum, qui nullum ius habent in ordine ad huiusmodi contractum, nisi ad summum ex honestate.

Ex quibus fas erit deducere, quod, si eadem fæmina per vim, & inuita fuerit abducta, quamvis abductioni parentes consenserint, raptor ipse non eximatur à pœnis iuris. *Sanchez loc. cit.* quandoquidem, cum ipsa sit domina sui corporis, & in ordine ad matrimonium contrahendum sit sui iuris, ipsi infertur iniuria, quam auertere iura satagerunt, & militat ratio, ob quam induxerunt huiusmodi pœnas, periculum scilicet ne fæmina renitens cogatur illud inire. Ex quibus etiam habes, quid respondeas ad rationem, quæ ex aduerso afferebatur, licet enim fæmina illa fuerit sub potestate parentum quoad curam, non fuit tamen quoad dominium sui corporis, & in ordine ad matrimonium contrahendum, adeoque &c. 5

Est raptus, si fæmina inuita abducatur etiam consentientibus parentibus.




CON-



CONTRACTVS XIV.

De Sponſalib. II. Hoc eſt de diſſolutione corundem.



ATVRA Sponſaliorum illa eſt, vt quamuis præambula ſint ad matrimonium, & plurima eidem competentia ſibi concilient, non tamen eiuſdem in ſe transferant indiſſolubilitatem. Ex bonis Sacramenti matrimonium hoc ſibi vindicat vinculum, quod in ſponſalia non transfunditur, cum ſacramentum non ſint, quamuis per quandam analogiam ſacramentalia dicantur. Intrà limites puri contractus ſiſtunt, qui cum in labili hominum voluntate conſiſtat, quæ inconſtans eſt, inconſtanti eiuſdem volubilitate dilabitur; nec ſola voluntatis inconſtantia, quandò vtraque contrahentis cohæret, diſſoluitur, ſed incidenti etiam rerum viciſſitudine finem ſubit, & exitum. Hic animum ſiſtimus, vbi contractus finem nanciſcitur, & difficultatibus obuoluimur, vbi ille in ſui deſinentia ſuis ſoluitur inuolucris. Cauſas omnes huiuſmodi diſſolutionis aperiemus, quæque ſint efficaces ad hunc finem, quæque inefficaces indagabimus, quæ cum ſint meta huiuſmodi contractus, diſceptationum quoque noſtrarum erunt terminus.

PRÆ-

PRÆNOTIO I.

An ex notabili contrahentium disparitate dissolui possint sponsalia.

SVMMARIVM.

Exponuntur rationes dubitandi. 1.
Si magis dignus fuerit conscius deterioris alterius conditionis in quocunque genere contractus non est irritus. 2
Argumentum à nimia prodigalitate erga meretricem, & ab emptione rei modicæ pro immodico pretio dissoluitur. 3.
Sponsalia cum illa inæqualitate inita, si talia sint, vt ex illis timeatur scandalum, non proptereà sunt ipso iure irrita, quamuis possint rescindi. 4.
Si magis dignus fuerit inscius illius deterioris conditionis, non proptereà sunt ipso iure irrita, quamuis sit rescindibilia. 5.
Conscius deterioris conditionis alterius, & tamen contrahens non potest recedere secundum se. 6.
Ex grauibus damnis, & causis potest rescindere. 7.
Quamuis sponsa fuerit per promittentem deflorata, 8.
Tenetur tamen deflorans satisfacere damnis ex illâ defloratione prouenientibus. 9.
Adhuc sponsalia in illa hypothesi possunt dissolui, quantumuis ex defloratione secuta fuerit proles. 10.
Si magis dignus fuerit inscius deterioris conditionis alterius notabilis vtique potest dissoluere sponsalia. 11.
Magis dignus, quoad diuitias contrahens inscie cum alio minus digno in eodem genere, sed digniore in genere nobilitatis cognita probabiliùs non potest dissoluere sponsalia. 12.
Excipe, nisi magis diues ex nimia propensione in diuitias non fuisset contracturus. 13.
Cognoscens carnaliter sub ficta promissione matrimonij fœminam malæ famæ non tenetur eam ducere, sed solum soluere pretium copulæ, si illa consueuerat corpus locare. 14

1 IN hac controuersia pleraque veniunt consideranda; primo, an magis dignus fuerit conscius inferioris alterius conditionis, & nihilominus contraxerit, an verò penitus ignorans. Secundò, an illa disparitas, quæ supponitur inter contrahentes, fuerit talis, & tanta, vt in communi hominum æstimatione aliqua nota afficiat contrahentem magis dignum, an verò talis, & tam diminuta, vt prudentèr apud homines pro non considerabili habeatur. Tertio, an illa inæqualitas fuerit in nobilitate, quatenus alter sit nobilis, alter ignobilis, & vilis, an in diuitijs, quatenus vnus sit diues, & præpotens, alter pauper, & modicus, an in aliqua virtutum prærogatiua, quatenus alter sit bonæ famæ, & virtutum ingenuarum, alter verò malæ famæ, & morum perditorum, vel si alter pudicus, impudicus alter. Hæc, quæ dicuntur in hac tertia consideratione, possunt etiam adinuicem dupliciter comparari, vel relatiuè ad sua opposita scilicet diues ad pauperem, nobilis ad ignobilem, pudicus ad impudicum, vel relatiuè ad disparata scilicet nobilis ad pauperem, ignobilis, & diues ad pauperem, sed nobilem, & sic de cæteris, Quibus positis sit.

Assertio I. Si magis dignus fuerit conscius deterioris alterius conditionis in quocunque genere, & nihilominus per verum consensum contraxerit contractus non est ipso iure irritus *VeraCrux 3. part. speculi art. 19. concl. 2. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 271. Corduba in quæstionario lib. 1. q. 13. dict. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 14. num. 2.* 2 *Si magis dignus fuerit conscius contractus non est irritus.* VeraCrux. Molina. Corduba. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià in hoc contractu sunt omnia substantialitèr requisita ad ipsius validitatem, causa scilicet materialis proportionata, quæ sunt ipsi contrahentes secundum se habiles ad contrahendum, cum nullo iure vetentur contrahere, & causa formalis intrinseca, & extrinseca, scilicet substantialis consensus vtriusque, & vtique liber, & sensibilis per verba proportionata, seù nutus, ergò non est, cur in sua origine non debeant esse valida, & subsistentia sponsalia; nec illa inæqualitas debet diminuere de libertate requisita ad contractum, quandòquidem fuit cum perfecta cognitione, qua stante poterat non contrahere, sicque cum contraxerit, supponitur iuri suo cessisse; & vtique liberè, quià cum plena cognitione, & nemine vrgente. *Nil deficit ad validitatem requisitum.*

Quod si dicas, quod, si quis prodigè meretrici spondeat pro vsu venali corporis ipsius, non teneatur implere ità prodigè, cum hoc inducat quodamodò aliquam noxam, prout expresè docent DD. plurimi apud *Sanchez lib. 1. de sponsalib. d. disp. 14. num. 1.*, quod etiam verificatur in eo, qui per modum pretij pro re aliqua modica promittit immodicum, qui non tenetur, nisi æquale persoluere, quià non gratis, sed per modum contractus spondet, ergò etiam, qui spondet matrimonium cum inæqualitate non tenebitur illud perficere, cum illa sponsio sit prodiga, & inæqualis. Si, inquam, hoc dicas, statim impugnaberis, quià illud, quod confertur meretrici pro vsu ipsius corporis est præcisè in pretium, quod debet esse ad æqualitatem, quod idem dic de eo, quod subditur de emptione rei modicæ pro pretio immodico, id autem, quod dicitur in præsenti assertione non ità se habet, cum procedat ex libera voluntate cum perfecta cognitione 3 *Argumentum oppositum proponitur, & dissoluitur.*

tione, & non in ordine ad aequalitatem dati ad acceptum, quod in his non attenditur.

4 Hic oritur difficultas, an illa sponsalia sic inita cum illa inaequalitate talia sint, vt, si ex illis magnum scandalum probabilitèr timeatur, habeantur pro irritis. Ratio dubitandi ex eo desumitur, quod superius dictum est, quià promissio secundum se peccaminosa ex genere suo non obligat, & nullius roboris est; ex eo autem, quod praesuponatur illa promissio, seù effectuatio eiusdem magnum scandalum illatura, vtique ex genere suo est peccaminosa. Nihilominus absolutè sentio, ex hoc praecisè capite ipso iure non irritari sponsalia, quandòquidem vnicuique liberum est cum quacunque contrahere, dummodò secundum se habilis sit ad contrahendum, nec promissio illa ex genere suo est peccaminosa, cum secundum se ex obiecto non sit mala, nec inducat ad aliquod peccatum, & scandalum illud, si quod ingeritur, vel ingeri potest, est potius ex falsa, & inani apprehensione concipientium illud scandalum, quam ex ipso obiecto; vndè aliud est, quod ex illo timore scandali possint irritari, seù rescindi huiusmodi sponsalia, de quo infrà dicetur, aliud est, quod ex illo eadem sponsalia sint ipso iure irrita, de quo absolutè in praesenti negamus.

Etiam si timeatur scandalum non sunt ipso iure irrita.

Non sunt mala ex obiecto.

5 Assertio II. Si magis dignus fuerit inscius deterioris conditionis alterius probabilius est, nec tunc ipso iure irritari sponsalia, quamvis sit validum fundamentum illa rescindendi *Coaruuias reg. possessor 2. part. §. 6. in fine Molina de iust. disp. 352. concl. 1. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 44. n. 6.*, & nos ipsi latè docuimus suprà *sub hoc eod. tit. contractus XIV. de sponsalib. I. praenot. 5. sect. 8. assert. 3. & 6.*

Non sunt irrita, quādo magis dignus fuerit inscius, Coaruuias, Molina. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià absolutè consensus est praestitus quoad substantiā, & quoad illam personam determinatè propositam, ergò non est, cur irritari ipso iure debeat ex ignorantia illius qualitatis, quae non afficit illam substantiam. Consequentia tenet, quià existentibus omnibus, quae pertinent ad substantiam contractus defectus qualitatis non cognitae non est sufficiens ad eandem substantiam perimendum.

Consensus est absolutè praestitus quoad substantiam.

Ratio tertiae partis ex eo deducitur, quod notat *Siluester verbo sponsalia q. 10. in fine*, scilicet sufficientem causam esse ad dissolutionem sponsalium, quae satis induxisset ad eadem non contrahenda, si fuisset cognita; maxima autem est praesumptio, quod, si illa inaequalitas sit notabilis, si magis dignus illam cognouisset vel ante, vel in ipsa celebratione contractus vtique non contraxisset, ergò &c.

Ratio, cur sint rescindibilia.

6 Assertio III. Si magis dignus conscius deterioris conditionis alterius nihilominus contraxerit, secundum se ex illa praecisè inaequalitate non potest recedere, seù dissoluere sponsalia. *Veracrux 3. part specul. art. 19. concl. 2. Molina de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 271. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 14. n. 2.*

Si fuerit conscius nō potest secundum se recedere. Veracrux. Molina. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià cum magis dignus in ordine ad matrimonium sit sui iuris, & liber ad contrahendum cum quacunque voluerit praestito semel consensu libero non est amplius liber, nisi intercedente legitima causa ad recedendum, cum ea, quae antefactum sunt libertatis, ex post facto sint necessitatis, & quae semel placuerunt existentibus eisdem qualitatibus, & conditionibus amplius displicere non possint ex vulgatissimis iuribus, ergò non poterit amplius eadem sponsalia legitimè contracta dissoluere; nec pro legitima causa assignari potest illa inaequalitas, quandòquidem cum ea cognita fuerit antecedentèr ad contractum, seù in ipsa celebratione contractus, nec tamen retraxerit à contrahendo, iam clarè liquet eandem nulla habitam fuisse in consideratione, adeoque eidem fuisse liberè renuntiatum.

Cessit iuri ad illam inaequalitatem.

7 Dixi, *secundum se ex illa praecisè inaequalitate*; non enim negauerim, quod, si ex futuro illo matrimonio, ad quod ius tribuunt sponsalia antecedentèr inita, timeantur grauia damna, vel ex laesa parentum pietate per textum *in c. cum in sua, & ibi Glosa verb. scandalo de sponsalibus*, vel ex acribus inter consanguineos rixis, & quaerimonijs, vt ex *Panormitano in cap. requisiuit n. 4. de sponsalibus, Felino cons. 26. num. 11. Nauarro in summa c. 16. n. 18. Menochio cons. 1. n. 44. & 66 vol. 1.*, vel ex comminatione poenarum, & lucri sub spe futuri amittendi *ex Ludouico Lopez 1. part. instruct. c. 76. in 2. edit.*, & his similibus, possit esse sufficiens fundamentum eadem sponsalia dissoluendi, & à futuro matrimonio recedendi *Corduba in quaestionario lib. 1. q. 13 paulò post principium vers. dixi regularitèr, Caputa lib. 2. decis. c. 78. n. 3. Alexander de Neuo in d. c. cum in sua n. 6., & ibi Praepositus n. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià, cum contractus ipse non sit ex genere suo indissolubilis, & comparatiuè ad finem, ad quem dirigitur, non sit completus, non est praesumendum, iura velle ipsum compellere ad vltimatò contrahendum cum tot illis incommodis, cum virtus iustitiae non obliget ad actum, ex quo tot damna possint prouenire. Haec tamen damna debent esse talia, vt rationabilitèr timeantur; nam, vt considerat *Sanchez d. lib. 1. de sponsal. disp. 14. n. 3. in fine*, huiusmodi minae, vt plurimum ad aliquem finem bonorum temporalium inaniter iactantur, terroresque opponuntur, & discordiarum pericula desumuntur sine rationabili fundamento, quae tamen omnia

Enumerantur causae ex quibus potest recedere. Ex laesa parentum pietate. Glosa. *Ex rixis inter consanguineos.* Panormit. Nauarrus. Menoch. *Ex comminatione poenarum.* Lopez. Corduba. Capta. Alexander

nia de facili celebrato matrimonio in nihilum euanescunt.

8 *Si fœmina fuerit deflorata, & adhuc illa damna timeantur, sponsalia possunt dissolui.* Nauarrus. Gutierez. Lopez.

Hic oritur difficultas, an, si contracta fuerint sponsalia inter inæquales, & intuitu eorundem virgo fuerit deflorata existente periculo illorum damnorum, vel ex rixis parentum, vel ex probabili timore pessimi exitus inter ipsos coniuges, vel ex comminatione pœnarum, vt supra, adhuc possit intentari recisio, seù dissolutio eorundem sponsalium. Nauarrus *in summa c. 16. nu. 18. Gutierez lib. 1. qq. canon c. 20. num. 23., Ludouicus Lopez loc. supra cit., & alij* affirmant non obstante illa defloratione, dummodo illa pericula rationabiliter existant, dari locum recisioni, seù resolutioni contractus, quod etiam asserunt verificari, quantumvis inter contrahentes nulla intercesserit inæqualitas, nullaque disparitas *Ludouicus Lopez prima part. instruct. c. 76., Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 14. num. 3.* Alij tamen, si verum consensum præstiterit, & eodem perseuerante eandem defloraue-

Sententia contraria refertur, eiusque rationes.

rit, probabilius putant non posse à sponsalibus recedere, nec à matrimonio abstinere. Ratio ex eo deducitur, quià tunc illa sponsalia non sistunt in terminis nudæ promissionis, sed vestiuntur quodamodo cohærentia alterius contractus innominati, *Do, vt facias*, scilicet, do vsum proprij corporis, vt contrahas matrimonium per verba de præsenti, qui contractus iam ex vna parte est adimpletus per actualem traditionem corporis, & ex non implemento matrimonij grauia consurgerent damna, & læsiones contra iustitiam aduersus eandem fœminam defloratam, quæ certè omnia æquiponderant illis periculis, quæ timeri possunt ex illo matrimonio, cum potissimum regularitèr huiusmodi pericula fiat inania; sepè enim vanæ iactantur minæ, terroresque opponuntur, & dissidia, quæ contracto posteà matrimonio euanescunt, vt supra dicebamus. Quid igitur

9 *Tenetur tamen satisfacere pro damnis ex illa defloratione prouenientibus.*

hac in re concludendum? Probabilius existimo priorem opinionem fortioribus iuribus, & rationibus corroborari, & defloratorem in ea hypothesi posse recedere, dummodo satisfaciat pro damnis eidē fœminæ ex illa defloratione prouenientibus. Ratio ex eo deducitur, quià in ea hypothesi non tenetur ex vi promissionis, cum illa damna præuisa ab eadem deobligent ex superius notatis, nec ex vi illius deflorationis, quià damna illa possunt cōpensari per quid aliud, puta per congruam dotationem, & iustitia non exigit, vt cum tot detrimentis præuisis in futuro matrimonio ipsum compleat, cum alitèr damnis fœminæ defloratæ possit occurrere: Nec

Diluuntur rationes cōtrariæ sententiæ.

ea, quæ ex aduersa sententia opponuntur, vim aliquam habent, quandoquidem ille non est nouus contractus, sed quodamodo solum continuatio in primo, & actus exercitus dependentèr à primo, solumque eidem addit aliquam iniuriam, quæ potest alitèr compensari. Cauendum tamen est, vt supra, ne illa damna irrationabilitèr timeantur.

10 *Possunt dissolui sponsalia, quamvis ex illa defloratione secuta fuerit proles.*

Hic etiam alia suboritur difficultas, an si ex illa Virginis defloratione, cum qua prius valida fuerant inita sponsalia, subsecuta fuerit proles, possit nihilominus, si illa damna, de quibus mox dictum fuit, rationabilitèr timeantur, deflorator à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo, quod ex vi eorundem promisit, recedere facta illa compensatione. Ratio dubitandi ex eo deducitur, quià per illum recessum non solum læditur ius fœminæ acquisitum, sed etiam ius prolis subsecutæ, quæ si contraheretur matrimonium, pro legitima haberetur, secus verò, si non contraheretur. Nihilominus persistendo in præmissis adhuc assero, posse sponsalia dissoluere, & matrimonium non contrahere, teneretur tamen ex vi naturalis pietatis eidem proli proportionata alimenta contribuere. Ratio ex eo deducitur, quod ius, quod eximit ab obligatione contractus, eximit etiam ab ijs, quæ subsequuntur ad naturam contractus, seù subsequerentur, si cōtractus celebraretur, & proles debet propriæ conditioni imputare, quod contractus ille non fuerit celebratus, nec vllum ius habet, nisi dependentèr ab eodem cōtractu celebrato, vt videre est in alijs omnibus, qui ex fornicario concubitu originem trahunt.

11 *Magis dignus inscius inæqualitatis potest dissoluere.* Molina. Azorius.

Assertio IV. Si magis dignus fuerit inscius deterioris conditionis alterius notabilis, vtique potest sponsalia dissoluere, & matrimonium promissum non adimplere. *Molina tom. 2. de iust. disp. 272. vers. deindè, si mulieri Azorius instit. mor. part. 3. lib. 5. c. 5. q. 3. in fin., & alij magis communiter.*

In quo consistat huiusmodi deterior conditio notabilis. Molina.

Ratio ex eo deducitur, quià, si contractis legitimè sponsalibus subsequatur in altero notabilis mutatio potest alter à sponsalibus resilire, & matrimonium non contrahere, vt si v. gr. alter diuitijs destituatur, in infamiam incidat, leprā, aut paralisi afficiatur, per fornicationem pudicitiam amittat, & his similia, prout expressè docet *Molina d. disp. 272. vers. deindè si mulieri* per textum *in c. quemadmodum de iureiuran.*, & est in confesso apud omnes, vt in sequentibus subdam prænot., ergò, si contractis legitimè sponsalibus existente illa qualitatum, seù conditionum deterioratione non cognita, posteà illa dignoscatur, vtique poterit magis dignus ab illis sponsalibus recedere. Consequentia probatur, quià, quod illæ qualitates præcedant, quando non cognoscuntur, seù subsequantur, non inferunt secundum se diuersam rationem in ordine ad dissoluenda sponsalia, quandoquidem, si secundum se sunt sufficientes ad dissoluendum, semper

erunt

erunt tales, quando illis liberè non ceditur. Si enim quæras, cur, si subsequantur ad sponsalia iam contracta, tribuant fundamentum dissolutionis? certè respondebitur, quià res est mutata ab eo statu, in quo fuit cognita, quando est celebratus contractus, & consensus supponitur præstitus sub ea conditione implicita, si rerum status non varietur. Cum igitur ille status non fuerit cognitus in celebratione, perinde est quoad intentionem contrahentis, ac si in celebratione eiusdem res esset integra, & subsequenter aduenerit mutatio, quod etiam innuisse videtur *Molina loc. cit.*, dum asserit, quod, quando dicitur *in d. c. quemadmodum de iureiur.*, eum, qui sub iuramento promisit alteri, se eam ducturum non posse illi opponere fornicationem præcedentem, intelligendum sit de fornicatione præcedente sibi nota tempore promissionis, secus de ignota, quod intellige de alijs omnibus qualitatibus, quæ secundum se tribuunt sufficiens fundamentum ad recissionem.

Status ille deterior nõ cognitus, & nõ existens, & postea superueniens par fuit. Molina.

12 *Magis dignus in uno genere contrahens cũ altero digniore in alio genere probabilius non potest recedere.*

Assertio V. Si magis dignus quoad diuitias, & opes contraxerit sponsalia, quoad minus dignum in eo genere, sed digniorem quoad nobilitatem, quantumvis ignorauerit illam deteriorem conditionem, quoad easdem diuitias probabile valdè est, quod eadem deterioratione cognita non possit ab eisdem sponsalibus recedere, nec à matrimonio contrahendo resilire considerata re secundum se.

Ratio ex eo deduci potest, quià in hoc non interuenit aliqua considerabilis læsio, quandoquidem, si magis dignus quoad diuitias aliquid in eo genere amittit, aliquid acquirit in genere nobilitatis, per quod quodamodo fit compensatio, & regularitèr pluris homines faciunt nobilitatem, quam diuitias, quinimmo passim videmus homines magis præpotentes, quoad bona fortunæ, & deficientes in nobilitate postposita quacunque dote nobiles feminas ducere existimantes nobilitate vxoris compensari diuitias sponsi. Dixi, *re secundum se considerata*, non enim negauerim, quod, si ex nimia propensione diuitis ad opes, & diuitias non fuisset contracturus, si cognouisset alterum in hoc genere deficere, quantumvis in alio genere superabundaret, tunc posset à sponsalibus recedere, & matrimonium non contrahere.

13 *à Exceptio ad regulam.*

14 *Cognoscens feminam mala fama sub ficta promissione non tenetur illam ducere.* Molina. Bonacina.

Assertio VI. Si quis sub promissione ficta matrimonij feminam malæ famæ carnalitèr cognouerit non tenetur, neque in foro externo eam ducere, sed ad summum tenetur ad soluendum pretium copulæ; si illa consueuerat corpus suum locare. Consentiunt *Molina de iust. tom. 1. disp. 106. num. 11. concl. 8. Bonacina de matrimon. qu. 1. punct. 2. num. 1.*

Ratio ex eo deducitur, quià in hac hypothesi non tenetur ratione promissionis, cum supponatur ficta, & sine animo se obligandi; non ratione alicuius damni, cum feminæ turpi, & se prostituenti nullum damnum consequatur ex copula fornicaria. Quod si supponas, quod fæmina illa sit malæ famæ, quatenus ex apparenti vitæ, quam ducit, ratione, communiter habeatur pro impudica, & inhonesta, cum tamen in re non sit talis, cum à nemine vnquam fuerit carnalitèr cognita, & quod fictus promissor sub spe illius matrimonij eam cognouerit; tunc adhuc existimo, nõ teneri eam ducere, teneri tamen ad arbitrium prudentis viri iniuriam illi factam compensare. Ratio ex eo deducitur, quià illa communis existimatio, secundum quam habetur ex consueta illa, & non accomoda sic viuendi ratione pro impudica, valdè minuit de honestate fæminæ, & turpitudinem aliquam moralem, si nõn physicam ingerit, quæ maxima est in consideratione apud homines, ergò ratione eiusdem poterit, qui promisit, quantumvis posteà eandem carnalitèr cognouerit, promissionem dissoluere, quandoquidem damna, quæ possunt contingere in fama, & honore, tribuunt sufficiens ius ad dissolutionem. Procedit hoc nostrum assertum in suppositione, quod promissor fuerit inscius de tali mala fama fæminæ promissariæ, quãdoquidem, si fuerit conscius, supponeretur liberè cedere iuri suo quoad illam famam, in qua tamen etiam hypothesi scientiæ præcedentis posset recedere, si rationabiliter timerentur illa damna, de quibus supra. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià re vera sub illa promissione ille est violator in re virginalis integritatis fæminæ, quam corrupit, quę ita habet ius ad suam famam, ac ad suam integritatem, & quamvis illam quodamodo prodegerit quoad hominum æstimationem in libero illo viuendi modo, adhuc tamen ius retinet ad suam integritatem, ergò illa deperdita sub illa ficta promissione habet ius ad illius compensationem ad arbitrium prudentis viri. Confirmatur, quià defloratio sub promissione, siuè vera, siuè ficta secundum se præcisè sumpta, quãtumvis de fama non minuat secundum hominum existimationem, cum sit occulta, exigit compensationem ex iustitia ad arbitrium prudentis viri *Sanchez lib. 1. disp. 10. num. 23. Reginaldus lib. 31. num. 256. Lessius lib. 2. c. 10. dub. 2. nu. 15. Gutierez de matrimonio c. 10. num. 19., & alij magis communiter*, ergò etiam illa defloratio secundum se, quantumvis non coniungatur cum bona fama præcedenti erit compensabilis. Dixi *ad arbitrium prudentis viri*, qui certè debet attendere ad integritatem illam violatam, cum in ea damnum passa fuerit fæmina,

Si fuerit fæmina mala fama apparenter non tamen in re non tenetur etiam ducere, tenetur tamen iniuriam compensare.

Intellige, si promissor fuerit inscius mala fama, & verè promiserit.

Sanchez. Reginaldus. Lessius. Gutierez.

consideratare tamen adhuc debet, & bonam, vel famam malam violatæ, quandoquidem pluris habetur integritas cum bona fama, quam integritas cum mala, nam per amissionem primæ non solum decor amittitur quoad se, sed etiam quoad homines, qui certè decor est considerabilis, per amissionem verò secundæ solum decor amittitur quoad se, non quoad homines, cum intelligatur antecedenter amissus; & facilius homines ducunt fæminas bonæ famæ, quas non ducerent, si noscerent esse malæ famæ, quantumvis apud Deum aureolam adhuc virginalem non amiserint.

PRÆNOTIO II.

An sponsalia inita inscijs, & inuitis parentibus possint dissolui.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi in hac materia. 1.

Filij familias nubentes contra voluntatem parentum, si requisierint tamen eorum consilium non peccant. 2.

Ex eo præcisè, quod sponsalia fuerint inita inscijs parentibus, vel contra eorum voluntatem non datur aditus ad recisionem, nisi grauia damna inde timeantur. 3.

Filij familias, qui contraxerunt inscijs, & inuitis parentibus possunt recedere à sponsalibus ex rationabili timore indignationis magnæ, & maledictionis paternæ, maximè si coniungi possit cum aliquo damno. 4.

Parentes in ijs casibus, in quibus filij possunt dissoluere, possunt etiam & ipsi illis non contradicentibus. 5.

Nomine parentum, quorum consilium requirendum est, venit auus paternus, Pater, tutores, & quomodo. 6.

Mortuo Patre alio à Matre tutelam gerente potius à matre requirendum est consilium, quam ab illo. 7.

1 Diximus in præcedentibus filios, seù filias familias in ordine ad sponsalia, & matrimonium esse sui iuris, & non dependere à voluntate parentum, quantumvis sub eorum custodia existant, nisi sub quodam titulo honestatis fundatæ in reuerentia eisdem parentibus debita, adeo, vt, si illis, vel inscijs, vel inuitis contrahant, teneat contractus, quinimmò etiam diximus, quod, si quis filiam familias consentientem è domo parentem abduxerit ad finem contrahendi matrimonium, & re vera contraxerit, teneat matrimonium, nec abductor teneatur ad pœnas iuris aduersus raptores comminatas. Hic iam disputandam remanet primò, an si contraxerint inscijs, vel inuitis parentibus sponsaliæ possint ab eisdem recedere, vt quodamodo eisdem satisfaciant ex eo, quod cōtra eorum voluntatem contraxerint. Secundo, an saltem possint recedere ex timore probabili indignationis magnæ, & maledictionis paternæ incurrendæ. Tertio, quinam veniant nomine parentum, sine quorum consensu, si filius familias contraxerit, possit à contractu recedere. Quartò, an parentes possint irritare sponsalia filiorum sub eorum potestate existentium ipsis inuitis contracta. Pro solutione

Rationes dubitandi in hac materia.

Aduerte, quod, quantumvis filius, seù filia familias in materia contrahendi matrimonij, vel non contrahendi non teneantur Patri obedire, prout vltra superius allegata scribunt *Gutierez de matrimonio c. 79. num. 14. in fin. Villalobos 1. part. tract. 13. difficul. 39. Sairus lib. 7. clauis c. 5. num. 12. August. Barbosa collect. ad c. 1. num. 5. de despons. impub. Azorius instit. mor. part. 2. lib. 2. c. 2. qu. 6. Fillius tract. 10. c. 4. num. 128. Hurtadus disp. 6. diff. 9.* nihilominus maximum sit dissidium inter DD. an si filius familias, seù filia contrahant irrequisitis parentibus, vel contrà eorum voluntatem contrahant noxam aliquam siuè læthalem, siuè venialem ex eo, quod operentur contra naturalem pietatem, & reuerentiam parentibus debitam, circà quod, si sine iusta causa contrahunt, eosdem noxæ læthali subijciunt *Canedo ad decret. collect. 58. num. 8. Marius Anton. pract. resol. lib. 1. resol. 2. nu. 9. Ioannes Vallerus verb. matrimonium diff. 1. num. 3. Salonius 2. 2. post quæst. 61. q. 5. de domin. art.*, alij verò eosdem à tali noxa eximunt, dummodo parentum consilium requisierint, quamvis illud non sequantur, quià ex vna parte exhibent reuerentiam parentibus illorum consilium, & assensum requirentes; ex alia eisdem iniuriam non inferunt, cum sint sui iuris; atque huic secundæ opinioni adhærendum existimo præcipuè propter auctoritatem *D. Thomæ 2. 2. q. 104. art. 5. in corpore*, vbi habet in ijs, quæ pertinent ad matrimonium omnes homines esse pares, nec filios subijci parentibus. His suppositis sit

In materia matrimonij sunt sui iuris.

Gutierez. Villalobos. Sairus. Barbosa. Azorius. Hurtadus.

Sententia subdens noxæ læthali filios familias nubentes irrequisitis parentibus.

Canedo. Vallerus. Salonius.

2 *Sententia eximens à culpa.*

D. Thomas.

Assertio I. Ex eo præcisè, quod sponsalia fuerint inita inscijs parentibus, vel contra voluntatem eorundem non datur aditus ad eadem dissoluenda, nisi grauia damna rationabilitèr timeantur. *Ioannes Angelus Bossius de matrimon. contract. c. 11. num. 106.*, qui quamvis loquatur de irritatione facienda per parentes, qui præsumuntur inscij, seù inuiti, dictum tamen ipsius ex paritate rationis extendi etiam potest ad negationem recisionis per eosdem filios ponendæ.

3 *Inita inscijs parentibus non possunt dissolui, nisi grauia damna timeantur.*

Bossius.

Ratio facilè ex eo deducitur, quià filius, seù filia familias contrahendo inconsultis, seù inuitis parentibus iam nulla habuit in consideratione eorum consensum, & voluntatem, & nihilominus validè contraxit, ergò vigente eo dumtaxat motiuo non

non habet ſufficiens fundamentum ad recedendum, niſi quid aliud vrgeat, ſeù timeantur damna inferentia iuſtum titulũ recedendi. Conſequentia tenet, quià ratio, qua ſtante contractus ſecundum ſe obligat, nec eſt ſufficiens ad deobligandam, non poteſt eſſe ſufficiens eadem perſeuerante ad eximendum ab obligatione iam contracta, nam quod eſt tale in talibus circumſtantijs, nec quoad obiectum mutatur eiſdem perſeuerantibus non poteſt non eſſe tale, ergò &c. Confirmatur, quià poſito ſemel receſſu à conſenſu, & voluntate parentum, qui de iure canonico non requiritur de neceſſitate, ſed tantum de honeſtate, & acquiſito alteri iure ex tali receſſu non poteſt ille, qui receſſit, niſi quid amplius vrgeat, à tali receſſu recedere, nam quem non mouit talis reſpectus in actione, nec mouere poteſt in continuatione, cum agens iam eidem reſpectui ceſſerit, nec ex neceſſitate illum teneatur ſequi, vndè in hoc valet regula, quod eodem motiuo manente illud, *quod ſemel placuit amplius diſplicere non poſſit*; Neque obeſſe poteſt, ſi aſſeratur, ſemper licitum eſſe recedere à malo, malum autem ſemper eſt declinare à reuerentia parentibus debita; non, inquam, obeſſe poteſt, quià non eſt malum eo, quod ſit contrà aliquod debitum ex iuſtitia, ſed ex eo ad ſummum, quod ſit contrà debitum honeſtatis; vndè ſemper licitum eſt recedere à malo, quandò eſt debitum, & alter, aduerſus quem committitur, ius habet, vt non committatur, non autem ab eo, ad quod ex iure canonico non tenetur potiſſimum, cum alter, cui facta fuit promiſſio, perfectum ius acquiſierit non obſtante illo malo.

Rationes euincentes non poſſe recedere.

Non eſt contra aliquod debitum ex iuſtitia.

4 *Ex timore grauis indignationis, & maledictionis paterna poſſunt diſſolui.* Boſſius. Rot. Rom. Baldus. Crauetta. Bartolus. Ruinus.

Aſſertio II. Contractis ſponſalibus per filios familias inſcijs, & inuitis parentibus poſſunt ijdem eadem diſſoluere ex rationabili timore indignationis magnæ, & paternæ maledictionis, maximè, ſi talis indignatio coniungi poteſt cum aliquo damno, vel exhæredationis, vel ſimili. *Ioannes Angelus Boſſius de matrim. contract. c.11. Rota Rom. in Tullenſi matrimonij 13. Maij 1596. coram Penia Baldus in l. interpoſitas C. de tranſact. Crauetta conſ. 49. nu. 2. Oſaſchus deciſ. pedemont. 179. n. 3. Bartolus in l. ſi ob turpem n. 6. ff. de condit. ob turpem cauſam Ruinus conſ. 23. n. 9. lib. 1.*

Facilè colligitur ex ijs, quæ dicta ſunt in præcedentibus, nempè ex rationabili timore diſcordiarum inter parentes, & conſanguineos coniugum reſcindi poſſe ſponſalia, ergò etiam poterunt reſcindi ex indignatione graui parentum, ſi probabiliter timeatur, cum talis grauis indignatio ſit proxima radix rixarum, & diſſidiorum, quæ ſicuti, ſi timeantur inter parentes, tribuunt ſufficiens ius ad reciſcionem, ità à fortiori tribuent tale ius inter vnum ex contrahentibus, & patrem eiuſdem. Rurſus maledictio paterna ſic regularitèr Deo permittente coniungitur cum grauibus damnis, vt experientia ipſa pluribus in caſibus compertum fuit, quæ rationabilitèr timere poteſt filius, ergò in ordine ad eandem maledictionem, & damna, quæ ex ipſa timentur, euitandam, ſeù euitanda poterit filius recedere, cum ille timor plurimum minuat de libertate. Tandem timor ille hæreditatis paternæ amittendæ etiam plurimum minuit de libertate requiſita ad matrimonium, cum ſit quodamodò pæna, adeoque ratione eiuſdem poterit recedere, cum iuſtitia non obliget ad ſeruanda promiſſa cum tot incommodis, & damnis. Hæc omnia ſecundum omnes ſuas partes definiuit *Rota Romana in d. Tullenſi matrimonij 13. Maij 1596. coram Penia*, quam de verbo ad verbum refert *Ioannes Angelus Boſſius d. c. 11. à nu. 97. vſque ad 102. incluſiuè.*

Rationes euincentes aſſertionem.

Rot. Rom.

5 *Poſſunt parentes diſſoluere in caſibus, in quibus poſſunt filij.* Boſſius.

Aſſertio III. Parentes non contradicentibus filijs in ijs caſibus, in quibus iſti contraxerunt illis inſcijs, & fortè etiam inuitis, & poſſunt per ſe ſponſalia reſoluere, poſſunt etiam eadem diſſoluere, ſecus eiſdem contradicentibus, vel in caſibus, in quibus ijdem filij nõ poſſunt recedere. In hanc aſſertionem propendere videtur *Ioannes Angelus Boſſius de matrimonij contract. c. 11. n. 106.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià cum filius, ſeù filia familias non contradicat parentibus, qui contradicant ſponſalibus per eundem filium, ſeù filiam initis quodamodò approbat contradictionem Patris, ſeque eorum accomodat voluntati, ergò, cum verſemur in caſibus, in quibus ſupponimus filios poſſe ſponſalia inita contra voluntatem parentum reſoluere, non erit, cur eorum parentes non poſſint eadem reſoluere, quandòquidem ſimul cum voluntate filiorum irritant, qui ſicuti hoc poſſunt per ſe præſtare, poſſunt etiam præſtare per parentes. Confirmatur, quià Parentes præſentibus filijs, & tacentibus poſſunt ſponſalia eorundem filiorum contrahere, & vtique validè per ea, quæ ſuprà latè diximus, ergò etiam in ijs caſibus, in quibus filij poſſunt à ſponſalibus recedere poterunt parentes ijſdem filijs non contradicentibus eadem diſſoluere.

Diſſoluere parentes concurrente voluntate filiorũ ad diſſolutionem.

Ratio ſecundæ partis ex eo deducitur, quià filij familias quoad matrimonium, & ſponſalia ſunt ſui iuris, nec dependent à voluntate parentum, niſi quodamodò ex honeſtate per ea, quæ latè ſuprà diximus, ergò parentes eiſdem filijs reſiſtentibus reſolutioni contractus, quam ijdem pa-

 rentes

Nec dependent quoad contractū, nec quoad perseuerantiam in contractu.

rentes intētare conātur nō poterūt validè, & efficaciter eadem dissoluere; si enim filij familias non dependent quoad contractū, nec dependere ex necessitate debent quoad perseuerantiam, vel non perseuerantiam eiusdem, cæteroqui frustatoria esset libertas ad contrahendum, si postquam contraxerint, possent parentes ipsis inuitis efficacitèr contractum dissoluere.

6 Assertio IV. Nomine parentum, quorum consilium in contrahendis sponsalibus, vel matrimonio exquirendum est ex honestate à filijs familias, quique ijsdem filijs non contradicentibus possunt ea dissoluere veniunt primo Auus paternus, & pater, quibus viuentibus, & consilium, & assensum præbentibus non requiritur consilium, nec assensus matris; secundò ijs defunctis venit Mater, præcipuè si filiorum tutelam assumpserit; tertio veniunt Tutores, & Curatores, postquam tutelam, & curam assumpserint. Ita quoad primam partem, immò quoad omnes *Ioannes Angelus Bossius de matrim. contract. cap. 11. n. 88.*

Quinam veniant in hoc nomine parentum.

Bossius.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià filij familias non dicuntur sub potestate matris, sed dumtaxat Patris, qui caput est totius familiæ, ergò accedente ipsius assensu, seù consilio non est vltrò ex necessitate requirendum consilium, seù assensus matris, quæ etiam regitur à nutibus mariti in gubernatione familiæ. Neq; obesse potest, si asseratur, quod DD., & iura requirentes, seù requirentia huiusmodi consilium loquantur de parentibus sub plurali numero, per quod æquè primo importatur Pater, ac Mater; Non, inquam, obesse potest, quià in primis, quantumvis aliqui loquantur in numero plurali, alij loquuntur sub terminis singularibus Patris: Deindè dum loquuntur de parentibus in numero plurali, nō loquuntur determinatè de aliquo filio, sed statuunt regulam generalem pro omnibus, respectu quorum dicuntur parentes in numero plurali, cum vnus non sit Pater omnium. Tandem loquuntur de parentibus in numero plurali non copulatiuè, sed sub disiuncto, & ordine quasi successiuo, quatenus existente Patre eiusdem requiratur consensus, & consilium, eodem non existente consilium Matris, neutro verò ex illis existente consilium, & assensus tutorum, & curatorum, qui in ea hypothesi fictione iuris habentur pro parentibus, cum illorum vices gerant.

Viuente Patre non requiritur ex necessitate consilium matris.

Iura loquuntur de parentibus non copulatiuè, sed disiunctiuè.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià defuncto Patre Mater in eius locum succedit quoad vniuersam familiæ gubernationem, si tutelam susceperit, ergò in ea suppositione consilium eiusdem tanquam capitis vniuersæ familiæ est requirendum, cum pro eadem in illa hypothesi eadem militet ratio, quæ militat pro patre, dum viuit.

Mater mortuo Patre habet curā filiorum.

Ratio tertiæ partis ex eodem deducitur, quià tunc Tutores, & curatores substituuntur loco Patris, & principalem familiæ, seù filiorum gubernationem gerunt, quorum propterea requiritur consilium, vt etiam colligitur *ex l. vnica §. oportet C. de rapt. virgin. l. in comunctione C. de nuptijs l. nuptiæ inter ff. de ritu nupt. Instit. de nuptijs in princip.*

Tutores, & curatores substituuntur loco parentum.

Hic solum oritur difficultas, an defuncto Patre, & Matre tutelam filiorum non gerente, sed alio à Patre ad id muneris in suo testamento destinato consilium requirendum sit à matre, an verò à Tutore. Ratio dubitandi ex vna parte ab eo desumitur, quià pietas naturalis est potius erga matrem, quam erga tutorem, & reuerentia filialis illi potius debetur, quam isti. Cùm igitur iura, & DD. exigunt tale consilium ratione naturalis pietatis, subiectionis, & filialis reuerentiæ vtique videntur exigere potius in ordine ad matrem, quam ad Tutorem, seù curatorem; ex alia parte, cum Tutor in ea hypothesi habeat vniuersam familiæ, & filiorum gubernationem, ipseque potius, quam mater administret eorum filiorum bona, habeatque ipsorum voluntates ex dispositione iuris in se virtualitèr translatas videtur in hoc consilio eidem matri præferendus. Quid igitur concludendum? Cum obligatio exigendi huiusmodi consilium sit tantum ex honestate, non ex necessitate potius à Matre in ea hypothesi crederem exigendum, cui debetur naturalis pietas, subiectio, & obedientia sic natura ipsa dictante, consulente, & suadente, quam à Tutore, cui debetur solummodo ex dispositione iuris, & per quandam accōmodationem. Cæterum consultius foret in ea hypothesi exigere ab vtroque.

7 *Consilium potius à matre petendum est, quam à tutore.*

PRÆNOTIO III.

An ingressu in Religionem alterius sponsi dissoluantur sponsalia.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circà titulum. 1.

Per solum ingressum in Religionem intelliguntur sponsalia antecedenter inita dissoluta, adeovt vterque contrahens liber remaneat. num. 2.

Dissoluuntur etiam sponsalia per ingressum vnius in Religionem etiam, si fuerint iurata. 3.

Sponsus si post sponsalia legitimè contracta sponsam destorauerit non potest licitè ingredi Religionem. 4.

Intellige, nisi aliud vinculum præcesserit, ratione cuius teneatur ad ingressum. 5.

Sponsus

Sponſus deſlorata ſponſa ingrediens Religionem tenetur ad inſtantiam deſloratæ egredi. 6.
Si poſt deſloratam ſponſam emiſerit votum Religionis non poteſt ingredi. 7.
Votum Religionis emiſſum poſt deſlorationem non eſt abſolutè nullum, ſed ſuſpenditur. 8.
Vouens Religionem poſt deſloratam ſponſam non ſatisfacit, ſi contrahat matrimonium, & poſteà ingrediatur. 9.
Ingrediens fraudulenter religionem animo præcisè diſſoluendi ſponſalia non eximitur ab onere, bene tamen alter. 10.
Qui contraxit ſponſalia iurata poteſt ingredi Religionem etiam non obtenta relaxatione. num. 11.

1 SVB hoc titulo varij diſcutientur articuli paſſim in praxi occurrentes, & ſcitu dignisſimi. Primus erit, an per ſolum ingreſſum in Religionem canonicam, ſeù à Summo Pontifice approbatam etiā non ſecuta profeſſione intelligantur ſponſalia diſſoluta, adeout vterque contrahens intelligatur exemptus ab onere contrahendi matrimonium, quantumvis ingreſſus ante emiſſam ſolemnem profeſſionem ab eadem receſſerit. Secundus, an poſſit ingredi Religionem, quantumuis ſponſalia antecedentèr contracta iuramento firmauerit. Tertius, an, etiam ſi virginem, cum qua contraxerat ſub ſpe, & promiſſione futuri matrimonij, deſlorauerit. Quartus, an etiam huiuſmodi ſponſalia diſſoluantur, quantumvis alter fraudulentèr Religionem ingreſſus fuerit ad finem eadem præcisè diſſoluendi, ſed poſteà cum animo exeundi. Quintus, an in ea hypotheſi ſponſalia remaneant diſſoluta ex parte tantum manentis in ſæculo, adeout ipſe eximatur ab obligatione, obligatum tamen retineat ingreſſum, ſi egreſſus fuerit; an verò etiam ex parte eiuſdem ingreſſi. Sextus, an qui iurauit ſponſalia non petita, & obtenta iuramenti relaxatione poſſit ingredi Religionem, & his ſimilia.

Proponuntur articuli examinandi.

2 Aſſertio I. Per ſolum ingreſſum in Religionem approbatam intelliguntur ſponſalia antecedenter inita diſſoluta, adeout vterque contrahens liber remaneat ab obligatione ſponſalium, & à matrimonio futuro. Ità quoad deobligationem ingredientis *Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 5. caſ. 455. n. 10. Nauarrus in man. c. 22. n. 26. Angelus verb. ſponſalia nu. 22. & ibi Siluester q. 10. caſ. 2. Sotus in 4. diſt. 27. q. 2. art. 5. verſ. hoc tamen Bartolomeus de Ledeſma de matrim. dub. 13. caſu* 1. Quoad deobligationem manentis in ſæculo *Sanchez de matrim. lib. 1. de ſponſalib. diſp. 42. n. 5. Petrus de Ledeſma de matrim. q. 42. art. 3. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 5. n. 2. verſ. quod ſponſalia etiam ex parte ſponſa, & alij.*

Per ingreſſum in Religionem ſponſalia diſſoluuntur.
Menoch. Nauarrus. Angelus. Silueſter. Sotus. Bartolomæus à Ledeſma. Sanchez. Bonacina.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià celebratis ſponſalibus licitum eſt vtrique ſponſo perfectiorem ſtatum eligere, ſed cum actuali talis ſtatus perfectioris electione ſtare non poſſunt ſponſalia, ergò ſtante tali electione eadem ſponſalia etiam ex parte talem ſtatum eligentis diſſoluuntur. Maior probatur, quià in contractu ſponſalium ſemper tacitè illa videtur ineſſe conditio, niſi contrahens perfectiorem ſtatum elegerit. Minor etiam euincitur, quià per ſtatus perfectionis electionem renuntiauit ſponſalibus, ad quam certè renuntiationem ius habet in ordine ad perfectiorem ſtatū eligendū, nam ſicuti contracto matrimonio rato, & nondum conſummato poteſt eidem renuntiare transeundo ad Religionem, ità à fortiori ad eandem transeundo poteſt renuntiare ſponſalibus, quæ tantam vim non ingerunt, quantam ingerit matrimonium, cuius vinculum fortius eſt ratione ſacramenti, quod importat. Neque obſtat, ſi aſſeratur, quod ex hoc euinceretur ſolummodo diſſolui ſponſalia poſt profeſſionem emiſſam, quandoquidem matrimonium ratum etiam non diſſoluitur, niſi poſt profeſſionem, nam ſi ante eandem ingreſſus egrederetur teneretur ad vxorem redire; Non, inquam, obeſſe poteſt, nam vinculum ſponſalium ità obligatorium non eſt, ſicuti eſt illud matrimonij, nam ſponſalia ità comparantur ad matrimonium, ſicuti ingreſſus ad profeſſionem; ſicuti igitur matrimonium diſſoluitur per ſolemnem profeſſionem, ita ſponſalia diſſolui debent præcisè per ingreſſum, vt æqualis ſit collatio, & proportionata fiat habitudo vnius ad alterum. Ad hoc maximè facere poſſunt iura, quæ allegat Menochius ſuprà allegatus, quæ tu ipſe vide.

Per electionem ſtatus perfectioris renūtiauit ſponſalibus

Comparatio ingreſſus ad profeſſionem & ſponſalium ad matrimonium

Ratio ſecundæ partis ex eo etiam euincitur, primò, quià per notabilem perſonarum mutationem diſſoluuntur, ſeù diſſolui poſſunt ſponſalia, vt vidimus ſupra in eo, qui poſt contracta ſponſalia fornicatur, fit pauper, in turpitudinem tranſit, aliqua nota afficitur, nec requiritur, quod huiuſmodi mutatio ſit Phyſica, ſed ſufficit etiam moralis, vt videre eſt in eo, qui per ſolam hominum æſtimationem aliqua infamiæ nota afficitur, ergò etiam, ſi alter ex ſponſis ingreſſus fuerit ſponte Religionem, poterit alter, cum quo prius contraxerat ſponſalia, ab eiſdem recedere, & quantumvis ingreſſus ante profeſſionem egrediatur, nolle cum eodem matrimonium promiſſum contrahere, quandoquidem ſecundum communem hominum exiſtimationem inducta eſt in ingreſſo moralis notabilis mutatio, cum ſemper fœminæ cum illo nubenti poſſet obijci quod duxerit Religioſum vulgò *vn Frate penſito*, quod certè ſubinfert aliquam dedecoris notam.

Inducta grauis mutatione poſſunt ſponſalia diſſolui.

Aſſer-

3 *Dissoluuntur etiam, si fuerint iurata.* Henriquez Rodriquez Gutierez. Coninch.

Assertio II. Dissoluuntur etiam sponsalia per vnius ingressum in Religionem etiā non secuta professione, quantumvis eadem in sui celebratione ex vtraque parte fuerint iuramento firmata *Henriquez lib. 11. c. 13. num. 3. Rodriquez prima part. c. 244. nu. 5. Gutierez de matrim. c. 25. num. 2. Coninchius disp. 23. dub. 2.*

Ratio ex eo desumitur, quia per huiusmodi ingressum sponsalia nudè sumpta ex superius dictis dissoluuntur, ergò etiam dissoluentur, quantumvis fuerint iuramento vestita. Consequentia probatur, quia in tantum per ingressum in Religionē dissoluuntur sponsalia nudè sumpta, in quantum in celebratione eorundem semper intelligitur inesse tacita conditio, nisi contrahentes elegerint perfectiorem statum, sed etiam in iuramento, quo firmantur, seù vestiuntur huiusmodi sponsalia eadem debet intelligi inesse tacita conditio, non enim iurans per iuramentum præsumitur sibi voluisse præcludere viam ad maiorem, & perfectiorem statum, ergò &c.

Iuramentū sequitur naturam promissionis.

Hic solum remanet dubitandum, an extante tali promissione matrimonij futuri iuramento firmata possit licitè, qui sic promisit, & iurauit, ingredi Religionem ante contractum matrimonium. Difficultas potissimum excitatur *ex c. commissum de sponsal.*, vbi dicitur ratione iuramenti prius contrahendum esse matrimonium, & posteà eodē non consummato posse Religionem ingredi. Ibi: *Tutius est ei iuramento Religione seruata prius contrahere, & posteà, si elegerit ad Religionem migrare*; Sed hæc difficultas dissoluta remanet ex ijs, quæ suprà diximus *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. disq. 1. §. 13. vers. respondeo non improbandam*; ad quæ vos remitto, ne discussa repetam sine necessitate.

Difficultas alibi dissoluta.

4 *Si defloraverit sponsam non potest licitè ingredi Religionem.* Henriquez Manuel. Sanchez.

Assertio III. Si contractis legitimè sponsalibus virtute eorundem sponsalium sponsus fæminam, cum qua contraxerat, defloraverit, non potest licitè ingredi Religionem, eademque sponsalia dissoluere *Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. nu. 5. in comment. lit. K. Manuel. 1. tom. summæ in 2. edit. c. 245. nu. 11. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 44. nu. 3. Reginald. lib. 31. num. 258. Rodriquez c. 245. num. 11.*

Probatur primò, quia in hac hypothesi est debitum iustitiæ fæminam defloratam ducere, nisi aliæ intercedant rationes excusantes à contrahendo, ingredi autem Religionem non est, nisi opus consilij, & supererogationis, nisi supponatur aliquod vinculum præcedens, ratione cuius fortius obligetur ad ingressum, sed opus supererogationis non est adimplendum, quando opponitur alteri operi debito ex iustitia. Quis enim diceret posse quemquam eleemosinam erogare ex ijs bonis, quæ sunt alteri ex debito iustitiæ vinculata. Deinde in ea hypothesi certum est apud omnes, quod deflorator tenetur damnā virginalis integritatis amissæ resarcire, sed moralitèr loquendo non potest talia damna resarcire, nisi fæminam defloratam ducendo, quandoquidem ex iustitia obligata est eadem persona deflorantis, nec vnum pro alio inuito creditore reddi potest *l. 2. §. mutui ff. si cert. pet.*, ergò &c.

Tenetur ad ducendam ex debito iustitiæ.

Vnum pro alio inuito creditore reddi non potest.

Dixi, *nisi supponatur aliquod vinculum præcedens, ratione cuius fortius obligetur ad ingressum*; nam, si supponamus, quod deflorator prius votum Religionis, aut castitatis emiserit, & posteà virginem deflorauerit fide data de matrimonio contrahendo, tunc maximum est dissidium inter DD. de quo latè nos egimus *sub hoc eodem titulo Contractus XIV. de sponsalib. 1. disq. 1. §. 4. vers. respondeo primò*, vbi conclusimus defloratorem teneri votum sequi, nec posse fæminam defloratam sub illa promissione ducere; ad quæ vos remitto, cum ibi etiam excluserimus rationes oppositas Sanchez, & aliorum.

5 *Nisi aliud vinculum præcedens obliget ad ingressum.*

6 *Sponsus post deflorationem ingressus Religionem tenetur egredi.*

Assertio IV. Contractis legitimè sponsalibus, & eorum prætextu deflorata Virgine promissaria, si de facto deflorator ingressus fuerit Religionem, non propterea dissoluuntur sponsalia, sed exigente deflorata tenetur è Religione egredi, eandemque ducere. Consentire debent omnes DD. præallegati in præcedenti assertione.

Ratio ex eo deducitur, quia ille ingressus est attentatum contra ius alterius perfectè acquisitum, ergò debet remoueri, & res in suo integro esse constitui. Confirmatur, quia stante illa defloratione sub illa promissione non potest ingredi, ergò, nec ingressus contra ius defloratæ potest permanere, quia ius, quod impedit factum, impedit permanentiam etiam in facto.

Ius impediens factū impedit permanentiam in facto.

Hic oritur difficultas, an, si contractis legitimè sponsalibus, & virtute sponsalium deflorata Virgine, sponsus deflorator ex post facto votum Religionis emiserit, possit ingredi Religionem. Sentio absolutè non posse ingredi, sed teneri matrimonium contrahere *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 44. num. 8. Lessius lib. 2. de iust. c. 10. dub. 4. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 5. num. 5.* Ratio in promptu est, quia illud votum subsequens ad sponsalia, & deflorationem sponsæ non potest eximere ab obligatione præcedenti, quam volens contraxerat ex vi sponsalium, & deflorationis cum deflorata; quod tùm ex eo euincitur, quod Deus non acceptat promissionem, & votum, quod in alterius redundat præiudicium, & iacturam, tum ex eo, quod illud votum esset vinculum iniquitatis, cum iustitiam alterius læderet. Si autem hic inquiras, an illud votum Religionis emissum post sponsalia,

Emisso voto post deflorationem tenetur ducere.

7 Sanchez. Lessius. Bonacina.

Deus non acceptat votum in alterius præiudicium.

salia, & deflorationem sit ipso iure irritum in sua radice perindè, ac si non esset positum, an verò solummodò ipsius efficacia suspendatur, quousque cesset prius vinculum, seù matrimonium contractum per

8 *Votum illud suspenditur, non tollitur.* Sanchez. Reginald. Bonacina.

mortem alterius coniugis, cui promisit, seù quam defloravit; statim respondebo dumtaxat suspendi usque ad dissolutionem prioris vinculi, quo dissoluto tenebitur postea vovens Religionem ingredi *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 44. num. 8. Reginaldus lib. 31. num. 258. Bonacina d. q. 1. punct. 5. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià illud votum est secundum se absolutum, & cum plena, & libera deliberatione, & in tantum non obligat, in quantum obstat aliud vinculum præcedens sponsalium, & deflorationis, ratione quorum consurgit obligatio contrahendi, & consummandi matrimonium, ergò cessante illo obstaculo per mortem alterius coniugis, vel ex alia legitima causa non erit, cur illud votum sortiri non debeat suum effectum, & obligare. Neque dicas, quod, cum illa promissio facta Deo per votum de ingressu in Religionem sit de re iniqua cum sit contra ius alteri acquisitum in sua radice non subsistat, adeoque non posse tractu temporis convalescere, nisi dissoluto morte alterius coniugis matrimonio novus ponatur actus, quo votum renovetur, seù de novo constituatur; contra enim impugnaberis, quià, cum votum sit præcisè obligatorium personæ, quæ vovet, talis naturæ est, ut ipsam obliget pro quocunque statu licitè potest illud exequi, nec est iniquum secundum se, & ex obiecto, sed tantum executio eiusdem relativè ad tempus, pro quo necessitas adimplendi aliud vinculum præcedens obstat eiusdem voti executioni. Hæc omnia colliguntur *ex c. veniens Qui cler. vel vovent. & ibi Innocentius num. unico Hostiensis ad fin. Ioannes Andreas num. 9. Ancharanus num. 2. Cardinalis ad fin. Abbas num. 5. Alexander de Nevo num. 6, & seqq.*; & his habes, quid respondeas ad paritatem, quæ circumfertur de eo, qui promisit alteri matrimonium futurum, inter quos est impedimentum dirimens, vel ratione consanguinitatis, vel impediens ratione voti, quod quantumvis auferatur per dispensationem, non propterea obligatio ex promissione reviviscit, nisi novus actus ponatur, per quem nova constituatur promissio. Habes, inquam, quid respondeas, quià, cum illa promissio sit per modum contractus, & versetur inter homines, qui pro eo tempore sunt inhabiles ad contrahendum non potest aliquo modo vim aliquam habere, cum deficiat in sua origine, & radice; promissio verò facta Deo per votum de ingressu in Religionem non est per modum contractus, & respicit præcisè Deum promissarium, respectu cuius nihil

Votum illud non est iniquum, & quare.

Innocentius. Hostiensis. Ioannes Andreas. Ancharan. Cardinalis. Abbas. Alexander de Nevo.

est impossibile, qui propterea illam promissionem acceptat absolutè, licet eiusdem executionem servet usque ad diem, quo cessante obstaculo liber promittens constituitur ad exequendum, qui propterea respectu Dei non potest dici inhabilis ad promittendum, licet pro eo tempore sit inhabilis ad exequendum.

Deus acceptat promissionem absolutè.

Hic alia etiam suboritur difficultas, an qui promisit legitimè alteri matrimoniū futurum, & eiusdem intuitu Virginem promissariam defloravit, si posteà emiserit votum Religionis, sufficienter satisfaciat, si posteà cum eadem contrahat matrimonium, eodemque nondum consummato posteà votum adimpleat transeundo ad Religionem. Sentio absolutè per illum contractum non satisfacere, sed teneri absolutè consummare *Petrus Ledesma q. 43. art. 3. difficul. 2. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 44. n. 7. Ludovicus Lopez prima part. instruct. c. 77. n. 1. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 5. n. 5. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quià per illū contractum præcisè sine consummatione non sufficienter satisfacit iuri læso alterius in violatione virginalis integritatis, nec infamiam impedit, quæ ex illa læsione subsecuta est.

9 *Non satisfacit, si contrahat matrimonium, & posteà ingrediatur.*

Petrus de Ledesma. Sanchez. Lopez. Bonacina.

Assertio V. Si quis contractis sponsalibus fraudulenter in Religionem ingressus fuerit animo præcisè eadem dissolvendi, non permanendi in eodem, non eximitur quidem ab obligatione versus alterum permanentem in sæculo, hic verò eximitur ab obligatione versus ipsum ingressum. *Reginaldus lib. 31. n. 258. Bartolomæus de Ledesma de matrim. dub. 13. cas. 1. Manuel. 1. tom. summa in 2. edit. c. 245. n. 1. Vega lib. 3. summæ cas. 323.*

10 *Ingrediens fraudulenter non eximitur ab onere sponsalium.*

Reginald. Bartolomeus de Ledesma. Manuel. Vega.

Ratio primæ partis non solum ex eo deducitur, quod sic ingrediens quantum est de se renuntiat sponsalibus prius contractis, sed etiam ex eo, quod dicitur *in c. ex tenore de rescriptis*, nempè fraudem, & dolum nemini suffragari debere, & tandem ex eo, quià ratio dissolutionis contractus est favor status perfectioris, quem quis eligit; in hac autem hypothesi non verè eligitur perfectior status, sed tantum fingitur eligi ad decipiendum alterum, ergò cum ingrediatur ex fraude, & fictè cum animo scilicet alterum decipiendi, non eximetur propriè ab obligatione, quam prius contraxerat.

11 *Nō eligitur perfectior status.*

Ratio secundæ partis non solum deducitur ex renuntiatione, quam ingrediens facit sponsalibus ingrediendo Religionem, sed etiam ex notabili morali mutatione status, & rerum, quibus afficitur persona ingrediens, propter quam potest alter in sæculo permanens nolle stare contractui, ne fiat coniux Religiosi è monasterio egredientis, quod dedecus aliquod ingerit, & ignominiam.

Alter liber effet ob mutationem status.

Asser-

11 Assertio VI. Contractis sponsalibus, & vtique iuratis probabilius potest quis ingredi Religionem etiam non petita, nec obtenta voti relaxatione. Consonat cum ijs, quæ superius dicta sunt, quandoquidem illud iuramentum supponitur tacitè, & implicitè conditionatum ea scilicet conditione, vt teneat, & obliget, si iurans perfectiorem statum non elegerit, ergò, si non purificetur illa conditio non electionis perfectioris status, sed potius posita fuerit electio talis status iuramentum non obligabit adeoque non indigebit relaxatione, cum conditionata non sortiantur suum effectum, nisi purificata conditione.

Etiam non obtenta relaxatione iuramenti potest ingredi.

PRÆNOTIO IV.

An sponsalia dissoluantur voto simplici castitatis, & Religionis.

SVMMARIVM.

Proponuntur articuli examinandi. 1.
Votum absolutum castitatis, seù Religionis præcedens omninò dissoluit sponsalia. 2.
Etiam si sponsam posteà deflorauerit. 3.
Votum simplex castitatis subsequens sponsalia tenet quantum ad obligandum vouentem ad ea seruanda, quæ licitè potest, non tamen eadem sponsalia secundum se dissoluit. 4.
Votum Religionis post sponsalia legitimè contracta obligat ad Religionem, & soluit sponsalia. 5.
Vouens post contracta legitimè sponsalia castitatem sine animo ingrediendi Religionem, & cum animo pracisè se ad eandem obligandi, in quantum potest nullius culpæ reus est secus, si cum animo recedendi à sponsalibus, & permanendi in sæculo. 6.

Votum castitatis, & Religionis, vel potest esse antecedens contractum sponsalium, vel subsequens. Rursus votū castitatis vel potest solummodò coniungi cum proposito vitam cælibem seruandi in sæculo, vel coniungi cum firma deliberatione ingrediendi Religionem, eamque in eadem conseruandi. Quo posito.

Votū potest esse antecedens, vel consequens.

1 Variæ dubitandi rationes hic insurgunt. Prima est, an votum absolutum castitatis præcedens, seù Religionis dissoluat sponsalia subsequentia, seù potius irrita reddat. Secunda, an idem votum præcedens irritet sponsalia subsequentia, quantumvis ista coniunguntur cum defloratione virginis promissariæ virtute eorundem sponsalium, adeout vouens potius teneatur votum adimplere, quam matrimonium contrahere. Tertia, an votum subsequens sponsalia, si sit simplicis castitatis, vel Religionis, irritet eadem sponsalia. Quarta, an sic vouens post sponsalia contracta peccet, & ad quid teneatur. Quinta, an tale votum subsequens castitatis sit omninò irritum, & ad quid obliget, & alia similia, de quibus incidentèr differemus in processu quæstionum.

Articuli examinandi.

2 Assertio I. Votum absolutum castitatis, seù Religionis præcedens omninò dissoluit sponsalia *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 45. nu. 3. Gutierez de matrim. c.26.n.4. Coninchus disp.23.dub.3. n.13. Bonacina de matrim. q.1. punct. 5.n. 15.*, & nos ipsi docuimus suprà *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsal. 1. prænot. 2. assert. 1. vers. sic primo non possunt contrahere.*

Votum præcedens dissoluit. Sanchez. Gutierez. Coninchus. Bonacina.

Probatur ex ijs, quæ ibi, & alibi dicta sunt, quià scilicet omnis promissio de re turpi, & illicita per textum *in reg. non est obligatorium de reg. iur. in 6.* omninò inanis est, vt vacua, sed stante tali voto præcedenti promissio subsequens matrimonij, futuri est de re omninò turpi, cum sit contra fidem præstitam Deo, adeoque ipsius violatio semper sacrilega, ergò &c. Confirmatur primo, quià res iam alicui ex plena libertate obligata non potest alteri obligari cum præiuditio prioris, ergò cum corpus vouentis fuerit per votum antecedentèr Deo obligatum non poterit posteà obligari sponsæ per sponsalia. Confirmatur secundo, quià regularitèr loquendo, quandò duæ obligationes de eadem re sunt incompatibiles, nisi fortior ratio obstet ex aliquo alio capite, quæ prior est tempore fortior est iure, ergò cum votum sit antecedens, & sponsalia subsequentia præferri debet in executione votum.

Alia sponsalia essent de obiecto omninò illicito.

3 Assertio II. Si post votum simplex castitatis contraxerit sponsalia, eorumque prætextu Virginem promissariam deflorauerit non tenetur eam ducere, sed votum sequi. *Nauarrus lib. 4. consil. in 1. edit. tit. de sponsalib. cons. 21.*, quod etiam innuimus in præcedenti *prænot. assert. 3. vers. Dixi nisi supponatur aliquod vinculum*, & latius *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. Disq. 1. §. 4. n. 2.* ad quæ vos remitto.

Intelligitur etiam, si posteà sponsam deflorauerit.

4 Assertio III. Votum simplex castitatis subsequens sponsalia tenet, quantum ad obligandum vouentem ad ea seruanda, quæ licitè potest, non tamen eadem sponsalia secundum se dirimit, seù dissoluit. Dixi *secundum se*, nam si ad seruandam castitatem integrè, quam Deo promisit, velit ingredi Religionem vtique iuxtà superius dicta per talem ingressum sponsalia dissoluuntur *Glosa in c. veniens vers. de seueritate, & ibi Abbas n.5. Qui cleric. vel vouent. Siluester verb. matrimonium 7. q.5. d. 5 & verb. sponsalia q.7. Nauarrus in summa cap.22. num.27. Ioannes Brunellus de sponsalib. concl. 8. n. 2., & concl. 31. num 3. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. n. 84. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 5. n. 23. vers. 6. de voto D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. §. 2.* aduersus *Sotum in 4. dist.* 27.

Votum simplex castitatis subsequens sponsalia tenet, & quomodo.

Glosa. Abbas. Siluester. Nauarrus. Brunellus. Cucus. Paludanus. Sotus.

Pot-

Angelus. Rodriquez Henriquez Bonacina.

27. q. 2. art. 2. Angelum verb. sponsalia n. 5. Henriquez. lib. 11. c. 14. n. 4. Rodriquez c. 245. num. 2. Bonacinam de matrimonio q. 1. puncl. 5. n. 13. & alios apud ipsum.

Probatur primo, quod tale votum teneat, quantum ad effectum obligandi ipsum vouentē in ijs, in quibus licitè potest obligari, quæque potest exequi; nam in ijs, in quibus sui iuris omninò est, potest se obligare, quæque potest exequi sine peccato stante illo voto tenetur exequi; dummodò non sit in præiudicium alterius, cui prius promisit, quandòquidem obligatio facta Deo obligat, in quantum obligare potest sine læsione alterius, & sine notabili mutatione promittentis, ergò cum sine læsione promissarij plura possit exequi in executione voti vtique illa tenebitur exequi.

Vouens obligatur in ijs, in quibus potest obligari.

Hinc inferes primo, quod, cum contractis sponsalibus, & vigore eorundem inito matrimonio teneatur dumtaxat vxori petenti reddere debitum, & liber sit ad petendum, vel non petendum, adeout non peccet non petendo, supposito illo voto posteriori castitatis non possit petere, cum ad hoc non teneatur, & ratione voti se obligauerit ad non petendum; seù ad seruandam castitatem in ijs; in quibus sine læsione alterius potest seruare. Quod, si dixeris, hoc etiam præiudicium inferre fæminæ; quandòquidem eidem redditur onerosum matrimonium propter naturalem, & innatam verecundiam in petendo, vndè quasi iure suo priuaretur quoad vsum matrimonij; si, inquam, hoc dixeris, statim impugnaberis, quià illud præiudiciū est ex conditione eiusdem fæminæ erubescentis petere, quod non est imputandū masculo parato reddere petenti; quinimmo, si eadem fæmina non expresè petat, petat tamen tacitè vel blanditijs nimijs, vel per quid simile non peccabit alter reddendo, quià illæ blanditiæ æquiualent reali petitioni.

Hinc vouens matrimonio contracto non potest petere debitum.

Blanditiæ æquiualent petitioni.

Inferes secundò, quod, si contractis sponsalibus, & emisso successiuè voto castitatis posteà compleuerit sponsalia per verum matrimonium, & alter coniux posteà decesserit, teneatur ille, qui vouit, & superstes est ab vlteriori coniugio abstinere, & seruare castitatem, quam Deo per votum promisit. Ratio est quià, cum votum illud sit absolutum suspenditur tantū quoad executionem, quousque vinculum præcedens fuerit dissolutum, ergò eodem dissoluto votum erit absolutè in suo robore, & obligabit ad sui obseruantiam.

Et si alter post matrimonium decesserit non potest vouens ad alias nuptias transire.

Probatur secundo, quod tale votum non dissoluat priora sponsalia. Præcedens obligatio orta ex promissione absoluta non soluitur per posteriorem, quantumvis hæc posterior sit ex motiuo maioris perfectionis, vt videre est in eo, qui antecedenter se obligauit erga alterum de certa re illi tribuenda, quam posteà ex motiuo vel eleemosinæ, vel pietatis non potest Ecclesiæ, vel pauperibus erogare, ergò cum per sponsalia obligauerit quis corpus suum alteri non poterit illud Deo per votum posteà obligare. Neque dicas, quod vinculum voti Deo facti sit fortius, quam vinculum factum homini per sponsalia, adeoque, quod illud debeat præualere; contrà enim impugnaberis, quià illud vinculum est solummodò fortius terminatiuè quatenùs ad Deum dirigitur, non formaliter, cum eodem voluntatis affectu promittens, & vouens promiserit cum animo se obligandi; Deindè in eo sensu intelligitur esse fortius, in quo ab vtroque acceptatur; Deus autem non acceptat promissionem ei prius alteri obligatæ.

Præcedens obligatio non dissoluitur per posteriorem.

Probatur tertio, quoad idem *ex c. veniens Qui Cler. vel vouent.* vbi iniuncta est pœna fæminæ de fide mentita sponso eo, quod non obstante matrimonio promisso in causa fuit, ne illud celebraretur, & tamen posteà emiserat votum castitatis; ergò signum est per votum subsequens castitatis non dissolui sponsalia, cæteroqui contrà iuris ordinem iniuncta fuisset illa pœna; Neque dicas, illam pœnam iniunctam fuisse eo, quià non obstante priori promissione matrimonij votum emiserit, ex quo arguitur quidem, quod peccauerit emittendo post sponsalia votum castitatis, non autem ex hoc eruitur, quod illa sponsalia non dissoluantur; contrà enim impugnaberis, quià, cum illa pœna sit iniuncta ob fidem mentitam, vtique supponit fidem illam in sponsalibus datam non esse per illud votū subsequens solutam; cæteroqui non bene diceretur mentita, nec extrinseco punibilis, sicuti nō dicitur fides mentita, quandò quis contractis sponsalibus ingreditur monasterium.

Explicatur textus in c. veniens, qui cler. vel vouēt. *ad rem nostram.*

Neque his, quæ hic dicuntur, aduersantur ea, quæ dicta sunt in præcedenti prænotione, nempe contractui sponsalium inesse tacitam conditionem, si scilicet contrahens perfectiorem statum non elegerit; cum ergò status continentium sit ex genere suo perfectior, quam sit status coniugalis, sequitur manifestè, quod sicuti sponsalia dissoluuntur per electionem status monacalis, ità etiam dissoluantur per electionem status cælibis, qui perfectior est coniugali; Non, inquam, aduersantur; quià illa tacita conditio inest tantum ad eum effectum, vt obliget sic contrahentem quoad ea, in quibus obligari potest sine alterius læsione iuxtà statum, quem elegit; si enim talis status exigit omnimodàm continentiam tàm in ordine ad se, quam in ordine ad alterum hoc est tàm in reddendo, quàm in petendo, tunc ratione illius conditionis tacitè præsupositæ in illo

Proponitur instantia, & simul dissoluitur.

contractu eligens illum statum absoluitur à quocunque onere, & sic dissoluuntur sponsalia; si verò talis status sit conditionis solummodò, vt afficiat personam, quantum affici potest ex parte sui, prout in sæculo permanet, tunc eligens illum statũ absoluitur quidem à iure petendi, non tamen ab onere reddendi, si petatur; Neque hoc nouum, & gratis dictum debet apparere, quandòquidem talis status non repugnat etiam in actu coniugatis, qui possunt vouere castitatem cum animo se obligandi, quantum possunt obligari, vt bene notat *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 46. n. 10.* neque hic status est incompatibiles cum matrimonio, vt per se patet; vndè vouens castitatem post sponsalia legitimè contracta cum animo permanendi in sæculo, & non transeundi ad Religionem intendit quidem se obligare, sed obligationem contrahit ad id, quod se tenet ex parte sui, & afficit ipsum, non quantum alterum afficit, versus quem prius se obligauerat, cum status ille continentiæ cum perseuerantia in sæculo possit compati cum onere reddendi sine iure petendi; vouens autem Religionem non potest nisi se obligare secundum omnimodam abstinentiam, cum status Religionis sit absolutè incompatibilis cum coniugio.

Conditio illa implicita quomodo sit intelligenda.

Sanchez.

Hic suboritur difficultas in assignanda ratione, cur ille, qui post sponsalia legitimè contracta vouit castitatem, cum possit eandem perfectè adimplere ingrediendo Religionem, possit nihilominus contrahere matrimonium promissum, quantumvis sequatur iactura castitatis secundum aliquam rationem. Sed dicendum est ex eo prouenire, quod in voto simplici castitatis, nec implicitè inuoluitur votum Religionis, adeoque sic vouens non debet vltrà propriam intentionem illo onere arduo, difficilique Religionis grauari, sicuti de facto non grauatur, qui emisso voto castitatis matrimonium contrahit *Glosa in d. c. veniens; Qui cleric. vel vouent. Ioannes Andreas in eursus n. 2. eod. tit. D. Antoninus 3. parte tit. 3. c. 18. §. 2. Tabiena verb. sponsalia in fin.*

In voto simplici castitatis, nec implicitè inuoluitur votum Religionis.

5 *Votum Religionis post sponsalia eadem dissoluit.*

Assertio IV. Qui post sponsalia legitimè contracta vouit Religionem tenetur eandem ingredi non obstante priori promissione, adeoque dissoluuntur per illud sponsalia. In hanc sententiam propendent quotquot sustinent per votum simplex castitatis subsequens sponsalia eadem dissolui *Calderinus d. c. veniens. Qui cleric. vel vouent. Vera Crux 1. part. spec. art. 21. cas. 12. Enriquez lib. 11. de matrim. c. 14. n. 4. Bartolomæus à Ledesma de matrim. dub. 13. cas. 2. Manuel 1. tom. summæ in 2. edit. c. 245. num. 2.* & vlterius idem sentire videtur *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 46.* qui, quantumvis *num. 9.* sentiat per votum subsequens castitatis non dissolui sponsalia, docet tamen *num. 10.*, quod, si quis vouerit castitatem post sponsalia cum animo ingrediendi Religionem nullius culpæ sit reus, & *num 13.* inquirens, an qui castitatem post sponsalia vouit teneatur ad eandem seruandam perfectè ingredi Religionem, respondet negatiuè, & adducit rationem, quia in simplici voto castitatis non inuoluitur, nec implicitè votum Religionis, ergò, si fuerit explicitè votum Religionis, tenebitur illud adimplere, & ingredi.

Calderinus. Vera Crux. Henriquez. Bartolomæus à Ledesma. Manuel. Sanchez.

Probatur iam assertio. Si quis sponsalia legitimè contraxerit, potest licitè post eadem ingredi Religionem, per quem ingressum illa dissoluuntur per superius allegata, & probata, ergò, si post sponsalia vouerit Religionem ad executionem illius voti tenebitur, sicque dissoluuntur sponsalia. Consequentia probatur, quia votum de re licita, & perfectiori, quæ est in potestate vouentis absolutè obligat ad sui implementum, ergò, si sine voto, qui promisit sponsalia, potest ingredi Religionem, cum voto tenebitur absolutè ingredi, nec liber erit ad contrahendum matrimonium.

Votum de re licitâ, & perfectiori, cuius executio est in potestate vouentis obligat.

Dices, qui promisso matrimonio de futuro vouit Religionem, si posteà contrahat matrimonium, illud tenet, & tenetur absolutè reddere coniugi petenti, quamvis non possit petere, ergò pari passu procedit votum illud Religionis, cum voto simplici castitatis, adeoque sicuti istud sponsalia non soluit, nec illud soluere poterit, Sed contrà hoc argumentum, si quid euinceret, euinceret etiam, quod votum castitatis præcedens sponsalia, eadem non dissolueret, quandoquidem, si illo voto existente contraheretur matrimonium illud subsisteret, & ille, qui vouit teneretur reddere, quamvis nõ posset petere. Quamobrem dicendum est, matrimonium illud tenere, non ex vi præcedentium sponsaliũ, quæ dissoluta intelliguntur, sed ex vi noui consensus, qui præstatur in ipsa celebratione matrimonij, respectu, cuius cum illud votum non sit impedimentum dirimens, sed purè impediens, non consurgit irritatio, quamvis consurgat impedimentum ad petendum.

Instantia proposita, & dissoluta.

Assertio V. Si quis post contracta legitimè sponsalia votum simplicis castitatis emiserit sine animo ingrediendi Religionem, & cum animo præcisè se ad eandem obligandi, in quantum potest, nullius culpæ reus est, secus, si cum animo recedendi à sponsalibus, & permanendi in sæculo *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 46. num. 10.* quidquid in contrarium dixerint *Siluester verb. sponsalia q. 7. Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 38.* volentes sic vouentem aliqua culpæ labe infici, & *Corduba in summa q. 136. punct. 4. opin. 5. Vega lib. 9. summa cas. 41. punct. 4. opin. 5. num. 9.* volentes esse reum

6 *Quomodo vouens castitatem post sponsalia peccet, vel non peccet.*

Sanchez.

cenni culpæ læthalis, qui tamen possunt reduci ad sanum sensum assertionis nostræ, si dicantur loqui dumtaxat in hypothesi, qua vouerit cum animo permanendi in sæculo, & recedendi à sponsalibus prius legitimè contractis.

Ratio primæ partis ex eo desumitur, quià post contracta sponsalia potest licitè ingredi monasterium, nullumque ius vetat, quin possit independenter à voluntate alterius coniugis promissariæ se obligare in ijs, in quibus plenè est sui iuris, sed quoad vim se obligandi ad non petendum, si contraxerit, est sui iuris, cui potest liberè cedere, ergò, si vouerit cum animo ingrediendi Religionem, & cum animo, si in sæculo permanserit contrahendi, ea quæ seruandi, in quibus liber est, nec dependens à voluntate alterius, nullo modo peccabit. Confirmatur, quià etiam inter coniuges potest esse sine vllo peccato votum castitatis in ijs, in quibus liberi sunt, & independentes à voluntate alterius coniugis, qua ratione vouentes tenebuntur reddere, nec tamen poterunt petere, ergò etiam inter sponsos de futuro poterit esse sine vlla labe peccati votum castitatis, si hoc respiciat præcisè obligationem se tenentem ex parte vouentis sine læsione iuris alterius.

Exercet ea, quæ sui iure absolutè sunt.

Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quià post contracta sponsalia emittendo votum cum animo non contrahendi matrimonium lædit ius acquisitũ alteri promissario saltem quantum est ex intentione vouentis, quandoquidem ex superius dictis sic vouens quantum est ex iure alteri acquisito non potest recedere sine violatione eiusdem, ergò, cum violet ius iam alteri acquisitum, vtique peccat.

Læderet ius alterius saltem quantum est in intentione vouentis.

Ex dictis pro complemento inferas, quod quantumvis votum castitatis subsequens sponsalia iam contracta non dissoluat eadem sponsalia, non propterea irritũ sit, sed solummodò in aliqua parte, secundum quam respicit ius alterius, suspendatur; in alia vero, secundum quam præcisè respicit ius vouentis, nec tollatur, nec suspendatur, sed eo ipso eundem vouentem obliget ad implementum; quinimmò, si ex aliqua sufficienti causa, antequam contrahatur matrimonium, sponsalia dissoluantur, vel eo contracto morte alterius coniugis, coniugium perimatur, tunc absolutè tenebitur, nec poterit posteà cum altero licitè contrahere.

Votum illud non est nullum, sed suspenditur.



PRÆNOTIO V.

An susceptione ordinum sacrorum; vel voto eos suscipiendi dissoluantur sponsalia.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi. 1.

Susceptio sacrorum ordinum precedens, vel votum eorundem dissoluit sponsalia posteriora. 2.

Susceptio sacrorum ordinum sine plena deliberatione suscipientis, quatenus scilicet facta est, vel per metum [illegible], vel per ignorantiam, vel in infantia non inducit vinculum perimens posteriora sponsalia, nisi cessante metu, vel ignorantia, vel infantia suscipiens eam ratam habuerit. 3.

Promotus inuoluntariè mixtè ad sacros ordines Ecclesiastica censura compellitur, vel castitatem profiteri, vel ab exercitio ordinum abstinere. 4.

Suscipiens ordinem sacrum cum ignorantia quoad substantiam ordinis non obligatur ad votum. 5.

Suscipiens ordinem cum ignorantia voti annexi obligatur ad votum. 6.

Intendens absolutè ordinem sacrum, & nolens votum obligatur etiam ad votum. 7.

Post sponsalia non potest sponsus licitè promoueri ad sacros ordines, nec per eorundem votum tolluntur. 8.

Votum sacrorum ordinum post sponsalia non eximit ab onere matrimonij. 9.

NON procedit difficultas de susceptione, vel voto ordinum minorum, quibus non est annexum aliquod onus castitatis seruandæ, vel non nubendi, sed de susceptione, vel voto ordinum maiorum, quibus est annexum implicitè solemne votum castitatis. Qui sustinent ex simplici voto castitatis, siuè antecedenti, siuè subsequenti sponsalia dissolui tenentur à fortiori sustinere dissolui per susceptionem, vel votum eorundem ordinum maiorum; tum quià fortius obligat votum solemne, tum quià perfectior status eligitur. Difficultas igitur est solummodo inter eos, qui statuunt per votũ simplex castitatis sponsalia non dissolui.

Non proceditur de voto ordinum minorum.

1 Ad clarius hanc difficultatem examinandam per varios articulos debemus procedere iuxta ea, quæ in præcedentibus fuerunt agitata; & primò videndũ est, an, si præcesserit votũ suscipiendi huiusmodi ordines, vel eadem ordinum susceptio, impediantur futura sponsalia. Secundo in suppositione, qua quis susceperit ordines sacros, vel nescius obligationis annexæ voti castitatis, vel quià eosdem recepit in ætate, qua liberum non potuit præbere con-

1 Inspectiones, & articuli examinandi.

 sen-

sensum ad eorum susceptionem possit matrimonium contrahere nullo habito respectu ad eosdem ordines. Tertio, an, si quis prius sponsalia legitimè contraxerit, possit ad sacros ordines promoueri, &,an, si ponatur votum eos suscipiendi,per illud sponsalia dirimantur. Quartò,quid facere teneatur,qui post sponsalia adstrixit se voto suscipiendi sacros ordines.

2 *Votum praecedens sacrorum ordinum dissoluit sponsalia.* Sanchez. Gutierez. Coninchus Bonacina.

Assertio I. Si cum plena libertate praecesserit susceptio sacrorum ordinum, vel votum eosdem suscipiendi sponsalia posterius celebrata sunt omninò irrita, & nullius roboris *Sanchez lib.1. de sponsalib. disp. 46. num.3. Gutierez. de matrim. c. 26. num. 4. Coninchius disp.23 dub.3. num.13. Bonacina de matrim. q.1. punct.5. num.15, & alij communiter*, qui quamuis loquantur in terminis voti simplicis castitatis praecedentis referri tamen debent in fortioribus terminis ad susceptionem ordinum sacrorum, vel ad votum eorundem,quibus annexum est votum solemne eiusdem castitatis.

Status coniugalis est incompatibilis cum sacris ordinibus.

Ratio ex eo deducitur, quià status coniugalis omninò incompossibilis est cum sacris ordinibus, si quidem ex dispositione iuris canonici sacris ordinibus initiatus est inhabilis ad matrimonium contrahendum, ergò eisdem sacris ordinibus cum plena deliberatione susceptis ex inhabilitate personae semper erunt inualida quaecunque sponsalia per illam personam contrahantur. Rursus per illud votum suscipiendi sacros ordines persona sic vouens intelligitur Deo obligata, ergò validè non poterit homini obligari, cum res ex vi prioris contractus vni debita non possit contra ius eidem acquisitum alteri cedi. Accedit, quod quaecunque promissio de re illicita nullius penitus roboris est per superius allegata, & probata, sed illa sponsalia supposita praecedenti susceptione sacrorum ordinum,vel voto eorundem sunt omnino de re turpi, & illicita, si quidem de re Deo obligata, cuius ius certè violaretur per promissionem eorundem sponsalium, ergò &c.

3 *Susceptio praecedens sine plena deliberatione non dissoluit.*

Assertio II. Si praecesserit susceptio sacrorum ordinum sine plena libertate, & deliberatione suscipientis, quatenùs scilicet ad eos suscipiendos fuerit per metum mortis adactus, vel per ignorantiam adductus, vel in infantia, in qua cognoscere non potuit quid fieret, promotus,non inducitur vinculum perimens posteriora sponsalia, nisi cessante metu, vel transacta ignorantia, vel habita legitima aetate, & acquisito sufficienti indicio, vel verbo, vel facto sic promotus scienter illam ordinis susceptionem ratam habuerit. *Nauarrus cons.1. & 2. tit. quod metus causa Henriquez de ordine c.14. Vgolinus de offic. Episcop. part.1. c.44. & part.2. c.26. §.5. Azorius instit. mor. part.1. lib.13. c.12. q.6. & c.14. q.8. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 27. num.6. Bonacina de matrimon. q.3. punct.9. nu.12. Homobonus de Bonis tract. 4. de art. circa exam. ad subdiacon. c. 3. qu.29.*

Nauarrus, Henriquez Vgolinus, Azorius. Sanchez. Bonacina. Homobonus.

Characterem non suscipit inuitus. Siluester. Angelus. Rosella. Glosa.

Ratio primae partis, quando scilicet per vim, & metum promotus fuit ad sacros ordines, ex eo deducitur in ordine ad vim, quod sacrorum ordinum characterem non suscipit inuitus *Siluester verb. ordo 4 qu. 1. Angelus eod. verb. 3. q. 25. Rosella ibid. num. 5. Glosa, & DD in c. maiores §. vlt. de Baptismo* in suscipiente etenim requiritur intentio saltem habitualis, quae esse non potest, vbi est positiua reluctantia; in ordine verò ad metum, qui supponi debet grauis, & cadens in constantem virum,sic probatio deducitur, quià quantumvis huiusmodi metus non constituat inuoluntarium simplicitèr, & per consequens non impediat characteris impressionem, nihilominus non compellit ad ea, quae omninò debent esse liberè intenta, vel in se, vel in sua causa *Rota Roman. in decis. recens. typis mandatis decis. 661. Innocentius in c. vel non est compos. de tempor. ordinat. Riccardus in 4. dist. 25. art. 4. q.2. ad tertium*, castitas autem, quae sacris ordinibus adiungitur,cum sit res voti,non praecepti *c. integritas 32. q. 2.* debet esse liberè volita, & non debetur, nisi sit voluntaria *c. ante triennium dist. 31, & c. praesens 20. qu. 3.* quomodo autem potest esse votum voluntarium,vbi metus interuenit quoad causam cadens in constantem virum? hoc certè votum cum tali metu reijcitur *in c. perlatum, & c. cum dilectus de his, quae vi, metusve caus. fiunt.* Quomodo potest esse votum de re, quae in se absolutè non est volita? Neque obesse possunt his, quae hic dicuntur, nonnulla iura, & rationes, quae per nonnullos circumferuntur; accessorium scilicet sequi naturam sui principalis, sicque, si ad susceptionem sacrorum ordinum per metum cōsequitur character non possit non sequi onus continentiae, quae est quid accessorium ad eumdem characterem; Item iura *in c. de Iudaeis dist. 45.* compellere Iudaeum, qui per metum Baptismum suscepit ad seruandam fidem, & Religionem, quae obligatio consurgit ex charactere, qui in baptismo imprimitur, sicque &c. Item voluntatem per metum quodamodo coactam esse propriè voluntatem *c. merito 25. q. 1.*, ergò, qui per metum suscipit sacros ordines, voluntate suscipit, sicque debet voluntate etiam suscipere continentiam, quae ad eosdem consequitur, qui enim vult antecedens non potest, nisi velle, & consequens connexum cum antecedenti, & qui vult causam, non potest nolle effectum. Non, inquam, obesse possunt; non primom, quià id, quod affertur solum verificatur, quando accessorium vi, & ex natura sua est connexum, vel de iure diuino cum suo principali, secus autem,

Non compellit ad ea, quae libera esse debent. Rot. Rom. Innocentius. Riccardus.

Dissoluuntur varia iura, quae ex aduerso circumferuntur.

Votum exigit libertatem.

tem, si est solum connexum ex dispositione iuris positiui, & exigat specialem formam iuxtà naturam propriam eiusdem accessorij; votum autem continentiæ est solum de iure canonico adiectum susceptioni sacrorum ordinum; & votum, quatale est exigit plenam libertatem; non secundum, quià fides, & lex catholica est annexa de iure diuino eidem Baptismo, & ius diuinum omnes respicit; Non tertium, quià ad votum non sufficit voluntas quomodocunque, sed debet esse libera absolutè, vel in se, vel in causa, non est autem in se libera, prout terminatur ad ipsum votum, cum illud absolutè non intenderit, sed potius positiuè noluerit; nó in causa, quià liberè non voluit susceptionem ordinum, sed quasi coactè, & inuoluntariè mixtè ad summum, quæ inuoluntarietas licet sit sufficiens quoad caracterem, non est tamen sufficiens quoad votum, cum voluntas illa dimminuta, si qua est, terminetur ad ordines ad euitanda damna, quæ sunt obiectum talis metus, non ad votum, quod nullo modo intendit.

Lex catholica est annexa de iure diuino susceptioni baptismi.

4 Hic tamen aduertendum est, quod quantumvis sic promotus inuoluntariè mixtè ad sacros ordines non obstringatur secundum se voto castitatis, Ecclesiastica tamen censura compellatur, vel castitatem profiteri, vel perpetuò à sacrorum ordinum ministerio abstinere; quod innuisse existimo *Concil. Trident. sess. 24. can. 9.* vbi statuit, quod clerici à susceptis ordinibus castitatem seruent, vel lege Ecclesiastica, vel voto, quod intelligendum arbitror in hoc sensu, quod, si scilicet scienter, & liberè ordines susceperunt, teneantur ex voto, si verò per vim, seù per metum Ecclesiastica lege alternatiuè præcipiente vel obseruantiam castitatis, vel abstinentiam ab exercitio ordinum susceptorum.

Compellitur tamen, vel profiteri castitatem, vel abstinere ab usu ordinũ Concil. Trid.

Ratio secundæ partis ex eo desumitur, quandò scilicet per ignorantiam sacros ordines suscepit, quæ tamen intelligenda est cum distinctione; vel etenim, qui recipit habet ignorantiam quoad substantiam ordinis, quatenus nescit, an ordinem sacroum suscipiat, vel tantum ignorantiam quoad adiuncta, quatenus nescit, an tali ordini sit adnexum votum continentiæ, vel onus recitandi horas canonicas, nec ne.

5 Quoad primum membrum distinctionis procedit assertio in ea parte, qua susceptorem ordinis eximit ab onere voti adiuncti, & sic euincitur, quià illud votum, nec est liberè intentum in se, nec in causa; non in se ipso, quià non fuit cognitum, nec susceptor ordinis ad illum præstitit assensum, vt supponitur; non in sui causa, quià nec eadem causa fuit liberè volita, quandòquidem principium radicale libertatis est cognitio obiecti, & sicuti sine cognitione non potest esse volitum, ità nec potest esse liberum. Verum tamen est, quod in foro iudiciali, cum non præsumeretur illa ignorantia, vtique compelleretur ad voti obseruantiam.

Votum in ea hypothesi nec est intentum in se, nec in causa.

Quoad secundum membrum distinctionis asserendum existimo susceptorem tu lium ordinum teneri ad obseruantiam voti castitatis. Ratio ex eo deducitur, quià ex quo scientèr, & liberè voluit causam, intelligitur saltem implicitè voluisse ea, quæ quoquo modo ex necessitate iuris consequuntur ad causam; sicuti qui officium curatum suscipit sciens, & spontè, debet implicitè velle ea omnia onera, quæ tali muneri addicuntur, à quibus iustè non potest se eximere, ergò, quantumvis directè, & in se non intenderit illud votum, cum eiusdem conscius non fuerit, quià tamen liberè intendit causam, in qua illud continetur, indirectè saltem, & implicitè intelligitur, & illud intendisse; Neque obesse possunt ea, quæ superiùs dicta sunt, scilicet hoc onus castitatis non esse ex natura sua, nec ex dispositione iuris diuini annexum sacris ordinibus, sed tantum de iure canonico, ac proindè posse susceptorem ea velle, quæ sunt de natura eiusdem ordinis, annexa non ea, quæ ab extrinseco adijciuntur eisdem ordinibus; Non, inquam, obesse possunt, quià dicta procedunt solummodò, quandò susceptio ordinum non est simplicitèr voluntaria, sed vel per metum cadentem in constantem virum, vel per ignorantiam quoad substantiam eorundem ordinum, in qua hypothesi, nec est libera voluntas eiusdem voti, nec in se; nec in causa, adeoq; non est, cur illud votum attrahatur; quæ autem hic dicuntur procedunt, quandò susceptio est absolutè libera cum plena scientia, & matura, & libera deliberatione, in qua hypothesi intentio voti est libera, si non in se, saltem in causa. Quod deindè illud onus castitatis adiungatur, vel ex natura sua, vel ex dispositione iuris diuini, vel humani, non facit ad rem præsentem, quandòquidem illa adiectio procedit ab habente legitimam, & liberam facultatem adijciendi, & eo ipso, quod susceptor est dispositus ad suscipiendos ordines debet esse dispositus ad suscipienda ea omnia onera, quæ quoquo modo legitimè eisdem sunt annexa.

6 *Voluit liberè causam, adeoq; illud votum in sua causa.*

Dispositus ad ordines debet esse dispositus ad annexa eisdem.

Hic suboritur difficultas, an si quis absolutè intendat animo omninò libero suscipere ordinem subdiaconatus, & tamen absolutè, & animo expresso nolit votum castitatis annexum eidem ex dispositione iuris canonici; an, inquam in ea suppositione obligetur ad votum, adeovt nequeat subsequentèr contrahere sponsalia, an verò, nec obligetur ad votum; nec ordi- 7

Volens ordinem, & nolens votum obligatur ad votum.
Nauarrus. Bellarmin. Toletus. Aragonius Azorius. Sairus. Homobon.

ordinem verè suscipiat, an verò ordinem validè suscipiat, & caractherem, eximetur tamen ab onere castitatis. Sentio absolutè, & validè suscipere ordinem, & caractherem, & obligari ad votum *Nauarrus in manual.c.22. num.52. Bellarminus lib.1. de clericis c.18., & de matrimonio c.21. Toletus lib.7.c.8. Aragonius 2.2.q.88. art.11. Azorius instit. mor.1. part. lib.13.c.12.q.6 Sairus lib.6. clauis reg.c.1. n.4. Homobonus de Bonis tract. 4. de art.circà exam. ad subdiacon.c. 3. q. 28.* Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià intentio est absolutè ad substantiam eiusdem ordinis, omniaq; essentialia ad ipsius esse concurrunt, nec defectus alicuius accidentalitèr annexi potest eidem substantiæ obesse, ergò, cum illud votum sit ab extrinseco, & accidentalitèr adnexum, & intentio sit absolutè ad ordinem non est, cur ille ordo non debeat in suo esse substantiali existere. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià qui vult efficacitèr principale, non potest ea effugere, quæ ad idem ex dispositione iuris subsequuntur, nec absoluta reluctantia ad subsequentia prodesse potest reluctanti, quandòquidem frustrà, & omninò iniquè negat subsequentia, qui vult efficaciter antecedens, cui annectuntur, & principale semper secum trahit accessorium subsequens.

Qui vult efficacitèr principale, vult etiam accessorium in causa.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià dato etiam, quod puer caractherem recipiat in susceptione ordinis sacri iuxtà communiorem sententiam, quod tamen aliqui negant adhuc quoad votum, nec obligatur ex volitione eiusdem in se ipso, nec ex intentione eiusdem in causa *Sotus in 4.dist.25. q.1.art.2. Maior in 4.dist. 24.q.2. in 5.arg. Abbas in c.1.de clerico per salt.prom. Azorius instit.mor. part.1. lib.13.c.14.quæst.9.*, non ex volitione eiusdem voti in se, quià nec illud directè intendit, nec est capax liberè, & efficacitèr intendendi; non ex intentione eiusdem in causa, quià ordinem recipit nesciens quid recipiat, & sicuti recipiens in legitima ætate capaci vsus rationis ordinem sacrum ignorans se ordinem sacrum recipere non obligatur, nec indirectè ad votum, quià non liberè suscipit ordinem, ità recipiens in ætate illegitima, in qua non est capax libertatis, & ignorat quid recipiat non poterit obligari, nec etiam indirectè ad idem votum.

Sotus. Maior. Abbas. Azorius.

Ordinem recipit nesciens, quod recipiat.

Dixi in assertione, *nisi cessante metu, vel ignorantia vel ætate insufficienti verbo, vel facto illum ordinis susceptionem ratam habuerit*; cum etenim illud onus ex dispositione iuris canonici sit annexum eidem ordini, quinimmò eidem maximè conformè ex natura sua eo ipso, quod contracto legitimè caracthere approbat, & assentitur eiusdem oneribus puta exercendo illum ordinem sciens eidem annecti votum videtur se obligare ad idem, & ad onera alia, quæ eidem annectuntur *Nauarrus conf. 1., & 2. tit. quod metus causa, Henriquez de ordin. c. 14. Vgolin. de offic. Episcop. part.1.c.13., & part. 2. c.26.§.5.* Confirmari potest ex ijs, quæ superius dicta sunt, quod, si per alios à pueris in legitima ætate constitutis contrahantur nomine ipsorum sponsalia, & ipsi habito vsu rationis aliquem actum exerceant ex quo dignoscantur assentiri sponsalibus priùs contractis, & rata ea habere, vtique obligantur ad eadem.

Quomodo rata habeatur susceptio ordinis.

Nauarrus. Henriquez Vgolinus.

8

Per votum subsequens sacrorum ordinum nō dirimuntur sponsalia.
Paludanus. Maiolus. Lopez. Sanchez.

Assertio III. Contractis antecedentèr legitimè sponsalibus non potest sponsus promoueri ad sacros ordines, nec per votū eorundem dirimuntur eadem sponsalia *Paludanus in 4. dist.27. q.1. art.3. cas.5. n. 21. vers.quartò. Maiolus lib.1.de irregul. c.34.n.6. Ludouicus Lopez 2.part.instruct.de matrimon. c.38. Sanchez lib.1. de sponsalib. disp.47.nu. 3.* aduersus *Sotum lib.7.de iust.q.1.art.3. Cordubam in summa q.136.punct. 4. opin. 5. Henriquez lib. 11. de matrim. c.14. n.3. Vegam lib.1. summa cas.41. punct. 4. opin. 5. Bonacinam de matrim.q.1.punct.5. prop.3.n.20.*

Ratio ex ijs deducitur, quæ superius dicebamus de sponsalibus legitimè contractis, quæ non dissoluuntur, nec ex voto simplici castitatis subsequenti, ergò nec dissoluentur ex superueniente voto suscipiendi sacros ordines; Neque obesse potest, si asseratur in sacris ordinibus inesse non votum simplex castitatis, sed solemne, sicque votum de sacris ordinibus suscipiendis æquiparatur voto Religionis; votum autem Religionis ex dictis in præcedenti prænotione assertione quarta dissoluit præcedentia sponsalia, quantumvis legitimè inita, ergò etiam &c. Non, inquam, obesse potest, quià, in primis vt benè notat *Sanchez d.lib.1.de sponsalib. disp. 47. num.3.* votum, quod adnectitur sacris ordinibus, per se, & directè consideratum non est nisi simplex, & solum ex statuto Ecclesiæ per accidens solemne ad effectū solummodò irritandi matrimonium, si quod post sacros ordines contrahatur; vndè in ordine ad alios effectus non egreditur limites simplicis voti, de quo proptereà idem est dicendum, quod dictum fuit de eodem voto simplici. Deindè ex perfectiori statu Religionis suprà alios omnes status concessum est, vt nedum post sponsalia contracta, sed etiam post matrimonium ratum intra bimestre quis possit eligere, & ingredi Religionem, quod nullibi in iure reperitur concessum in ordine ad sacros ordines suscipiēdos, adeoq; &c. vndè *Paludanus in 4. dist.27. q.1. art. 3. casu 5.n.22.* expressè asserit, nec solui sponsalia antecedentèr legitimè inita per electionem sponsi in Episcopum factam à Summo Pontifice, & præceptum ab ipso iniunctum, vt acceptet, quià præcepta Principum intelliguntur, saluo iure alterius

Votum adnexū sacris ordinibus per se, & directè non est nisi simplex, & solum per accidens solemne.

Solum in ordine ad statū Religionis permissum est post matrimonium ratum posse ingredi Religionem.

rius per textum *in l. nec annus C. emancip. lib.*

9 *Ad quando obligetur, qui vouit sacros ordines post spõsalia.* Assertio IV. Si contractis legitimè sponsalibus sponsus subsequentèr emiserit votum sacros ordines suscipiendi potest quidem ingredi Religionem, si velit, sin minùs eandem Religionem eligat, tenebitur contrahere matrimonium, nisi sibi fides remittatur ab altero sponso, vel ex alia legitima causa sponsalia dissoluantur, quià tunc tenebitur sacros ordines suscipere; quinimmo ad hoc etiam tenebitur, si ex vi priorum sponsalium contractum fuerit matrimonium, & posteà morte alterius coniugis dissolutum *Sanchez de matrimon. lib. 1 de sponsal. d. disp. 47. num. 4.* Consonat cum his, quæ superius dicta sunt de eo, qui post contracta sponsalia votum simplex castitatis emisit.

Sanchez.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià etiam post matrimonium ratum licitum est intra bimestre ingredi Religionem, ergò à fortiori licitum erit post sponsalia simplicitèr contracta. Ratio secundæ partis est, quià illud votum suscipiendi sacros ordines, quantumvis priora sponsalia non dissoluat, non est tamen irritum *Glosa in c. veniens in fin., & ibi Innocentius num. unico Hostiensis in fin. Ioannes Andraas num. 9., Ancharanus num. 3., Cardinalis in fin. Abbas num. 5. Qui cleric., vel vouent. Brunellus de sponsal. concl. 31. nu. 3.,* nec est limitatum ad aliquod tempus, sed absolutum vt supponitur, ergò, quantum est ex parte vouentis est adimplendum, ergò, si fides data remittatur, vel sponsalia legitima ex causa dissoluantur, vel fortè etiam matrimonium, si fuerit contractum per mortem alterius perimatur, vouens eosdem sacros ordines, quos vouit recipere tenebitur.

Glosa. Innocentius. Hostiensis. Ioannes Andræas. Ancharan. Cardinalis Abbas. Brunellus.

PRÆNOTIO. VI.

An sponsalia dissoluatur per alia subsequentia sponsalia, vel per matrimonium.

SVMMARIVM.

Articuli examinandi circa titulum. 1.
Priora non dissoluuntur per posteriora. 2.
Priora sponsalia dissoluuntur per posteriora ex parte illius, qui permanet in prioribus, si velit, non ex parte illius, qui ad posteriora transiuit. 3.
Extante legitima causa recedendi à prioribus vtique per posteriora priora soluuntur. 4.
Posteriora sponsalia inualida ex valore priorum non redduntur valida, si posteà priora ex legitima causa superuenienti dissoluantur. 5.
Priora sponsalia non soluuntur, quantumvis posteriora coniungantur cum defloratione num. 6.
Posteriora sponsalia etiam cum defloratione non conualidantur, si priora valida in superuenienti causa soluantur. 7.
Priora sponsalia per subsequens matrimonium validum dissoluuntur. 8.
Etiam, si priora sponsalia fuerint iurata. 9.
Etiam quantumvis in virtute priorum sponsalium secuta fuerit defloratio sponsæ. 10.

Multipliex comparatio priorum sponsalium ad posteriora.

Mvltifariam potest fieri comparatio priorum sponsalium ad subsequentia, vel ad matrimonium; vel etenim comparantur sponsalia simplicitèr sumpta ad posteriora iuramento confirmata, vel eadem priora ad alia sublequentia, virtute quorum subsecuta fuerit defloratio virginis promissariæ, vel priora simplicia ad posteriora item talia. Rursus relatiuè ad matrimonium subsequens, vel matrimonium subsequens est in sua substantia validum, vel ex aliqua causa omninò irritum.

1 *Dubii excitata circa titulum.*

Stante diuersimoda hac comparatione inquiretur primò, an sponsalia priora dissoluantur per posteriora præcisè posita; Secundo, an per posteriora iuramento firmata. Tertio in hac hypothesi, an dissoluantur, quando aderat iusta causa recedendi à prioribus. Quarto, an, si posteriora fuerint inualida, quià contrahens primis ligatus erat, nec ab ijs aderat legitima causa recedendi, & posteà eadem priora, vel ex mutuo consensu, vel alia legitima causa dissoluantur, an, inquam istis sic dissolutis, teneatur, qui posteriora contraxerat, ad eadem redire. Quintò, an dissoluantur per posteriora, quando in his secuta est virginis defloratio priori sponso promissæ. Sexto, an, si ex aliqua causa à præcitata deflorationis factæ per posteriorem sponsum dissoluantur priora sponsalia, sponsus, qui secundæ promiserat, teneatur ad eandem redire. Septimò, an dissoluantur per aliud matrimonium initum cum alia. Octauò, an dato, quod priora sponsalia per subsequens matrimonium dissoluantur, si posteà idem matrimonium dissoluatur morte alterius teneatur sponsus superstes ad priora sponsalia redire, siue fuerint iurata, siuè non, & his similia incidenter examinanda.

2 *Priora non dissoluuntur per posteriora.*

Assertio I. Priora sponsalia simplicitèr sumpta non dissoluuntur secundum se per posteriora etiam sumpta simplicitèr. Consentiunt omnes, quos viderim.

Expressè deducitur tum ex generali regula *in c. qui prior de reg. iur. in 6.* vbi cætera sunt paria, tum ex eo, quod res vni efficacitèr, & validè obligata non potest alteri in eodem genere obligari; tum ex eo, quod priora sponsalia legitimè contracta non dissoluuntur per subsequens votum castitatis per ea, quæ supra latè docuimus, ergò multò minus dissoluentur per simplicem

plicem promissionem alteri factam, quia fortius obligat promissio facta Deo, quam promissio facta homini.

3 Assertio II. Priora sponsalia ex parte illius, cui fides data est, quique transit ad alia dissoluuntur per posteriora iuramento firmata in fauorem alterius innocentis, non verò in fauorem eius, qui secundæ obligat suam fidem *D. Bonauentura in 4. dist. 28. in expositione literæ Ricardus in 4. dist. 27. art. 3. q. 4 in fin. Paludanus item in 4. d. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 6. num. 24. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. § 1., & 2. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4 dub. 3. Angelus verb. sponsalia num 25. Siluester ibid. q. 10. d. 3. Tabiena eodem verb. qu. 6. num. 7., Gutierez de iuram. prima part. c. 51. num. 6., Coaruuias quarto decret. part. 1. c. 4. num. 3.*

Per posteriora sponsalia dissoluuntur priora in fauorem innocentis, non recedentis. D. Bonauentura. Riccardus. Paludanus. D. Antoninus. Sotus. Angelus. Siluester. Tabiena. Gutierez. Coaruuias.

Ratio ex eo deducitur quoad primam partem, quia ex eo, quod post contracta sponsalia quis alteri matrimonium promiserit, videtur eisdem prioribus sponsalibus renuntiasse, cum posteriora sponsalia sint cum prioribus incompossibilia, ergò alter acceptando renuntiationem talem constituitur plenè sui iuris, adeovt à priori onere liberetur. Confirmatur, quia accedente mutuo vtriusque contrahentis consensu sponsalia antecedentèr inita efficacitèr dissoluuntur per ea, quæ latè inferius dicemus, sed in hypothesi præsentis assertionis interuenit vtriusque contrahentis consensus ad dissolutionem, ille scilicet, qui contraxit posteriora sponsalia, quia per hæc cessit, quantum est de se primis, ille scilicet alterius, qui talem cessionem supponitur acceptare, ergò &c.

Dissoluuntur quasi ex mutuo consensu.

Ratio quoad secundam partem ex eo deducitur, quod posteriora sponsalia secundum se sumpta non dissoluunt priora per ea, quæ diximus in præcedenti assertione, nec iuramentum vim aliquam fortiorem addit supra eadem posteriora, sponsalia, si quidem illud iuramentum est de re turpi, & iniqua, cum sit contra fidem alteri obligatam, & per consequens contra ius alterius; iuramentum autem tale non est secundum se obligatorium per textum *in reg. non est obligatorium de reg. iuris in 6., & c. cum contingat de iureiurand.*, ergò etiam extante tali iuramento afficiente posteriora sponsalia non poterunt priora dissolui. Accedit, quod, si per tale iuramentum priora sponsalia efficacitèr dissoluerentur, esset in potestate cuiuscunque contractis sponsalibus ab eisdem pro libertate recedere.

Iuramentum de re turpi non obligat.

Ea, quæ dicta sunt in priori parte huius assertionis extenduntur etiam, quando posteriora sponsalia non essent iuramento confirmata; quandoquidem semper verificaretur, quod contrahens eadem posteriora cesserit prioribus, ex quo sequitur, quod, si alter cessionem illam acceptarit, vtique liber remaneat.

Assertio III. In suppositione, quod fuerit ex parte eius, qui contrahit posteriora sponsalia, iusta, & legitima causa recedendi à primis, vtique per eadem posteriora dissoluuntur priora *Siluester verb. sponsalia qu. 10. d. 3. Sanchez de matrim. lib. 1. disp. 50. num. 4.* 4

Cum legitima causa priora soluuntur. Siluester. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quia extante legitima causa recedendi potest quis legitimè ab eisdem prioribus sponsalibus recedere, sed contrahendo posteriora sponsalia ponit actum, ex quo euidentèr conijcitur ab eisdem prioribus recedere, ergò re vera per talem contractum recedit, cumque subsit vera causa recedendi non est, cur talis recessus non subsistat. Confirmatur, quia in hac hypothesi illud iuramentum non est de re turpi, & iniqua, ergò non est, cur non debeat esse validū, & obligatorium. Antecedens secundum se patet, quia, cum subsit causa recedendi non est illegitimus recessus, adeoque iuramentum de illo vt pote de re non illegitima non potest esse iniquum. Verum tamen est, quod priora illa sponsalia non dissoluuntur per posteriora præcisè secundum se tanquam per fundamentum recisscionis, sed per eadem tanquam per expressionem voluntatis recedendi supposita legitima causa recessus tanquam fundamento sufficienti ad recedendum.

Per posteriora indicatur animus recedendi.

Assertio IV. In suppositione, quod posteriora sponsalia sint inualida ex subsistentia priorum nulla existente causa ab eisdem prioribus legitimè recedendi, quantumvis priora posteà ex legitima causa superuenienti dissoluantur, non tenetur, qui posteriora sponsalia iniuit ad eadem redire, quantumvis fuerint iurata *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp 50. num. 6.* aduersus *Coaruuiam quarto decret. prima part. cap. 4. §. 1. num. 10.* 5

Posteriora inualida non reualidantur ex priorum dissolutione. Sanchez, Coaruuias

Probatur, quia eadem posteriora sponsalia quantumvis iurata existentibus primis in suo robore sunt omninò in sua radice inualida vt potè de re turpi, & illicitá contra ius alteri perfectè acquisitum, ergò non possunt posteà cessantibus prioribus sponsalibus obligare ad sui obseruantiam. Consequentia tenet ex textu *in reg. non firmatur de reg. iur. in 6., & reg. quod ab initio ff. eodem tit.*, vbi dicitur, quod ab initio inualidum est non possit tractu temporis conualescere; neque obesse potest, si asseratur, quod, quantumvis posteriora sponsalia non teneant in vim sponsalium, teneant tamen in vim simplicis promissionis, vi cuius etiam obligent; Non, inquam, obesse potest, quia etiam in vim promissionis nequeunt subsistere, & obligare, cum omnis promissio de re turpi, & illicita inualida sit, & nullius penitus roboris, vt ex sparsim præctis probatum est; Neque vlterius vrgeas,

Promissio emissa tempore inhabili non obligat tempore habili.

vrgeas, quod illa promissio præstita ad posteriora sponsalia; & iuramento firmata non sit absolutè de re illicita, sed tantum secundum quid, pro eo scilicet tempore, pro quo vigent priora sponsalia, quibus propterea cessantibus ex causa legitima, & cessat esse illicitum, & vrget obligatio adimplendi: contra enim impugnaberis, quia promissio emissa tempore inhabili non obligat tempore habili *Abbas c. placuit num. 4. de conuers. coniug.* per textum *in c. quidam eod. tit.* cuius ratio ea esse potest, quia in hypothesi, de qua loquimur, intentio secundo promittentis, seu posteriora sponsalia contrahentis non est de contrahendo, si priora sponsalia euanuerint ex aliqua legitima causa, sed absolutè de cōtrahendo de præsenti; promissio autem huiusmodi de præsenti est absolutè in sua radice infecta, & inhabilis, adeoque nequit conualidari pro tempore de futuro. Accedit, quod votum de re impossibili non obligat ea possibili facta *Ludouicus Lopez prima part. instruct. c. 43. vers. stultum est.*

Abbas.

Lopez.

Instantia proposita aduersus assertionem cogi, soluta.

Quod, si afferas textum *in d. c. quidam de conuers. coniug.*, vbi dicitur, quod, si coniugatus in præiudicium coniugatæ profiteatur non valeat professio, vt professio, valeat tamen in præiudicium suum, vt votum castitatis, ergò in primis non valet regula, quod promissio de re turpi non valeat, quando de turpi potest fieri non turpis, & pro eo tempore, pro quo non est turpis. Deinde quantumuis sponsalia posteriora non teneant, in quantum redundant in præiudicium alterius sponsi, tenebunt tamen in quantum redundant in præiudicium secundo promittentis cessante præiuditio prioris. Si, inquam, hoc afferas statim impugnaberis, quia vt pluries supradictum est non repugnat etiam respectu coniugatorum votum simplex castitatis, prout est obligatorium præcisè vouentis, quantum est ex persona ipsius, & prout ipse sine labe peccati potest adimplere, promissio autem secundi futuri matrimonij respectu iam obligati per priora sponsalia absolutè inualida est, adeoque &c.

6 *Non dissoluuntur priora, quamuis posteriora fuerint cum defloratione.*

Assertio V. Quantum est ex se priora sponsalia legitimè contracta nō dissoluuntur per posteriora, quantumvis hæc coniuncta fuerint cum defloratione secundæ sponsæ, quantum est ex parte contrahentis posteriora *Nauarrus in summa c. 22. num. 16. cas. 3. Bartolomæus de Ledesma de matrim. dub. 13. in initio Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 13. num. 3. Manuel in summa tom. 1. in 2. edit. c. 245. num. 8.*

Nauarrus. Bartholomæus de Ledesma. Henriquez. Manuel.

Posteriora non sunt sponsalia.

Ratio ex eo deducitur, quia per copulam carnalem illa posteriora sponsalia non transeunt in matrimonium, nec in rigore sunt sponsalia, ergò per illa non dissoluuntur priora legitimè contracta. Antecedens quoad primam partem ex eo patet; quod post *Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de matrimon.* contractis sponsalibus, si sponsus accedat ad sponsam, quantumvis affectu cōiugali ante contractum matrimonium, & non seruata forma ab eodem Concil. præscripta, non propterea ex illo accessu fit matrimonium, quinimmò etiam ante concilium Tridentinum priora sponsalia non euadebant in matrimonium, si sponsus non affectu coniugali, sed fornicario accederet ad sponsam. Quoad secundam item sic euincitur, quia sponsalia ex genere suo important pactū promissoriū: pactū autem promissoriū nō tenet, vbi est de re illicita, & de re alteri obligata, vt in casu nostro.

Non potest firmare contractum, qui in se nō subsistit.

Dices, priora sponsalia consistere in nudo pacto, posteriora verò vestiri alio contractu implicito innominato, & vtique ex parte vnius iam adimpleto *Do, vt facias*, quo scilicet fæmina deflorata concedit vsum proprij corporis alteri sponso, vt ipse faciat, seu adimpleat matrimonium antecedentèr promissum, sed pactum vestitum cohærentia alterius contractus fortius obligat, quam pactum nudum, ergò &c. Sed contra, quià illa defloratio, quantumvis extorta fuerit virtute posteriorum sponsalium, seù secundæ promissionis de matrimonio futuro, non propterea nouum contractum constituit distinctum à sponsalibus, quinimmò, quantumvis constitueret, quià tamen iste secundus contractus vim haberet in contractu posteriorum sponsalium, & in ipso fundaretur, quinullus est propter fidem alteri antecedentèr promissam, & obligatam, nec posset secundum se vim aliquam habere, & propterea corrueret.

Non potest esse iustus titulus respectu posterioris sponsæ.

Dices vlterius, in solutionibus is, cui res tradita fuit, præfertur illi, cui promissa est, vt latè docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus II. de empt., & vendit. prænot. 11. nu. 2., & seqq.* sed in hypothesi nostræ assertionis quoad prima sponsalia corpus promittentis est nudè promissum, quoad secunda, seù posteriora est traditum per illam deflorationem secundæ sponsæ, ergò &c. Sed contrà, in primis ea, quæ dicta sunt loco citato procedunt, quià supponitur iustus titulus ex parte vtriusque creditoris ad exigendam rem illam, quæ propterea, si tradatur vni, alteri certè præfertur, quià acquirit dominium dependentèr à iusto titulo, quo gaudet, cum traditionibus non nudis pactis dominia rerum transferantur: ea verò, quæ hic dicuntur, non supponunt iustum titulū respectu vtriusque, cum promissio facta secundæ sponsæ per posteriora sponsalia omninò inualida sit, & nullius roboris per superius latè probata. Deindè traditio in priori hypothesi supponitur facta iuxta normam iuris, iure scilicet permittente, & approbante, traditio verò in po-

Illa traditio est contra formam iuris. steriori est contra formam iuris, iure scilicet resistente, & reprobante. Tandem, quià illa traditio in hac hypothesi non est ad finem, vt per illum præcisè fiat eius, cui traditur, cum per illam non transferatur dominium, adeoque non est, cur non possit res illa reuocari, & ei tradi, cui est antecedenter debita.

Dixi primo. *Quantum est ex se*, proptèr illam difficultatem, quam excitant hic DD., an scilicet quamuis ratione sponsalium non dissoluantur priora per posteriora subsecuta copula, dissoluantur tamen ratione damni ratione deflorationis secuti, fœminæ defloratæ. Quà in difficultate nonnulli statuunt ratione eiusdem damni vtique dissolui *Maior in 4. dist. 27. q. 5. Palacios in 4. dist. 28. disp. 1. col. 1.* cum etiam ratione eiusdé deflorator teneatur defloratam ducere nó obstante voto Religionis, vel castitatis antecedenter emisso. Nihilominus quantum est de rigore iuris sentiendum est nón dissolui *Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 4. dub. 3. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. n. 3. Manuel. in summa tom. 1. in 2. edit c. 245. n. 8. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 49 n. 5.* Ratio est, quià iniuria alteri illata non potest demere ius alteri iam perfectè acquisitum, nec aliquam vim habet aduersus nos id, quod dicitur de voto Religionis, seù castitatis emisso antecedentèr ad sponsalia, & deflorationem, quandòquidem docuimus suprà *sub hoc eodem tit. contractus XIV de sponsalib. I. Disq. 1. §. 4. n. 2., & de sponsal. III. prænot. 4. assert. 1., & 2.* non posse defloratorem extante illo voto præcedenti defloratam ducere, sed teneri votum sequi. Tenetur tamen in hac hypothesi ipse deflorator quantum possibile est damna ex defloratione secuta reparare vel congruam dotem erogando, vel alio modo &c. Dixi, *quantum est de rigore iuris*, nam ex quadam æquitate in certo casu teneretur prior sponsus, cui fides læsa est per posteriora sponsalia cum defloratione, nó esse rationabilitèr, & grauitèr inuitus, si posteriora spósalia per matrimonium subsequens perficerentur, vt si grauia damna defloratæ prouenirent, quæ non possent reparari sine matrimonio, & prior sponsa non nisi leuitèr læderetur, tunc etenim vis caritatis exigeret, vt ad illa damna euitanda in promisso modicum illud damnum innocens pateretur.

Maior. Palacios.

Non dissoluũtur etiã priora ratione damni

Sotus. Henriquez Manuel. Sanchez.

Tenetur tamen deflorator damna violationis resarcire quantum potest.

Dixi secundò, *Quantum est ex parte contrahentis posteriora*, nam ex parte prioris sponsi innocentis certum est per superius notata sponsalia dissolui; nam ex quo alter sponsus posteriora contraxit videtur prioribus renuntiasse, & sic nedum ratione cessionis, sed etiam in vim pœnæ alter liber cóstituitur, quod etiam verum est, quantumvis sponsus contrahens posteriora sponsalia virtute eorundem posteriorum sponsam non violauerit, quià per nudam promissionem factam secundæ sponsæ intelligitur quantum est de se renuntiasse primæ.

Dissoluuntur tamen in fauorem prioris sponsi innocentis.

Assertio VI. Existentibus validis prioribus sponsalibus, & non dissolutis per posteriora, quantumvis ratione ipsorum secuta fuerit defloratio posterioris sponsæ, si contingat ex legitima causa priora dissolui, vel fortè etiam matrimonium iam cum prima contractum per mortem eiusdem, quantum est de rigore iuris, sponsus superstes, qui posteriora promiserat, & secundam deflorauerat non tenetur ad eandem redire; consentit cum ijs, quæ dicta sunt *sub hac eadem prænot. assert. 4.* camque sustinet *Sanchez ibid. allegatus.* 7

Posteriora sponsalia etiam cum defloratione non reualidantur, si priora, & legitima causa dissoluãtur

Ratio ex ijs deducitur, quæ ibidem dicebantur, nam illa posteriora sponsalia fuerunt in sua radice absolutè infecta, & inualida, nec defloratio aliquid confert validitatis, ergò, nec per posterius possunt vim aliquam ingerere, nec obligare sic promitentem ad contrahendum, quandòquidem, quod ab initio non subsistit non potest tractu temporis conualescere. Dixi, *quantum est ex rigore iuris*, nam ex quadam æquitate, maximè si eidem fæminæ defloratæ ingentia, & immodica damna imminerent, expediret plurimum, vt duceret per superius notata.

Intellige quantum est ex rigore iuris.

8

Assertio VII. Priora sponsalia per subsequens matrimonium validum cum altera contractum dissoluuntur. *Lessius de iust. lib. 2. c. 40. n. 74. Coninchus disp. 23. dub. 4. n. 28. Gutierez. de matrim c. 27. n. 1. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 5. cas. 453. n. 9. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 48. n. 1.* per textum *in c. si inter de sponsalib., & c. 1. de spons. duor.*

Per subsequens matrimonium validum dissoluuntur.

Lessius. Coninchus Gutierez. Menoch. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià ex prioribus sponsalibus non oritur impedimentũ dirimens in ordine ad aliud matrimonium contrahendum cum persona secundum se habili, ergò, si illud contrahatur, erit secundum se validum, ergò priora sponsalia erunt per illud absolutè dissoluta proptèr indissolubilitatem vinculi præsentis, quod non compatitur cum præcedenti sponsalium secundum se ex legitima causa solubili; Neque dicas, ex hoc euinci solummodò priora sponsalia suspendi propter vinculum fortius matrimonij, non autem absolutè dissolui, vt videre est etiam in voto castitatis, quod per subsequens matrimonium solum suspenditur quoad ea, quæ sunt in libertate vouentis, non tamen absolutè tollitur, vndè sicuti in hypothesi voti, si matrimonium contractum per mortem alterius dissoluatur, vouens tenetur ad obseruantiam voti, ità in hypothesi priorum sponsalium, si matrimonium etiam contractum eadem morte perimatur, sponsus, qui eadem promisit tenebitur ad eadem adimplenda; con-

Sponsalia inducunt solummodò impedimentum impediens non dirimens.

contrà enim impugnaberis, quià matrimonium subsequens non est præcisè suspensiuum priorum sponsalium, sed absolutè dissolutiuum, cuius rei signum est in primis, quod inter coniugatos non est inualidum votum, & obligat eo modo, quo vouens potest obligari sine præiudicio alterius; inter coniugatos autem nullo modo possunt esse valida sponsalia, & si contrahantur ad nihil obligant cū coniugati sint inhabiles ad contrahenda sponsalia viuente altero coniuge. Deindè promissio facta Deo semper obligat, quotiescunque sine aliqua labe obligatio illa potest adimpleri, cum Deus sit independens à quocunque tempore, & voluntatem hominis sibi semper habeat obstrictam; promissio autem facta homini cum à tempore dependeat facilius dilabitur, sicque ex quocunque alio vinculo incompossibili cum ipsa dissoluitur non solum ex iuris dispositione, sed etiam ex præsumpta eorundem promittentium intentione; obligatio autem semel absolutè extincta non amplius reuiuiscit *l. qui res §. aream ff. de solut. Rodriquez 1. part. c. 245. n. 8. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. n. 3. Sanchez lib. 1. de sponsalib. d. disp. 48. n. 3.*

Matrimonium subsequens non est præcisè suspensiuū, sed dissolutiuum.

Henriquez. Rodriquez. Sanchez.

Confirmari potest assertio, quià interuenientibus duabus obligationibus eiusdem rationis prior dissoluitur per fortiorem superuenientem, vt videre est in eo, qui vouit strictiorem Religionem, quod votum extinguitur per professionem factam in laxiori; ex quo etiam soluitur instantia superius facta de voto castitatis facto existentibus sponsalibus, vel matrimonio, nam tunc intercedunt duæ obligationes diuersæ rationis, & sic obligatio voti non extinguitur per obligationem matrimonij, vel sponsalium saltem in ea parte in qua dictum votum potest adimpleri sine læsione alterius, qui ius habet ex illis sponsalibus, & matrimonio *D. Bonauentura in 3. dist. 29. art. 3. q. 2. Palud. in 4. dist. 28. q. 1. art. 1. concl. 74. n. 8. Manuel. 1. tom. summa in 2. edit. c. 245. n. 8.*

Alia probatio assertionis.

D. Bonauentura. Paludanus. Manuel.

9 Amplia primo assertionem, vt procedat etiam, quantumvis priora sponsalia fuerint iuramento confirmata *D. Bonauentura in 3. dist. 39. art. 3. q. 2. in fin. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. num. 3. Sanchez d. lib. 1. disp. 48. n. 4* Ratio ex eo deducitur, quià iuramentum vtpotè accessorium tanquam confirmatorium primææ obligationis, seù promissionis sequitur naturam eiusdem, & in tantum subsistit, in quantum subsistit primæua obligatio, quam confirmat, ergò, si per superueniens matrimonium principalis obligatio dissoluitur, dissoluitur etiam, & accessoria; Neque hic audiendi sunt *Petrus Ledesma de matrim. q. 43. art. 3. cas. 2., & Bonacina de matrim. q. 1. punct. 7. n. 13. vers. 2. sententia, & alij* asserentes iuramentum illud fuisse in sua radice validum, cum fuerit elicitum pro tempore, pro quo nulla erat obligatio ipsius destructiua, & sicuti elicito voto Religionis, si posteà per verba de præsenti contrahatur matrimonium, per istud non tollitur tale votum, sed dumtaxat suspenditur, adeovt mortuo altero coniuge teneatur vouens illud adimplere, ità elicito iuramento de matrimonio aliquo adimplendo, si posteà aliud matrimonium per verba de præsenti contrahatur, per istud non debeat tolli prior obligatio absolutè, sed tantum suspendi, adeo vt, si posteà matrimonium contractum per mortem alterius dissoluatur, teneatur iurans iuramentum complere. Non, inquam, audiendi sunt, quià iuramentum eatenus valet, quatenus tenet principalis obligatio, quam confirmat, vnde eadem cessante cessare debet, & vis iuramenti; nec valet paritas, quæ adducitur de voto Religionis, & castitatis; nam in primis hæc referuntur ad diuersa nempè ad Deum sine vlla alia præuia obligatione; iuramentum autem refertur quidem ad Deum, sed relatiuè ad præuiam illam obligationem tanquam ad suum fundamentū; illa sunt quasi absoluta, hæc quasi conditionata, ea scilicet conditione, si præuia obligatio subsistat, vel nisi à præuia obligatione liberetur. Deindè, vt suprà pluries repertum est, votum est compatibile cum statu coniugali, quatenus obligat in eo statu vouentem, in quantum obligari potest sine alterius præiuditio, & eo statu cessante obligat absolutè, sponsalia autem sunt cum illo statu incompossibilia, adeoqs etiam iuramentum.

Etiam, si priora sponsalia fuerint iurata. D. Bonauentura. Henriquez. Sanchez.

Reijcitur sensus Ledesma, & Bonacina.

Iuramentū in tantum subsistit, in quantum subsistit prior obligatio.

Amplia secundò, vt procedat etiam, quantumvis in virtute priorū sponsalium intercesserit defloratio virginis promissariæ saltem quantum est ex vi eorundem sponsalium *Adrianus 4. q. 2. de matrim. ad 2. Bartolomeus à Legesma de matrimonio dub. 19. Henriquez lib. 11. c. 13. n. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià subsequens matrimonium, quantumvis contrahatur cum aliqua noxa absolutè tenet nemine discrepante, ergò priora sponsalia absolutè dissoluuntur, adeoque non possunt amplius obligare per textum allegatum *in l. qui res §. aream ff. de solut.* Hic solum disputant DD., an saltem dissoluto matrimonio per mortem alterius coniugis teneatur, qui deflorauit priorem sponsam, ad eandem redire ratione damni illati per talem deflorationem. Sed de hoc vide, quod suprà dictum est.

Etiam, si secuta fuerit defloratio prioris sponsæ. Adrianus. Bartolomeus de Ledesma. Henriquez.

Dixi *per subsequens matrimonium validum*, nam si matrimonium ipsum esset in sua radice inualidum, vtique nullum præstaret effectum; nam contractus inualidus perindè est in effectu, ac si non esset contractus; sicuti igitur non entis nullæ possunt esse passiones, nullæque obligationes,

Intellige, dummodò fuerit matrimonium subsequens validum.

ita etiam non contractus, seù contractus inualidi nulli possunt esse effectus, adeoq; quantum est ex se non potest gignere dissolutionem prioris contractus secundum se validi, & subsistentis.

PRÆNOTIO VII.

An sponsalia dissoluantur ob impedimentum dirimens, vel simplicitèr impediens.

SVMMARIVM.

Impedimentum praecedens siue fuerit praecisè impediens, siuè dirimens dirimit sponsalia subsequentia. 1.

Impedimentum subsequens sponsalia, si fuerit dirimens dissoluit sponsalia, secus, si fuerit tantum impediens. 2.

Si impedimentum dirimens subsecutum fuerit ex culpa vnius contrahentis tenetur hic beneficium dispensationis impetrare, si alter voluerit. 3.

Non solum impedimentum dirimens, siuè praecedens sponsalia siuè subsequens ea dirimit, sed etiam fama publica de tali impedimento, & scandalum. 4.

Si impedimentum dirimens subsecutum fuerit, & obtenta dispensatio, potest innocens nolle acquiescere matrimonio, nisi assensum praebuerit dispensationi. 5.

IMpedimenta matrimonij, vt latè suo loco videbimus, alia sunt simplicitèr impedientia, quæ prohibent contrahendum, non dirimunt contractum, alia impedientia simul, & dirimentia, quæ & impediunt contrahendum, & iam contractum dissoluunt. Quantum pertinet ad præsentem titulum considerandum est primo, an huiusmodi impedimenta præcesserint sponsalia, an verò subsecuta fuerint. Secundo considerandum est, an præcesserint, vel subsecuta fuerint verè, & secundum se, an verò tantum in apprehensione, & secundum famam. Tertio, an si subsecuta fuerint compellant ad obtinendam dispensationem, & an obtenta dispensatione resciadi possint sponsalia, & alia huiusmodi. *Impedimenta alia dirimentia, alia simplicitèr impedientia.*

1 Assertio I. Impedimentum præcedens siuè fuerit præcisè impediens, siuè dirimens absolutè dirimit sponsalia subsequentia. Consentiunt omnes tàm Theologi, quàm iuris interpretes. *Impedimentum praecedens dissoluit.*

Probatur, omnis promissio secundum se peccaminosa, & de obiecto prohibito est secundum se inualida, & nullius roboris per iura superius allegata, sed præcedente legitimo impedimento siuè impediente, siuè dirimente promissio futuri matrimonij est secundum se peccaminosa, & de obiecto prohibito, siquidem contrà ius prohibens, & irritans, ergò non est, cur huiusmodi promissio non debeat esse irrita, & nullius roboris. Confirmatur, quià sponsalia inita ab eo, qui votum castitatis antecedentèr emiserat, sunt absolutè nulla, & tamen votum simplex castitatis est inter impedimenta simplicitèr impedientia, ergò &c. *Esset promissio peccaminosa.*

2 Assertio II. Si impedimentum subsecutum fuerit sponsalia antecedentèr contracta, & fuerit dirimens absolutè dirimit eadem sponsalia, secus verò, si impedimentum fuerit tantum impediens. Ità quoad primam partem *Sanchez lib.* 1. *disp.* 56.*n.*1.*Gutierez de matrim.c.*32.*n.*1.*Coninchus disp.*23.*dub.*5.*Reginaldus lib.*32.*n.*263. Quoad secundum *Sanchez loc.cit.n.*3.*Coninchus disp.* 23 *dub.*5.*n.*36. aduersus *Sotum in* 4.*dist.*27.*q.*2.*art.* 5. *casu* 8. *Petrum de Ledesma de matrim. q.*43.*art.*3.*causa* 3. *Impedimentum subsequens, si fuerit dirimens dissoluit sponsalia, non si impediens.* Sanchez. Gutierez. Coninchus Reginald. Sanchez. Coninch.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod matrimonium iniri non potest inter obstrictos impedimento dirimente antecedentèr ad ipsum matrimonium puta inter consanguineos, & affines in gradibus à iure prohibitis, sed in data hypothesi antecedentèr ad contractum matrimonij interuenit illud impedimentum dirimens, ergò matrimonium illud iniri non potest, ergò dirimitur etiam obligatio priorum sponsalium; Hæc consequentia clara redditur, quià non potest esse obligatio ad id, quod nullo modo adimpleri potest, cum obligatio ad impossibile sit chimærica.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià impedimenta secundum se præcisè impedientia, tunc tantum impediunt contrahendum, quandò res est integra, & alteri ius non est acquisitum, non autem, quandò res est incohata, & matrimonium quodamodo inceptum per ea, quæ notat *Sanchez loc cit.*, sed in hypothesi assertionis per illa sponsalia, antecedentèr contracta res non est amplius integra, sed quodamodò initium matrimonij, ergò &c. Maior quodamodò patet ex discrimine, quod intercedit inter impedimenta dirimentia, & simplicitèr impedientia. Confirmant aliqui hanc secundam partem ex eo, quod, si excipias votum simplicis castitatis, cætera impedimenta simplicitèr impedientia ex contrario vsu modo nulla sint in consideratione, quod, si verum est, certè hoc efficacitèr probat assertionem, sed in hac hypothesi dicendum postea est aduersus ea, quæ diximus in prima assertione huiusmodi impedimenta simplicitèr impedientia, si præcesserint sponsalia, ea non dirimere, indè conciliando ea, quæ ibi diximus, cum his, quæ hic dicuntur, dici potest ea procedere attento iuris ordine, ista attenta consuetudine. *Impedimenta simplicitèr impedientia tunc tantum impediunt, quando res est integra*

Assertio III. Si impedimentum dirimens subsecutum fuerit ex culpa vnius ad sponsalia 3

salia

Dans causam impedimento dirimenti post contracta sponsalia tenetur dispensationē impetrare.
Petrus de Ledesma. Coninch. Sanchez. Bonacina,

salia iam legitimè contracta tenetur, qui causam dedit illi impedimento, impetrare beneficium dispensationis; si commodè potest *Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 43. art. 3. cas. 3. Coninchus disp. 23. dub. 5. num. 37. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 16. n. 4. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 7. n. 8*, & assertio potissimum verificatur, quandò ex sponsalibus secuta fuerit virginis defloratio, vel magna eidem iactura immineat ex recessu.

Ratio ex eo deducitur, quià ex quo sua culpa impedimentum illud contraxit tenetur quantum commodè fieri potest illud remouere, quantumvis sine culpa non teneretur, cæteroqui ex sua culpa commodum reportaret, & facilè post contracta sponsalia possent contrahentes à iure iam acquisito illudi, sed impetrando dispensationem potest impedimentum illud remouere, ergò tenetur eandem dispensationem impetrare.

Dices ex ijs, quæ dicta sunt in præcedentibus non subsistunt sponsalia inter obstrictos impedimento dirimenti inita sub hac conditione *Si Pontifex dispensauerit* eo, quià, quæ dependent ex arbitrio Principis habentur pro impossibilibus, ergò in hac etiam hypothesi non tenebitur, qui contraxit illud impedimentum ex sua culpa, dispensationem illam requirere, si quidem ad ea, quæ impossibilia reputantur, nemò tenetur. Sed contra, quià in primis illa sententia à nobis non admittitur: Deindè quià illa impossibilitas non est impossibilitas Physica, sed moralis, quæ ante ius alteri acquisitum semper habetur pro tali, vndè quousque non fuerit obtenta dispensatio promissio sub illius conditione nullatenus potest obligare, nec parere aliquod ius; impossibilitas autem, quæ subsequitur ad ius iam perfectè acquisitum, cum sit dumtaxat moralis non perimit illud ius iam acquisitum, quià saltem confert onus ad omnia media, quæ illam impossibilitatem moralem possunt auertere, sicque compellit delinquentem ad omnia remedia, quæ auferre, seù perimere possunt illud impedimentum. Accedit, quod eo ipso, quod sponsa ius habet ad matrimonium, acquirit etiam ius, ne impediatur, & sic quasi in pœnam delicti delinquens sumit onus remouendi id, quod ipsius culpa inductum est.

Illa sententia quamvis probabilis à nobis non admittitur.

Innocens ius habet ne impediatur matrimonium.

Dixi, *quando ex sponsalibus secuta fuerit Virginis defloratio, vel magna iactura innocenti immineat*, quià tuncnō solū teneretur ratione eorundē sponsaliū, sed etiam intuitu eorundem damnorum, & iacturæ, quæ afficerent innocentem. Sed an etiam delinquens teneatur, quantumvis illa damna rationabilitèr non timerentur, nec secuta fuerit defloratio, probabilius sentio etiam teneri, quià semper militat ratio, quod ex proprio delicto immunitatem à fide præstita consequeretur aduersus textum *in c. 2. de translat. prælat.*

Tenetur quamvis non sit secuta defloratio.

Dixi, *si commode potest*; si etenim incommoditates maximæ in tali impetratione orirentur, vel dispendia supra vires proprias, tunc non incongruè assererem eximi à tali obligatione, quià iustitia non obligat cum tot incommodis.

Intellige, si commode potest.

Assertio IV. Non solum impedimentum dirimens siue præcedens, siue subsequens sponsalia ea dirimit, sed etiam fama publica de eodem impedimento, & scandalum *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 71. num. 13. Emanuel Sà verb. sponsalia num. 4. Petrus Ledesma q. 43. art. 3. cas. 3. Coninchus disp. 23. dub. 11. nu. 8. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 7. num. 6.* 4

Etiam fama publica, & scandalum de impedimento dirimit sponsalia.
Sanchez. Sà. Petrus de Ledesma. Bonacina.

Expresè colligitur *ex c. super eo de consang.*, & ratio ex eo deducitur, quià fama publica impedimenti illud plenè probat ad effectum impediendi, ne matrimonium contrahatur *Glos. in d. c. super eo verb. fide, & ibi Antonius num. 6. Abbas num. 5. Ancharanus c. præterea 2. de sponsal. Coarunias 4. decret. part. 2. c. 6. §. 10. num. 21. Mascardus de prob. concl. 1035. num 12.* Dixi publica, nam priuata non sufficit *Antonius in c. cum in tua de sponsalib. num. 7., & ibi Abbas num. 6. Alexander de Neuo num. 16.*, sed de his abundantius in seq. prænot.

Fama publica probatur.
Glosa. Antonius. Abbas. Ancharan.

Assertio V. Si impedimentū fuerit subsecutum sponsalia, & super eo obtenta à Romano Pontifice dispensatio potest ille, qui innocens fuit quoad illud impedimentum recedere à sponsalibus, & non contrahere matrimonium, nisi assensum præbuerit ad obtinendam dispensationem *Gutierez c. 32. num. 1. Naldus verb. sponsalia nu. 4. Rodriquez c. 244. Praxis Neapolitana c. 13. nu. 5., & alij communiter.*

Innocens non obstante dispensatione potest recedere à sponsalibus
Gutierez. Naldus. Rodriquez

Ratio ex eo deducitur, quià per illud impedimentum subsequens sponsalia inductum ex culpa alterius innocens liber constituitur à fide præstita, si quidem alter se inhabilem ex proprio delicto constituendo quantum est ex se implicitè renuntiat prioribus sponsalibus, ergò iam ex parte innocentis intelliguntur illa sponsalia dissoluta, ergò potest nolle amplius eisdem assentiri; Neque dicas, quod in tantum potest dissentiri, in quantum subest illud impedimentum, sed obtenta dispensatione non amplius viget illud impedimentum, ergò &c, contra enim impugnaberis, quià, ex quo subsecutum est illud impedimentum dirimens contractus est absolutè dissolutus quantum est ex parte innocentis, semel autem absoluto contractu non tenetur amplius, nisi per nouum actum iterum consentiat ex generali regula, quod semel extinctum nunquam reuiniscat. Ex quibus elucescit limitatio, quam supra in assertione adduximus *Nisi assensum præ-*

Dissoluto semel contractu ex parte innocentis non tenetur amplius his assentiri

(h)abuerit ad obtinendum dispensationem, quià tunc per talem assensum videtur cedere iuri suo iam acquisito ex illo impedimento posito ex alterius culpa &c.

PRÆNOTIO VIII.

Quænam, & quales probationes impedimenti matrimonij requirantur, adhoc, vt sponsalia præcedentèr inita dissoluantur.

SVMMARIVM.

Depositio vnius testis regularitèr sufficiens est ad impediendum, ne matrimonium contrahatur. 1.

Etiam, si fuerit Pater, vel mater, vel consanguineus. 2.

Etiam, si ille testis obijciendo impedimentum allegaret turpitudinem suam. 3.

Intellige, quantumvis publicè allegaret. 4.

Etiam, si non fuerit citatus, sed à parte oblatus. 5.

Etiam, si in secreto, & sine proprij nominis publicatione recipi velit. 6.

Etiam, si fuerit persona vilis. Ibid.

Vnus testis sufficienter probat, nec requiritur iuramentum suppletorium partium. 7.

Sufficienter probat, quantumvis sponsalia præcedentia fuerint iurata. 8.

Fallit, quando simpliciter denuntiat, non deponit. 9.

Fallit item, quando non deponeret cum iuramento se certe scire, sed tantum audiuisse, num. 10.

Publica fama regularitèr sufficient ad impediendum ne matrimonium contrahatur. 11.

Quantumvis sponsalia fuerint iurata. 12.

Excipe, si probato impedimento per famam, clariores fierent probationes de fama contraria. 13.

Extante fama de impedimento iudicis arbitrio possunt, vel non possunt admitti iuramenta contrahentium ad eludendam eandem famam. 14.

Fama ad sufficientèr probandum debet esse publica. 15.

Ex confessione vtriusque coniugis de impedimenti existentia sufficiens inducitur probatio ad dissolnenda sponsalia. 16.

Confessio vnius tantum contrahentis de existentia impedimenti, qui stat contra sponsalia non est sufficiens, secus, si fuerit alterius, qui stat pro sponsalibus. 17.

Probationes impedimenti sufficientes in foro externo, ne contrahatur matrimonium, sunt etiam sufficientes in foro interno. 18.

CVM ex superius dictis ex impedimentis matrimonij oriatur sponsalium dissolutio in casibus præallegatis recto ordine procedentes inquirimus in controuersia, an huiusmodi impedimenta interueniant, quantum sufficit, vt Ecclesia ea sponsalia dissoluat, vel habeat pro dissolutis, quænam, & quales probationes requirantur, an sufficiat vnicus testis deponens de impedimenti existentia, & qualis debeat esse ipsius depositio, an sufficiat publica fama, & qualiter probanda, an sufficiat vtriusque, vel alterius saltem confessio, an probatio, quæ sufficit pro foro externo iudiciali, sufficiat etiam pro interno animæ, & his similia.

1 Assertio I. Depositio vnius testis regularitèr sufficiens est ad impediendum, ne matrimonium contrahatur *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 71. num. 1.*, qui testatur de communi omnium DD., & probat per textum *in c. super eo 2. de testib., & attestat., & c. prætereà 2. de sponsalib*, & quidem in primo textu Pontifex interrogatus, an mulier coniungenda non sit viro pro eo, quod sola mater alterutrius eos esse consanguineos confitetur, respondet, *quod, si non est firmatum matrimonium inter eos, matre asseuerante ipsos esse consanguineos, non debeant coniungi, quià præsumptio est non modica, quod se linea consanguinitatis attingat*, in secundo verò in titulo expresse dicitur, quod *dictum vnius asserentis impedimentum impedit matrimonium contrahendum*.

Vnus testis sufficit ad impediendum. Sanchez.

Ratio communitèr ex eo deducitur, quià vbi agitur de peccato vitando minores certè probationes requiruntur, quam regularitèr requirantur in alijs, si quidem non solum malum est fugiendum, sed etiã species mali, ergò in hoc speciali casu, de quo loquimur in assertione, vnius depositio erit sufficiens ad impediendum, & in hoc intuitu mali vitandi fallit regula generalis, *quod dictum vnius sit dictum nullius, & quod in ore duorum, vel trium stet omne verbum*.

Vbi agitur de peccato vitando minores probationes sufficiunt.

2 Quæ adeo vera sunt, vt in hac causa dictum vnius sit sufficiens ad hunc effectum, quantumvis fuerit consanguineus, seu Pater, & Mater per allegatum textum *in c. super eo 2. de testib., & attest.*, nec obesse potest textus *in c. si testes §. item testis idoneus 4. q. 3.* vbi excluduntur à ferendo testimonio Pater, & mater in causa filij, quià causa filij causa Patris esse videtur, cum damnum, & emolumentum ad eum pertinere videatur *arg. c. biduum 2. verbo palam*, & in causa sua nullus idoneus est testis *c. nullus 4. q. 3. c. primo 3. q. 5*, & Pater, & filius pro vna persona reputantur *c. contradicimus 35. qu. 5. l. vlt. in fin. C. de impub., & vul substit. §. et, qui insstit. de inutil. stipulat.*, non, inquam, obesse potest, quià in primis hæc causa matrimonialis ex enuntiato motiuo est specialitèr excepta; Deindè in ijs, quæ pertinent ad matrimonium filius est independens à Patre, & proptereà omninò sui iuris, & non consideratur, vt filius, sed vt alius Reipublicæ ciuis. Item, cum hic agatur de impediendo

Etiam, si fuerit consanguineus.

Causa matrimonialis est specialiter excepta.

pediendo

Pater non agit causã filij cum agat contra eius voluntatem.

pediendo matrimonio non præsumitur Pater agere causam filij, cum contra ipsius voluntatem agat, nec in hoc reputatur eadem persona, cum idem non possit agere ad contrahendum simul, & impediendum, & dissoluendum. Tandem, quià quandoque vnius sponsi confessio de existentia impedimenti sufficiens est ad impediendum.

3 *Etiam, si ille testis allegaret turpitudinem suam.*

Amplia vlterius, vt procedat etiam assertio, quantumvis ille testis obijciendo impedimentum allegaret turpitudinem suam per textum *in d. c. præterea 2. de sponsalibus*, vbi cum quidam vir vellet contrahere cum quadam muliere, & consanguineus illius viri diceret se deliquisse cum ea, recusans tamen confiteri publicè delictum propter metum, & potentiam mulieris consultus super eo Romanus Pontifex respondit, quod matrimonium illud fieri non permatur, ne deterius aliquid indè contingat. Hic excitat difficultatem *Glosa in d. c. præterea 2. de sponsalib. verb. publicè confiteri*, an testi publicè deponenti de turpitudine sua ad effectum impediendi consanguinei matrimonium credendum sit, & respondet negatiuè ob duplicem rationem; primò, quià vnius confessio in alieno facto nulla est per textum *in c. placuit 4. qu. 4. § item in criminali verb. item vnius testimonium, & c. veniens 1. de testib.* secundo, quià turpitudinem suam confitetur *c. inter dilectos de donat. c. non sane 14. qu. 5.* Nihilominus, quantumvis quodamodo peccet contrà ius naturæ non solum prodigendo propriam famam, sed etiam non seruando illæsam famam alterius, cum possit alio modo occurrere, vel secreto deferendo consanguineis impedimentum, vel Prælato, vel alijs personis, vt moneant; referendo tamen publicè, vel ad Tribunal Iudicis, non minuit vim sufficientis motiui ad impediendum, quandoquidem, si sufficientem inducit probationem priuatim deferendo, cur non etiam publicè? Certè in vtroque casu allegat turpitudinem suam, & lædit famam propriam, & alterius quoad eum, ad quem defert; & ad quem spectat dissolutio. Quod deinde pluribus defferat auget quidem peccatum, non tamen fidem minuit. Deindè Pontifex *in d. c. præterea secundo de sponsalibus*, non ideò declarat impediendum matrimonium, quià ille, qui deponit, priuatim, & secretè deponit, sed tantum excusat à publicè deponendo propter metum, & potentiam mulieris, ergò supponit, quod, si publicè deponeret præstaret effectum impediendi matrimonium, sicuti præstat priuatim deponendo. Confirmatur *ex c. ad audientiam de sponsalibus*, & hoc affirmant *Prępositus in d. c. præterea nu. 4. Mascardus de probat. concl. 1035. num. 5.*

4 *Peccat quidem prodigendo publicè famã propriam, & alterius tamen ad hunc effectum sufficienter probat.*

5 *Etiam, si non fuerit citatus, sed à parte oblatus.* Mascardus. Abbas. Immola. Felinus. Bartolus. *Limitatio, sed reiecta.* Mascardus. Sanchez. Abbas. Alexander de Neuo. Prępositus.

Amplia vlterius, vt dictum vnius testis sufficientèr probet, quantumvis non fuerit citatus, sed à parte oblatus *Mascardus de probationibus d. concl. 1035. n. 3. Abbas in c. cum in tua n. 2. de sponsalib., & in c. causam, & ibi Immola, & Felinus de probat. Bartolus l. post legatum §. his verò n. 1. ff. de his quibus vt indig.*, & hoc proptèr eandem rationem, quià agitur de peccato vitando; limitant hic aliqui in casu, quo se ipsum spontè ingereret, quià tunc vt suspectus reijceretur, quam limitationem approbant *Mascardus loc. cit. n. 3. & Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 71. nu. 2.* qui probat etiam per textum, seu argumento textus *in l. vxori §. 1. ff. de fals. & refert Abbatem in c. cum tua nu. 2. de sponsalib., & ibi Alexandrum de Neuo nu. 4. Præpositum n. 1.*, Sed non libentèr acquiescerem huic limitationi, nisi aliundè constaret de suspectione. Certè idem *Mascardus loc. cit. n. 7.* expresè docet impedimentum matrimonij non denuntiantem reum esse peccati, & vlterius *nu. 5.* etiam sustinet per dictum vnius probari impedimentum, quantumvis ipse sit denuntiator, quod etiam approbat *Sanchez loc. cit. n. 4.* Si ergò est reus peccati, qui non denuntiat, quomodo potest reijci, si non producatur ab alio? Si denuntiatori etiam creditur, cur non est credendum ei, qui adimplens iuris dispositionem spontè se offert ad deferendum? Iura igitur, quæ in causis ad euitanda peccata dictum vnius admittunt, & vlterius etiam compellunt ad deponendum, admittunt etiam spontè se offerentem, & sicuti admittunt etiam criminosum, quamuis in alijs causis regularitèr excludatur, ita etiam admittunt se offerentem, quantumvis in alijs excludatur.

Etiam, si spontè se exhibeat.

6 *Etiam, si recipi velit in secreto, & sine proprij nominis publicatione.* Mascardus. Abbas. Innocentius. Præpositus.

Amplia vlterius, vt dictum vnius testis admittatur etiam, si is secreto, & sine proprij nominis publicatione recipi velit *Mascardus loc. cit. num. 4. Abbas in c. super eodem de consang. & affinitate Innocentius in c. præterea 2. & ibi Antoninus n. 6. Abbas nu. 7. Alexander de Neuo n. 4. Præpositus item nu. 4. de sponsalib.* Expresè euincitur *ex d. c. præterea 2. de sponsalib.* vbi prohibetur contrahi matrimonium, quantumvis deponens ob metum, & potentiam mulieris renuat publicè deponere.

7 *Etiam, si fuerit persona vilis.*

Amplia vlterius, vt procedat etiam, quantumvis deponens fuerit persona vilis quidquid in contrarium dixerint *Panormitanus in d. c. præterea 2. de sponsalib. in fin., & Gofredus in summa tit. de accusationib. in fin.* quorum dictum videtur approbare *Sanchez loc. cit. n. 12.* Ratio ex eo deducitur, quià in causis ad euitanda peccata admittuntur testes etiam in iure inhabiles, quandò alia suppetere non potest probatio, & sicuti admittuntur etiam crimininosi, & infames, cur etiam admitti non debent personæ viles? Hic

Duplex difficultas excitatur.

Hic duplex oritur difficultas; primò, an in præcitatis casibus sufficiat dictum vnius ex illis testibus in illis conditionibus, & qualitatibus, an verò tunc requiratur vlterius iuramentum contrahentium in probationum supplementum. Secundò, an etiam sufficiat eiusdem vnius testis dictum, quantumvis sponsalia præcedentia fuerint iuramento firmata.

7 *Non requiritur iuramentũ suppletorium partium.*

Ad primam asserendum est, secundum se sufficientèr probare, nec exigi illud suppletorium iuramentum *Alexander de Neuo c. super eo de consang. n. 9. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 71. n. 6.* Colligitur primo *ex d. c. præterea 2. de sponsalib.*, vbi ex dicto vnius præcipitur non contrahi matrimonium, nec ibi aliquod exigitur iuramentum extorquendum à contrahentibus. Secundò, quià contrà superiùs dicta non sufficeret depositio vnius; si vlterius requireretur iuramentum suppletorium?

8 *Quantumvis sponsalia præcedentia fuerint iurata.*

Ad secundam asserendum etiam, si fuerint præmissa sponsalia iurata per dictum vnius sufficientèr probari impedimentum, ne matrimonium contrahatur *Abbas in c. super eo de consanguin., & affin. & in d. c. præterea de sponsal.* Ratio ex eo facilè deducitur, quià, quod accesserit sponsalibus iuramentum, firmat magis eadem sponsalia in ordine ad ipsos contrahentes; quibus addit maius vinculum, ne recedant; non autem firmat eundem contractum secundum se, si cæteroqui vacillet, & ex impedimento inualidus est, nam in primis contrahentes semper supponuntur contrahere sub tacita conditione, nisi contractui subsit impedimentum, deindè iuramentum sumitur ad normam contractus, & iuxtà ipsius validitatem, & inualiditatem regulatur, ergò, si aliundè sufficiens probatio inducatur, qua ex dispositione iuris inualidus reputetur, non proderit, quod iuramento fuerit firmatus, quandòquidem illa probatio non ferit iuramentum, sed contractum, super quem cadit iuramentum, & per hoc respondetur ad id, quod per aliquos circunfertur, quod scilicet, cum ob iuramenti Religionem Ecclesia certa sit de periurio, si sponsalia non compleantur per matrimonium de præsenti, & incerta sit de impedimento tutius eligat, quod illud compleatur, quam quod dictum vnius præualere debeat; respondetur, inquam, in primis, quod non potest esse certa de periurio, cum incerta sit, an contractus teneat, vel non teneat, quod dependet ab eo, an impedimentum existat, vel non existat; iuramentum enim semper est cum tacita conditione, si contractus subsistat, nullique subsit impedimento. Deindè non potest esse incerta de impedimento, cum admittat tanquam sufficientem probationem dictum vnius.

Iuramentũ firmat contractum in ordine ad contrahentes, non in ordine ad se, si sit inualidum.

Maiorem ingerit difficultatem textus in d. c. præterea 2. de sponsalib. vbi expressè dicitur *Respondemus, vt matrimonium ipsum fieri (nisi iuramentum interuenisset) distinctè prohibeas*; ergò, si iuramentum interuenerit, non poterit ex dicto vnius matrimonium prohiberi. Nihilominus hoc non officit, quià hoc est speciale, & in casu particulari decretum ob vehementem præsumptionem, quæ tunc inerat de voluntate peruersa deponentis ad impediendum illud matrimonium, cum esset consanguineus sponsi, & animum ob iurandi antecedentèr ostenderit, vt explicant plerique Doctores. Deindè assertio nostra regularitèr procedit, non secundum casus peculiares, secundum quos ad facti contingentiam aliquid specialitèr in iure decernitur, & in allegato textu fit responsio ad casum peculiaritèr expositum, non statuitur regula generalis.

Explicatur textus in c. præterea de sponsal. vt non obstet sententiæ nostræ.

9 *Fallit, quãdò est solum denunciator.*

Limitatur tamen primo, vt non procedat dictum vnius, quandò solummodò denuntiat, non autem deponit nisi denuntians probaret de fama *Alexander de Neuo in d. c. cum in tua de sponsalib. n. 9. & 14. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 71. num. 9.* nam denuntiator solum exponit factum, nullo modo comprobat; & licet regularitèr nemo possit esse simul denuntiator, & testis, fallit tamen in hac causa *ex c. si duo 35. q. 6. Speculator tit. qui matrim. accus. pos.*

10 *Item, si non deponeret cum iuramento de scientia, sed tantum deponeret de auditu.*

Limitatur secundò in casu, quo testis ille vnicus non deponeret cum iuramento se certò scire, sed solum testificaretur de auditu *Abbas in c. 1. de consang. & affin. n. 2. & 3. & ibi Alexander de Neuo n. 2. Præpositus nu. 3. Nauarrus lib. 4. consil. in 2. edit. tit. de consang. cons. 2. n. 1.*

11 *Publica fama sufficienter probat.*

Glosa. Abbas. Ancharanus. Couarruuias. Mascardus.

Assertio II. Regularitèr publica fama de impedimenti existentia sufficiens est ad impediendum, ne matrimonium contrahatur *Glosa in c. super eo verb. fide de consanguin. & affin. Antonius ibid. n. 6. Abbas num. 5. Ancharanus c. præterea el. 2. de sponsalib. Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. §. 10. n. 21. Mascardus de probat. concl. 1035. n. 11.*

Expressè colligitur hæc assertio *ex cap. super eo de consang. & affin.* vbi sic legitur *Inquisitioni tua taliter respondemus, quod, si manifestum est iuuenem cognouisse propinquam prædictæ puellæ, vel si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, cum esset sponsa tantummodò de futuro, idem ab eius impetitione debet absolui*; & quidem iure merito hoc statuitur, quandòquidem plus facit hic fama publica, quam dictum vnius *c. cum in tua de sponsalib.*

12 *Etiam, si sponsalia sint iurata.*

Cardinalis. Henricus. Veracrux.

Extende assertionem, vt procedat, quantumuis præcesserint sponsalia iurata *Cardinal. in d. c. super eo in fin. de consang. & affinit. Henricus c. præterea 2. de sponsal. Veracrux 3. p. specul. art. 8.* Deducunt DD. hanc extensionem *ex d. c. super eo de consang., & affin.* vbi in expositione casus contingentis apponi-

supponitur quendam iuuenem puellam quandam nondum nubilem *fide inter posita desponsasse*, vbi glosa in verbo *fide* pro eadem intelligit iuramentum, ex quo mulier fortius ius quæsiuit *arg. c. præterea de sponsal.* Hæc extensio potest etiam probari ex ijs, quæ dicta sunt *sub præcedenti assert. vers. Ad secundum asserendum* de dicto vnius testis, cui æquiualet fama publica.

13 *Nisi extarent probationes clariores de fama contraria.* Parisius. Nauarrus. Mascardus. Glosa.

Limita in casu, quo probato impedimento per famam clariores fierent probationes de fama contraria *Parisius in cons. 64. n. 24. vol. 3. Nauarrus c. sacerdos de pænit. dist. 6. n. 27. Mascard. de probat. concl. 1035. nu. 14.* Rationem adducit Glosa per illum textum *in c. cum in tua in vers. famam contrariam de sponsalib.*, quia scilicet illa probatio de contraria fama tenebras offundaret priori famæ. Ad hanc autem contrariam famam comprobandam admittuntur consanguinei ipsorum contrahentium, si iurauerint illud impedimentum, quod ex fama resultat, non adesse per textum *in d. cap. cum in tua de sponsal.* Ibi *vel contra famam huiusmodi iuramenta exhibeas propinquorum.*

14 *Iuramentum partium contra famam admitti posse arbitrio Iudicis.* Prepositus. Menochius. Mascardus.

Hic oritur difficultas, an in ea hypothesi de fama impedimenti ad eandem eludendam admitti possint iuramenta ipsorum contrahentium, quod illud impedimentum non existat. Hoc Iudicis arbitrio remittendum existimo, qui attentis qualitatibus personarum, & famæ potest admittere *Præpositus in d. c. cum in tua n. 4. de sponsalib. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 3. cas. 243. n. 4. Mascardus de probat. d. concl. 1035. n. 16.*

15 *Fama debet esse publica.*

Pro complemento remanet solum dubitandum, quænam, & qualis fama requiratur ad sufficientem probationem inducendam, ne matrimonium contrahatur, & in primis dico, non sufficere famam priuatam, sed debere esse publicam, quia fama priuata, nec æquiualet vnius dicto, quæ propterea, si constet iudici, vt priuato non potest pro illo impedimento iudicare. Dico deindè, quod, quantumuis illa fama priuata non sit sufficiens secundum se ad impediendum tribuat tamen facultatem Iudici ad inquirendum, & recipiendam probationem *Abbas, & Alexander de Neuo in d. cap. cum in tua de sponsal.* quinimmò in ea hypothesi potest Iudex per se ipsum de plano, & sine ordine iudiciario super illa fama inquirere *Innocentius in d. c. cum in tua n. vnico, & ibi Antoninus n. 4. Cardin. n. 2. Ancharanus n. 3. Abbas nu. 5. de sponsal.*, quia vbi agitur de peccato vitando solertia iudicis requiritur ad ea omnia, quibus peccato potest obuiari.

Antonius. Cardinalis. Ancharan.

16 *Ex confessione partium habetur sufficiens probatio.*

Assertio III. Ex confessione vtriusque coniugis de impedimenti existentia sufficiens inducitur probatio ad dissoluenda sponsalia, quantumuis fuerint iurata *Ancharanus in d. c. super eodem de eo qui cognouit consang. vxor. suæ Menochius de arbitr. ar. lib. 2. cent. 2. cas. 103. n. 2. Veracrux 3. part. specul.* Ancharan. Menochius. Vera Crux

Rationem manifestè conuincentem adducit *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 72. n. 2.* fundatam scilicet in eo, quod sponsalia legitimè contracta possunt mutuo contrahentium consensu dissolui; nec obstat iuramentum per vtrumque præstitum de illis effectuandis, quandòquidem illud iuramentum solum afficit iurantem, quotiescunque altero renuente intenderet recedere, secus altero etiam consentiente, cum illud iuramentum præsupponatur præstitum sub tacita conditione, nisi mutuo consentientes recedant; in tantum etenim iurant, in quantum fortius in fauorem alterius intendunt obligari, ne vnus contra voluntatem alterius à promissis resiliat, sed eo ipso, quod vterque per propriam confessionem impedimentum affirmet, sufficientem inducit, & præbet voluntatem ad recedendum, quandòquidem per propriam voluntatem assentitur obici, quo stante non potest sequi contractus, ergò vterque sic confitens videtur implicitè præbere consensum ad recedendum, ergò &c.

Nec obstat, quod sponsalia fuerint iuramento firmata.

17 *Confessio illius, qui stat contra sponsalia non obest, bene tamen illius, qui stat pro sponsalibus.*

Dixi *ex confessione vtriusque coniugis de impedimenti existentia*, nam, si alter tantum confiteretur impedimentum, alter negaret; tunc cum *Mascardo de probat. concl. 1035. n. 18.* distinctione vtendum est; vel etenim ille, qui stat contra sponsalia confiteretur de impedimento existente, & tunc non esset audiendus, quia est manifesta præsumptio, quod fateatur ad eludendum ius iam alteri acquisitum, & confessio in proprium fauorem, & detrimentum alterius non habet vim in ordine iudiciorum *Antonius in d. c. super eo n. 8., & ibi Alexander de Neuo n. 13. de consang., & affin.* vel ille, qui stat pro sponsalibus confiteretur de impedimento, & tunc procul dubio sufficientèr probaret, & sponsalia ipsa dissoluerentur *Abbas in d. c. super eo n. 5. arg. c. attestationes, & ibi Hostiensis de desponsat. impub.* Ratio in primis ex eo deducitur, quia confessio partis in sui præiudicium, & commodum alterius partis in iure admittitur, & nulla est fortior probatio, quam, quæ ex proprio ore procedit contra ipsum confitentem. Deindè ex eo, quod fateatur illud impedimentum iam quantum est ex se sufficientem ponit assensum ad dissolutionem, cum actum ponat, quo posito non potest stare consensus, ergò, si hic coniungatur cum resilientia alterius ponitur sufficiens dissensus ex parte vtriusque, quo stante contractus ex supradictis dissoluitur.

Antonius. Alexander de Neuo. Abbas. Hostiensis.

18 *Probationes sufficientes in foro externo sunt etiam sufficientes in interno.*

Assertio IV. Probationes impedimenti sufficientes in foro externo, ne contrahatur matrimonium, sunt etiam sufficientes in foro interno animæ *Sotus in 4. dist. 36.*

Sotus. Petrus de Ledesma. Sanchez.

q. vnica art. 4. vers. circa singula Petrus de Ledesma de matrim. q. 62. art. 3. circa secundam concl. not. 1. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 73. num. 1.

Expressè deducitur *ex c. si homo 35. q. 3.*, vbi dicitur, quod consanguineus videns alterum consanguineum velle eam ducere, quam ipse carnalitèr cognouerat, teneatur illi impedimentum reuelare, ipsumque teneri ei credere, quod idem habetur *in c. praeterea 2. de sponsalib.*, vbi dicitur, quod teneatur reuelare, ergò alter teneretur credere, quià inutile esset onus reuelationis, si alter credere non teneretur *Archidiaconus in d. c. si homo 35. q. 3. & ibi Turrecremata, & Gofredus*, & alij. Hic inquirunt aliqui, an ille, qui reuelat impedimentum alteri, teneatur dictum iuramento firmare ad effectum, vt alter ipsi credere teneatur; crederem non requiri, vbi persona testificans ex sua conditione esset fide digna, & omni exceptione maior, secus autem, si esset persona, cuius dicto subesse posset dubiũ. *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 73. n. 2.*

Archidiaconus. Turrecremata. Gofredus.

PRÆNOTIO IX.

An sponsalia dissoluantur ob alterius sponsi fornicationem.

SVMMARIVM.

Fornicatio praecedens sponsalia, & cognita ab altero sponso ante sponsalia, vel in ipsa celebratione sponsalitium non tribuit ius ad recisionem, secus si fuerit ignorata. 1.

Sponsus, si nouerit sponsam esse viduam, & ignorauerit fornicationem praecedentem, adhuc ea cognita potest recedere à sponsalibus. 2.

Si sponsus fornicatus fuerit antecedentèr ad sponsalia non habet sponsa sufficiens fundamentum recedendi. 3.

Excipe nisi sponsus esset deditus vitijs in tali genere, & ignoraretur. 4.

Fornicatio sponsa praecedens, & ignorata remittitur, si sponsus ea cognita ante matrimonium carnalitèr cognoscat sponsam. 5.

Per fornicationem subsequentem, siuè fuerit sponsi, siuè sponsa inducitur ius ad dissolutionem. 6.

Contingente post sponsalia fornicatione ex parte vnius dissoluuntur tantum sponsalia ex parte eiusdem, non ex parte innocentis, & quomodo. 7.

Si sponsa post contracta sponsalia per vim violata fuerit à tertia quadam persona potest sponsus recedere à sponsalibus, non sic sponsa, si sponsus omninò inuitus, & culpa expers fornicatus fuerit. 8.

Sponsalia etiam dissolui possunt per fornicationem spiritualem subsequentem ex parte vtriusque. 9.

Sponsalia non solum dissolui possunt per fornicationem fœmina subsequentem completam, sed etiam per incompletam, & quomodo. num. 10.

Non tamen, si sponsa admittat in se actus, & actus alios impudicos. 11.

Excipe, nisi arbitrio prudentum subesset proximum periculum futura incontinentia, & argueretur in eodem effrenis licentia. 12.

Si sponsa inuita passa fuerit illos actus non adest in sponso ius recedendi. 13.

Si post contracta sponsalia vterque sponsus fornicatus fuerit respectu neutrius est locus dissolutioni contractus. 14.

Titulus sic vniuersalitèr propositus secundum varias considerationes varias patitur difficultates, & primò considerari potest, an illa fornicatio fuerit antecedens, an subsequens eadem sponsalia. Secundò, an illa secuta fuerit consentiente, vel inuito sponso fornicario. Tertio, an fornicatio se teneat ex parte sponsi, an verò ex parte sponsæ. Quartò, an illa fornicatio fuerit vera, & corporalis, an verò tantum spiritualis. Quintò, an fuerit fornicatio completa, an tantum incompleta, & incohata per tactus, & oscula, & similia. Sextò, an commissa fuerit per vnum tantum ex sponsis, an verò per vtrumque. Quibus suppositis sit.

Inspectiones variæ circa titulum.

Assertio I. Si fornicatio fuerit praecedens sponsalia, & cognita ab altero coniuge, seù sponso, vel in ipsa celebratione contractus, vel antecedentèr non tribuit sufficiens fundamentum ad recisionem, secùs verò, si fuerit ignorata *Hugo c. raptor 27. q. 2. Rosella verb. sponsalia num. 9. & ibid. Angelus n. 29. Siluester q. 10. c. 6. Tabiena q. 9. n. 10. cas. 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. §. 1. cas. 6. Nauarrus in summa c. 22. n. 17. Molina tom. 2. de iust. disp. 272. §. deindè si mulieri*.

1 *Fornicatio praecedens cognita non tribuit ius ad recisionem.* Hugo. Rosella. Angelus. Siluester. D. Antoninus. Nauarrus. Molina.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ex quo cognouerit praecedentem illam fornicationẽ, & eadem non obstante contraxerit manifestè euincitur, quod cesserit illi qualitati, nam si non cessisset, vtique non contraxisset, ergò ratione eiusdem non amplius liber est ad recedendum ex vulgata regula, quod perseuerantibus eisdem qualitatibus, & conditionibus illud, quod semel placuit, amplius displicere non possit, & ad ius semel cessum non amplius detur regressus.

Sciens, & contrahens cedit qualitati cognitæ

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod, si post contracta sponsalia fornicatio illa superueniat in sponsa vtique ratione eiusdem datur alteri innocenti locus recisioni per ea, quæ infrà probabimus, ergò, quantumuis illa fornicatio fuerit praecedens; si tamen fuerit ignorata, sufficiens ius tribuet ad recisionem alteri innocenti. Consequentia probatur, quià in iure

paria

paria sunt aliquid superuenire, & præcedere ignorantèr, res etenim dicitur fieri, quando primò innotescit *c. pastoralis de exceptionib.* Confirmatur primò, quià id est sufficiens fundamentum dissoluendi sponsalia, quod, si fuisset cognitum in celebratione contractus, animum remouisset côtrahentis à contrahendo per ea, quæ sparsim pluribus in locis supra diximus, sed, si illa fornicatio cognita fuisset tempore celebrationis contractus, vtique vehemens est præsumptio, quod remouisset, ergò &c. Confirmatur secundò, quià re notabilitèr mutata ab ea, quæ fuit cognita in celebratione contractus, sufficiens est ratio ab eodem contractu recedendi, sed res illa est notabilitèr mutata, cum ignominiosum sit viro fæminam corruptam ducere, ergò &c. Confirmatur tertiò, qui, si quis vendat rem vitiosam notabilitèr occultando vitium rei confert sufficiens ius ad dissoluendam venditionem, ergò &c.

Paria sunt aliquid superuenire, & præcedere ignoranter.

Hic duplex oritur difficultas. Prima est, an, si sponsus optimè norit sponsam, cui fidem dedit matrimonij futuri esse viduam, & ignorauerit fornicationem præcedentem, possit nihilominus ea cognita à contractu recedere. Secunda est, an, si sponsus fornicatus fuerit antecedētèr ad sponsalia, & sponsa ignorauerit, possit eadem sponsa cognita sponsi fornicatione a sponsalibus recedere.

Duplex ratio dubitandi.

2 Ad primam asserendum est, adhuc sufficiens esse fundamentum ad recedendum respectu innocentis *Phyliarchus de offic. sacerdot. tom. 1. part. 2 lib. 2. c. 1. Nauarrus in summa c. 22. num. 17. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalibus disp. 63. num. 5.* Ratio ex eo deduci potest primò, quià ex genere suo etiam respectu viduæ fornicatio maximam inducit notam infamiæ, cum non ita indecens sit ducere viduam, ac ducere viduã fornicariam, & supra esse viduum simpliciter fornicatio notabilem inducit mutationem. Secundò, quià illa fornicatio subsequentèr cognita ad sponsalia contracta inducit vehementem præsumptionem de periculo futuræ inhonestatis. Tertiò, quià, si quis arbitraretur ducere Virginem, & duceret viduam iustum haberet fundamentum resiliendi à sponsalibus, siquidem eidem damnum notabile inferret, cum inhabilem redderet ad sacros ordines suscipiendos, ergò etiam, si arbitraretur ducere viduam honestam, & duceret inhonestam sufficiens haberet ius ad recedendũ. Consequentia probatur, quià non minorem ingerit notam fæminam cognitam fuisse honestè comparatiuè ad virginem, ac esse cognitam inhonestè relatiuè ad viduam, cum primum, nec noxam inducat apud Deum, nec dedecus quoad homines, secundum autem, & noxam apud Deum, & dedecus apud homines pariat, ergò, si ratione primi tribuitur sufficiens ius ad rescindenda sponsalia, si illud fuerit ignoratum, vt asserit *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 63. num. 3. in fine,* etiam ratione secundi in fortioribus terminis tale ius conferetur.

Potest recedere, quamvis sponsa, quæ antecedenter fornicata fuerat, esset vidua, & cognita, vt talis.

Fornicatio inducit notam infamiæ.

Sanchez.

Ad secundam dicendum est respectu fæminæ non esse sufficiens ius recedendi à sponsalibus legitimè contractis ex præcedenti fornicatione sponsi *Petrus de Ledesma q. 43. art. 3. caus. 6., Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 62. num. 9. Henriquez lib 11. c. 14. num. 6. Coninch. disp 23. dub. 7. Molina tract. 2. disp. 272. vers. denique, si mulier, Bonacina de matrimon. q. 1. punct. 8. num. 1. vers. dixi in sponso fornicante.* Ratio ex eo deducitur, quià sponsus per talem fornicationem præcedentem, nec fidem frangit sponsalium, nec graue dedecus infert sponsæ, non primum, quià tunc fides data non erat, sub quo respectu, nec est sufficiens fundamentum respectu masculi, si fæmina antecedentèr ad sponsalia fuerit fornicata; non secundũ, quià secundũ cõmunẽ hominũ conceptum nulla, seù modica est ignominia fæminæ nubere viro, qui aliam cognouit, nec in hoc notabilis aprehenditur personæ mutatio, sicuti est notabilis, & grauis ignominia, & mutatio in fæmina, quæ desflorata est non solum intuitu virginalis integritatis amissæ, sed etiam intuitu vulgaris existimationis.

Si sponsus antecedenter fornicatus fuerit non potest sponsa recedere.

Petrus de Ledesma. Sanchez. Henriquez Coninchus Molina. Bonacina.

Non est graue dedecus fæminæ.

Dices primò aduersus hanc responsionẽ, si masculus fornicatus fuerit post sponsalia contracta habet fæmina promissaria sufficiens ius recedendi à sponsalibus, vt infrà latè videbimus, ergò etiam, si fornicatus fuerit antecedentèr, ignorata tamen fuerit fornicatio tempore celebrationis contractus à fæmina, habebit hæc sufficiens fundamentum ad resiliendum à promissis. Consequentia probatur ex ijs, quæ dicta sunt superius, quià sicuti paria sunt non esse, & non apparere *l. duo sunt Tiriff. de testam. tut. l. in lege ff. de contrah. empt.* ità e conuerso paria sunt non esse, & nunc non apparere, ergò, si post contracta sponsalia, si verè sit fornicatio tribuit ius ad recisionem respectu innocentis, etiam, si post eadem primò ea appareat tribuet sufficiens fundamentum &c. Sed contra, quià dispar omninò est ratio de fornicatione masculi subsequente sponsalia iam contracta, ac de fornicatione eiusdem præcedenti, sed ignorata; nam in primo casu, quamvis non ingeratur notabilis ignominia fæminæ cum eodem nubenti frangitur tamen fides eidem fæminæ debita ratione sponsalium, quæ fidei violatio tribuit ius innocenti à fide præstita recedendi, cum iniquum non sit frangenti fidem fidem frangere; in secundo autem casu, nec fides fæminæ frangitur, cum antecedenter ad sponsalia nullam fidem obligatam haberet,

3

Dispar ratio de fornicatione sponsi subsequente sponsalia, & de antecedenti ignorata.

nec eidem dedecus ingeritur considerabile, quare &c. Ad id, quod subditur paria esse *nunc sciri, & nunc esse* dicendum esse, cæteris paribus ea subsistere, secus autem quando cætera non sunt paria, vt in hac hypothesi, quandoquidem non est eadem ratio impedimenti, quando illa fornicatio est subsequens, ac quando est præcedens, & ignorata, nam quando est subsequens, licet ingens non ingerat dedecus, inducit tamen violationem fidei, quando verò est præcedens, & ignorata, nec dedecus infert, nec fidem frangit, adeoque &c.

Subsequens importat violationem fidei,

Dices secundò. Si sponsus fuerit antecedenter ad sponsalia, vel lepra, vel morbo gallico infectus cum ignorantia sponsæ promissariæ cognitis illis indispositionibus potest fæmina à sponsalibus contractis recedere, ergò etiam, si fornicatione fuerit affectus &c. Sed contra neganda est consequentia. Ratio disparitatis in eo consistit, quia illæ indispositiones inducunt notabilem mutationem noxiam maximè alteri sponsæ, quæ proindè illis cognitis potest à contractu resilire; fornicatio autem præcedens talis non est, vt inducat notabilem mutationem, nec damnum, nec ignominiam alteri inferat. Verumtamen est, quod, si sponsus fuerit vitijs deditus in tali genere, & talis vitiorum consuetudo fuerit ignorata à fæmina promissaria, eadem posteà cognita possit eadem fæmina à sponsalibus recedere non solùm, quià talis praua consuetudo notabilem mutationem inducat, quæ, si fuisset cognita, sponsalia non fuissent contracta, sed etiam, quià est morale periculum recidendi post contractum matrimonium *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 61. nu. 10.*

Instantia proposita, & dissoluta.

4 *Excipe nisi sponsus esset assuetus vitijs in tali genere, & ignoratum.*

Assertio II. Si fornicatio fuerit præcedens, & ignorata à sponso tempore celebrationis contractus, & posteà hic conscius factus eiusdem ante contractum matrimonium sponsam carnalitèr cognouerit remittitur ius rescindendi sponsalia, adeòvt sponsus ob illam causam non possit eadem dissoluere. Intellige dummodò fornicatio illa non inducat impedimentũ dirimens *Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. num. 33. Corduba in summa q. 49. Ludouicus Lopez 1. part. instruct. c. 77. §. hunc emergit Manuel 1. tom. summa in 2. edit. c. 208. concl. 10. num. 10. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 66. num. 2., & alij magis communiter.*

5 *Fornicatio præcedens sponsa remittitur, si sponsus post notitiam ipsam carnaliter cognoscat.*

Cucus, Corduba, Lopez, Manuel, Sanchez.

Probatur primò, quià, si quis contrahat sponsalia cum fornicaria non ignarus conditionis eiusdem validè contrahit, nec ex eo capite potest amplius resilire, eo, quià supponatur cedere illi qualitati, ergò, si post contracta sponsalia ignarus pro tempore celebrationis eorundem fornicationis præcedentis in eadem fæmina posteà cognouerit fornicationem, & nihilominus eandem cognouerit carnalitèr supponitur cessisse illi qualitati, adeoque non poterit amplius à contractis sponsalibus recedere. Consequentia probatur, quià in primis per illam fornicationem præcedenter commissam, sicuti etiam per subsequentem non dissoluuntur ipso facto sponsalia, sed tribuunt dumtaxat ius respectu innocentis ad dissoluendum. Deindè supposita illa subsistencia contractus quousque alter se declarauerit velle recedere liberum est eidem innocenti illam qualitatem remittere, nam, si potest eandem remittere, quando cognouit antè contractum sponsalium, vel in celebratione eiusdem, cur non poterit remittere post eadem celebrata? Sed per illam carnalem cognitionem post cognitionem intentionalem de commissa præcedentèr fornicatione re vera, & in effectu præsumitur remittere, ergò &c.

Efficax probatio assertionis.

Dices in ea hypothesi potuit cognouisse non animo remittendi, sed animo omninò fornicario, & hoc potius esse præsumendũ, quià non est ratio præsumendi, quod voluerit ducere corruptam, quod in ingens ipsius dedecus redundat. Sed contrà, quià supposita illa scientia, & non expressa resilientia à contractu, quidquid agitur in virtute eorundem sponsalium videtur ad eadem confirmanda referri, vt videre est in alijs pluribus, vbi acta dependenter ab eisdem eadem firmant, vnde remissio ipsa non à voluntate eiusdem præcisè dependet, sed à iure proficiscitur. Secus autem res se haberet, si cognita illa præuia fornicatione, & dissolutis dependentèr ab illa sponsalibus eandem posteà carnalitèr cognosceret, quià tunc hoc non prouenirer dependentèr à sponsalibus, & propterea illa non firmaret.

Non præsumitur cognoscere animo prorsù fornicario sine ordine ad præcedentia sponsalia.

Probatur secundò, quià si quæ post contractum matrimonium fornicata fuerit, & alter innocens habita scientia de adulterio commisso, nihilominus eandem fornicariam carnalitèr cognouerit supponitur remisisse iniuriam sibi factam, adeovt non possit amplius diuortium exigere *D. Thomas in 4. dist. 35. q. vnica art. 1. in corp. D. Bonauentura ibid. q. 1. Ricardus art. 1. q. 1. Paludanus q. 1. art. 2. num. 17.*, quos regularitèr sequuntur alij ferè omnes, ergò etiam, si quis post contracta sponsalia cognouerit fæminam fornicariam præcedentèr ad sponsalia in fornicationem incidisse, & conscius factus eadem non obstante, eandem fornicariam carnalitèr cognouerit non dissolutis prius sponsalibus præsumendus est cedere illi qualitati, adeòvt non possit amplius ab eisdem sponsalibus resilire.

Paritate etiam euincitur.

D. Thomas, D. Bonauentura, Riccardus, Paludanus

Dixi, *dummodo fornicatio illa non inducat impedimentum dirimens*, puta, si fæmina fornicata fuerit cum consanguineo sponsi, quià

Excipe nisi fornicatio induceret impedimentum diremens.

quia tunc ipso iure dissoluuntur sponsalia, ità vt per subsequentem copulā nequeant amplius reualidari.

6 Assertio III. Per fornicationem subsequentem, siuè fuerit sponsæ, siuè sponsi dissoluuntur sponsalia *Cardinalis Tuscus tom.5. concl.126. num.5. Henriquez lib.11. de matrimon. c.14. num.6. Menochius de arbitr. lib.2. cent.5. cas.455. num.5. Coaruuias in epith. de sponsalib. prima part. c.5. num.2. Reginaldus lib.31. nu.262. Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalib. disp.55. nu.1.*

Per fornicationem subsequentem dissoluuntur. Tuscus. Henriquez Menoch. Coaruuias Reginald. Sanchez.

Non diutius in probatione huius assertionis immorandum, quandoquidem expressè definitur *in c. quemadmodum de iure iur.*, vbi sic legitur, *sed primo fornicatione, quam posteà perpatrares eam dimittere posses non obstante huiusmodi iuramento*, vbi vides locum esse dissolutioni, quantumuis præcedentia sponsalia fuerint iuramento firmata. In eodem textu duplex ratio huius dissolutionis adducitur. Prima, quià, *si post contractum coniugium vir propter fornicationem licitè potest uxorem à sua cohabitatione dimittere, longe fortius ante coniugium celebratum propter eandem causam sponsus licitè potest in sui cohabitationem non admittere sponsam, quià turpius eijcitur, quam non admittitur hospes*, secunda est, quià in illo contractu *tales est subintelligenda conditio, si videlicet in legem coniugij illa non peccaret*, ergò, si contra talem legem peccauerit, conditione non purificata locus erit dissolutioni eiusdem contractus. Accedit, quod per illam fornicationem subsequentem res est notabiliter mutata, & ingens ingerit dedecus viro ducenti fæminam corruptam.

Iura conuincentia assertionem.

Hæc, quæ in huiusmodi probationibus dicuntur vidétur habere locum dumtaxat, quando fæmina promissaria post contracta sponsalia incidit in fornicationem, cum textus solummodo loquatur in terminis eiusdem fæminæ fornicariæ non masculi. Nihilominus, si attentè ponderentur rationes, quæ in eodem textu adducuntur facilis apparebit ratio extensionis, & in primis, si secundam consideres statim conijcies non minus frangere fidem sponso fæminam fornicantem, quam masculum, & non est maior ratio, cur tacita illa conditio intelligatur respectu vnius, & non respectu alterius; si primam deindè consideres, statim innotescet, quod non solum masculus post fornicationem fæminæ contracto iam coniugio potest eandem dimittere à toro, sed etiam fæminam ob eandem causam possit à toro viri recedere commissa per eundem fornicatione post idem coniugium. Quamobrem assertionem ad masculum, quando post contracta sponsalia fornicatus est, extendunt *Abbas in d.c. quemadmodum de iure iur. nu.4. Paludanus in 4. dist.27. q.1. art.3. cas.1. num.17. Brunellus de spons. concl.8. num.4. Menochius de arbitrar. lib.2. cent.5. cas.455. num.5. Henriquez lib.11. de matrimon. c.14. num.6. Ludouicus Lopez part.2. instruct. de matrim. c.38.* & alij communiter.

Iura æquè extenduntur ad sponsam, ac ad sponsum fornicantem ex identitate rationis. Abbas. Paludanus. Brunellus. Menoch. Henriquez Lopez.

Quod, si obstes non sequi in masculo fornicante illam notabilem mutationem, quæ sequitur in fæmina fornicaria, & deflorata, præcipuè cum dixerimus suprà ex fornicatione masculi præcedente sponsalia, & posteà cognita non dissolui eadem sponsalia, cum tamen ex eadem fornicatione fæminæ præcedenti, & posteà cognita locus sit rescisioni respectu masculi; si, inquam, sic obstes, statim impugnaberis, quià adæquata ratio dissolutionis contractus non est sola notabilis rerum vicissitudo, & mutatio, sed etiam fides violata, & læsa promissio, vndè quamuis per fornicationem subsequentem quoad hominum conceptum masculus non contrahat notabilem mutationem, violat tamen fidem promissam, quod satis est ad dissoluendum, nec in hoc currit paritas quoad fornicationem masculi præcedentem, & ignoratam, & quoad subsequentem, nam per subsequentem licet non mutatur notabilitèr status, violatur tamen fides promissa, per antecedentem verò nec fides violatur, cum non fuerit præstita, nec status mutatur notabilitèr, adeoque, &c.

Ratio dissolutionis non est solum notabilis mutatio, sed etiam violatio fidei.

Assertio IV. Contingente fornicatione ex parte vnius post contracta sponsalia, dissoluuntur dumtaxat sponsalia ex parte fornicantis, qui adhuc obstrictus remanet, si alter velit stare contractui, non ex parte innocentis, qui potest pro libertate recedere *D. Antoninus 3. part. tit.1. c.18. §.1. cas.6. Paludanus in 4. dist.27. q.1. art.3. cas.1. n.17. Siluester verb. sponsalia q.10. casu 7. Brunellus de sponsalib. concl.8. n.4. Sotus in 4. dist.27. q.1. art.5. vers. septimo dirimuntur Phyliarchus de offic. sacerdotum tit.1. part.2. lib.2. c.1. Nauarrus in summa c.22. n.27.* & *alij magis communiter.* 7

7 *Dissoluuntur ex parte fornicatoris non ex parte alterius.* D. Antoninus. Paludanus Siluester. Brunellus. Sotus. Phyliarch. Nauarrus.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià æquum non est, vt post contractum legitimum ex propria libertate deficiendo eundem contractum possit dissoluere, sed de facto dissolueret, si per fornicationem propriam subsequentem liber remaneret à contractu, ergò &c. Maior probatur, quià delictum proprium non debet immunitatem præstare delinquenti, nec malitia debet suffragari autori, ergò &c.

Malitia nequit suffragari autori.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià malitia vnius non debet obesse alteri in iure iam legitimè acquisito, & in fauorem innocentis inductum est, vt per fornicationem subsequentem possint sponsalia dissolui in odium alterius delinquentis, quod autem in fauorem vnius inductum est non potest in ipsius odium retorqueri

l. quod

Retorqueretur in odium innocentis.

l. quod fauore C. de legib. & l. nulla ff. eodem; retorqueretur autem in odium innocentis, in cuius fauorem dispositio illa lata est, si contra ipsum volentem sponsalia alter delinquens posset legitimè recedere. Confirmatur, quià contractis sponsalibus, si alter per fornicationē deliquerit, potest alter iniuriam remittere, & velle nihilominus contrahere, cum sola recedendi ratio sit iniuria sibi illata, cui potest cedere, ergò dissolutio, seù libertas dissolutionis se tenet tantum ex parte innocentis, non verò respectu fornicarij delinquentis.

8 *Etiam, si fæmina per vim violata fuerit potest sponsus recedere, non sic si sponsus.* Hostiensis Ioannes Andræas. Antonius. Abbas. Henriquez Sanchez. Paludanus Reginald.

Assertio V. Si sponsa post contracta sponsalia fuerit per vim quandam, & coactionem carnalitèr cognita à tertia quadam persona potest legitimè sponsus à sponsalibus recedere, non sic sponsa, si sponsus omninò inuitus, & culpæ expers fornicatus fuerit. Ita quoad partem *Hostiensis in d. c. quemadmodum verbo iuramentum, & ibi Ioannes Andraas n. 15. Antonius n.13. Abbas n.12. de iureiuran. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 14. Sanchez lib. 1. disp. 56. nu. 7. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. c. 1. num. 17.* contra *Coaruuiam 4. decret. 1. parte 5. num. 2. Tabienam verb. sponsalia q. 9. n. 10. casu 6., & Armillam eodem verbo n. 12.* Quoad secundam *Reginaldus lib. 31. n. 261. Sanchez d. disp. 55. n. 8.*, qui etiam vbi asserit hanc tenere quotquod sustinent præcedentem partem.

Secuta est notabilis mutatio cum dedecore.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià in ea etiam hypothesi secuta est notabilis mutatio in sponsa violata, quæ magnum ingerit dedecus, quod ex genere suo aptum est retrahere à contrahendo homines bonæ famæ, & honoris, cum semper dicerentur duxisse corruptam, & violatam, ergò ratione eiusdem mutationis potest sponsus à sponsalibus legitimè recedere, quià contractus semper præsumitur initus sub tacita conditione nisi sequatur notabilis rerum mutatio per ea, quæ sparsim supra dicta sunt. Confirmatur, quià, si contractis sponsalibus seruata omni iuris solemnitate subsequatur notabilis Physica deformitas in sponsa, quamuis sine culpa eiusdem potest sponsus à sponsalibus recedere per ea, quæ infrà latè dicentur, ergò etiam poterit recedere, si sequatur fornicatio ex parte fæminæ non quidem liberè consentientis, sed raptæ, vel coactæ. Consequentia probatur, quià per illam fornicationem inducitur notabilis moralis deformitas, quæ non minus apta est à contrahendo retrahere, quam sit Physica.

Dices in hac hypothesi non sequuntur ea, quæ dicuntur *in d. c. quemadmodum de iure iuran.*, non enim similis fornicatio inuoluntaria tribuit ius innocenti se separandi à coniuge quoad torum post contractum coniugium, sicque, nec videtur ius tribuere separandi eundem à vinculo sponsalium post eadem iam legitimè contracta; deindè fæmina vi corrupta non potest dici fidem fregisse sponso, quià, quod fit per vim non dicitur liberè fieri, nec imputatur ad culpam; tandem non redditur suspecta in futurum de simili crimine cum nolens, & inuita fuerit deflorata, ergò non militantibus rationibus, proptèr quas conceditur ius dissolutionis non poterit tunc sponsus iustè, & legitimè dissoluere. Sed contra, quià in allegato textu non fit adæquata numeratio rationum, ob quas dissolui possint sponsalia ex fornicatione subsequenti, sed solum ibi considerantur aliqua in genere moris, proptèr, quæ dissolui possunt; cæterum cum alibi statuatur tanquam sufficiens motiuum dissolutionis mutatio aliqua considerabilis, siuè sit Physica, siuè moralis non est, cur ex eadem etiam non possint dissolui; proptèr quod expressis verbis assertionem nostram quoad hanc partem firmans textus *in c. raptor 27. q. 2. & ibi glosa, & c. si quippe ead. q. verb. quæritur*.

Textus in c. quemadmodum de iure iuran. non comprehendit omnia sufficientia ad dissoluenda sponsalia.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià ex parte viri inuitè fornicantis, & absque culpa, si tamen hoc contingere potest, nec consurgit fidei violatio, nec notabilis Physica, seù moralis mutatio, quæ consurgit in fæmina per vim carnalitèr cognita, ergò non est, cur ex illa fornicatione fæmina à prioribus sponsalibus possit recedere? Antecedens quoad primam partem patet, quià etiam fæmina per vim deflorata nō dicitur sponso fidem violare, nec ex illo capite potest sponsus à sponsalibus recedere per ea, quæ supra dicta sunt; quoad secundam verò sic euincitur, quià illa moralis mutatio, quæ infert dedecus, & infamiam sponsæ, non oritur ex fornicatione masculi, quæ oritur ex fornicatione fæminæ cum in communi hominum conceptu non sit dedecus fæminæ ducere virum, qui fornicatus est, sicuti est dedecus masculo ducere fæminam stupratam, & corruptam, proptèr quam rationem superius diximus per fornicationem masculi voluntariam dissolui quidem sponsalia ratione fidei violatæ non ratione notabilis mutationis, quæ indè consurgat; neque obesse potest, si asseratur, in ordine ad fornicationem subsequentem sponsalia contracta virum, & fæminam non iudicari ad imparia per textum *in c. Apostolus 32. q. 7.*, & per id, quod docent *Abbas in cap. quemadmodum de iure iurand. n. 4. Brunellus de sponsalib. concl. 8. n. 4. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 5. cas. 455. n. 5.*, non, inquam obesse potest, quià ea, quæ ibi dicuntur, procedunt de fornicatione voluntaria, & culpabilis, cum importet fidei violationem, non de inuoluntaria, & inculpabili cum non inferat nec fidem violatam, nec res notabilitèr mutatas.

Non sequitur ea mutatio in sponso inuoluntariè fornicanti, quæ sequitur in sponsa.

Abbas. Bruuellus. Menochius

Asser-

Dissoluuntur etiam per fornicationem spiritualem subsequentem. Sanchez. Reginald. Coninch.

9 Assertio VI. Non solum dissoluuntur sponsalia per fornicationem subsequentem corporalem voluntariam respectu masculi, & etiam inuoluntariam respectu fœminæ, sed etiam per spiritualem respectu vtriusque *Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 55. num. 3. Reginald. lib. 31. num. 262. Coninchius disp. 23. dub. 7., & alij communiter.*

Est notabilis mutatio

Ratio tum ex eo deducitur, quod per illam fornicationem spiritualem, quæ consistit in hæresi, & Apostasia inducitur notabilis mutatio in genere moris; vt per se patet, tum ex eo, quod, qui violat fidem Deo promissam, probabile nimis est, & vehementi præsumptioni innixum, quod fidem homini sit violaturus; tum ex eo, quod inter ipsum sic spiritualiter fornicantem, & sponsam non potest esse matrimonium absque peccato lethali, cum inter eosdem versatur cultus disparitas, ergò &c.

Solui etiam possunt per fornicationem incompletam fœminæ. Sanchez. Coninch. Gutierez. Bonacina.

10 Assertio VII. Sponsalia non solum dissolui possunt per fornicationem subsequentem fœminæ completam, & perfectam, sed etiam per incompletam, puta per tactus impudicos, oscula, amplexus voluntariè permissos ab eadem fœmina *Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 55. num. 5. Coninchius disp. 23. dub. 7. num. 56. Gutierez c. 31. num. 1. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 8. num. 2.*

Notabile dedecus ingeritur sponso.

Ratio tum ex eo deducitur, quod per huiusmodi actus notabile dedecus ingeritur sponso, quod maxima habetur in consideratione apud omnes bonæ famæ, & honoris, tum ex eo, quod in communi hominum existimatione fœmina sinens se impudicè tangi, osculari &c. habetur pro impura, & inhonesta, & priuatur ob similes causas legato eidem relicto sub conditione, si castè, & honestè vixerit *Couaruuias quarto decret. 2. part. c. 7. §. 6. num. 3.*, qui pro se citat Baldum, & alios, tum tandem ex eo, quod subsit periculum futuræ incontinentiæ non solum in ordine ad idem genus tactuum, & osculorum &c., sed etiam in ordine ad vlteriora.

11 Dixi, *per fornicationem subsequentem incompletam fœminæ, seu per actus huiusmodi permissos à fœmina sponsa*; non enim assertionem extenderem ad masculum permittentem se tangi ab alia fœmina, nisi arbitrio prudentum subesset periculum futuræ incontinentiæ, & argueretur in eodem effrenis licentia, & libera viuendi ratio.

Non extenditur ad actus impudicos sponsi.

Ratio non extensionis ex eo deducitur, quià ex genere suo per tactus impudicos, & alia huiusmodi respectu masculi non ingeritur illa moralis deformitas, nec illud dedecus, quod ingeritur in fœmina impudicè se tangi, & osculari permittente, cum etiam, nec illa ingeratur in masculo, si actum per fornicationem perfectam compleuerit per ea, quæ superius dicta sunt, ergò &c. Neque dicas, quod licet in ea hypothesi non sit fundamentum rationabile dissolutionis ratione illius deformitatis, seù notabilis mutationis, sit tamen fundamentum ratione fidei violatæ; nam per sponsalia contracta sponsus non solum suam fidem obligat sponsæ in ordine ad non cognoscendam aliam fœminam carnalitèr, & completè, sed etiam in ordine ad non cognoscendam eandem, nec impudicè per actus illos incompletos; & fœmina promissaria non solum est rationabilitèr inuita quoad formalem fornicationem sponsi, sed etiam quoad omnes actus, qui quoquo modo possunt conducere ad eandem fornicationem, præcipuè cum huiusmodi actus sint quodamodo initium fornicationis, seù fornicatio incohata; Contra enim impugnaberis, quià cum huiusmodi actus respectu masculi non ingerant illam deformitatem secundum se non potest esse sponsa ratione eorundem ità rationabiliter inuita, sicuti potest esse masculus respectu fœminæ permittentis huiusmodi actus, nec potest dici, quod per hoc violetur fides præstita eidem sponsæ, nam cum huiusmodi actus in eodem non important illam notabilem mutationem, non videntur rigorosè cadere sub illa promissione, ità vt ratione eiusdem possit fœmina recedere; vnde optimè notat *Sanchez d. disp. 55. num. 5. in fine*, quod solum sponsi sint pares ratione motiuæ fornicationis ad dissoluenda sponsalia, & *Bonacina d. q. 1. de matrimonio punct. 8. num. 2. in fine*, dixit, quod, si fœmina ante celebrationem contractus præuidisset huiusmodi actus in sponso non propterea recessisset, nec voluisset se non obligare.

Ratio ob quam non extendatur ad huiusmodi actus in sponso.

Sanchez. Bonacina.

12 Dixi, *nisi arbitrio prudentum subesset proximum periculum futuræ incontinentiæ, & argueretur in eodem effrenis licentia*; nam hoc inducit notabilem mutationem, & talem, vt si fuisset cognita ante celebrationem contractus, vtique præsumptiuè saltèm remouisset fœminam à contrahendo, & si ratione talis periculi incontinentiæ moralitèr futuræ in fœmina ex superius dictis adest sufficiens ratio dissolutionis respectu viri, non video, cur ratione eiusdem in viro rationabilitèr præsumpti non debeat esse sufficiens fundamentum recedendi respectu fœminæ.

Induceretur tunc notabilis mutatio.

13 Ex eo, quod dixerim in assertione per tactus, oscula, & amplexus voluntariè permissos ab eadem fœmina hic insurgit ratio dubitandi, an si contigerint huiusmodi actus in fœmina eadem penitus inuita, & reluctante adsit nihilominus respectu sponsi sufficiens ratio dissoluendi, seù recedendi à sponsalibus. Ex ijs, quæ dicta sunt in præcedentibus de fornicatione inuoluntaria respectu eiusdem fœminæ videtur

Fœmina per vim passa tactus, oscula, & similia non tribuit sufficiens ius dissoluendi sponsalia.

directè

directè concludendum etiam esse sufficientem rationem dissoluendi eadem ratione illius fornicationis incompletæ inuoluntariæ, idest illorum actuum impudicorum, quandoquidem DD. præallegati pro nostra assertione enumerant inter causas sufficientes ad dissolutionem non solum fornicationem formalem, sed etiam incohatam per illos actus, cum cõstituant notabilem mutationem quoad communem hominum existimationem, quod etiam nos commendauimus; sicuti igitur ex illa fornicatione quantumvis inuoluntaria propter notabilem mutationem, sponsalia dicuntur posse dissolui, ità ex illa fornicatione per illos actus incohata, quantumvis inuoluntaria, & coacta respectu fæminæ non erit, cur nõ debeant posse dissolui, cum secundum se illa inferat notabilem mutationem sufficientem ad illam dissolutionem. Nihilominus non ità rigorosè procederem in hac hypothesi in præiudicium fæminæ innocentis, nam licet illi actus, quando sunt voluntarij, seù spontè permissi ab eadem fæmina ingerant quoad hominum conceptum illam notabilem mutationem, tum propter consensum præstitum ad eosdem, tum propter periculum maioris futuræ incontinentiæ, non ingerunt tamen, nec quoad Deum, nec quoad homines, quando sunt penitus inuoluntarij, & omninò coacti; non quoad Deum, apud quem nulla contrahitur noxa; non apud homines, qui irrationabilitèr concipiunt infamiam, vbi actus est omninò inuoluntarius, nec secundum se importat aliquam fractionem integritatis, cum sint actus, qui cuique ex aliorum peruersitate possunt contingere, vnde cõmuniter dicitur, quod sacræ Virgines ex eo, quod ductæ fuerint ad lupanar, nec infamiam aliquam contraxerint, nec dedecus; nec in hoc est par ratio de fornicatione completa, sed inuoluntaria, & de illis actibus impudicis, & inuoluntarijs respectu patientis eosdem actus; non, inquam, est par ratio, quandoquidem fornicatio completa quoad homines semper est cum dedecore respectu illam patientis, siuè sit voluntaria, siuè inuoluntaria, non sic illi actus impudici, sed inuoluntarij, qui vel nullum, vel ità modicum ingerunt dedecus, vt ad pœnam grauem dissolutionis contractus possint sufficientem vim conferre.

Rationes aduersa.

Rationes pro nostro asserto.

14 *Vtroque fornicante nõ dissoluuntur sponsalia.* Paludanus Bonacina.

Assertio VIII. Si post contracta sponsalia vterque sponsus fornicatus fuerit respectu neutrius est locus dissolutioni contractus *Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. nu. 17.*, *Bonacina de matrim. qu. 1. punct. 8. num. 6.* aduersus *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 55. num. 9.*

Ratio primo ex eo deducitur, quià non minus sponsus habet ius dissolutionis cõtractus per fornicationem subsequentem sponsæ, ac eadem sponsa per fornicationem subsequentem sponsi per ea, quæ superius dicta sunt, ergò in ordine ad dissolutionem æquale ius est respectu vtriusque, prout habetur *in d. c. Apostolus 32. q. 7.*, vbi dicitur quoad fornicationem subsequentem non iudicantur vir, & fæmina ad imparia, ergò æqualiter potest fieri compensatio iuris vnius ad ius alterius, adeovt, si vnus læserit, & in eodem genere ab altero fuerit læsus, fiat, vtriusque sufficiens compensatio.

Fit compensatio per vtriusque fornicationem.

Neque obesse potest, si asseratur cum Sanchez, & alijs grauiorem esse læsionem, quæ habetur per fornicationem fæminæ respectu viri, ac habeatur per fornicationem viri respectu fæminæ, quandoquidem ex superius dictis contingit notabilis mutatio in fæmina fornicante, non sic in viro, vnde etiam dicitur, quod non liceat matri meretrici ob meretricium exhæredare filiam *l. in arenam C. de in offic. testam.* patri autem concubinatio licet filiam meretricem hæreditate priuare, quod infert maiorem turpitudinem in fæmina, fornicante, ac in viro. Non, inquam, obesse potest, quià maior, vel minor grauitas in delicto quoad hunc effectum non consideratur, cum sit ex conditione personæ, quod sit maior in fæmina, minor in viro, quam certè inæqualitatem non considerarunt iura, dum vtrique ob simile delictum contulerunt ius ad recisionem, & sicuti ius est æquale in vtroque ad recisionem, ità erit æquale ad consolidationem, nam sicuti quantumvis sit minor grauitas in viro fornicante respectu fæminæ, ac in fæmina fornicante respectu viri, tamen habet ius fæmina ad recisionem, ità quamvis &c. habebit tamen eadem fæmina ius ad consolidationem. Ad hoc etiam plurimum facit, quod circumfertur nempe in statu coniugij, si vir fornicetur, quamvis minus graue peccatum committat, quam fæmina, nihilominus ius est in fæmina ad separationem quoad torum, & si fæmina posteà delinquat fornicando vterque ius habet ad compensationem, quantumvis delictum fæminæ sit grauius illo viri, ità etiam &c.

Maior, vel minor grauitas in delicto in iure non consideratur.

Ratio secundo ex eo deducitur, quià per fornicationem subsequentem vnius ex sponsis delinquens remanet adhuc obstrictus, & innocens liber, ergò per fornicationem alterius vinculum etiam consurget ex parte delinquentis, & libertas ex parte innocentis, sicque vinculum cum vinculo, libertas cum libertate legitimè compensabitur. Confirmatur, quià si sponsus post fornicationem sponsæ eandem carnalitèr cognoscat, non potest amplius à sponsalibus recedere; quià supponitur iuri suo cessisse in ordine ad illam iniuriam,

Rationes validiores euincentes intentum.

riam, quam passus est ex fornicatione eiusdem sponsæ non obstante, quod ex illa iniuriam illam pertulerit, ergò, nec poterit ab eisdem sponsalibus recedere, quantumvis sponsa fornicata fuerit, si ipse non dissolutis prioribus sponsalibus posteà carnaliter aliam fœminam cognouerit, eo quià per illam cognitionem carnalem supponitur maiori iniuriæ sibi illatæ per fornicationem fœminæ cessisse.

Vterque præsumitur remittere iniuriam.

PRÆNOTIO X.

An sponsalia dissoluuntur ex notabili deformitate superueniente in altero sponso, aut ex aliquo morbo difficile sanabili.

SVMMARIVM.

Ex deformitate spirituali superueniente consistenti in crimine abhominabili apud Deum, & homines dissolui possunt sponsalia, præcipuè, si deductum fuerit ad forum contentiosum, & reus damnatus. 1.

Etiam ex notabili morum asperitate, & sæuitia superueniente post sponsalia, vel cognita de nouo dissolui possunt sponsalia. 2.

Ex morbo superueniente consistente in præcisa qualitatum alteratione, vel humorum intemperie non possunt dissolui. 3.

Limita, nisi iudicio medicorum infirmitas in diutinum tempus esset protrahenda. 4.

Ex morbo habituali, & difficile sanabili dissolui possunt sponsalia, si superuenerit, vel de nouo fuerit cognitus. 5.

Ex morbo exitiali, & alijs noxio dissoluuntur. 6.

Regulariter dissoluuntur tantum ex parte innocentis. 7.

Ex notabili deformitate corporali superueniente in altero sponso dissolui possunt sponsalia. 8.

Deformitates in particulari, ob quas possunt dissolui. 9.

DEformitas, de qua potest esse controuersia, duplex est, altera quodammodo spiritualis, & in genere moris, & famæ, hæcque consistit in aliquo crimine, quod non solum delinquentem apud Deum abhominabilem reddat, sed etiam apud homines; vel fortè etiam in aliqua morum asperitate, per quam ista qualitate affectus noxius potest esse vxori, alijsque; altera corporalis, & propria, & quodammodo in genere entis, hæcque consistit in apparenti membrorum improportione, in dissona partium dispositione, vel earundem partium mutilatione, puta amissione oculorum, vel alterius membri principalis. Hæ autem deformitates in vtroque genere, vel possunt esse præcedentes ad sponsalia, & cognitæ, vel præcedentes, sed ignoratæ ante, seù in celebratione contractus, vel præcisè subsequentes.

Deformitas duplex, & qualis.

Infirmitas item, seù morbus in multiplici potest esse differentia, alter accidentalis consistens in qualitatum alteratione, & humorum intemperie, cui subesse solet humana natura, quique consuetis medicinæ remedijs sanatur, alter habitualis inficiens infirmum, & difficile sanabilis, cuiusmodi est paralisis, lepra, & huiusmodi, alter non solum noxius ipsum habenti, sed etiam alijs, cum soleat, & alios inficere, alter noxius habenti, non autem alijs, & respectu infirmi talis, vt grauiter ipsum non afficiat.

Infirmitas multiplex, & qualis.

1 Assertio I. Ex deformitate spirituali superuenienti consistenti in aliquo graui crimine abhominabili apud Deum, & apud homines dissolui possunt sponsalia, præcipuè, si crimen fuerit deductum ad forum contentiosum, & reus de illo damnatus *Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tom. 10. num. 63. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 57. num. 2.*

Ex deformitate spirituali graui dissolui possunt sponsalia. Cucus. Sanchez.

Ratio ex eo deduci potest, quià per illud delictum, ob quod diffamatus est delinquens, contraxit maximam notam dedecoris, quæ si extitisset tempore contractus, innocens cum illo non contraxisset, atque ex hac nota contracta notabilis moralis consequitur mutatio, quandoquidem multum de fama, & honore deperdit; maior autem est morum, & famæ, quam corporum habenda ratio, ergò ratione illius notabilis moralis mutationis dissolui poterunt sponsalia, quæ dissoluuntur ex quacunque alia simili mutatione.

Inducit notabilem mutationē.

Dixi, *abhominabili apud Deum, & apud homines,* nam non ex omni culpa apud Deū huiusmodi consequitur dissolutio, cæteroqui cum crebrò homines peccent, sponsalia continuo dissoluerentur; Debet igitur delictum esse tale, vt etiam apud homines aliquam ingerat infamiæ notam, vt dedecus sit delinquenti in tali genere associari.

Debet etiā quoad homines ingerere dedecus.

2 Assertio II. Etiam ex notabili morum asperitate, & sæuitia in altero sponso, vel consurgente post contracta sponsalia, vel de nouo cognita dissolui possunt sponsalia *Abbas in c. veniens num. 2., qui Cleric., vel vouent. Angelus verb. sponsalia num. 41. Siluester eod. verb. q. 10. cas. 15. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. cas. 11. Vera Crux prima part. speculi art. 21. cas. 15. Henriquez lib. 11. de matrimon. c. 14. num. 6.*

Etiam ex morum asperitate, & sæuitia de nouo cognita. Abbas. Angelus. Siluester. Sotus. VeraCrux. Henriquez

Ratio esse potest primò fundata in eo, quod suprà dicebamus, quando scilicet possunt timeri ex futuro matrimonio grauia damna, vel ex inimicitijs inter consanguineos, vel ex rixis, & iurgijs inter ipsos coniuges, tunc posse solui sponsalia, quantumvis virtute eorundem subsecuta fuerit

copula, sed ex tali morum asperitate, & sæuitia in altero coniuge, vel succedente de nouo, vel de nouo cognita iustè, & rationabilitèr timeri possunt rixæ, & dissidia inter coniuges, ergò ex illa possunt sponsalia dissolui.

Ob similes causas possunt coniuges separari à toro. Secundo, quia ob similem morum asperitatem, & sæuitiam in altero coniuge possunt separari coniuges contracto iam matrimonio quoad habitationem, & torum per textum *in cap. literas de restit. spoliat.*, ergò à fortiori poterunt separari quoad sponsalia *arg. c. quemadmodum de iure iuran*, quià turpius reijcitur; quàm non admittitur hospes, & si potest proptèr similem causam quis à cohabitatione remoueri, potest à fortiori ad cohabitationem non admitti; Neque obesse potest textus *in c. veniens. Qui cler. vel vouent.* vbi dicitur non dissolui sponsalia eo, quod sponsa plura audierit de seueritate sponsi; *Non supponitur cum sufficienti scientia.* Alexander de Neuo. Non, inquam, obesse potest; quià textus ille ideo hoc asserit, quià supponit sponsam non habere certam moralem cognitionem de illa sponsi seueritate, cum illa cognitio sit præcisè ex auditu, prout ibi explicat *Alexander de Neuo n. 2.*

3 *Non dissoluuntur ex ordinaria febri superueniente.* Assertio III. Ex morbo superueniente consistente in præcisa qualitatum alteratione, & humorum intemperie puta in ordinarijs febribus, quæ diù non perseuerant, non dissoluuntur sponsalia. In hanc assertionem propendere existimo quotquot sustinent ex graui infirmitate solummodò superuenienti, & incurabili dissolui *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 3 ad tertium Paludanus ibid. q. 1. art. 3. cas. 7. n. 25. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. n. 63.* cui arte medica subueniri non possit *idem Cucus eod. num. 63.* D. Thomas Paludanus Cucus.

Ratio ex eo deduci potest, quià per huiusmodi infirmitatem non consurgit notabilis rerum mutatio, & talis, quæ non potuerit præuideri, & præuisa non retraxisset contrahentem à contractu, cum ex vno capite passim huiusmodi infirmitates contingant, ex alio de facili euanescant, vel infirmum perimant. Confirmatur ex communi praxi vbiq; recepta, secundum quam sponsalia prius legitimè contracta per superuenientes huiusmodi infirmitates non dissoluuntur. *Huiusmodi infirmitates regularitèr non retrahunt à contrahendo.*

4 *Limita, nisi esset diu perseuratura.* Dixi, *quæ diù non perseuerant*, nam, si huiusmodi infirmitas esset talis, vt omnibus consideratis medicorum iudicio esset in diutinum tempus protrahenda; tunc non renuerem alterum liberum quodamodò constitui ab eodem contractu; nam diutina infirmitas comparatur diutinæ absentiæ alterius coniugis; sicuti igitur, si sponsus à loco, in quo fuerunt celebrata sponsalia, diutius sit absfuturus potest alter à contractu recedere per ea, quæ infrà fusè dicentur, ità, si sponsus diutino morbo detineatur, & vlteriùs sit detinendus poterit alter &c. *Comparatur diutinæ absentiæ.*

5 *Secus, si fuerit morbus habitualis, & difficile sanabilis.* Assertio IV. Ex morbo habituali inficiente infirmum, & difficile sanabili, siuè de nouo superuenerit, siuè antecedentèr extiterit, fuerit tamen de nouo cognitus, dissolui possunt sponsalia. Huiusmodi autem morbi sunt Epilepsia, paralisis, lepra, & alij huiusmodi *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad tertium Paludanus item ibid. q. 1. art. 3. cas. 7. n. 25. Sanchez de matrimon. lib. 1. disp. 57. n. 2. Bonacina de matrim. quæst. 2. punct. 8. n. 9.* D. Thomas Paludanus Sanchez. Bonacina.

Ratio, tum ex eo deducitur, quod per huiusmodi infirmitates inducitur notabilis mutatio, & talis, quæ, si fuisset in celebratione contractus cognita, alterum retraxisset à contrahendo, tum ex eo, quod cum ille morbus supponatur difficile curabilis diu detinet, & detenturus est ęgrotantem, ergò ius alteri confert ad se retrahendum à contractu, ne in illo detineatur absque spe &c. *Non contraxisset, si cognouisset.*

Hinc in particulari deducunt Doctores plurimi, non solum ob infirmitatem huiusmodi dissolui posse sponsalia, sed etiam, si ex aliqua humorum intemperiè alteri ex sponsis os malè oleat, cui arte medica subueniri non possit *Antonius Cucus lib. 5 instit. maior tit. 10. n. 63.*, qui etiam testatur plurimos iuris peritos in contingentia facti ità consuluisse, & iudicasse, nec incongruæ rationi hoc dictum innititur, quandòquidem inducit talem mutationem, qua præuisa, & cognita contractus non fuisset initus, & talis est, vt plurimi etiam Doctores excusent alterum coniugem ex simili causa ab vsu coniugij. *Ex fetenti odore superueniente.* Cucus.

6 *Ex morbo exitiali illum habenti, & alijs dissolui possunt.* Assertio V. Ex morbo non solum exitiali illum habenti, sed etiam alijs noxio, puta ex morbo gallico, ex lepra, & alijs huiusmodi dissoluuntur sponsalia *Nauarrus in summa c. 22. n. 27. cas. 8. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 14. nu. 7. Petrus à Ledesma de matrim. q. 43. art. 3. caus. 5. Phyliarchus de officio Sacerd. tit. 1. part. 2. lib. 2. c. 1.* Nauarrus. Henriquez Petrus de Ledesma. Phyliarch.

Ratio ex eo deducitur, quià per huiusmodi morbos non solum inducitur notabilis mutatio, sed etiam mutatio exitialis alteri contrahenti ob periculum proximum, & imminens infectionis in eodem, ergò est sufficiens ratio recedendi à sponsalibus antecedenter contractis, cum fuerint inita sub tacita conditione, si res non fuerint notabilitèr commutatæ.

7 *Regularitèr tantum dissoluuntur ex parte innocentis.* Hic oritur ratio dubitandi, an in præcedentibus omnibus casibus, in quibus dictum fuit, posse sponsalia dissolui, hoc intelligendum sit ex parte vtriusque contrahentis, an verò solummodò ex parte innocentis, & illæsi. Sentiendum est regularitèr tantū dissolui ex parte innocentis,

&

& illesi, adeo vt eo volente sponsalia dissoluantur, cum possit cedere iuri suo, eo verò nolente non possint dissolui, quià ius dissolutionis inductum est dumtaxat in fauorem ipsius. Dixi, *regularitèr*, non enim negauerim, quod, si v. g. ex morbo incurabili, & ex matrimonio, si contraheretur, immineret magnum periculum ipsi laboranti tali morbo posset ipsa ex se ab eodem ineundo se retrahere, quià cum notabili salutis detrimento rationabilitèr præuiso nõ tenetur fidem sponsalium seruare, maximè cum res sint mutatæ.

8 *Etiam ex notabili deformitate.* Sà. Glosa. Antonius. Nauarrus. Reginald. Sanchez. Bonacina.

Assertio VI. Ex notabili deformitate corporali superueniente in altero coniuge post contracta sponsalia eadem possunt dissolui. *Emanuel Sà verb. sponsalia nu. 7. Glosa in c. fin. verb. cog. de coniug. lepros. Antonius c. quemadmodum de iureiur. in princip. num. 19. Nauarrus in summa c. 21 n. 27. cons. 8. Reginald. lib. 31. n. 263. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 57. n. 4. Bonacina de matrim. quæst. 1. punct. 8. n. 10.*

Res non perseuerarent in eodem statu. Siluester.

Ratio ex eo deducitur, quià res non permanent in eo statu, in quo erant, quandò contractus fuit celebratus, quinimmò talitèr immutatæ, vt si à principio fuissent tales, non dedissent causam contractui, ergò superueniente illa notabili deformitate eadem sponsalia possunt dissolui ex regula, quam tradit *Siluester verb. sponsalia,* quod ea sit causa sufficiens dissolutionis post contractum, quæ est sufficiens non celebrationis eiusdem contractus. Dixi *notabili deformitate*, non enim negauerim, quod, si aliquantulum dumtaxat esset diminutum de pulchritudine, & venustate alterius coniugis non esset sufficiens motiuum recisionis, cum hæc crebrò ex rerum vicissitudine eueniant, Verum tamen est, quod non eadem requiratur deformitas in viro, adhoc, vt sponsa possit resilire à sponsalibus, quæ requiritur in fæmina, vt sponsus possit recedere, cum non habeatur tanta ratio pulcritudinis in masculo, quanta in fæmina. Nihilominus, si in viro talis, ac tanta fuerit deformitas, vt, si fuisset antecedens, & si tunc cognita distraxisset à sponsalibus, adhuc tribueret fundamentum sufficiens ad recisionem.

Non tanta requiritur deformitas in viro, vt sponsa possit recedere.

9 *Deformitas in particulari, ob quã possunt, vel non possunt recedere.*

Hinc in particulari dicitur *in præcit. cap. quemadmodum de iure iur.* dissolui sponsalia oculorũ amissione aut rei turpioris euentu. Excitatur tamen hic difficultas, an textus allegatus intelligendus sit dumtaxat, quando vterque oculus est amissus, an verò etiam, quandò vnus tantum. Paludanus *in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 7. n. 25.* existimat textum procedere tantum, quandò vterque est amissus, quod colligit ex verbis eiusdem textus, qui loquitur in plurali *oculorum amissione*. Nihilominus sentiendum est, intelligi etiam, quandò vnus dumtaxat est absolutè deperditus, atque hoc, siuè fuerit in masculo, siuè in fæmina *D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. §. 1. cas. 3. Nauarrus in summa c. 22. num. 27. cas. 8. Philiarchus de offic. sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 1.* Ratio est, quià notabilis inducitur mutatio ex eo, quod quis factus sit cecles, & monoculus. Propter eandem rationem dissolui possunt sponsalia ex amissione nasi in altero coniuge; quià importat notabilem deformitatem, & sensibilem mutationem.

Paludanus. D. Antoninus. Nauarrus. Phyliarch.

In vniuersum dicunt *Innocentius in d. c. quemadmodum num. 3., & ibi Hostiensis super verbo profecto de iureiuran.*, quod semper sponsalia dissoluuntur, quandò notabilis deformitas superuenit, quià non manent res in eodem statu, cum non sit fæmina apta facere id, proptèr quod ducitur scilicet tollere viro fornicandi occasionem, quià ad eam tàm deformem accedere non valet, & *D. Thomas in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad tertium*, statuit dissolui sponsalia ob eam notabilem deformitatem, ne sibi inuicem sponsi displiceant, & matrimonium sic contractum infelicem exitum habeat.

Innocent. Hostiensis. D. Thomas.

PRÆNOTIO XI.

An ex paupertate superueniente dissolui possint sponsalia.

SVMMARIVM.

Si ex parte fæminæ post contracta sponsalia, & promissionem dotis determinata contigerit talis paupertas, vt dotem promissam non possit soluere, potest alter à sponsalibus recedere. 1.

Si nulla facta esset promissio dotis adhuc fomina decidente in paupertatem; vt congruam non possit soluere, potest sponsus recedere. 2.

Quantumvis sponsalia fuerint iurata. Ibid.

Si sponsus facta promissione matrimonij in paupertatem notabilem deuenerit potest iustè sponsa à sponsalibus resilire. 3.

Limita in casu, quo paupertas esset modica, & vterque factus esset pauper. 4.

Si sponsus post sponsalia factus fuerit locupletior permanente sponsa in eodem statu non potest recedere à sponsalibus. 5.

Dictum fuit *sub hoc eodem tit. Contractus XIV de sponsalib. 2. prænot. 1.*, quod, si magis dignus quoad diuitias, & opes inscius conditionis deterioris alterius in eo genere cum eadem contraxerit, detur locus recisioni contractus. Nunc ex professo examinanda res est, quandò ob paupertatem superuenientem alter factus est deterior ab ea conditione, in qua prius erat, quandò fuit celebratus contractus. Hæc controuersia examinari potest in ordine

Status controuersiæ.

ordine ad paupertatem superuenientem fæminæ, vel quandò per eandem, vel per parentes eius facta est promissio de determinata dote, vel quandò nulla præcesserat promissio dotis; in ordine verò ad masculum per superuenientem paupertatem factum deteriorem, vel magis diuitem examinari potest quid dicendum, quandò factus est pauperior, & quid, quandò ditior.

1 *Si non potest soluere dotem promissam potest sponsus recedere.* Sotus. Bartolomeus à Ledesma. Manuel. Menoch. Riccius. Rodriquez. Rebellus. Bonacina.

Assertio I. Si ex parte fæminæ post contracta sponsalia, & promissionem dotis determinatæ contigerit talis paupertas, vt dotem promissam non possit soluere, potest alter à sponsalibus recedere *Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. cas. 6. Bartolomeus de Ledesma dub. 13. de matrim. cas. 10. Manuel 1. tom. summa in 2. edit. c. 245. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 5. cas. 435. n. 6. Riccius decis. 232. Rodriquez c. 245. n. 5. Rebellus q. 8. sect. 8. n. 2. Bonacina de matrimon. q. 1 punct. 8. n. 11. & alij communiter* aduersus *Baldum, & Alexandrum de Neuo in d. c. quemadmodum de iure iuran.* asserentes tunc tantum dissolui, quandò in tali paupertate fæmina dolo non caruit, quia à principio nouit, se non esse soluendo.

Probatur assertio, quia præsumptio rationabilis, & vehemens est, quod, si facta non fuisset illa promissio dotis, sponsus promissarius non contraxisset illa sponsalia, ergò eadem non adimpleta promissarius non tenebitur matrimonium illud adimplere. Consequentia tenet ex vulgata regula, quià ea, quæ posita sunt sufficientia ad non contrahendum, sunt etiam sufficientia ad dissoluendum contractum.

Initæ sunt sponsalia sub tacita conditione, si dos promissa soluatur.

Confirmatur, quià ex eo, quod contractus fuerit initus cum illa promissione, intelligitur etiam tacitè initus sub ea tacita conditione, si promissio illa adimpleatur, ergò, si conditio illa non adimpleatur, liber erit promissarius ad recedendum à contractu, quià non purificata conditione contractus non obligat: Neque obesse potest, si asseratur, quod, cum defecerit facultatibus sine sua culpa, æquum non sit, vt grauem illam pœnam dissolutionis contractus sustineat: Non, inquam, obesse potest, quià etiam supponitur, quod sine sua culpa fæminam deformitatem contraxerit, sed ex casu fortuito, & tamen omnes concedunt, quod fæmina teneatur pœnam illam dissolutionis sustinere.

Illa paupertas tribuenda est condicioni pertinenti...

Deindè negari non potest, quin post contracta sponsalia inducta fuerit notabilis mutatio; ex qua iura absolutè alteri concedunt ius dissolutionis non considerata causa, ob quam, seù per quam inducta fuerit ille mutatio.

Hæc adeo vera sunt, vt etiam extendatur ius dissolutionis, quantumvis priora sponsalia fuissent iuramento firmata, quià iuramentum cadit sub ijsdem conditionibus, sub quibus cadit promissio, & firmat dumtaxat promissionem ponendam, si appositæ conditiones purificentur, nec aliter, nec alio modo per textum *in l. fin. C. de non numerat. pecunia. Antonius Gabriel tom. 2. commun. lib. 7. verb. sponsalia.* Antonius Gabriel.

2 *Etiam, si dos nõ fuisset promissa.*

Assertio II. Si nulla fuerit facta promissio dotis respectu fæminæ, quæ per superuenientem paupertatem decidit in deteriorem conditionem, adhuc probabilius est, sponsum posse recedere à sponsalibus promissis, & etiam iuratis, si congruam dotem ad sustinenda onera matrimonij non posset erogare *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 59. nu. 4. & disp. 60. num. 2. Angelus verb. sponsalia nu. 33. Siluester eod. verb. q. 40. cas. 9. Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 14. num. 6. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. num. 71. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 8. num. 1.* Sanchez. Angelus. Siluester. Henriquez. Cucus. Bonacina.

Probant aliqui hanc assertionem ex eo, quod sponsa diues censetur omnia bona sua in dotem promittere, ex eo, quod primò promittat matrimonium *Bartolus in l. si constante n. 78 ff. solut. matrimon. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 3. n. 1. in fin. & videtur deduci ex l. mulier bona ff. de iure dot.* sicque sponsus eidem repromittens matrimoniũ videtur sub ea tacita conditione repromisisse, qua propterea non purificata cessat onus contractus. Bartolus. Lupus.

Sententia afferens nõ præsumi omnia bona data in dotem.

Sed regularitèr loquendo præsumptionem illam dationis in dotem omnium bonorum mulieris primo nubentis nulla facta expressione dotis reprobant *Glosa in l. mulier bona ff. de iur. dot. Angelus cons. 335. Immola in l. si constante ff. solut. matrimon. Baldus Nouellus in tract. de dote part. 6. priuil. 14. Campeggius in tract. de dote part. 5. quæst. 99. Ruinus in rub. ff. solut. matrim. num. 203. Curtius Iun. in auth. præterea num. 12. C. vnde vir, & vxor. Gulielmus Maynerius in l. in ambiguis num. 16. ff. de reg. iuris*, quod expressè probant primo ex *l. vlt. C. de diuort.*, & ex *§. si quis autem in auth. de nuptijs*, vbi dicitur, quod mulier nupta sine instrumentis dotalibus bona retineat apud se, nec dotalia censeantur. Glosa. Angelus. Immola. Baldus Nouellus. Campegg. Ruinus. Curtius. Mainerius.

Secundò, quià ratio dotis est separabilis à ratione matrimonij, cum possit esse matrimonium sine dote, quandò autem actus sunt separabiles ad petitionem vnius non sequitur, nec est positio alterius, nisi fiat expressio *l. pro herede §. 1. l. Papinianus §. vlt. l. cum bonis ff. de acq. hered.*

Dos est separabilis à matrimonio.

Tertiò, quià mulierum genus auarissimum est, & ob id liberalitas in eisdem non præsumitur *l. sed, si ego in fin. ff. ad S. C. Velleian. l. si à sponso C. de donat. ante nuptias.*

Quamobrem ex hoc fundamento non arguitur ratio, quæ euincat regularitèr assertionem. Dixi, *regularitèr* non enim negauerim in aliquibus casibus particularibus ex illo matrimonio sic inito sine expressione

pressione dotis respectu mulieris diuitis præsumi omnia ipsius bona in dotem destinari; & primò, quando in loco illo, in quo fuerunt celebrata sponsalia ex consuetudine legitimè inducta, seù præscripta assolent mulieres primò nubentes omnia sua bona in dotem erogare *Baldus in auth. res quæ num. 12. vers. sed nunquid C. commun. de legat. Alexander cons. 144. nu. 2. lib. 5. Curtius Iun. in auth. præterea num. 12. vers. limita tertio C. unde vir, & uxor Rolandus in tract. de lucro dotis q. 71. in fin.*, nec incongruæ rationi hoc innititur, quandoquidem mulier sic nubendo præsumitur se accomodare consuetudini regionis, & vir sine illa præsumptione cum eadem non contraxisset. Secundò, quando fæmina esset longè deterioris conditionis à viro, qui verisimilitèr illam non duxisset, nisi omnia bona sua in dotem dedisset *Baldus in l. nulla num. 2. vers. si autem C. de iur. dot. Alexander cons. 122. num. 8.*, nam in ea hypothesi fæmina cognoscens superiorem conditionem viri, qui promisit matrimonium futurum, potuit rationabilitèr cognoscere, quod tale matrimonium promiserit intuitu illorum bonorum, sine quibus non fuisset promissurus. Tertiò, quando fæmina simul cum viro celebratis iam sponsalibus sine vlla expressione dotis transcribi fecerit omnia sua bona à catasto proprio, & æstimo, in quo erant posita, in catastum, & æstimum eiusdem viri *Calcan. cons. 11. num. 7. vers. item non reperitur, Corneus in cons. 282. col. 5. vers. corroboratur hoc lib. 1.*, tunc etenim per talem transcriptionem præsumptio vehemens induceretur, quod illa bona transtulisset titulo dotis in eundem virum, nam pro administratione tantum non esset necessaria illa trasmutatio, seù transcriptio. Quartò, quādo ex verbis eiusdē fœminæ promittentis matrimoniū futurū conijceretur voluntas eiusdem tradendi omnia sua bona in dotem, vt si diceret. Do tibi me ipsam, & omnia mea alio non expresso *Baldus in l. nulla num. 2. C. de iur. dot., & in l. vlt. num. 10. C. de sent., quæ sine cert. quant. Rolandus in tract. de lucro dotis q. 72.*, vel diceret, assigno tibi bona mea, quià in vtroque hoc casu per ly *do*, & *assigno* importatur translatio dominij §. *sic itaque instit. de action. l. dotis fructus* §. *vlt. ff. de iur. dot.*, vltra hos, & similes casus, in quibus præsumitur cum matrimonio coniungi traditionem bonorum mulieris titulo dotis allata ratio non probat efficacitèr assertionem, quæ proptereà sic.

Casus, in quibus uxor diues præsumuntur omnia sua bona dare in dotem.
Baldus. Alexander Curtius. Rolandus.
Calcan. Corneus.
Baldus. Rolandus.

Probatur, quià, quando promissio matrimonij futuri est inter æquales, & alteruter est æqualitèr diues, non est præsumptio, quod masculus promittendo matrimoniū futurum cesserit iuri suo in ordine ad dotem, sed quod nihil dicendo se remiserit ad congruam dotem, prout exigit vtriusque contrahentis status, & quod sub tali conditione contraxerit, ergò, si fæmina promissaria in paupertatem deuenerit, adeovt congruam dotem non possit erogare, non tenebitur sponsus eam ducere, sed poterit à sponsalibus resilire. Antecedens probatur, tum quià regularitèr omnibus fæminis, dum matrimonium constituitur, erógatur congrua, & proportionata dos iuxtà propriam, & mariti decentiam, tum quià valdè æquum, & honestum est, ne matrimonium sua dote priuetur, quando præcipuè non supereminet aliqua notabilis prærogatiua in fæmina, ratione cuius defectus dotis videatur compensari; ex quibus facilè respondetur ad ea, quæ ex aduerso solent obijci, nempe cum matrimonium sine dote possit constare, conditionem destinandæ dotis esse omninò extrinsecam; conditiones autem extrinsecæ non intelliguntur appositæ, nisi exprimantur *l. si ità stipulatus* §. *Chrisogonus ff de verb. oblig.* facilè, inquam, respondetur, si asseratur huiusmodi conditionem dotis constituendæ, quantumvis non sit essentialitèr connexa cum matrimonio, esse tamen congruenter, & ex lege quadam honestatis, & consuetudinis annexam, adeòque non esse omninò extrinsecam matrimonio, cum contrahentes semper tacitè intelligantur contrahere iuxtà consueta, & iuxta ea, quæ exigit vtriusque status, & conditio per ea, quæ tradunt *Baldus in c. iurauit de probat. num. 3., & 4., Ioannes Lupus c. per vestras de donat. inter vir., & uxor. not. 3. §. 2 num. 4. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 5. cas. 455. num. 6.*

Non præsumitur cedere iuri ad dotem.
Dos est ex lege quadam honestatis connexa cum matrimonio.
Baldus. Lupus. Menoch.

Hæc, quæ dicuntur, adeò vera sunt, vt procedant etiam in hypothesi, secundùm quam sponsalia inita sine expressa dotis promissione, fuerint iuramento confirmata. Ratiò ex eo deducitur, quod fuit in superioribus dictum, nempe iuramentum regulari ad normam promissionis, & easdem recipere conditiones; sicuti igitur promissio supponitur inita cum tacita cōditione dotis erogandæ iuxta decentiam status vtriusque contrahentis, ita iuramentum, quod eidem promissioni accedit, supponitur elicitum cum eadem tacita conditione, qua proptereà non purificata, nec purificabili poterit promissor, & iurans à promissione, & à iuramento recedere.

Etiam si sponsalia fuerint iuramento confirmata.

Assertio III. Si sponsus facta promissione matrimonij futuri in paupertatem notabilem deuenerit poterit iustè sponsa promissaria à sponsalibus resilire *Coninchus disp. 23. dub. 7. num. 70. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 5. cas. 455. num. 6. Couaruuias de sponsalib. 2. part. c. 5. num. 4. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. num. 72.*

3
Deueniente sponso in paupertatem notabilem potest sponsa recedere.
Coninch. Menoch. Couaruuias Cucus.

Ratio ex ijs deducitur, quæ suprà diximus, nempè sponsalia ex parte vtriusque

que contrahentis semper intelliguntur inita sub ea conditione rebus in eodem statu permanentibus, & notabilitèr non mutatis per textum *in c. quemadmodum de iure iuran.*, sed negari non potest, quod decidente sponso in notabilem paupertatem res in eodem statu non perseuerent, sed notabilitèr commutētur, cum longe inferioris conditionis constituatur sponsus, quæ deterior conditio, si à principio extitisset probabilitèr retraxisset à contractu, ergò &c. Confirmatur, quià deteriore constituta sponsa quoad diuitias, ita vt promissam, vel consuetam dotem non possit erogare, potest sponsus à promissione recedere, ergò facto deteriore sponso in defectu diuitiarum, adeovt præuideatur iuxtà proprium statum non posse sustinere onera matrimonij, nec congrua alimenta sponsæ suppeditare, poterit sponsa à promissione recedere.

Variatur cōditio, sub qua contractus est initus.

4 *Limita, si paupertas fuerit modica.*

Limita tamen primò in casu, quo notabilitèr sponsus deterior factus non esset, sed tantum sub modico siue proximo periculo futuræ maioris deteriorationis, quià illa modica deterioratio non habetur in consideratione, & est regularis secundum rerum vicissitudines, secundum quas passim homines augmentum, & decrementum in modicis nanciscuntur.

Item, si vterque factus fuerit pauper.

Limita secundò in hypothesi, secundum quam vterque in paupertatem post contracta sponsalia incideret *Bonacina de matrim. q. 1. punt. 8. nu. 14.* non solum, quià paupertas paupertate compensatur, sed etiam quià secuta æquali deterioratione respectu vtriusque in alio genere sponsalia non dissoluuntur, vt videre est in vtroque fornicante, nam ratio, quæ militat pro vno statu, militat etiam pro alio. Exciperem tamen in casu, quo vtroque contrahente in paupertatem dilapso sponsus præuideret se non posse onera matrimonij sustinere, tunc etenim ab onere contrahendi illum eximerem.

5 *Factus locupletior non potest recedere.* Sanchez. Coninch. Reginald. Bonacina.

Assertio IV. Si sponsa post contracta sponsalia in eodem statu permanente sponsus factus fuerit longè locupletior nō propterea ius acquirit ad dissoluenda sponsalia *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 59. num. 6, Coninchus disp. 23. dub. 7. num. 69. Reginaldus lib. 31. num. 264. Bonacina de matrimon. q. 1. punct. 8. num. 13.*

Conditio contrahentis est, si alter in eodē statu perseueret.

Ratio ex eo deducitur, quià contractus celebratur habito respectu ad id, quod est alter sponsus, & sub ea conditione, si permaneat in eo statu, in quo erat, quando fuit celebratus contractus, non ad id, quod est ipse sponsus in ordine ad se, licet hæc consideratio habeatur ab altero sponso, qui cum ipso contrahit, sed quando quis fit notabiliter ditior non variatur respectus, quem habuit in celebratione contractus ad alterum, si quidem ipsius conditio in eodem statu perseuerat, nec vlla prorsus ratione variatur, & conditio, sub qua tunc tacitè contraxit, intelligitur purificata, ergò tunc factus longè ditior non poterit à promissione recedere. Confirmatur, quià, si quis promiserit alteri vendere rem suam constituto hic, & nunc determinato pretio tenetur eandem rem pro illo pretio erogare, quantumvis res illa siuè in valore interno, siuè externo creuerit, ergò etiam &c.

PRÆNOTIO XII.

An lapsu temporis ad contrahendum præfiniti, absentia coniugis in longinquam regionem dissoluantur sponsalia.

SVMMARIVM.

Post lapsum termini appositi ad restringendam obligationem sponsalia dissoluuntur ex parte eius, per quem non stetit, quin complerentur, non ex parte culpabiliter morosi. 1.

Si ob iustum impedimentum protractus fuerit contractus ex culpa nullius nō dissoluitur. 2.

Si terminus restrictiuus fuerit appositus post contractum ex interuallo probabilius est, quod nullum eximat ab obligatione. 3.

Si per vtrumque steterit, quominus sponsalia intra præfinitum tempus celebrentur ex parte vtriusque dissoluuntur. 4.

Si per neutrum culpabiliter steterit sponsalia ex parte neutrius dissoluuntur. 5.

Post lapsum termini appositi ad sollecitandam executionem contractas sponsalia non dissoluuntur. 6.

In dubio, an terminus fuerit appositus ad finiendam obligationem, vel sollecitandam executionem præsumitur pro secundo, si ab altero fuerit appositus, & ex interuallo, secus, si ab vtroque pro tempore contractus. 7.

Discessus sponsi in longinquas regiones de licentia sponsæ non dissoluit sponsalia intra tempus conuentum de tali licentia. 8.

Per discessum alterius sponsi in longinquas regiones inscio, seu inuito altero dissoluuntur sponsalia. 9.

Intellige tantum ex parte innocentis. 10.

Discessus alterius sponsi in loca propinqua, vel etiam remota cum spe proximi reditus non dissoluit sponsalia. 11.

Quæ dicta sunt de recessu post sponsalia, vel in propinqua loca, vel in remota, æquè intelligenda sunt, siuè fuerit sponsus, siuè sponsa, quæ recesserit. 12.

Si discessus alterius sponsi fuerit ex causa necessaria non perpetuò duratura nō dissoluuntur sponsalia, nisi postquam remota causa non redierit. 13.

Si absens fuerit ex causa voluntaria diuersimodè videntur disponere iura ciuilia, & canonica

nonica in ordine ad tempus, & quomodo num. 14.

Ius ciuile in l. sæpè ff. de sponsalibus, *statuit, quod, si discessus fuerit ex causa necessaria sit expectandus vsquequo causa cesset. 15.*

Ius ciuile in l. 2. C. de sponsalibus, *statuit expectandum esse biennio, quando abest ex probabili, & iusta causa in eademprouincia. Ibid.*

Ius ciuile in l. 2. C. de repud. *statuit expectandum esse triennio, si ex causa probabili absit extra prouinciam. Ibid.*

Iura canonica in hoc non corrigunt iura ciuilia, sed ad eorum terminos reducuntur. num. 16.

IN ordine ad primum considerandum est primò, an ille terminus in celebratione contractus fuerit appositus ad restringendam, seù quodamodo finiendam illam obligationem, si intra illum contractus non fuerit consummatus, an verò appositus ad sollecitandam obligationis executionem, adeout non adimplens intra illum terminum constituatur in mora. Secundò, an illud non adimplementum obligationis intrà illum terminum prouenerit ex culpa alterius ex contrahentibus, an verò vtriusque, vel neutrius. Tertiò, quandonam præsuponatur, quod ille terminus fuerit appositus ad finiendam obligationem, vel ad sollecitandam præcisè executionem iuxtà primum, & secundum sensum in prima consideratione appositum. *Quomodo terminus possit apponi.*

In ordine ad secundum considerandum est primò, an absentia alterius sponsi per discessum fuerit cum licentia alterius sponsæ, an verò ea inscia, seù etiam inuita. Secundò, an fuerit absentia in longinquam regionem sine spe proximi reditus, an verò in propinquam cum spe proximi reditus. Tertiò, an fuerit absentia masculi recedentis in longinquas regiones, an verò fæminæ. Quartò, an huiusmodi absentia fuerit ex causa necessaria recedentis, an verò ex causa eidem penitus voluntaria. Quintò, an in hoc attendendum sit potius ius canonicum, quam ciuile. *Multiplex consideratio circa absentiam.*

1 *Dissoluitur ex parte innocentis nō culpabilitèr morosi.* Assertio I. Post lapsum temporis appositi ad restringendam, seù finiendam obligationem ex parte eius, per quem non stetit, quin compleretur contractus, sponsalia dissoluuntur, non ex parte eius, per quem stetit, quin compleretur, si fuerit culpabilitèr morosus *Sanchez. lib. 1. de sponsalib. disp. 53. num. 5. Reginald. lib. 31. num. 26. Coninchus disp. 23. dub. 6. num. 46. Gutierez de matrim. 24. num. 6. Bonacina de matrim. qu. 1 punct. 6. nu. 6.* Sanchez. Reginald. Coninch. Gutierez. Bonacina.

Ratio primæ partis desumitur ex textu *in c. sicut de sponsalib.* Ibi- *Nisi forsan in iuramento suo certum terminum, infra quem dictam sponsam duceret in vxorem præfixit, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummauerit*, nec infirmo fundamento hoc ius, & assertio innititur, quandoquidem promissio obligare nequit vltrà intentionem promittentis expressè manifestatam in celebratione contractus, sed in celebratione contractus ille, per quem non stetit, ne consummaretur intrà terminum præfixum, intentionem suam manifestauit se dumtaxat obligandi vltra illud tempus, & non vlterius, nec ipse causam dedit, ne intra illud consummaretur, ergò &c. *Iura euincentia assertionem.*

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod æquum non est, vt quis ex sua culpa commodum reportet, nec vnius culpa alteri innocenti ex vulgatissimis iuribus potest refragari. Confirmari potest primo ex eod. textu *in c. sicut de sponsalib.* Ibi- *nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummauerit*, ergò, si per ipsum steterit, ne consummaretur, vtique adhuc vinculo obstrictus remanebit, quià exceptio quoad vnum expressum firmat regulam quoad alios non expressos. Confirmari potest secundò, quià per illam temporis præfinitionem ad finiendam, seù adimplendam promissionem non est sublata obligatio, sed inductum onus, vt intra illud contractus, seù obligatio promissa adimpleretur; frustratoriè autem esset illa obligatio inducta, si ex libertate alterius non complendi intrà terminum præfixum dissolueretur. *Non debet ex sua culpa commodum reportare.*

2 *Non dissoluitur interueniente legitimo impedimento.* Dixi, *si fuerit culpabilitèr morosus*, si enim ob iustum impedimentum, & rationabile intra illud tempus non compleuerit, regularitèr ex parte neutrius dissoluuntur sponsalia *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 53. num. 7. Bonacina de matrimon. q. 1. punct. 6. n. 6.* quidquid ex aduerso dixerint *Nauarrus c. 22. n. 27. casu 11. Coninchus disp. 23. dub. 6. n. 47. vers. sed cum Nauarro*. Ratio autem ex eo desumi potest, quod, sicuti æquum non est, vt ex sua culpa quis fauorem reportet, ita æquum non est, vt sine culpa damnum dissolutionis referat: item ex eo, quod legitimè impedito non currit tempus per textum *in c. qui diuersitatem de conces. prabend. l. 1. C. de annal. except. auth. nisi triennale C. de bon. matern.*, item ex eo, quod ille contractus initus cum præfixione certi termini ad perficiendum, & consummandum est quodammodò conditionalis, & quasi conceptus sub his terminis *Ego contraho tecum, si perfeceris intra talem terminum*, & vice versa, sed quandò adimplementum conditionis ex superueniente legitimo impedimento non est in potestate eius, ad quem pertinet, habetur quodamodò pro adimpleta, ergò tunc non dissoluuntur sponsalia. Neque hic audiendus est *Coninchus loco cit. d. n. 47. vers. sed* Sanchez. Bonacina. *Legitimè impedito nō currit tempus.* *Contractus supponitur tacitè conditionalis.*

cum Nauarro, dum asserit, textum *in d. cap. sicut de sponsalib.* solum exigere, vt per eum, qui ab obligatione liberatur, non steterit, quo minus perficeretur contractus, neque respexisse ad impedimentum alterius; semper autem verificatur, quod per ipsum non steterit; quinimmò in ordine ad eum, per quem stetit, ne contractus compleretur, quantumvis sine mora culpabili adhuc sufficeret, vt alter, per quem non stetit, liber remaneat, vt videre est, si ille, per quem stetit, Religionem ingrediatur. Non, inquam, audiendus est, quià semper contractus ille sponsalium initus cum illa temporis determinatione intelligitur celebratus quoad illum terminum sub tacita conditione, nisi legitima causa intra illud tempus impedierit à contrahendo, quià tunc intelligitur dispositio protracta vsque ad tempus, quo commodè contractus possit perfici sine damno, & legitimo impedimento alterius, dummodò tamen vltrà prudentum iudicium tempus illud diutius non protrahatur; vndè gratis omninò dicitur textum allegatum *in d. c. sicut de sponsal.* solum respicere, quod per eum, qui liberatur ab obligatione non steterit, &c. gratis, inquam, quià textus, cum obliget alterum, per quem stetit, eundemque obstrictum retineat vtique respexit ad moram culpabilem, vel inculpabilem eiusdem, & sine culpa irrationabilitèr eum obstringeret, dum alterum liberaret, hoc etenim esset quasi pæna non adimplementi, quæ non potest esse sine culpa; Nec valet illud, quod dicitur de ingressu in Religionem, quandòquidem ex priuilegio speciali eiusdem status quovsque matrimonium non est consummatum semper est liber ad ingrediendam Religionem, quantumvis post culpam commissam in mora.

Reijcitur opinio, & ratio Conrabi.

Textus respexit ad moram culpabilem.

Dixi, *regulariter non dissolui sponsalia*; non enim negauerim, quod, si ille, per quem non stetit, quominus sponsalia complerentur talem terminum statuerit eo, quià vltrà illum non posset perficere, vel non nisi cum magnis incommodis, tunc liber remaneret, quantumvis alter non sit in mora culpabili, sed hoc non proueniret præcisè ex defectu non adimplentis ex causa, sed vel ex impotentia, vel ex magna difficultate alterius, per quem non stetit, vel ex incommodis, quæ nancisceretur contrahendo, ad quæ certè respexit, dum ratione ipsorum limitauit suam intentionem ad illud tempus.

Exceptio eorum, quæ dicta sunt in assertione.

Hic oritur difficultas, an ea, quæ dicta sunt in assertione, æquè verificentur, siuè ille terminus restrictiuus fuerit appositus in celebratione contractus, siuè post illum ex interuallo. D. Thomas *in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. ad secundum, D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. ante §. 1. Nauarrus in summa c. 22. nu. 37. Tabiena verb. sponsalia q. 9. n. 10. cas. 10. & alij* sustinent indefinitè quomodocunque adijciatur ex conuentione partium ille terminus, siuè in ipsa celebratione contractus, siuè post ex interuallo dissolui sponsalia ex parte eius, per quem non stetit, quin contractus intrà illum terminum perficeretur, quod probant tum *ex d. c. sicut de sponsalib.*, quod loquitur generalitèr sine vlla penitus restrictione; tum ex eo, quod ille terminus, quantumvis post sponsalia contracta adijciatur, adijciatur tamen contractui nondum perfectè completo, nam sponsalia ordinantur tanquam initium, & medium ad matrimonium tanquam ad suum complementum, & finem; terminus autem adiectus contractui nondum perfectè completo limitat intentionem promittentis, adeoque ipso elapso ille, per quem non stetit, quin contractus fuerit competus, liberatur ab obligatione. Nihilominus probabilius sentiendum existimo, quod, si terminus ille fuerit adiectus ex interuallo, vt verum liberet ab obligatione. *Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 53. num. 5.* Ratio ex eo deducitur, quià cum ille terminus adijciatur post contractum absolutè initum; & obligationem perfectè inductam non potest intelligi adijci in ordine ad limitandum contractum, & obligationem ex eodem prouenientem, sed dumtaxat ad sollicitandum ad executionem, sicque illa adiectio termini extrinseca est, & noui contractus initium, ergò eo tempore transacto non cessat prior obligatio; sed de hoc infera vberius, dum de termino adiecto ad sollicitandum.

Sententia asserens terminum restrictiuum appositum ex interuallo, si sit elapsus, soluere sponsalia.

D. Thomas. D. Antoninus. Nauarrus. Tabiena.

3 *Sententia contraria præfertur.* Sanchez.

Assertio II. Si per vtrumque steterit, quominus sponsalia intra præfinitum terminum nō complerentur ex parte vtriusq; dissoluuntur *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 53. n. 3. & 6. Coninchus disp. 23. dub. 6. n. 46. Gutierez de matrimonio c. 24. n. 10. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 6. n. 6.*

4 *Dissoluuntur ex parte vtriusq; si per vtrumque stetit.* Sanchez. Coninch. Gutierez. Bonacina.

Ratio ex eo deducitur, quià ille terminus adiectus est ad hunc præcisè finem, vt si intra illum contractus non perficiatur, nullum habeat omninò effectum, nullamque sortiatur actionem, quinimmò intelligitur contractus sponsalium initus sub ea conditione, si intra illud tempus præfinitum compleatur per matrimonium, ad quod ordinantur sponsalia; omnis autem consensus conditionalis deficiente conditione est nullus, & desinit absolutè obligare. Confirmatur ex ijs, quæ infrà latius dicentur, quià contractus sponsalium dissoluitur mutuo contrahentium recessu, sed in hypothesi præsentis assertionis intelligitur voluntarius, & mutuus vniusque contrahentis recessus, quandòquidem vterque voluntariè deficit ab implemento conditionis, à qua dependet ipsius contractus valor, ergò &c.

Quasi mutuo consensu dissoluuntur.

Dices,

Dices, ex quo interuentu vtriusque contrahentis culpa in non adimplemento conditionis appositæ videtur fieri compensatio culpæ cum culpa, & nemo ex contrahentibus deobligari, ea proportionali ratione, qua diximus suprà, quod, si vterque post contracta sponsalia fornicetur, fiat talis compensatio, & neuter deobligetur ab onere prius contracto, quod idem dictum fuit, quandò vterque incidit in paupertatem. Sed contrà, quià illa culpa in fornicatione, & ille defectus in paupertate consecuta sunt post contractum, nec attingunt consensum absolutè præstitum in celebratione contractus, illũ in sua origine infirmando, cum non dissoluant contractum ipso iure, sed tantum tribuant actionem ad rescindendum; ille autem terminus adiectus per modum conditionis afficit ipsum consensum absolutè in sua origine, sicque defectus ipsius eundem consensum absolutè irritat, quià deficiente conditione contractus euanescit, quod optimè videtur considerasse *Sanchez loc. cit. n. 6.* dum dixit in ipsomet contractu sponsalium terminum imbibitum esse, & quasi partem esse obligationis.

Terminus ille afficit consensum.

Sanchez.

5 Assertio III. Si per neutrum culpabilitèr steterit, quominus intra præfinitum terminum sponsalia complerentur per matrimonium, quatenus vterque ex legitimo impedimento non potuerit perficere eadem sponsalia, ex parte neutrius dissoluuntur, sed vterque adhuc remanet adstrictus. *Ioannes Andræas in c. sicut num. 4. & ibi Cardinal. in fine Alexander de Neuo num. 20. Præpositus num. 7. in fin. de sponsalib. Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 53. num. 8. Bonacina de matrimon. quæst. 1. punct. 6. num. 6.*

Si per neutrum steterit non dissoluuntur. Ioannes Andræas. Alexander de Neuo. Præpositus. Sanchez. Bonacina.

Ratio ex ijs deducitur, quæ dicta sunt suprà, nempè contrà legitimè impeditum non currere tempus, quod æquè militat respectu vtriusque, ac respectu vnius, quandò vterq; supponitur legitimè impeditus; nec in hoc percipio, qua consequentia *Coninchus dict. lib. 23. dub. 6. num. 47.* docuerit, quod, si per alterum legitimè impeditum steterit, quominus perficeretur contractus, alter, per quem nõ stetit, liber remaneat, dũ idem *loc. cit. n. 49. in fin.* asseruit, quod, si posteà vterque fuerit legitimè impeditus, saltèm æquitas requirat, vt neuter sine alterius consensu resiliat; Si igitur impedimentum respectu vtriusque vtrumque non eximit ab obligatione antecedentèr contracta, quomodo impedimentum respectu vnius dumtaxat potest eximere alterum non impeditum ab obligatione, quam antecedentèr contraxit? Certè vterque non eximitur ab obligatione, quandò vterque fuit legitimè impeditus, quià neuter subest alicui culpæ, & proptereà, nec subesse debet pænæ; quomodo ergò subesse potest pænæ dissolutionis, qui sine culpa non contraxit tempore præfinito? Quod, si dicas, quod ille, per quem non stetit, quin contractus perficeretur, liber remaneat, quià se obligauit dumtaxat pro illo tempore, & non vlterius nullo habito respectu ad impedimentum alterius; statim impugnaberis, quià in primis illa obligatio contracta pro illo tempore restrictiuè intelligitur restricta sub tacita conditione nisi legitimum interuenerit impedimentum, non enim quis se obligare intendit ad id, quod non potest perficere, sed tantum, si potuerit perficere. Deindè, si per impedimentum vnius, seù non obstante ipsius impedimento alter liberatur, cur ex impedimento etiam istius alterius non debebit alter liberari, & sic tolli obligatio respectu vtriusque? quod tamen negat ipse Coninchus. Dicere deindè, quod in hypothesi impedimenti vtriusque non tam possit quisque alteri imputare non implementum contractus, quàm sibi met ipsi, adeoque ob hanc rationem non eximi ab obligatione, non euacuat difficultatem, quià cum impedimentum vnius ad contrahendum dissoluat contractum in ordine ad alterum, vt sustinet idem Coninchus, impedimentum ex parte vtriusque deberet potius dissoluere contractum in ordine ad vtrumque, quam vtrumque obstrictum retinere. Congruentius itaque est, vt dicatur, quod, nec dissoluatur, quando impedimentum est ex vtraque parte, nec quandò est ex vna tantum parte.

In consequentia Coninchi.

Nemo se obligat ad id, quod non potest perficere.

Ratio fundamentalis horum omnium, quæ dicuntur in hac assertione, consistit in eo, quod ille contractus cum illa præfixione termini celebratus intelligitur semper sub tacita conditione, nisi impedimentum aliquod legitimum consurgat, vel ex parte vnius, vel ex parte alterius, vel ex parte vtriusque contrahentis.

Ratio fundamentalis assertionis.

Assertio IV. Post lapsum termini appositi ad sollicitandum ad executionem contractus promissi sponsalia ipsa non dissoluuntur *Antonius in cap. sicut de sponsalib. num. 10., & ibi Abbas num. 11. Alexander de Neuo num. 18. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. num. 67. Brunellus de sponsalib. concl. 8. num. 4. Coninchus disp. 23. dub. 8. num. 41. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 53. num. 2. Bonacina de matrimon. quæst. 1. punct. 6. num. 6.* 6

Post terminum ad sollicitandum non dissoluuntur. Antonius. Abbas. Alexander de Neuo. Cucus. Brunellus. Coninchus. Sanchez. Bonacina.

Ratio ex eo deducitur, quià quandò terminus adijcitur ad effectum sollicitandi ad executionem contractus iam supponitur absolutè initus, vndè in illo contractu duo contractus quasi virtualitèr distincti considerantur; vnus absolutè cum obligatione contrahendi matrimonium, alter,

cum adiectione certi termini, prout habetur in l. Celsus §. 1. ff. de recept. arbit., & c. cum dilecti de dol., & contum., primus contractus est cũ obligatione principali, secundus cũ obligatione quodammodò accessoria; per accessoriam autem obligationem non demitur, nec destruitur principalis. Confirmatur, quià per adiectionem termini ad sollecitandum ad executionem contractus non imponitur pęna dissolutionis contractus, sed tantum, vt dilator constituatur in mora, & possit compelli ad perficiendum, quod promisit, ergò &c., qui etenim per conuentionem compellitur, vt citius adimpleat, non propterea absoluitur ab onere adimplementi, si intrà tempus conuentum non adimpleat.

Duo contractus considerantur, & quomodo.

7 Assertio V. Non constante, an terminus fuerit adiectus, vel ad finiendam obligationem, vel ad sollecitandam executionem præsumendum est pro termino adiecto præcisè ad sollecitandum, si ab vno tantum fuerit appositus, non ab vtroque, vel, si post celebratum contractum ex interuallo ab vtroque fuerit adiectus, secus, si ab vtroque pro eodem tempore pro quo fuit celebratus contractus *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 53. nu. 3. Coninchus d. disp. 23. dub. 6. num. 40., & sequent. Immola in c. cum dilectis de dol., & contumac. n. 14. Couarruuias 4. decret. part. 1. c. 5 nu. 8. Abbas. c. sicut de sponsal. n. 11.*

Quomodo præsumatur, an sit adiectus ad finiendam obligationē, an ad solecitandam executionē. Sanchez. Coninchus

Probant aliqui ex *l. Celsus 23. §. idem ait ff. de recept. arbit.*, vbi dicitur, quod iussus dare pecuniam intrà Calendas non eximatur ab obligatione, & si per creditorem steterit, quominus intrà calendas dare potuerit, ex quo textu colligitur, quod, cum ibi sit sermo de iussione per vnum tantum apposita, vtique referatur ad pręcisè tantum sollecitandum ad executionem, & proindè non deobligat debitorem translactis Calendis. Verum hæc probatio parum, vel nihil euincit, quia diuersa est omninò ratio de solutione pecuniæ ponenda, ac de contractu celebrando; nam dilatio solutionis vix vnquam incommoda est debitori, dilatio autem celebrandi contractum communitèr alterutri incommoda est, vt benè notauit *Coninchus d. disp 23. dub. 6. num. 4.*, adeoque prima obligatio solutionis non ideò non dissoluitur, quià per vnum tantum sit apposita intrà illum terminum, sed quià dilatio non potest esse iniuriosa debitori.

Textus in l. celsus ff. de recept. arbit. nihil euincit.

Probatur igitur assertio quoad primam partem sic, quià cum contractus ex genere suo sit vltrò citroque obligatorius, & supponatur talis contractus validus vtique supponitur ab vtroque consensus pręstitus quoad substantiam, ergò illa præfinitio temporis ex parte vnius dumtaxat apposita supponenda est ad effectum alterum obligandi intrà terminum præfinitum ad complementum contractus, non quoad ipsam substantiam contractus.

Ratio euincens primā partem.

Probatur idem quoad secundam ex eadem ratione, quià cum adijciatur post initum contractum iam supponitur contractus in suo esse constitutus, & obligatio quoad substantiam antedentèr exorta, sicque per illam termini adiectionem nouus quodamodò contractus constituitur, ergò per non adimplementum ipsius non tollitur præcedens obligatio absoluta, ergò intelligitur ille terminus adiectus ad sollicitandum, non ad finiendam simplicitèr obligationem.

Contractus supponitur iam constitutus,

Assertio VI. Discessus sponsi in longinquas regiones de licentia alterius sponsæ non dissoluit secundum se sponsalia intrà tempus conuentum inter partes de tali absentia *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalib. disp. 54. n. 6. Reginaldus lib. 31. n. 261. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 6. n. 8., & alij communitèr.* 8

Discessus de licentia non dissoluit intra tempus licentia. Sanchez. Reginald. Bonacina.

Probatur primo, quià celebratis ritè sponsalibus possunt contrahentes inter se conuenire, vt matrimonium diferatur ad tale, vel tantum tempus, quale seù quantum fuerit inter ipsos præfinitum, nec ex tali conuentione dissoluuntur sponsalia, ergò etiam celebratis ritè sponsalibus poterit alter ex sponsis habito beneplacito alterius in longinquas regiones properare absque eo, quod præacta sponsalia dissoluantur. Consequentia probatur, quià illa expressa licentia per alterum sponsum concessa alteri properandi in longinquas regiones æquiualet conuentioni de diferendo matrimonio vsque ad tempus reditus; quid enim est aliud petere, & obtinere ab altero sponso facultatem recedendi in longinquas regiones, nisi conuentio inter easdem partes de diferenda executione contractus ad tempus reditus ab eisdem regionibus.

Æqui valet conuentioni de diferendo matrimonio.

Probatur secundò, quià contractis sponsalibus sine termino potest matrimonium deferri vsquequo alter petat adimpleri per ea, quæ superius latè probata sunt, ergò etiam poterunt differri vsquequo alter expresse concesserit non adimpleri, quod vtique præstitit facultatem concedens abeundi vsque ad illud tempus.

Sponsalia intra sine termino possunt differri vsque ad petitionem alterius.

Dixi *intra tempus conuentum inter partes de tali absentia*; si etenim diutius à tempore conuento abfuerit, tunc non negauerim dissolui posse sponsalia iuxta ea, quæ infrà dicentur de eo, qui in longinquas regiones discedit inscio, seù inuito alio sponso; illa etenim absentia vltra tempus conuentum æquiualet discessioni contra voluntatem partis, & proindè iuxtà ea, quæ dicentur de tali discessione, adiudicandum erit de tali absentia vltra conuenta.

Si vltra licentiam diutius protrahatur reditus possūt dissolui.

Assertio VII. Per discessum alterius sponsi in longinquas regiones inscio, seù 9

inuito

Inscio, vel inuito altero dissoluũtur. Coninch. Sanchez. Gutierez.

inuito altero dissoluuntur sponsalia *Coninchus disp. 23. num. 50. Sanchez de matrimon. lib. 1 de sponsalib. disp. 54. num. 6. Gutierez de matrim. c. 3. nu. 6., & alij communiter.*

Expressè colligitur ex textu *in c. de illis de sponsalibus*, vbi sic legitur *De illis autem, qui præstito iuramento promittunt, se aliquas mulieres ducturos, & posteà eis incognitis diminiunt terram, se ad alias partes transferentes. Hoc sibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis ad alia vota se transferre.* Nec incongrua sanè ratione hæc decernuntur, quandoquidem sponsus ipse sic recedendo videtur renuntiare sponsalibus antecedenter initis, & nimis graue esset sponso permanenti in loco, in quo fuit celebratus contractus, onus expectandi alterius reditum, qui cum transierit in remotas prouincias non sistit spem haberi proximi futuri aduentus.

Hic recedendo videtur renuntiare sponsalibus.

Hic oritur difficultas, an in hypothesi recessus alterius in remotas regiones, de qua hic loquimur, dissoluantur solummodo sponsalia respectu innocentis, seù permanentis in loco, in quo fuit celebratus contractus, an verò etiam respectu abeuntis in easdem remotas regiones. Textus *in d. c. de illis de sponsalib.* videtur præcise hoc ius tribuere mulieribus in loco permanentibus -Ibi- *Hoc tibi volumus innotescere, quod liberum erit mulieribus ipsis,* loquitur textus de mulieribus, qui permanent in loco altero recedente; Non

10 *Dissoluuntur tantum ex parte innocentis.*

incongruè sentio, præcipuè, si ex causa voluntaria recesserit, & absit ex parte eiusdem non dissolui sponsalia, si innocens velit in eisdem perseuerare, adeovt eadem perseuerante non possit absens alteri nubere, vel si redierit, teneatur cum eadem contrahere. Ratio ex eo deducitur, quià ex propria libertate altero renuente non potest quis eximi ab obligatione sponsalium, quæ liberè omninò contraxit, sed si per recessum voluntarium eiusdem etiam ex parte ipsius sponsalia dissoluerentur, ex propriæ voluntatis affectu posset contrà voluntatem alterius dissoluere, ergò &c. Confirmatur, quià nemo ex sua culpa debet posse commodum reportare per iura superius allegata, reportaret autem ex sua culpa, quià contra ius alterius recederet, & in potestate eiusdem esset redire, ergò &c.

Maximè, si absentia fuerit ex causa voluntaria.

11 *Secus, si fuerit in loca propinqua, & cũ spe proximi reditus.* Sanchez. Coninch. Bonacina. D. Thomas VeraCrux.

Assertio VIII. Discessus alterius sponsi in loca propinqua, vel etiam in remota cum spe tamen proximi reditus non dissoluit sponsalia, nec etiam ex parte eius, qui permanet in loco, in quo est celebratus contractus *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 54. num. 10. Coninchus d. disp. 23. num. 51. Bonacina de matrim. qu. 1 punct. 5. num. 8. vers. dixi in longinquum D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 2 art. 3. ad 3. VeraCrux prima part. specul. q. 21. cas. 3.*

Ratio ex eo deduci potest primò, quià non est præsumptio, quod per illum discessum in locum propinquum renuntiauerit sponsalibus. Secundò, quià nimis graue esset vtrique sponso vinculum sponsalium, si ex quocunque discessu in fauorem alterius dissolueretur, & non in fauorem discedentis. Tertiò, quià nimis coarctaret voluntatem vtriusque sponsi, si contractis sponsalibus essent ex necessitate detinendi in loco, in quo initus est contractus. Quartò, quià fortius est vinculum matrimonij, quam sponsalium; constante autem matrimonio sine culpa alter potest in locum propinquum se transferre etiam inscio, seù inuito altero coniuge, quià irrationabiliter esset inuitus de tali recessu, si fuerit cum animo proximè redeundi.

Rationes euincentes assertionem

Si autem inquiras, quid esset agendum, si alter sponsus profectus in locum propinquum diu abesset, nec esset proxima spes reditus; tunc distinctione respondendum existimo; vel enim abesset, quià iusto impedimento detineretur; vel abesset ex propriæ voluntatis arbitrio; si ex prima causa non rediret, certè non essent temere dissoluenda sponsalia argumento eorum, quæ dicta sunt de eo, qui legitimè impeditus non contraxit intra terminum præfinitum in ipsa contractus celebratione *Couarruuias quarto decret. prima part. c. 5. num. 7. Matienzo lib. 5. recopil. tit. 1. rub glos. 1. num. 48. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. c. 38.*, quod tamen limitarem in hypothesi, quà attenta qualitate personæ subesset ex mora periculum fornicationis, quià tunc ad euitandum peccatum posset persona illa à sponsalibus recedere, & alteri nubere; si ex secunda causa, seù ex propriæ voluntatis arbitrio non rediret; tunc, si non esset præfixus determinatus terminus ad contrahendum matrimonium, deberet absens requiri ad perficiendum contractum, & ad redeundum, eidemq; prudentum iudicio assignari certum tempus, intra quod contrahat matrimonium, intra quod, si non contrahat, poterit alteri nubere ille, qui in loco permansit, & alterum requisitum expectauit; non enim æquum est vt alligatus remaneat iuxtà alterius contrahentis voluntatem sine complemento contractus.

Quid agendum sit, quando abest in loca propinqua sine spe proximi reditus.

Hæc eadem, quæ dicta sunt de discessu in loca propinqua, intelligenda etiam sunt de discessu in remota cum animo redeundi, & cum spe proxima, tum quià tunc non est etiam præsumptio, quod recedens renuntiauerit sponsalibus prius celebratis, tum quià illa spes proximi reditus non compatitur cum motiuis, ad quæ iura respexerunt concedentia ius recisionis, ideò etenim concesserunt tale ius, quià, vel est præsumptio renuntiationis, vel periculum incontinentiæ in altero sponso ex

Idem dic, quando est discessus in loca remota cum animo redeundi, & cum spe proximi reditus.

diutina absentia, vel irrationabile vinculum respectu permanentis in loco, in quo fuit celebratus contractus, quo diu detinetur obstrictus sine vltimo complemento contractus; hæc autem omnia non militant, quando est proxima spes reditus, nec ille, qui discessit, animo diu permanendi discesserit, vt per se patet. Verum tamen est, quod, si diutius, quam par sit, illa spes reditus differatur, tunc posset innocens recedere, nec in ea hypothesi teneretur admonere, & requirere absentem in locis longinquis, sicuti tenetur, quando est absens in propinquis propter difficultates &c. Si autem hic inquiras, pro quonam, seù quanto tempore sit expectandus, quando est absens, vel in propinquis, vel in remotis regionibus dicam latè infrà.

12 *Intellige, si ne recesserit sponsus, siue sponsa.* Cinus. Baldus. Alexander de Neuo. Sanchez.

Assertio IX. Ea, quæ dicta sunt de discessu post contracta sponsalia, vel in propingua loca, vel in remota æquè intelligenda sunt, siue fuerit sponsus, siue sponsa, quæ recessit *Cynus, & Baldus in l. 2. in fin. C. de sponsalib. Alexander de Neuo d. c. de illis de sponsal. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsal. disp. 54. nu. 1.*

Ratio ex eo deducitur, quià eadem militat ratio de vtroque, cum absentia sponsi, & sponsæ sibi sint immediatè correlatiua, in quibus propterea id, quod est dispositum de vno, debet intelligi, & dispositum de altero *l. fin. C. de indict. vidu. l. fin. ff. de accept.*, & de vno ad alterum optimè arguit Euerardus loco à correlatiuis, quãdo subest eadem ratio; Neque dicas, quod iura præcipuè *in d. c. de illis de sponsalibus* loquantur præcisè, & expressè de absentia sponsi, & facultatem solummodo tribuant mulieribus -*Ibi quod liberum erit mulieribus ipsis*, alia matrimonia cõtrahendi; contra .n. impugnaberis, quià iura non ideò statuunt de mulieribus, quià à tali iure excludeant masculos, sed tantum id ponunt, quod regulariter euenit, regulare autem est masculis discedere, non fœminis.

Eadem ratio militat respectiu vtriusque.

13 *Altero absente ex causa necessaria nõ dissoluũtur sponsalia, nisi cessante causa nõ redierit.* Hostiensis. Ioannes Andræas. Angelus. Siluester. Brunellus. Nauarrus. Menoch.

Assertio X. Si discessus in propinquam, vel remotam regionem alterius sponsi fuerit ex causa necessaria, quæ tamen non sit perpetuò, vel diu duratura, non dissoluuntur sponsalia, nisi postquam remota causa non redierit, si verò fuerit ex causa voluntaria, tunc diuersimodè disponitur per ius ciuile, ac per ius canonicum, de quo infrà latius in sequenti assertione *Hostiensis in summa tit. de sponsal. num. 3. Ioannes Andræas c. de illis num. 6. de sponsalib. Angelus verb. sponsalia num. 26., & ibi Siluester qu. 10. cas. 4. Brunellus de sponsalib. concl. 8. num. 3. Nauarrus in summa c. 22. num. 26. cas. 4. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 5. cas. 455 num. 7.*, & alij plurimi apud *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 54. nu. 4.*

Colligitur expressè hæc assertio de iure ciuili *in l. sæpè ff. de sponsalib.*, & vlterius ratione sic euincitur, quià statuto termino ad contrahendum matrimonium etiam restrictiuè, si alter fuerit legitimè, & ex rationabili causa impeditus ad contrahendum intrà illum terminum non dissoluuntur sponsalia etiam ex parte eius, per quem non stetit, quominus intrà terminum perficerentur per superius allegata, & probata, ergò etiam, si ex causa necessaria alio discesserit, ratione cuius discessus non possit matrimonium contrahere, nisi post reditum, qui tamen erit post aliquod temporis; nam causa necessaria recessus, & legitimum impedimentum contrahendi in tempore præfinito quoad hunc effectũ sibi æquiualent.

Iura euincentia assertionem.

Dixi, *quæ tamen non sit perpetuò, vel diu duratura*, quià tunc, si esset perpetua iam ipso iure irritarentur sponsalia, quandoquidem illa promissio esset de effectu impossibili, adeoque ex genere suo irrita; si verò esset diu duratura, tunc posset attenta qualitate personæ dissolui, vel propter periculum incontinentiæ, quod specialitèr respexerunt iura canonica, vel quià æquitas postulat, ne longo tempore detineatur sponsa cum periculo non nubendi cum illo, & cum alio impediatur posteà contrahere, eo quià in grauescentibus annis non ità essent faciles nuptiæ.

Si causa sit perpetuò duratura ipso iure irritantur sponsalia.

14

Assertio XII. Iura canonica, & ciuilia diuersimodè disponunt circa tempus, quo perimi possunt sponsalia discedente sponso à loco, in quo contraxit, quinimmo, & iura etiam ciuilia quoad hanc temporis limitationem diuersa sunt; & quidem ius canonicum *in d. c. de illis de sponsalib.* statuit sponso longè recedente licitum esse alteri aliud liberè matrimonium contrahere, quod autem quis liberè potest præstare supposita aliqua conditione non tenetur tempus aliquod determinatum expectare *arg. glosa in clem. dudum verbo liberè de sepult.*, ius verò ciuile *in l. 2. C. de sponsalib.* statuit, si discessus fuerit intrà eãdem prouinciam sponsum expectandum esse per biennium, *in l. 2. C. de repud.* statuit triennium pro expectatione; vlterius *in l. sæpè ff. de sponsal.* statuit, si discessus fuerit ex causa necessaria expectandum esse, donec causa cessarit.

Dispositio diuersa iuris ciuilis, & canonici

Circa huiusmodi dispositiones triplex oritur hic difficultas. Prima in ordine ad diuersitatem iuris ciuilis quæritur, quomodo possint adinuicem conciliari huiusmodi dispositiones. Secunda comparatione iuris ciuilis ad canonicum, an eadem iura ciuilia intelligantur per ius canonicum correcta per dictum *c. de illis de sponsalib.* Tertia quænam sit ratio diuersæ huiusmodi dispositionis in iure ciuili, & canonico.

Ad primam dicendum est, huiusmodi iura ciuilia per hunc intellectum posse adinuicem 15

Ex causa necessaria expectandus est, donec causa cesset.

inuicem conciliari; vt textus *in d. l. sæpe ff. de sponsalib.* intelligatur, quando absentia est ex causa necessaria, textus verò *in l. 2. C. de sponsalib.* intelligatur, quando abest ex probabili, & iusta causa in eadem prouincia, & tunc expectari debet biennio, si verò ex eadem causa probabili, sed extra eandem prouinciam, tunc expectari debet triennio, & sic loquitur textus *in d. l. 2. C. de repud.* Sic hæc iura conciliant *Glosa in d. l. 2. C. de sponsalib. Ioannes Andreas in c. de illis de sponsalib. num. 6. Angelus verb. sponsalia num. 26. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. num. 64.*, nec incongruæ rationi hæc conciliatio innititur, quandoquidem in ordine ad causam necessariam iam dictum est supra; in ordine verò ad probabilem, & iustam æquum est, vt pro diuersitate locorum diuersa habeatur dispositio.

Ex causa probabili, quando expectandus sit.

Glosa. Ioannes Andreas. Angelus. Cucus.

16 Ad secundam dicendum est in ea parte dispositionis quoad tempus per ius canonicum iura ciuilia non corrigi, sed in suo robore permanere *Glos. in d. c. de illis verbo liberum, & c. sicut verbo quinque de sponsal. Henricus c. in præsentia de sponsal. num. 2. Siluester verb. sponsalia q. 10. cas. 4. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 5. cas. 415. num. 7. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 13. num. 19 D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 18. § 1. cas. 2. Petrus de Ledesma de matrim. qu. 43. art. 3. vers. septima causa.* Ratio ex eo deducitur, quià in dicto textu *in c. de illis de sponsalibus* nullum est verbum, quod restringat tempus legale, vel illud corrigat, sed tantum dicit liberum esse sponsæ alij nubere, si sponsus absit, quæ absentia propterea iuxtà leges ciuiles est accipienda, vt vitetur iurium correctio; Neque obesse potest, si asseratur, quod ex eo, quod *in d. c. de illis* dicatur, quod possit liberè alteri nubere videatur non obligari ad expectandum triennium; Non, inquam, obesse potest, quià ly *liberè* refertur ad terminos iuris, hoc est ad tempus à iure præscriptum, cum circa hoc nihil expressè oppositum sit præscriptum.

Iura canonica quoad hoc reducuntur ad terminos iuris ciuilis.

Glosa. Henricus. Siluester. Menoch. Paludanus D. Antoninus. Petrus de Ledesma.

Ad tertiam dicendam est, non habere locum in nostra sententia asserente ius canonicum in hac parte non esse correctorium iuris ciuilis. Cæterum in sententia aduersa diuersitatem dispositionis dicerem ex eo prouenire, quià ius ciuile solum respicit bonum commune sine vllo ordine ad peccatum; ius autem canonicum principalitèr peccatum considerat, cuius non solum formam, sed etiam speciem formæ studet euitare, & periculum; imminet autem periculum peccati ex absentia sponsi in longiuquas regiones *Cardin. in d. c. de illis vers. quæ res, quæ fuit ratio de sponsalib. Misinger c. quoniam frequenter §. porro num. 17. vt lite non contest. Angelus verb. sponsalia nu. 26. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. vers. decimo quandò, Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 14. n. 5.*

Ius canonicum respicit peccatum.

Cardinal. Misinger. Angelus. Henriquez Sotus.

PRÆNOTIO XIII.

An, & quomodo ratione ætatis dissoluantur sponsalia.

SVMMARIVM.

Sententia asserens iura procedere solum permissiuè, & in foro externo non autem compulsiuè, & in foro interno. 1.
Sententia asserens procedere in vtroque foro præfertur. 2.
Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. 3.

PLura hac de re attigimus suprà *sub hoc eodem titulo Contractus XIV. de sponsalib. I. Disq. II. §. 27., & 28.* per totum, ad quæ vos remitto, ne idem pluries repetam. Solum difficultas hic remanet, an iura permittentia impuberibus adepta pubertate resilire à sponsalibus, siuè hæc loquantur, non de impuberibus præcisè sumptis, sed de infantibus, prout definiuimus *dicta disq. 2. §. 27. num. 4.*, siuè de impuberibus præcisè, prout locuti fuimus *loc. cit. §. 28.* loquantur permissiuè, & in foro externo, an verò etiam in foro interno, & absolutè.

Qua in controuersia *Antonius d. cap. de illis num. 3., & Alexander de Neuo nu. 14. de sponsalib.* videntur absolutè sensisse allegata iura procedere tantum permissiuè, & in foro externo, quod videtur colligi *ex glos. in d. cap. de illis in verbo iudicio in fin. de sponsalib.* vbi ponderans ex verbo, *si reclamauerit, nec voluerit in alterum consentire poterunt iudicio Ecclesiæ separari* subdit *non sunt inuiti compellendi, quià iniuitæ nuptiæ solent exitus difficiles habere*, quæ verba certè indicant solum permissionem, non compulsionem. Vlterius addunt, quod esset ridiculum asserere, esse valida impuberum sponsalia, & minimè obligare pro tempore, quo implenda sunt; non obligarent autem pro eo tempore, si iura loquerentur non solum permissiuè, sed etiam in foro interno animæ, vt per se patet. Nihilominus sit.

1 Sententia asserens iura loqui solum permissiuè, & in foro externo non compulsiuè, & in foro interno

Assertio. Huiusmodi iura procedunt in vtroque foro, sicque ex solo impuberis dissensu adepta pubertate soluuntur absolutè licitè sponsalia, *Enricus c. 2. de sponsal nu. 9. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 10. num. 28.*

2 Præfertur sententia opposita. Enricus. Paludanus.

Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi iura disponentia de iure recedendi à sponsalibus statim adepta pubertate habent pro fine maximam honestatem, vt scilicet immaturo puerorum iudicio prouiderent; non sufficientèr autem prouidissent, si solum permitterent in foro externo recla-

matio-

mationem, ipsos tamen in foro interno adhuc obstrictos retinerent. Confirmatur paritate votorum à pueris emissorum, pro quibus iura statuentia posse per parentes, & tutores irritari loquuntur non tantum permissiuè, & in foro externo, sed etiam absolutè, & in foro interno, ergò etiam hoc idem intelligendum est de promissione futuri matrmonij facta per impuberes, adeo vt iura quoad eandem non solum disponant de recisione permissiuè, & in foro externo, sed etiam in foro interno. Consequentia tenet, quià eadem militat ratio dispositionis in vtroque casu, indemnitas scilicet puerorum, ne ex immaturo iudicio contrahentes obstricti remaneant, postquam peruenientes ad maturitatem cognouerint contractum sibi non fore proficuum.

Habent pro fine maximum beneficium.

3 Ad ea, quæ ex aduerso pro contraria sententia afferebantur dicendum est, & quidem ad primum desumptum ex *Glosa in d.c. de illis de sponsalib.*, nec textum ipsum, nec glosam eo tendere, vt feriat assertionem nostram, sed tantum innuere, nec puberes, nec impuberes post contracta sponsalia compellendos esse ad matrimonium, nisi sponsalia fuerint iurata, & hoc proptèr eam rationem, ne deterius quid aliud contingant, & infelices habeantur exitus, qui certè ex illa compulsione rationabilitèr timeri possent. Ad secundum, seù ad id, quod subditur, dicendum est illa sponsalia esse secundum se valida, & parere effectum publicæ honestatis, vndè ex dispositione iuris solum habent, quod possint dissolui per reclamationem tempore habili ad reclamandum, quod est tempus immediatæ adeptæ pubertatis, quæ reclamatio, si tunc non fuerit posita, sponsalia antecedenter inita sine nouo consensu in suo esse perseuerant, & posteà obligant sine iure imposterum reclamandi.

Glosa.

Soluuntur rationes opposita sententia.

Solum hic remanet ambigendum, an si sponsalia per impuberes contracta fuerint iuramento confirmata possint ijdem impuberes adepta pubertate reclamare, & ab eisdem recedere. Sed de hoc aliquid fuit attactum in præcedentibus, & vberius infrà in disquisitionibus ex professo.

Difficultas excitata remissiuè.

PRÆNOTIO XIV.

An mutuo contrahentium consensu dissolui possint sponsalia.

SVMMARIVM.

Possunt ne dum validè, sed etiam licitè mutuo consensu dissolui sponsalia. 1.
Consensus mutuus debet esse liber ea libertate, quæ requiritur ad cessionem iurium. 2.
Possunt sic dissolui, quamuis fuerint iuramento firmata. 3.
Si iuramentum fuerit principalitèr conceptum in honorem Dei adhuc probabilitèr sponsalia sic iurata possunt mutuo consensu dissolui. 4.
Ad dissoluenda sponsalia iurata mutuo consensu non est necessaria iuramenti relaxatio. num. 5.

Generalis regula est in omnibus ferè contractibus, vt per quas causas nascuntur, per easdem etiam dissoluantur. Difficultas modo est, an hoc idem contingat in contractu sponsalium inter puberes inito propter textum *in c. 2. de sponsalibus*, vbi sic legitur. *Quià de contrahendo matrimonium sibi fidem dederunt commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, vt fidem obseruent; si autem se adinuicem admittere noluerint, ne deteriùs indè contingat, potest in patientia tolerari*, vbi cum dicatur *posse in patientia tolerari, ne deterius indè contingat* non videtur mutuo consensu præcisè posse licitè dissolui, quià quod permissum est tanquam licitum non toleratur præcisè cum patientia, & quod fit, ne deterius aliquid contingat, non fit præcise ratione consensus, sed intuitu damnorum, & mali exitus, quæ, seu qui indè timentur. Dixi *inter puberes inito* propter nonnullos asserentes sponsalia inter impuberes non posse mutuo consensu dissolui, nisi post completam plenè pubertatem.

Ius, in quo fundatur ratio dubitandi.

Ad clariorem propositæ difficultatis discussionem plures erunt sub hoc titulo inspectiones habendæ, & articuli examinandi. Primus erit, an non solum validè, sed etiam licitè eodem mutuo consensu possint dissolui, & qualis consensus respectu vtriusque requiratur. Secundus, an etiam validè, & licitè possint dissolui, si fuerint iuramento firmata. Tertius, an requiratur iuramenti relaxatio, vt dissolui possint, quandò fuerunt inita cum iuramento.

Variæ inspectiones circà titulum.

1 Assertio I. Possunt ne dum validè, sed etiam licitè mutuo consensu dissolui sponsalia *D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 3. ad quintum. D. Antoninus part. 3. tit. 1. cap. 18. §. 1. cas. 5. Henricus c. de illis nu. 5. de sponsalib. Brunellus de sponsal. concl. 9. num. 2. Sanchez de matrim. lib. 1. de sponsalib. disp. 52. num. 2. Coninchus disp. 23. n. 1. Bonacina de matrim. q. 1. punct. 10. n. 1.*

Dissoluuntur mutuo consensu. D. Thomas. D. Antoninus. Henricus. Brunellus. Sanchez. Coninchus. Bonacina.

Ratio ex eo deducitur, quià sponsalia non ingerunt secundum se vinculum indissolubile, sicut matrimonium ob rationem sacramenti, quæ in eodem imbibitur, & de facto multis ex causis dissoluuntur, propter quas non dissoluitur matrimonium, nec vinculum coniugale, ergò non erit, cur mutuo etiam consensu non possint dissolui. Consequentia probatur, quià in cæteris omnibus natura sua non insolubilibus similis consensus valet, & sufficit ad dissol-

Cæteri contractus dissolubiles mutuo consensu dissoluuntur.

dissoluendam, nec in hoc sponsalia habent aliquam specialem rationem, non enim ex eo, quod ordinentur ad matrimonium trahunt secum eiusdem indissolubilitatem, nec fortius vinculum contrahunt. Confirmatur, quià per dissensum præcisè interpretatiuum dissoluuntur sponsalia, vt specialitèr diximus de eo, qui contractis sponsalibus in longinquas discedit regiones, cum tunc videatur tacitè renunciare, & ratione talis renunciationis alter absolutè remanet liber, ergò, si vterque recedet, vterque erit liber, ergò, si per mutuum consensum interpretatiuum dissoluuntur, poterunt à fortiori dissolui per mutuum expressum, & formalem. Confirmatur secundò *ex c.1. de reg. iur.*, vbi dicitur *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur*, ergò, si sponsalia mutuo consensu contrahantur, valide mutuo etiam dissensu poterunt resolui.

Nec natura, nec ius positiuum obstat.

Dixi, *nedum validè, sed etiã licitè*, quià neque ex natura sua aliqua elucet in tali dissolutione deformitas, nec aliqua aduersatur iuris prohibitio; non ex natura sua, cum per talem discessum nullius ius violetur, cum scienti, & consentienti non fiat iniuria; non iuris prohibitio, cum tale ius prohibens non sit assignabile.

2 *Quanam libertas requiratur.* Sanchez. Lessius. Coninch. Bonacina.

Assertio II. Huiusmodi consensus mutuus ad dissoluenda sponsalia debet esse liber ea libertate, quæ requiritur ad cessionem iurium, vt sit valida. *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 52. num. 3. Lessius de iustitia c.27. dub 5., & 6., & c.10 num. 14. Coninchus d.disp.23 dub.1. num.2. vers. nota hac, Bonacina de matrim. q.1. punct. 10. nu.3.*

Ratio ex eo deducitur, quià nemo inuitus dicitur iuribus suis iam acquisitis cedere, & solum nolens priuatur iure suo in pœnam, quæ ratio hic non militat, ergò, vt eo iure priuetur, debet spontè, & liberè cedere, nam hic versamur in dissolutione, quæ fit per contrahentium consensum, non per pœnalem aliquam dispositionem. Rursus hæc iuris cessio, & remissio est quasi quædam species donationis, sed ad donationem requiritur vt sit valida, plena libertas, ergò &c. Confirmatur, quià ad hoc vt aliorum debitorum valida sit remissio debet esse omninò libera, vt docent *Sanchez d.disp.52. num.3. prope medium Coninch. item d.disp.23. dub.1. nu.3. vers. nota hac*, ergò etiam vt sit valida remissio debiti, quod consurgit ex sponsalibus, debet esse cum plena libertate.

Est quasi quædam species donationis. Sanchez. Coninch.

Hinc in vniuersum deducitur, quod quotiescunque concurrit metus cadens in constantem virum, & secundum se constituens inuoluntarium mixtum, & talis, qui secundum se non esset sufficiens ad validè contrahendum, inualida sit remissio, cum non sit cum libertate sufficienti; quotiescunque verò talis metus non concurrat, sed hortamenta, preces, & suasiones, prout latè supra diximus suis locis, dum de consensu requisito ad validitatem sponsalium, tunc valida sit talis cessio, quià hæc non tollunt rationem libertatis sufficientis &c.

Extante metu cadente in constantem virum non dissoluuntur.

3 *Etiam si fuerint iurata.* D.Thomas Sotus. VeraCrux Henriqu. Siluester. Carerius.

Assertio III. Quantumvis sponsalia fuerint iuramento firmata possunt mutuo consensu dissolui. *D. Thomas secunda secundæ q.89. art 9. ad secundum Sotus lib. 8. de iust. q.1. art.9. ad secundum VeraCrux prima part. specul. art.22. in fin. Henriquez lib.11. de matrimon. c.14. num 6. Siluester verb. sponsalia q.10. cas.1. Carerius lib.1. de sponsalibus cap.15.*

Dupliciter possunt esse iurata, & quomodo.

Pro clariori tamen notitia, & elucidatione assertionis aduerte, huiusmodi iuramentum potuisse duplicitèr concipi, primò in fauorem partis simplicitèr quatenus dirigitur in Deum tanquam in testem promissionis homini factæ; secundò, quatenus principalitèr fit in honorem Dei, licet etiam respiciat, quasi accessoriè vtilitatem promissarij, vt si quis intuitu pietatis præcisè iuret se fœminam pauperem ducturum. Procedit potissimum assertio quoad iuramentum primo modo expositum; quid deindè dicendum sit quoad idem, quando secundo modo elicitur, subdam immediatè.

Iuramentum inductum in fauorem partis sequitur naturam, & conditiones actus, cui adijcitur.

Probatur iam assertio, quià iuramentum inductum præcisè in fauorem partis sequitur normam, & conditiones promissionis, in cuius firmitatem adijcitur, sed promissio semper intelligitur sub tacita conditione, si alter acceptarit, vel nisi iuri suo cesserit, ergò etiam iuramentum debet intelligi sub tacita illa conditione, ergò cedente altero promissario iuri suo intelligitur promittens non solum exemptus à promissione, sed etiam à iuramento. Confirmatur, quià per illud iuramentum nullum ius acquiritur Deo, sed tantum promissario, sed quilibet potest cedere iuri in sui fauorem tantum inducto, ergò &c. Confirmatur secundò, quià sponsio facta parti est materia, circa quam versatur iuramentum factum Deo, ergò facta cessione sponsionis, adeoque ipsa ablata tollitur, & vis iuramenti, quod esse nequit sine materia, sed ex eo, quod alter sponsus per proprium consensum renunciet sponsalibus aufert ipsam promissionem elicitam per alterum, ergò &c.

4 *Etiam si fuerit iurata specialitèr in honorem Dei.* Cardinalis

Hic iam dissoluenda remanet difficultas proposita in notabili, quando scilicet iuramentum sit principalitèr in honorem Dei, an mutuo consensu sponsalia cum illo iuramento inita possint mutuo consensu dissolui. Probabilius sentio etiam in ea hypothesi, si promissarius spontè, & liberè cedat sponsalibus tali iuramento initis, eadem validè dissolui *Cardin. c. 2. de sponsal.*

num.

Cueus, Sanchez. Coninch. Bonacina,

num.4. *Antonius Cueus lib.5. instit. maior. tit. 10. num.6. Sanchez de sponsalib. lib.1. disp. 52. num.8. Coninchus d. disp.23. dub.1. num. 2. Bonacina de matrim. q.1. punct.10. num.2.* Ratio ex eo deducitur, quia quantumvis illa obligatio per iuramentum hoc modo conceptum sit ex diuerso titulo, & motiuo, ac quando iuramentum concipitur præcisè in fauorem partis, tota tamen cedit in fauorem promissarij, ergò eodem promissario cedente, seù remittente ius suum, non erit, cur promittens liber non remaneat.

Obligatio tota cedit in fauorem partis.

Dices primò *ex D. Thoma 2. 2. qu. 89. ad secundum* promissum titulo pietatis non posse remitti ab eo, cui fit promissio, ergò à fortiori, si accedat iuramentum tali intuitu non poterit fieri remissio, quandoquidem non solum cederet iuri suo, sed etiam iuri Deo acquisito. Sed contrà, quià D. Thomas loquitur in hypothesi, qua tota promissio non cederet in fauorem hominis promissarij, quod non euenit in casu nostro, secundum quem totum, quod promittitur, est in fauorem alterius contrahentis, licet ex diuerso motiuo, vt per se patet.

Explicatur D. Thomas vt non obstans assertioni.

Dices secundò, quod illud iuramentum sub titulo pietatis respiciens honorem Dei voto æquiualeat, vt est in confesso apud ferè omnes, sed voto, cum ius Deo sit acquisitum, nemo potest renuntiare, ergò &c. Sed contra, dato etiam, quod tale iuramentum sic conceptum æquiualeat voto, adhuc tamen non obligat, quando per promissarium est absolutè, & liberè remissum, quandoquidem etiam voto, quod solum cedit in fauorem alterius tertiæ personæ potest quoad effectum deobligandi promittentem per promissarium cedi, vt videre est in vouente Deo dare eleemosinã Petro pauperi, qui, si remittat illud ius, quod sibi competit per votum promittentis, & vouentis, vtique eundem vouentem, & promittentem liberat ab onere, quod sibi imposuit per votum, & licet iuri Deo acquisito directè homo renuntiare non possit, potest tamen indirectè, & quasi in consequentia, quatenus cedit iuri proprio, in quo est fundatum ius Dei.

Instantia proposita, & soluta.

Indirectè cederet, & in consequentiam.

5 Assertio IV. Non est necessaria iuramenti relaxatio ad dissoluenda sponsalia mutuo contrahentium consensu. Consentiunt quotquot sustinent sponsalia iurata mutuo consensu dissolui.

Non est necessaria iuramenti relaxatio.

Ratio ex eo deducitur, quià posita cessione ex parte alterius, cui ius acquisitum est ex vi promissionis, iuramentum ipsum non obligat iurantem, seù promittentem, ergò iurans, seù promittens non indiget relaxatione à iuramento, quià vinculum, quod non obligat, non indiget dissolui.

Iam respondendum est ad id, quod fuit obiectum *ex c. 2. de sponsalib.*, vbi dicuntur omnibus modis commonendi contrahentes, & si nolint contrahere, Ecclesia tolerat; respondendum, inquam, est, ea in d. textu præcipi ad tollendam vulgi opinionem, secundum quam non contrahentes videntur fidei vinculum violare, quod, si commoniti persistant in voto, non contrahendi Ecclesia tolerat non solum permittens, sed etiam approbans. Dici etiam potest Ecclesiam præcipere sine monitionem ob periculum, quod esse potest, quod alter non liberè consentiat remissioni iuris acquisiti ad tollendam quamcunque suspicionem inuoluntarij.

Soluitur obiectum ex c.2. de sponsalibus.

PRÆNOTIO XV.

An in omnibus casibus, in quibus possunt sponsalia dissolui, requiratur Iudicis auctoritas.

SVMMARIVM.

Per se loquendo, quando causa dissolutionis est publica, & certa tàm de iure, quàm de facto non exigit vllam Iudicis auctoritatem. 1.

Si causa dissolutionis certa sit de iure, & de facto non tamen publica, & sponsalia item sint occulta possunt priuata auctoritate dissolui. 2.

Secus, si sponsalia fuerint publica, & causa occulta. 3.

An tunc dissoluere sine iudice sit lethale, vel veniale ex qualitate scandali arguendum est. 4.

Non possunt contrahentes propria auctoritate dissoluere, quando causa est dubia. 5.

Iudex in huiusmodi causis debet esse Ecclesiasticus. 6.

IVxtà diuersitatem causarum, quæ contingere possunt circa huiusmodi dissolutionem dirimenda res est; vel etenim huiusmodi causa est publica, & certa, quatenus habetur expressè in iure apposita, & certum, & publicum est, talem causam adesse, qua ratione dicitur publica, & certa, tàm de iure, quàm de facto, vel est certa, tàm de iure, quàm de facto, non tamen publica, sed occulta, vel est dubia de iure, quià non est certum esse sufficientem, seù de facto, quià alter non est certus eam adesse. Rursus considerandum est etiam comparatiuè ad huiusmodi causas, an sponsalia fuerint publicè contracta, an tantum priuata. Tandem, quando huiusmodi auctoritas requiritur considerandum erit, cuiusnam Iudicis auctoritas exigatur Ecclesiastici ne tantum, an etiam laicalis.

Causa dissolutionis vel potest esse publica, vel priuata, & occulta, & quomodo.

Assertio I. Per se loquendo, quando causa 1

Quando causa est publica, & certa non exigit Iudicis auctoritatem. Siluester. Nauarrus. Paludanus Petrus de Ledesma.

causa dissolutionis est publica, & certa, tam de iure, quàm de facto non exigit pro dissolutione vllam Iudicis auctoritatem, siue sponsalia sint publicè, seù in faciem Ecclesiæ inita, siue priuatim inter ipsos contrahentes. *Siluester verb. sponsalia qu. 11. Nauarrus in summa c. 22. num. 28. Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. num. 36. Petrus de Ledesma de matrim. q. 43. art. 3. dub. vlt., & alij communiter.*

Ratio ex eo deducitur, quià celebratis sponsalibus sub aliqua conditione honesta, & possibili non purificata conditione eorundem fit resolutio nulla Iudicis expectata auctoritate, cum contractus normam accipiant iuxta intentionem contrahentium, ergò etiam celebratis sponsalibus superueniente posteà legitima causa dissolutionis poterunt eadem propria auctoritate sine Iudicis interuentu dissolui. Consequentia probatur, quià quantumuis in celebratione contractus non fuerit expressè apposita illa conditio, *nisi iusta causa dissolutionis interuenerit*, intelligitur tamen tacitè, & implicitè interuenire, nam contrahentes semper supponuntur contrahere ea intentione, nisi res fuerit notabilitèr mutata, sed permaneat in eodem esse.

Illa conditio semper implicitè inest.

Dices primò, quod hac ratione euinceretur, quod ipso iure essent sponsalia irrita, nec indigerent resolutione, adeovt, si vellent posteà contrahere, nouum actum consensus deberent apponere, quandoquidem ex genere suo non purificata conditione contractus sub illa initus euanescit. Sed contrà, quià illa conditio non est absoluta, sed ipsa quoque conditionata, si scilicet ea non purificata contrahentes voluerint recedere, vnde in celebratione contractus consensus fertur absolutè in obiectum, & conditio, quæ implicitè imbibitur in contractu, dicit ordinem ad vlteriorem actum posteà ponendum, vel dissensus ad resoluendum contractum, vel consensus ad firmandum, qui actus consensus sufficit, si sit virtualis, quatenus non retractetur prior consensus, vel de nouo ponatur actus, qui cum eodem consensu videatur coniungi.

Illa conditio non est absoluta, sed ipsa queq; conditionata.

Dices secundò, data hac nostra assertione semper sponsalia essent conditionata, & sic ex illis interueniente iusta causa dissolutionis nunquam orietur impedimentum publicæ honestatis, si quidem ex contractu conditionali illud non oritur, quod tamen est absurdum. Sed contrà, quià conditio implicitè imbibita in contractu non reddit contractum condilionalem, nisi ad eum effectum, vt si illa conditio non euenerit, conferatur ius dissoluendi, vt expressè colligitur ex textu *in l. conditiones, quæ extrinsecus ff. de condit., & demonst., & cap. significasti de elect.*, & tradunt scribentes in *l. 3. ff. de legat. 1.* Dici etiam potest ea, quæ dicuntur in instantia, verificari, quando ea conditio est absoluta, secus quando, & ipsa est conditionata, & secundum se non irritat, sed refertur in arbitrium contrahentium.

Conditio implicitè imbibita non reddit contractum conditionatum.

Dices tertiò, stante ratione adducta in probatione assertionis etiam possent dissolui sponsalia priuata contrahentium auctoritate, quantumvis causa dissolutionis non esset publica de iure, & de facto, si quidem non purificata conditione, vterque contrahens liber permanet. Sed contra illatio, quæ ponitur in instantia vera est, si consideretur res ex genere suo, & proindè in assertione diximus *per se loquendo*; Cæterum in ordine ad adiuncta, seù ad ea, quæ consequi possent, nempe ad scandala vitanda innotescente publicè de existentia sponsalium, & non constante de tali causa dissolutionis publicè requiritur eiusdem Iudicis auctoritas, per quam huiusmodi scandali ratio euitetur.

Requiritur Iudicis auctoritas ad euitanda scandala.

2 Assertio II. Si causa dissolutionis certa sit de iure, & de facto, non tamen publica, sed occulta, & sponsalia item sint occulta possunt hæc priuata auctoritate dissolui, secus, si causa sit occulta, & sponsalia publica, seù in faciem Ecclesiæ contracta. Itaquoad primam partem *Riccardus in 4. dist. 27. art. 3. qu. 4. D. Antoninus tertia parte tit. 1. cap. 18. §. 1. Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. num. 37. Siluester verb. sponsalia qu. 11.* Quoad secundam *Angelus verb. sponsalia num. 24. Nauarrus in summa c. 22. num. 28. Philiarchus de offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 1. Tabiena verb. sponsalia quæst. 8. num. 10.*

Si sponsalia sint occulta, & causa certa licet non publica possunt etiam priuatim dissolui. Riccardus D. Antoninus. Paludanus Siluester. Angelus. Nauarrus. Phyliarch. Tabiena.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, & ex genere suo ius viget dissoluendi, & ex dissolutione nulla scandali ratio emanat, ergò non est, cur non possint sponsalia validè, & licitè propria auctoritate dissolui. Antecedens quoad primam partem patet ex imbibita illa conditione in contractu sponsalium, *si scilicet res non fuerit mutata, sed in eodem esse permaneat*; quoad secundam sic euincitur, quià vbi paria sunt quoad notitiam celebratio contractus, & causa dissolutionis eiusdem nulla vrget ratio actiua scandali, siquidem, si opponatur ratio contractus iam initi, potest etiam opponi exceptio causæ legitimæ eundem dissoluendi.

3 Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià indè potest emanare ratio non irrationabilis actiua scandali, quandoquidem certo, & publicè constat de contractu, non tamen constat de causa dissolutionis eiusdem, ergò, cum vnusquisque teneatur, quantum in se est, scandala euitare, tenebitur Iudicis auctoritatem inquirere, per quam scandali ratio euitetur.

Secus, si sponsalia sint publica, & causa occulta.

4 *De qualitate scandali arguendum est, an in hoc casu sine Iudicis auctoritate dissoluere sit noxa lethalis, vel venialis.*

Hic disputant DD., an in hac hypothesi dissoluere sponsalia propria auctoritate irrequisito Iudice sit noxa lethalis, an tantum venialis. Ex qualitate scandali, quod indè oriri potest, dirimenda est controuersia; vel etenim ex qualitatibus concurrentibus ità augetur, vt grauia indè scandala timeantur, & tunc certè non eximerem à noxa lethali, quià, quantumvis ex illa causa ius habeat alter sponsus dissoluendi, debet tamen eodem iure taliter vti, vt nec sibi, nec alijs noceat; si igitur vtatur grauibus concurrentibus circunstantijs, & qualitatibus, vt grauitèr ex illo vsu cæteri offendantur, certè iuxtà qualitatem eiusdem noxam etiam contrahet; vel non ità augetur, vt graue damnum timeatur, seù scandalum, & tunc à noxa lethali sic dissoluentem liberarem; quià noxa non est nisi ratione scandali; si igitur noxa scandali nō est grauis, nec notabilitèr iniuriosa, nec noxa ipsa erit grauis, nec notabilitèr talis. Cæterum secundum se, & ex natura sua loquendo arbitror noxam illam non esse lethalem, quià sic dissoluendo vtitur iure suo, nec aliquod ius prohibet talem dissolutionem existente causa per propriam auctoritatem, & regularitèr illud scandalum est potius passiuum, quàm actiuum, cum vnusquisque debeat præsumere, quod quisque rationabilitèr operetur, & ex causa.

5 *Quando causa est dubia non possunt ex se dissoluere* Paludanus, Lopez. Sanchez.

Assertio III. Non possunt contrahentes propria auctoritate dissoluere, quandò causa dissolutionis est dubia vel de iure, vel de facto. *Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. nu. 38. Ludouicus Lopez 2 pars. instruct. de matrimonio cap. 38. ad finem Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 69. n. 8.*

In dubio nemo inuitus priuandus est suo iure.

Ratio ex eo deducitur, quià per contracta legitimè sponsalia contrahentes ratione fidei ad inuicem præstitæ perfectè ius acquisierunt, vt matrimonium compleatur, ergò illo non possunt priuari existente causa dubia dissolutionis. Consequentia probatur; quià in dubio nullus inuitus priuandus est iure suo, cum in dubio melior sit semper conditio possidentis. Quamobrem ratione violationis huius iuris non incongruè statuunt Doctores, quod recedentes sine Iudicis auctoritate contrahant noxam lethalem; cum præcipuè, vbi agitur de præiudicio tertij, nemo possit esse Iudex in causa propria. Hic tamen aduerte, quod, quantumvis excludatur dubium in causa resolutionis contractus sponsalium, non tamen absolutè requiratur certitudo Physica, & in se, sed sufficiat certitudo moralis, quæ per rationes concludentes morales inducat prudentem credulitatem de existentia, & sufficientia talis causæ ad dissoluendum, de qua re infrà vberius in sequentibus prænotionibus.

6 *Iudex debet esse Ecclesiasticus.*

Assertio IV. In casibus, in quibus requiritur Iudicis auctoritas ad dissoluenda sponsalia, quandò causa, vel non est certa de facto, & de iure, vel non est publica, cum sponsalia sint talia, talis Iudex debet esse Ecclesiasticus habens pro foro externo iurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam *Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. num. 38. Sanchez lib. 1. de sponsalib. quæst. 69. num. 10.* Paludanus, Sanchez.

Iudex quoad validitatem sponsalium est Ecclesiasticus priuatiuè.

Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebamus, quià scilicet causæ matrimoniales, & sponsalium quoad ea, quæ pertinent ad validitatem, vel inualiditatem sunt causæ Ecclesiasticæ; cum referantur ad rationem sacramenti vel in actu, vel in habitu, quantumvis quoad adiacientia, puta quoad dotem possint esse Laicales, ergò quoad huiusmodi causas sufficientiæ, vel insufficientiæ causæ ad dissoluenda sponsalia non debet, nec potest Iudex laicus se ingerere, sed debet easdem remittere ad Iudicem Ecclesiasticum tanquam solummodò competentem in huiusmodi causis priuatiuè quoad alios.

Debet habere pro foro externo iurisdictionem.

Dixi, *habens pro foro externo iurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam*, ad excludendum Parochum, qui quamvis sit Ecclesiasticus habens curam animarum, & iurisdictionem in administratione sacramentorum, & alijs, non tamen habet iurisdictionem quoad iudicia pro foro externo, vt est manifestum. Quamobrem talis Iudex debet esse, vel Episcopus in propria Diœcesi, vel ipsius Vicarius generalis, vel capitulum sede vacante, vel Abbas habens proprium territorium, vel iurisdictionem ordinariam in eodem, quantumvis non habeat auctoritatem ordinis, quià in huiusmodi causis non requiritur auctoritas ordinis, sed tantum iurisdictionis Ecclesiasticæ pro foro externo.

Explicatio textuum.

Pro complemento eorum, quæ in hac prænotione dicuntur, explicandi sunt duo textus, quibus videtur semper requiri auctoritas Iudicis ad dissoluenda sponsalia, quantumvis interueniat legitima causa dissolutionis; alter *in c. duo pueri de desponsat. impub.*, vbi grauis imposita est pœna cuidam, qui recessit à sponsalibus irrequisito Ecclesiæ iudicio; alter *in c. de illis eod. tit.*, vbi dicuntur impuberes, postquam ad pubertatem peruenerint, reclamantes iudicio Ecclesiæ debere separari. Ad primum igitur textum, dico ibi fuisse sermonem non de recessu ex sponsalibus cum legitima causa, sed de recessu à matrimonio de præsenti, & vtique sine causa, vt bene ponderando textum notat *Sanchez d. disp. 69. in fine*. Ad secundum dico ibi non præcipi, vt fiat reclamatio coram Ecclesia, & expectetur iudicium eiusdem Ecclesiæ, sed tantum dici, quod, si impubes factus pubes reclamauerit coram Ecclesia sepa-

separetur per eandem Ecclesiam, seu ipsius iudicium.

PRÆNOTIO XVI.

An in dubio probabili existentiæ, vel sufficientiæ causæ ad dissoluenda sponsalia possit sic dubitans propria auctoritate eadem dissoluere.

SVMMARIVM

In dubio probabili existentiæ causæ sufficientis probabilius est non posse altero contradicente recedere propria auctoritate, sed expectandum est Iudicis decretum. 1.

Iudex Ecclesiasticus delata ad se huiusmodi causa non potest iudicare secundum opinionem minus probabilem relicta probabiliori non solum, quando est sermo de maiori probabilitate facti, sed etiam iuris. num. 2.

QVoniam incidit in præcedenti prænotione assert. 3. in probatione sermo de causa dubia dissolutionis sponsalium, vbi tamen asseruimus non requiri certitudinem Physicam, sed sufficere moralem, hic ex professo rem examinantes inquirimus, an stante opinione probabili de tali existentia, & sufficientia possit eidem adhærere non obstante alia opinione ad contrarium, siue illa sit æquè probabilis, siuè probabilior.

Ratio potissimum dubitandi in eo consistit, quia, si ipse proptèr rationes probabiles, circà existentiam, vel sufficientiam causæ tribuentis ius ad dissolutionem adhæret opinioni probabili affirmanti, alter intuitu rationum aduersantium, quæ æquè probabiles, vel fortè etiam probabiliores reputantur, potest validè adhærere opinioni neganti talem existentiam, vel sufficientiam causæ dissoluentis, quamobrem, cum hic versemur in contractibus correspectiuis non videtur esse potior ratio pro affirmante talem existentiam proptèr rationes probabiles, ac pro negante proptèr rationes probabiliores, & licet vnicuique liberum videatur sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, non tamen videtur liberum posse eandem sequi, quandò cederet in præiudicium alterius habentis ius ex rationibus probabilioribus. *Ratio dubitandi proponitur.*

1 Assertio I. Probabilius est in hac hypothesi non posse altero contradicente recedere propria auctoritate, sed expectare debere Iudicis decretum. Ita sentire videtur *Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrimon. cap. 38. ad finem*, licet non ità explicitè, dum dicit esse peccatum lethale, quando causa non est ità certa dissoluere sponsalia, nisi auctoritate Iudicis asserentis causam esse sufficientem. *Expectandum; esse Iudicis decretum. Lopez.*

Probatur assertio primo, quià in controuersijs iuris, & facti, vbi militant rationes pro vtraque parte contendente de proprio iure in causis, & contractibus correspectiuis nemo potest esse Iudex in propria causa, quæ respicit etiam ius alterius, ergò iuris forma seruanda est, secundum quam per publicum iudicium quæstio est dirimenda. Antecedens patet, quià est maxima præsumptio iniustitiæ, dum quis iudicat pro se ipso aduersus alium. Confirmatur, quià æquum omninò non est, vt quis priuetur iure suo sine cognitione proprij iuris, & propriæ causæ, vbi est controuersia non solum iuris, sed etiam facti, sed in huiusmodi controuersijs Iudex solummodò est cognitor causæ, ergò sine iudicis auctoritate &c. *In controuersijs iuris, & facti nemo Iudex est in propria causa.*

Probatur secundo, quià in causis matrimonialibus, & sponsalium solus Iudex Ecclesiasticus est legitimus, vbi est controuersia de validitate, & inualiditate per superius allegata, & probata, ergò vbi partes inter se non conuenerint, & alter de validitate, alter de inualiditate, vel de sufficienti, vel de insufficienti causa dissoluendi contenderint ad Iudicem solum Ecclesiasticum spectabit eandem controuersiam inspectis rationibus vtriusque dirimere. *Solus Iudex Ecclesiasticus in hoc decidit.*

2 Assertio II. Iudex Ecclesiasticus delata ad se huiusmodi causa non potest iudicare secundum opinionem minus probabilem relicta probabiliori non solum, quandò sermo est de maiori probabilitate facti, sed etiam de maiori probabilitate iuris. Quoad maiorem probabilitatem facti est in confesso apud omnes; quoad maiorem probabilitatem iuris est contra Salonium, & Arragonium in secundam secundæ D. Thomæ quæst. 63. art. 4., & alios plures. *Debet iudicare secundum opinionem magis probabilem. Salonius. Aragonius.*

Probatur primo in vniuersù ex declaratione Sanctissimi D. N. Innocentij Papæ XI. nunc regnantis, qui in generali congregatione Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita die 2. Martij 1679. damnauit propositionem illam, quæ est in ordine secunda, qua dicitur *Probabilitèr existimo Iudicem posse iudicare secundum opinionem minus probabilem*, quod, si hoc verum est in alijs omnibus controuersijs non video, cur verum non sit in controuersijs iuris, & facti in causis matrimonialibus, & sponsalium, quæ cum sint maximè fauorabiles inter rationes æquales potius exigunt iudicari pro se, quam contra se. *Euincitur declaratione Innocentij XI.*

Probatur secundò, quià, quamuis regularitèr, & spectata præcisè honestate actus liceat sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, si tamen hoc

hoc verum est stante moderna declaratione eiusdem Innocentij XI., qui damnauit propositionem, quæ est in ordine. Tertia, qua dicitur *Generatim, dum probabilitate siue interna, siuè externa, quantumuis tenui modò à probabilitatis finibus non exeatur confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus,* quæ damnatio vtrum feriat probabilitatem minorem in quocunque genere relicta probabiliori, seù maiori probabilitate alibi videbimus, quamvis, inquam, regulariter tali honestate spectata illa sententia subsisteret, nihilominus, quando adest aliqua specialis obligatio aliundè, vel imminet aliquod damnum proximo, non licet sequi sententiam minus probabilem relicta probabiliori, sed hoc contingit in nostro casu, cum Iudex ex officio teneatur consulere litigantibus meliori modo, quo potest, & ex iustitia distributiua, quæ forma est cuiuscunque iudicij, obligatur attendere maiora merita causæ; habet autem maiora merita illa causa, quæ habet pro se maiorem probabilitatem non solum facti, sed etiam iuris, ergò Iudex non potest licitè sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori, & si sequatur, peccabit tum contrà iustitiam commutatiuam ratione officij, tum peccato acceptionis contra distributiuam non seruando debitam iudicij formam.

Quando agitur de damno proximi tutius procedendum est.

Causa probabilior habet maiora merita.

Probatur tertiò, quia causæ matrimoniales, & sponsalium sunt ex genere suo maximè fauorabiles, vnde ex superius dictis in dubio potius est præsumendum pro matrimonio, ergò Iudex in controuersia, an causa dissolutionis subsistat, vel non subsistat, debet potius in fauorem partis asserentis contractum subsistere, & causam huiusmodi nõ infirmari, quã partis contendentis contractum infirmari, & causam dissolutionis subsistere, iudicare. Quod, si asseras hoc iudiciũ inducere præsumptionem rixarum inter coniuges, si ex vi illius contraheretur matrimonium, & inde timeri posse infelices exitus, tunc respondebimus motiuum dissolutionis, tunc non prouenire ex illa causa formalitèr, sed ad summum occasionalitèr, quatenus ex illa contrahentes desumerent occasionem altercandi, sed formalitèr ex illis dissidijs; & rixis præuisis; ob quæ rescindi posse supra affirmauimus.

Causa matrimonij, & sponsalium sunt maximè fauorabiles.

PRÆNOTIO XVII.

An sponsalia ex dolo alterius contracta sint ipso iure irrita, vel irritanda.

SVMMARIVM.

Dolus quid sit, & vnde desumatur eius malitia. 1.

Si contractus fuerit dolo antecedenti per alterum contrahentem inducto initus est ex parte decepti ipso iure irritus. 2.

Ex parte decipientis, quamvis, si alter velit persistere, ipsum obliget, non oritur tamen impedimentum publicæ honestatis, quià tantum obligat ex vi pacti, & in pœnam. 3.

Si dolus inductus per tertium fierit circa substantiam irritat ipso facto, si circa accidentia, tribuit ius ad irritandum. 4.

RECole ea, quæ diximus de dolo *tom. 1. sub tit. Contractus I. de contract. vt sit in disq. §. 9.*, nempe esse simulationem quandam, & machinationem ad aliquem decipiendum *l. 1. §. dolum ff. de dolo*, eiusque malitiam potius desumi ex peruersitate decipientis, quam ex obiecto, quamvis hoc etiam formaliter concurrat *l. 1. §. non fuit autem ff. de dolo*. Porrò dolus triplex est quodamodo, alter antecedens, qui scilicet antecedit omnem actum voluntatis, & est causa contractus, seù dat causam contractui non quidem positiuè, sed remouendo id, quod prohiberet contractus celebrationem, si ipse dolus non interuenirét, alter concomitans, qui comitatur actum, qui fit; non est tamen causa illius, quià etiam, si contrahens habuisset cognitionem oppsitam dolo, contractum inijsset; alter subsequens, qui actum voluntatis, quo celebratur contractus, subsequitur, qui propterea etiam, si talis dolus non interuenisset, fuisset elicitus, & in suo esse subsistit, cum illud iam habuerit antecedentèr ad dolum oppositum. Plura de huiusmodi dolo secundum omnia sua membra incidentèr attigimus in præcedentibus, sed quià huiusmodi quæstio valde vtilis esse potest ad varias quæstiones perimendas, & præcipuè, an contractus cum illo initus pariat impedimentum publicæ honestatis, nec ne, nam, si irritat contractum ipso facto certè tale impedimentum non gignit, si non irritat, tribuit tamen ius ad dissoluendum, ipsum parit, ideò eam examinandam ex professo assumimus. 1

Dolus quid sit, & vnde desumatur eius malitia.

Dolus triplex est, & qualis.

Aduerte vlterius, quando huiusmodi dolus fuit antecedens, vel potuit esse inductus ab altero contrahente ad decipiendum alterum, vel à tertia quadam persona, siue altero, in cuius fauorem inductus est sciente, siuè ignorante, vel tandem à nemine, sed dumtaxat ex propria falsa existimatione decepti. His pro notitia præsuppositis sit.

A quonam possit induci.

Assertio. Si contractus fuerit dolo antecedenti per alterum contrahentem inducto initus, est ex parte decepti ipso iure irritus. Consonat cum ijs, quæ allegatis Doctoribus, & citatis iuribus diximus *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsalib. l. Prænot. 5. sect. 8. assert. 1.*, ad quæ vos remitto. Dixi *ex parte decepti*, non enim eximerem ab 2

Dolo antecedenti per alterum contrahentem inducto est contractus ipso iure irritus.

ab obligatione decipientem, si innocens cognito dolo adhuc stare vellet sponsalibus; non enim æquum est, vt decipiens ex sua dolosa promissione commodum referat, nec dolus vllo modo potest suffragari suo auctori; quinimmò loco citato diximus in ea hypothesi sufficere, si dolo deceptus, nouum consensum liberum eliciat.

Hic oritur difficultas, quomodo hæc, quæ hic dicuntur, cohæreant cum his, quæ communitèr circumferuntur, nempè ex sponsalibus dolo antecedenti irritis non oriri impedimentum publicæ honestatis. Quomodo ergò obstrictus remanet decipiens, & vinculum honestatis non oritur? Pro solutione aduertendum

3 *Nō obligat decipiētem in vim sponsalium, sed in vim pacti præcisè.*

est, quod, quantumvis illa sponsalia in sua origine non subsistant in ratione sponsalium, nisi cognito dolo deceptus, & innocens nouum consensum præbuerit, subsistant tamen quantum est ex parte dolosi, & decipientis in ratione promissionis, quam supponitur liberè præstitisse licet cum machinatione ad alterum decipiendum; vndè quoad vsque innocens, & deceptus cognito dolo non consenserit de nouo tale impedimentum publicæ honestatis non oritur, cum oriatur solummodò ex sponsalibus, vt talibus, & vtique validis, non autem ex nuda promissione alterum tantum obligante.

Quando dolus inductus est per alterum à contrahentibus, an contractus sit ipso iure irritus.

Dixi *dolo antecedenti per alterum contrahentem inducto*; si etenim ille dolus inductus fuerit per tertiam quandam personam, cuius non sit particeps contrahens; tunc maximum est dissidium inter DD., an tunc sponsalia sint ipso iure irrita, an irritanda. Conradus *de contract. in summa totius operis circa quæst. 57. dict. 3. Metina quæst. 21. de restitutione paulò post princip. iuncto vers. aliud dubium* docent absolutè illum contractum esse inualidum, quià deficit consensus, cum ex errore præstitus sit, nil autem magis contrarium consensui, quam error *l. si per errorem ff. de iurisd. omnium Iud.*, parumque referre videtur, quod, vel ab altero contrahente, vel à tertia persona ille dolus fuerit inductus, quandòquidem semper verificatur, quod consensus sit præstitus cum errore circà obiectum, qui si fuisset cognitus, contractus vtique non fuisset initus. Paludanus *versic. in 4. dist. 29. q. 2. art. 1. concl. 1. n. 5. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 19. §. 5. paulò post principium*, existimant non esse contractum ipso iure inualidum, sed solummodò inualidandum, qui ea ratione mouentur, quod in ea hypothesi, nec ex natura sua consurgat nullitas, nec ex dispositione iuris, nō ex natura sua, quià non deficit substantialis consensus, cum dolus contingat non circa substantiam, sed circa causam dantem esse contractui; non ex dispositione

Sententia affirmans. Conradus. Metina.

Sententia negans esse irritum ipso iure. Paludanus. D. Antoninus.

iuris, cum hoc solum irritet contractus ex dolo, cuius alter contrahens particeps est. Quid igitur hac in controuersia concludendum? Cum distinctione respondendum existimo, vel etenim ille dolus est circà substantialia contractus, seù dat causam contractui, prout respicit substantialia, vel est circà accidentalia, seù dat causam contractui, quatenus dirigitur ad aliquod accidentale, vel consequens; 4
primo modo se habet dolus, quandò dolosus, seù decipiens, vel repræsentat vnam personam decepto, quæ talis non est, vel statum liberum, vbi est conditio seruilis. Secundò modo se habet, quandò decipiens repræsentat decepto qualitates aliquas, quæ in subiecto repræsentato non insunt, vt si repræsentet diuitem, cum sit pauper, vel Virginem, cum sit corrupta, quæ qualitates, si fuissent cognitæ, contractus non fuisset initus, qui proptereà dolus dicitur dare causam contractui. Iuxta primum membrum diuisionis absolutè sentio talem dolum, quamtumvis inductum per tertiam quandam personam irritare ipso iure contractum, & iuxtà hunc sensum existimo locutos *Conradum, & Metinam loc. cit.* Iuxtà secundum membrum existimo contractum non esse ipso iure irritum, sed talem dolum conferre ius respectu decepti ad rescindendum eundem contractum, & in hoc sensu existimo locutos DD. citatos pro secunda opinione.

Si fuerit circa substantiam irritat ipso facto, si circa qualitates, de possibili.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ex natura sua ille contractus non subsistit, quià deficit consensus quoad substantialia contractus, cum consensus ille ex errore sit præstitus, & nihil magis contrarium est consensui, quam error *l. si per errorem ff. de iurisd. omn. iud.*, nec obesse potest, quod non fuerit deceptus ab altero contrahente, sed à tertia quadam persona; non, inquam, obesse potest, quià semper verificatur, quod deceptus præstet consensum ex errore, & quod talis consensus terminetur ad vnam personam, quam non intendit contrahens, vel ad seruam, quam non intendit, cum respiciat liberam; hicque defectus consensus annullat ex natura sua ipsum contractum, non præcisè ex dispositione iuris, cum consistat circà formam substantialem actus.

Deficeret consensus substantialis.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià in illa hypothesi supponitur consensus ad substantialia actu, & solummodò defectus quoad accidentalia, qui defectus prouenit ex dolo; vbi autem est consensus ad substantiam est quidquid requiritur ad substantialia actus, quæ vitiari nequeunt per defectum quoad qualitates. Hic autem defectus quoad huiusmodi qualitates sufficiens tribuit fundamentum ad disso-

Deficit solummodò consensus quoad accidentalia.

dissolutionem, quandòquidem, si huiusmodi qualitates subsequerentur ad contractum, tale ius etiam tribuerent per superius allegata, & probata.

Hic alia suboritur etiam difficultas, an, si talis dolus, nec fuerit inductus per alterum contrahentem, nec per tertiam quandam personam, sed ex falsa existimatione eiusdem decepti, irritet, si fuerit circa substantialia, ipso facto ipsum contractum. Existimo absolutè stando in foro interno animæ talem contractum esse ipso iure irritum; quandòquidem semper verificatur, quod non est cum consensu ad substantiam, & sicuti sibi suadens ducere Bertam duceret Semproniam inualidè contraheret, ita &c. Dixi, *in foro interno animæ*, quandòquidem in externo vix posset præsumi de illa deceptione, cum nemo supponatur ignarus eorum, quæ agit, maximè in his causis matrimonialibus, & sponsalium.

Quandò est ex falsa aprehensione decepti, & circà substantiâ est ipso iure irritus.

Plura alia essent hic examinanda tàm de dolo concomitanti, quam de subsequenti, sed quià de ijs fusè actum est in præcedentibus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. I. prænot. 5. sect. 8. ab assert. 3. vsque ad finem*, ideò ad ea vos remitto.

PRÆNOTIO XVIII.

Quomodo se gerere debeat conscius impedimenti occulti inferentis secundum se notam infamiæ, quandò inter impeditos contrahendum est matrimonium.

SVMMARIVM.

Sponsus solus conscius causæ dissolutionis, quæ ex genere suo est illatiua grauis infamiæ, non potest immediatè deferre ad Iudicem, sed debet monere sponsam, vt desistat, quod si nolit, debet per parentes, & pios viros monere, quod, si nolit, potest ad Iudicem licitè deferre, 1.

Si tertia persona fuerit conscia impedimenti occulti præmissis prauijs monitionibus, vt suprà, potest impedimentum illud detegere, num. 3.

IN hypothesi tituli propositi duplex militat præceptum sibi extremè oppositum alterum de manifestatione impedimenti, quotiescunque interuenit, relatum *in cap. si homo 35. q. 3.*, & de hoc etiam habetur *Glosa in c. præterea el 2. de sponsalib.*, alterum de iure naturæ conseruandi illæsam famam proximi, & delicta occulta inferentia notam infamiæ non reuelandi, prout docent communitèr omnes DD. His suppositis titulus sic propositus duplicem potest admittere difficultatem; altera in ordine ad vnum ex contrahentibus relatiuè ad sponsalia contracta dissoluenda, vt si v. gr. post eadem contracta fæmina virgo communitèr reputata, fuerit fornicata, & sponsus sciuerit clam fornicationem, an scilicet in ea hypothesi possit innocens in iudicio detegere, vt sponsalia dissoluantur; altera est in ordine ad tertiam quandam personam à contrahentibus relatiuè ad matrimonium futurum impediendum, vt si v. gr. interuenit impedimentum aliquod occultum, inferens alteri sponso grauem notam infamiæ, quod tamen etiam eisdem occultum est, possit tertia persona sola conscia talis impedimenti illud in iudicio detegere cum infamia laborantis tali impedimento.

Duplex præceptum sibi extremè oppositum.

Duplex ratio dubitandi.

Assertio I. Sponsus solus conscius causæ dissolutionis sponsalium occultæ, quæ ex genere suo est illatiua grauis infamiæ alteri sponsæ, seruato ordine caritatis non potest immediatè illam causam deferre ad Iudicem, sed tenetur prius monere sponsam, vt desistat, & infamiam euitet, quod, si non acquiescat, debet parentes, vel pios viros adire, vt placidè moneant, quod, si nolit desistere potest licitè ad Iudicis Tribunal deferre. Ità in vniuersum docet *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 70. n. 2.* 1

Quomodo se gerere debeat.

Sanchez.

Probatur quoad primam, & secundam partem de monitione facienda, vel per ipsum sponsum conscium talis causæ, vel per parentes, vel pios viros. Ordo caritatis postulat, vt quantum fieri potest sine præiudicio vel proprio, vel alieno consulatur bonæ famæ proximi, ne scilicet ipsius delicta inferentia infamiam detegantur ad aliquem finem, quandò finis ille haberi potest sine illa difamatione, & intentari prius debent omnia media vel non noxia, vel minus noxia, antequam deueniatur ad maximè noxia, ergò cum suppetant ad finem intentum media, vel non noxia, vel minus noxia monitionis, vel per se ipsum, vel per parentes, vel pios viros, illa prius sunt intentanda, quam recurrendum ad medium maximè noxium delationis ad Tribunal Iudicis, quod maximam subinfert iniuriam in fama, cum delata ad forum contentiosum æquiualeant publicæ notitiæ. Confirmatur, quià huiusmodi denuntiatio conformari debeat ordini correctionis fraternæ cum vtraque, quantum fieri potest, respiciat, & respicere debeat sic dictante iure caritatis indemnitatem delinquentis, sed correctio fraterna ità fieri debet, vt prius delinquens conueniendus sit inter te, & ipsum solum, & si non resipuerit adhibendi sunt duo, vel tres testes, & si adhuc contumax fuerit, iudicium seù censura Ecclesiastica interponendum, seù interponenda, ergò & huiusmodi

Huiusmodi monitio conformari debet ordini correctionis fraternæ.

modi denuntiatio ità fieri debet, vt prius priuata adhibeatur monitio, posteà per parentes, vel pios viros, tandem iudicialis animaduersio.

Probatur quoad secundam partem de delatione ad Tribunal Iudicis, quià nemo tenetur iuri, quod sibi competit ex iustitia cedere, vt alteri iniustè resistenti consulat, ergò quotiescunque non potest ius suum seruare, nisi deferendo ad Iudicem, non obstante, quod alteri resistenti damnum aliquod in fama, & honore indè sit obueniendum poterit iustè, & licitè ad eundem deferre cum vnusquisque possit sibi potius consulere, quam alijs. Confirmatur ex ijs, quæ docent *Tabiena verb. inquisitio n.6., & ibi Armilla n.8. Sotus de secreto memb.2. q. 6. paulò ante solut. ad tertium, Corduba in summa quæst.* 11. nempè post adhibitam congruam monitionem sine emendatione licere furem occultum manifestare Iudici ad euitandum proximi damnum imminens, ergò etiam licebit ad euitandum damnum proprium, seù conseruandum ius suum post congruas admonitiones detegere Iudici causam, ob quam potest resilire à sponsalibus, quatumvis damnum aliquod debeat inde emanare delinquenti.

Nemo tenetur iuri suo cedere, vt alteri iniustè reluctanti consulat.

Tabiena. Armilla. Sotus. Corduba.

Assertio II. Si tertia persona fuerit conscia impedimenti occulti intercedentis inter sponsos contrahere volentes matrimonium adhibitis præuijs cautionibus, de quibus in antecedenti assertione, quantumvis ex manifestatione illius impedimenti obuenire possit nota infamiæ, potest impedimentum illud detegere. Ità in similibus terminis *Armilla verb. inquisitio num.* 8. *Nauarra lib.3. de restitut. c.1. in secunda edit. num.* 357., *& seq. Sotus de secret. memb. 2. q. 6. paulo ante solutionem ad tertium*, qui licet loquantur in diuersis terminis manifestationis furis occulti ad euitanda damna proximi, ex paritate tamen rationis referendi sunt ad terminos etiam assertionis.

Tertia persona, vbi aliter obuiare non potest, potest impedimentum detegere.

Armilla. Nauarra. Sotus.

Probatur primò. In ordine ad euitandum damnum futurum proximi in bonis fortunæ licitum est detegere crimen occultum furis per ea, quæ afferunt, & pleno ore fatentur Doctores præallegati in assertione, ergò etiam quinimmò à fortiori ad euitanda damna animæ licitum erit peccatum occultum alterius sponsi, ex quo inducitur impedimentum, manifestare. Dixi, *quinimmò à fortiori*, tum quià grauiora sunt damna animæ, quam sint damna in bonis fortunæ; tum quià de manifestatione impedimenti occulti adest præceptum expressum, de manifestatione autem furti occulti non est expressum præceptum.

Possunt crimina occulta furis detegi.

Probatur secundò, quià fortius est præceptum de manifestatione impedimenti occulti in ordine ad euitanda peccata, quam præceptum de non manifestando crimine occulto alterius ad euitandam infamiam delinquentis; tum quià illud est in ordine ad euitanda plura, & non modica peccata ex genere suo grauia, istud in ordine ad euitandum effectum infamiæ, quod consequitur ex peccato iam commisso; tum quià illud obligat absolutè, istud non nisi, quandò ex manifestatione consurgeret infamia delinquentis, secus quando simul cum illa consurgeret aliquod bonum necessarium, seù vitatio maioris mali, vt in præsenti hypothesi, secundum quam ex illa manifestatione impedirentur plurima peccata, & vtique ex genere suo grauia, ergò non obstante aliqua nota infamiæ poterit conscius delicti occulti, quod inducit impedimentum ad cõtrahendum matrimonium illud manifestare, quià concurrentibus duobus præceptis incompossibilibus vrgente fortiori minus cessat.

Infamia consequitur ex peccato iam commisso.

Probatur tertiò, quià contractis sponsalibus, si sponsa clam fornicetur potest alter sponsus innocens post adhibitas cautiones, de quibus dictum est in præcedenti assertione delictum illud ad Iudicem deferre ad se eximendum ab onere contrahendi matrimonium, ergò vrgente præcepto manifestationis delicti poterit conscius, quinimmò tenebitur delictum ad Iudicem deferre in ordine ad impediendum matrimonium, ex quo crebro peccata consurgerent non obstante, quod inde pullularet delinquenti aliqua nota infamiæ. Consequentia probatur, quià, si motiuum seruandi ius sibi competens ex fornicatione alterius potest efficere, vt licitè alter fornicationem detegat, non obstante, quod inde fornicario aliqua consurgeret infamia, cum tamen amissio illius iuris nullum inferat peccatum, cur motiuum impediendi matrimonium, ex quo peccata plurima consurgerent, non poterit efficere, vt conscius delicti occulti, ex quo consurgit illud impedimentum, possit licitè impedimentum illud manifestare non obstante, quod inde immineat infamia aliqua delinquenti?

Sponsus innocens potest deferre crimen rei ad Iudicem.



PRÆ-

PRÆNOTIO XIX.

An ſponſus infectus aliqua labe occulta, ob quam poſſent reſolui ſponſalia, poſſit compellere alium inſcium ad ſeruandam fidem eorundem ſponſalium,

SVMMARIVM.

Sponſus infectus labe occulta, quæ, ſi eſſet nota, tribueret ius ad reſcindenda, non priuatur iure compellendi alterum inſcium ad ſibi ſeruandam fidem ſponſalium. 1.

Si poſt contracta ſponſalia ſponſus clam fornicatus fuerit, quantumvis innocens ſuſpicaretur de fornicatione, non priuatur iure exigendi complementum contractus. 2.

Sponſus occultè fornicatus in foro interno poteſt exigere diſſolutionem contractus, ſi alter palam fornicatus fuerit. 3.

Sponſus clam fornicatus altero penitus ignorante iuſtè acquirit arras, ſi innocens reſiliat à ſponſalibus. 4.

Sanchez.

PRoponit latè hanc difficultatem *Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp. 68. per totum,* vbi vnum ex altero deducendo primò inquirit, & determinat, an coniux occultè adulter altero coniuge penitus ignorante amittat ius exigendi debitum; ſecundo ſe reſtringendo ad titulum inquirit, & ſtatuit, an ad normam eorum, quæ dicta ſunt de coniuge poſt adulterium occultum alteri coniugi, idem dicendum ſit de ſponſo poſt fornicationem occultam alteri ſponſo in ordine ad ſponſalia, adeovt, ſi dicatur coniugem poſt commiſſum adulteriū occultum alteri coniugi cadere à iure exigendi debitum ab innocente, etiam dicendum ſit ſponſum poſt commiſſam fornicationem ignotam alteri ſponſæ cadere à iure compellendi innocentem ad complendum contractum, ſi verò dicatur illum non cadere à iure exigendi debitum, dicendum etiam ſit iſtum non cadere à iure exigendi complementum matrimonij tanquam ſibi debitum vigore ſponſalium prius legitimè initorum.

Controuerſia excitata apud eundem.

1 Aſſertio I. Sponſus infectus labe occulta, quæ, ſi eſſet nota, tribueret ius ad reſcindenda ſponſalia, non priuatur iure compellendi alterum inſcium ad ſeruandam fidem ſponſalium ſibi præſtitam. *Sanchez d. lib. 1. de ſponſal. diſp. 68. nu. 8.*

Poteſt alterum compellere. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quia fornicatio ex parte alterius commiſſa poſt ſponſalia non eo ipſo eadem ſponſalia diſſoluit, ſed tantum tribuit ius innocenti diſſoluendi, ſi eidem innotuerit fornicatio, vnde etiam ſciens poteſt eandem, ſeu ius ex eadem ſibi competens remittere, ergò ad eadem diſſoluenda requiritur, quod innocens ſe declaret, velle eadem diſſoluta, ſine qua declaratione vtique in ſuo eſſe ſubſiſtunt, non poteſt autem eſſe talis declaratio, vbi non poteſt opponi fornicatio; Neque dicas, quod in tantum non obijcit, in quantum eſt ignorans; ignorans autem non ſupponitur cedere iuri ſuo ex vulgatis iuribus, ſicque ſemper viget ius diſſoluendi, quod ſecundum ſe non inducit notitia facti, ſed factum ipſum; contra enim impugnaberis, quia quantumvis vt potè ignorans non cedat iuri ſuo, non diſſoluit tamen ſponſalia, niſi velit ex iuſta cauſa exiſtente diſſolui; non enim per fornicationem ipſo iure diſſoluuntur, vndè quid aliud debet poni, per quod actu diſſoluantur, & licet non notitia facti ſit cauſa diſſolutionis, ſed factum ipſum, eſt tamen conditio, ſine qua non poteſt poni diſſolutio. Ad hoc clarius explicandum exemplum deſumendam eſt ex ijs, quæ docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus IV. de emphyteuſ., & cenſib. prænot. 7. num. 9.* de iure emphytheutico, reſpectu cuius adiecta eſt pœna commiſſi, ſi emphytheuta non ſoluerit canonem intra tempus à iure ſtatutum, & tamen in eandem non recidit, niſi dominus directus ſe declarauit, velle eum recidiſſe. Certè in ea ſuppoſitione, quantumvis ignorans non ſe declaret, non propterea ſequitur, quod antè declarationem reciderit, & tamen non ipſa notitia, & declaratio eſt cauſa commiſſi, ſed factum ipſum nō ſoluti canonis, hoc idem cum proportione applica præſenti hypotheſi, & innoteſcet &c.

Niſi innocens ſe declaret non diſſoluuntur ſponſalia.

Non diſſoluitur contractus ipſo iure.

Neceſſaria eſt declaratio, & quare.

Dices, quod licet ex parte innocentis ob ignorantiam fornicationis in altero ſponſo non ſecuta fuerit declaratio diſſolutionis, ipſe tamen fornicator conſcius proprij criminis teneatur non inferre vim alteri, quem nouit habere ius diſſoluendi, & diſſolueret, ſi cognoſceret, vnde ad ſummum poterit humanitèr petere, non iuridicè exigere, & compellere, quia ſecus ſciens ageret contra ius alterius. Sed contra, quia ex delicto fornicationis præcisè non priuatur iure exigendi, ſicuti innocens eo ipſo non eſt abſolutus ab obligatione reddendi, ſed tantum habet ius, quo poſſit ſe abſoluere in foro conſcientiæ, ſi ſibi factum innoteſceret, ergò, ſi de facto non ſe abſoluat, nec ipſe erit exemptus ab onere, nec reus à iure, ergò non erit, cur non poſſit agere ad complementum contractus, cum perſeuerante iure perſeuerare poſſit, & actio. Deinde, quia nemo tenetur prodere ſuam famam, nec in ſe ipſo exequi pœnam iniunctam, & per conſequens poteſt iuſtè velle permanere in ſuo iure, adeoque exigere complementum contractus. Tandem in iure paria ſunt non eſſe, & non apparere *l. quo ſunt T....*

Ex delicto non priuatur iure exigendi.

Nemo tenetur prodere ſuam famam.

de testam tut., & l. fin leges ff. de contrah. empt., ergò, sicut, si non fuerit fornicatio, sponsus à iure suo non decideret, ità, si non appareat, nec decidet &c.

Dices vlterius, creditore per ignorantiam non petente debitum, debitor non eximitur ab onere solutionis, ergò sponso altero fornicante, quantumvis innocens ex ignorantia non petat dissolutionem, non manebit idem fornicans cum iure præcedenti ad exigendum complementum contractus. Consequentia probatur, quià ex eo, quod sponsus fuerit fornicatus, constitutus est debitor alteri innocenti de immunitate, & exemptione ab obligatione reddendi, ergò &c. Sed contrà diuersa omninò est ratio de creditore per ignorantiam non exigente debitum, ac de innocente respectu alterius sponsi fornicantis non exigente solutionem contractus. Ratio disparitatis in eo consistit, quod creditor alicuius summæ aduersus alterũ, quantumvis illius crediti sit ignorans re vera habet ius perfectè acquisitum, nec ignorantia aliquid demit de credito, quod nec per scientiam constituitur, nec per ignorantiam demitur; innocens autem posita fornicatione alterius, quamvis habeat ius ad dissoluendum, si velit, non tamen habet ius actuale, quod tanquam à conditione dependet à declaratione, sine qua ius præcedens non est dissolutum. Deinde debitum ex natura sua debetur creditore, pro quo semper clamat; ius autem illud, quod consurgit respectu innocentis ex alterius fornicatione est quasi in pœnam fornicantis, quam in se ipso non tenetur exequi sine alterius ministerio, adeoque &c.

Non currit ratio de creditore non exigente creditum per ignorantiam, ac de innocente non exigente solutionem contractus.

Ratio vlterius assertionis potest deduci ex paritate, quià constituto iam matrimonio, si alter coniux clam fornicatus fuerit ignorante penitus altero coniuge, potest nihilominus iustè exigere debitum ab innocente *ArchiDiaconus in c. in coniugio 32. qu. 1. Caietanus opusc. 17. respon. resp. 4. Sotus in 4. dist. 36. q. vnica art. 4. vers. verum vero vxor, Petrus de Soto lect. 16. de matrim. §. penult. Palacios in 4. dist. 35. d. 1. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. num. 6., & latè Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 68. num. 4.*, qui rationibus concludentibus comprobat, & etiam respondet adversantium obiectis, quem omninò vide, ergò etiam constitutis præcisè sponsalibus, si alter clam fuerit fornicatus altero sponso penitus ignorante poterit iustè exigere complementum contractus. Consequentia tenet, quià ità est effectus contractus matrimonialis ius ad exigendum, & reddendum debitum, sicuti est effectus contractus sponsalium ius eadem complendi per matrimonium per verba de præsenti, ergò, si per adulterium clandestinum post matrimonium contractum non dissoluitur ius exigendi debitum, etiam per fornicationem clandestinam post contracta sponsalia non dissoluetur ius exigendi plenè contractum per matrimonium.

Euincitur etiam ex paritate.

Archidiaconus. Caietanus. Sotus. Petrus de Soto. Palacios. Henriquez.

2 Assertio II. Si post contracta sponsalia alter sponsus clam fornicatus fuerit, quantumvis innocens suspicaretur de fornicatione, non tamen haberet sufficientia indicia, sed tantum leuia, non priuatur fornicans iure exigendi complementum contractus *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 58. nu. 5.* Hoc verum existimo non solum loquendo in foro externo iudiciali, sed etiam in foro interno animæ.

Etiam si innocens suspicaretur posse reus exigere complementum contractus.

Ratio quoad forum externum ex eo deducitur; quià in foro externo leuia indicia non sunt secundum se sufficientia ad priuandum quemlibet iure suo, cum ipse ex vi contractus sit in statu possessionis illius iuris, nec indicia huiusmodi sunt sufficientia, vt quæstioni possit subiici is, contra quem indicia sunt *l. milites §. oportet C. de quæst. Baldus cons. 259. verba inquisitionis col. 1 vol. 1. Aimo Crauetta cons. 6. num. 12. vol. 1*, ergò propter suspicionem fornicationis innixam huiusmodi leuibus indicijs alterius sponsi non poterit innocens suspicans à iure acquisito complendi sponsalia per matrimonium recedere.

Leuia indicia non priuant quemlibet iure suo.

Baldus. Crauetta.

Ratio quoad forum etiam internum ex eo deducitur, quià ex dictis in præcedenti assertione per fornicationem occultam alterius sponsi innocens etiam in foro interno non eximitur ab onere exequendi id, quod validè, & legitimè promisit, nec occultus fornicans priuatur iure suo exigendi, ergò, nec ille eximetur à tali onere in foro conscientiæ, quantumvis de fornicatione alterius leuiter suspicetur. Consequentia probatur, quià etiam in foro conscientiæ non operatur iuxtà dictamen prudentis rationis, qui leuibus motus inditijs agit, quod præcipuè verificatur, quando agit contrà ius iam alteri perfectè acquisitum.

Etiam in foro interno animæ.

3 Assertio III. Sponsus occultè fornicatus post contracta sponsalia, ita vt sponsa non nouerit fornicationem ab eodem commissam, potest in foro externo petere dissolutionem contractus, si alter fornicatione sibi nota peccauerit, non sic in foro interno animæ. Dissentiri non arbitror ab hac assertione *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 68. num. 6. in fin., & num 9.*, qui quantumvis absolutè videatur procedere asserendo non posse occultum fornicarium ob fornicationem alterius sibi notam petere dissolutionem non distinguens inter forum externum, & internum, non videtur tamen posse excludere, quin in foro externo fornicarius occultus habeat sufficiens ius ad compellendum fornicarium occultum ad dissolutionem.

In foro externo potest occultè fornicatus petere dissolutionem contractus ab eo, qui palam fornicatus est.

Sanchez.

Re Pro-

Probatur igitur quoad primam partem sponsus fornicatus occultè non eximitur à iure compellendi alterum innocentem ad exequendum matrimonium promissum, per superius probata, ergò, si alter inciderit in fornicationem sibi notam poterit saltem quantum est in foro externo efficacitèr intentare dissolutionem contractus ex iure sibi competente dependenter ab alterius fornicatione non ignorata. Consequentia probatur, quià nihil deest, quominus possit intendere dissolutionem, ipse enim habet, quod legitimè opponat, alter non habet, quod excipiat, ergò omnibus iuribus reclamantibus in foro externo semper pro eodem erit adiudicandum.

Habet quod legitimè alteri opponat non alter sibi.

Probatur quoad secundam partem, quià in foro interno verè, & realitèr ipse non est innocens, ergò in foro interno ipse non potest efficacitèr intendere dissolutionem. Consequentia probatur, quià iura permittentia dissolutionem contractus ob similem fornicationem subsequentem non permittunt absolutè in fauorem vtriusque contrahentis, sed dumtaxat in fauorem innocentis, nam, si innocens cognito delicto velit permanere in contractu reus non potest ab illis discedere, cæteroqui ex suo delicto commodum reportaret, sed alter occultè fornicarius in foro conscientiæ verè, & realitèr non est innocens, ergò &c.

Iura permittunt tantum dissolutionem in fauorem innocentis.

Dices primò, etiam altero sponso non fornicante ipse fornicarius occultus non est innocens, & tamen ex superius dictis non priuatur iure compellendi innocentem ad perficiendum contractum, ergò etiam, quantumvis non sit innocens, cum tamen sit occultus, non priuabitur iure aduersus alterum sponsum, cuius fornicatio non est occulta, dissoluendi sponsalia prius contracta argumento superius adducto, quod scilicet non esse, & non apparere in iure paria sunt, tum quià ius, quod non demitur ex fornicatione occulta ad compellendum ad contractum, quando alter est innocens, nec videtur ex eadem demi ad dissoluendum, quando alter est apparentèr reus, & noxius. Sed contrà non currit paritas respectu noxij occulti in ordine ad compellendum innocentem ad contractum, ac respectu noxij item occulti, in ordine ad fornicarium, cuius nota est fornicatio, ad effectum sponsalia iam contracta dissoluendi. Ratio diuersitatis in eo consistit, quod sicuti compensatio vel ad rem fit ipso iure in eodem subiecto sine vllo hominis ministerio per textum in l. verum 31. l. ambo ff. de compensationibus l. si constat, & l. fin. C. eod. tit. § in bona fidei instit. de action., ità compensatio delicti æqualis pro delicto ipso iure debet intercedere, nec in hoc requiritur aliquod iudicis ministerium, cùm fiat ipso iure, sicque dum alter sponsus fornicatus est licet occultè altero penitus ignorantem adueniente fornicatione alterius sibi cognita non potest compellere alterum ad contrahendum propter illam compensationem, quæ necessario fieri debet, Res autem non ità se habet, quando vnus præcisè fornicatus est, sed occultè altero penitus ignorante, quià licet reus commisso simili delicto teneatur facere compensationem, non tamen tenetur sponte pœnam subire, sed potest expectare, donec sibi, vel à Iudice, vel ab innocente inferatur. Ita disparitatem assignat *Bonacina de matrimonio qu. 4. punct. 5. nu. 22. in respons. ad obiectum.* Bonacina.

Pis compensatio ipso iure, quæ non exigit hominis ministerium.

Quod, si vlterius aduersus eundem vrgeas, quod faciendo illam compensationem quodamodo in se ipso exequeretur pœnam, & per consequens, si teneretur facere illam compensationem, teneretur in se ipso pœnam exequi; statim respondebit, hoc prouenire ex ipsa natura rei, nam existente in eodem subiecto debito simul, & credito impediri non potest compensatio, quæ ex natura sua oritur, quæ non oritur, quando quid debetur solummodo sub ratione pœnæ, quam quis non tenetur in se ipso exequi; vnde dici potest, quod ius ipsum, quando in eodem subiecto adunatur debitum, & creditum, seù delictum actiuum, & passiuum suppleat defectum Iudicis, quando verò solum in eodem culpa occulta interuenit iure non compellente ad executionem pœnæ requiratur Iudicis ministerium, vel alterius innocentis declaratio. Ad illud, quod dicitur non esse, & non apparere paria esse in iure dicendum est verificari in foro externo, & quando non interuenit ius compensationis, secus in interno interueniente tali iure.

Ius ipsum, quando delictum actiuum, & passiuum vniuntur in eodem subiecto suplet defectum Iudicis.

Dices secundò, quod hac ratione quodamodo proderet suum delictum, cum nemo regularitèr cedat iuri suo aduersus frangentem sibi fidem cum detrimento bonorum famæ, & honoris; hanc autem non tenetur prodere, ergò ad se eximendum ab hoc onere poterit ex alterius fornicatione nota petere, & efficacitèr dissolutionem. Sed contrà gratis omninò dicitur ex hoc prodi famam non conantis ad dissolutionem sponsalium, cum debeat præsumi cedere iuri suo in ordine ad aliquem finem honestum, sicuti multi cedunt contrahentes cum impudicis.

Nec à soluendo prodigit famã suam, cum dissolutio possit in alios fines referri.

4 Assertio IV. Sponsus, si clam fornicatus fuerit, adeo vt fornicationem penitus ignoret alter sponsus, iustè acquirit arrhas, si innocens, dum est ignarus resilit à sponsalibus antecedentèr legitimè celebratis *Sanchez de matrim. lib. 1 de spons. lib. disp. 68. num. 10.*

Acquirit etiam arrhas, si alter resiliat. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià sponsus clam fornicans non priuatur iure compellendi

lendi innocentem ignarum fornicationis ad perficienda ſponſalia per matrimonium de preſenti, ergò innocens iuſtè reſilire non poteſt à data fide, ergò, ſi reſiliat, ammittet arrhas, quià hæc eſt natura arrharum, vt iniuſtè reſiliens eas perdat.

PRÆNOTIO XX.

An laborans defectu occulto teneatur alteri contrahere ſecum volenti ſponſalia, manifeſtare, & quid, ſi occultet.

SVMMARIVM.

Genus defectuum occultorum duplex. 1.
Non tenetur pars volenti ſecum contrahere defectus illos occultos, qui ſecundum ſe redderent nuptias minus expetibiles, aperire, ſi tamen non eſſent noxij. 2.
Interrogatus ab altero contrahente de huiuſmodi vitijs occultis, ſiuè in genere, ſiuè in ſpecie de vitio fornicationis non tenetur illud aperire. 3.
Puella antecedenter fornicata celans delictū, quamuis vtatur medijs, vt non detegatur, non peccat, ſi nullum ſit periculum, quod cognoſcatur, & irritet alium ad grauem indignationem. 4.
Vitia occulta noxia alteri, ſiuè fuerit interrogatus, ſiuè non, tenetur aperire. 5.

HActenus locuti fuimus de delicto occulto fornicationis ſuperuenientis poſt contracta ſponſalia, ſeù poſt fidem alteri datam de matrimonio futuro, Nunc de vitio, vel euſdem fornicationis, vel aliquo alio in quocunque genere præcedenti, quod, ſit occultum, quod, ſi fuiſſet cognitum, vel ſponſalia non fuiſſent contracta, vel dubium eſſet, an ignarus, ſi cognouiſſet, fuiſſet contracturus. Pro clariori notitia difficultatis propoſitæ.

1 *Defectus occulti, in duplici genere.* Aduerte primò, huiuſmodi defectus, ob quos, vel alter non contraheret, ſi cognoſceret, vel poteſt eſſe dubium, an eſſet contracturus, nec ne, eſſe quodamodò in duplici differentia; alij etenim tales ſunt ſiuè culpabiles, ſiuè inculpabiles fuerint, vt quamuis ſecundum ſe redderent nuptias minus expectibiles, non tamen ſint perniciosæ alteri ſecum contrahere volenti, vt ſi ſponſa ſit corrupta, vel ſponſè, vel per vim; alij ſunt tales, vt ex genere ſuo non ſolum reddant nuptias minus expectibiles, ſed etiam alteri noxias, vt ſi quis laboraret morbo gallico, vel alio quocunque contagioſo.

Aduerte ſecundò, difficultatem poſſe procedere, vel quandò infectus huiuſmodi qualitatibus fuit interrogatus, & tacuit, vel quando, nec interrogatio præceſſit, nec ſubſecuta reſponſio circa tales qualitates, ſed nihil abſolutè dictum eſt, vel quandò, quantumvis nulla præceſſerit interrogatio infectus tamen, vel dicto, vel facto poſitiuè ſimulauit contrarium, & alterum vana ſpe ad nuptias ſuas attraxit. His pro notitia ſuppoſitis ſit. *Varij ſtatus ſecundum quos poteſt examinari titulus.*

2 *Non tenetur defectus occultos reddentes nuptias minus expetibiles aperire. Coninchus Leſſius.* Aſſertio I. Non tenetur pars volenti ſecum contrahere ſponſalia defectus illos occultos, qui ſecundum ſe redderent nuptias minus expectibiles, non tamen noxias aperire. *Coninchus diſp. 23. dub. 12. num. 92. Leſſius de iuſt. cap. 21. dub. 11.* licet hic loquatur in alijs terminis, qui tamen ſanè intellecti, & benè applicati poſſunt reduci ad terminos aſſertionis; hecque eadem nos docuimus *tom. 1. ſub tit. Contractus II. de empt. & vendit. prænot. 7. aſſert. 6. num. 11.*

Ratio ex eo deducitur, quià quandò res, quæ cadit ſub contractu, non eſt noxia contrahenti, & ex alio capite apta eſt ad vſum, ob quem contrahitur, non debet ex neceſſitate cum ſui detrimento dominus defectus eiuſdem propalare, quià nimis durum eſſet tàm ſtrictè tales homines obligare ad huiuſmodi vitia detegenda, ergò à fortiori non tenebitur alter ex ſponſis fornicationem ſuam occultam aperire, cum ex hoc non reddatur noxius alteri contrahenti, nec ex illo impediatur ſocialis vita, generatio, & honeſta educatio, quæ ſunt fines, qui intendi debent in talis contractu, præcipuè cum hoc cederet in maximum præiudicium manifeſtantis, qui non tenetur ſe ipſum infamare, ſuamque famam prodigere. Si autem fuerit contractus ſponſalium initus, & poſteà per alterum cognitus fuerit ille defectus, an tunc poſſit à ſponſalibus recedere, dictum fuit ſuprà *ſub hoc eodem titulo de ſponſalib. II. prænot. 9. aſſertione prima*, ad quæ vos remitto. *Ex illo defectu non redditur noxius alteri, nec impeditur vita ſocialis.*

3 *Etiam interrogatus non tenetur aperire. Coninchus.* Aſſertio II. Interrogatus ab altero ſecum contrahere volente ſponſalia de huiuſmodi vitijs occultis, ſiuè in genere, ſiuè in ſpecie de vitio occulto fornicationis non tenetur vitium illud manifeſtare, quo tamen poſteà cognito poſſint diſſolui ſponſalia ex parte eius, qui innocens eſt, & cognouit alterius defectum *Coninchus diſp. 23. dub. 12. nu. 94.* à quo diſſentiri non videtur *Sanchez, lib. 6. cap. de donat. inter coniug. diſp. 27. n. 7. & ſeqq.*

Ratio ex eo deduci poteſt, quià irrationabilis videtur illa interrogatio facta per illum, qui contrahere intendebat cum fornicario occulto de illo defectu, cum optimè nouiſſe potuerit, no teneri illum reſpondere, cum nemo teneatur ſuam famam prodere, ergò occultando non obſtante illa interrogatione non peccat, ſi hoc præſtet non quidem per menda-

cium, quod ſemper ab initio malum eſt, ſeu per diſſimulationem, per quam propriè non ſe fingit Virginem, ſed vitium occultat; Neque obeſſe poſſunt ea, quæ nos docuimus *tom. 1. ſub tit. contractus II, de emptione, & venditione præнot. 7. aſſert. 8. n. 13.* nempè venditorem ad interrogationem emptoris teneri manifeſtare vitia occulta rei venalis, adeovt non manifeſtando, & peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad damna; Non, inquam, obeſſe poſſunt, quià in conditione rerum venalium ea non militat ratio exiſtente vitio, quæ militat in contractu ſponſalium exiſtente in altero vitio fornicationis occulto, quandòquidem ibi non militat illa ſuperior ratio famæ, & honoris, quam nemo debet prodigere, cum nullum ius ad hoc compellat; tenetur autem ex diſpoſitione iuris manifeſtare vitia occulta rei venalis ad ſeruandam æqualitatem requiſitam à iuſtitia commutatiua in contractibus. Dici etiã poteſt cum *Sanchez de matrim. d. lib. 6. diſp. 27. num. 11.* ex communi omnium conſenſu receptum eſſe in cæteris contractibus, vt vitia in rebus venalibus exiſtentia manifeſtentur; non eſt autem communi vſu receptum, vt vitium fornicationis occultæ manifeſtetur in contractu ſponſalium.

Illa interrogatio videtur ex ſe irrationabilis.

Sanchez.

Dices, per illam occultationem ſemper importari implicitè mendacium, quod non ſolum committitur in verbis, dum aliud verbis exprimitur, quod veritati in mente conceptæ non conſonat, ſed etiam in factis, cum per eadem aliquid à veritate diſſonum manifeſtatur, prout explicat *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 111. art. 1. in corpore;* nemo autem licitè poteſt cum mendacio defectus occultos non manifeſtare. Sed contrà, quià per facta tunc tantum committitur mendacium, quandò facta ipſa exercentur cum animo ſe fingendi Virginem, quod tamen non eſt mortale, niſi ratione alicuius circumſtantiæ, vt infrà, non verò, quandò facta ipſa ordinantur præciſè ad finem tacendi, ſeù celandi delictum, quià, vt bene notat *D. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. 111. art. 1. ad quartum* tacere, & bonis medijs occultare vitium non eſt mentiri.

D. Thomas.

Facta ordinantur præciſè ad finẽ tacendi.

D. Thomas.

Dices ſecundo, quod, quantumvis nemo teneatur regularitèr ſe ipſum infamare manifeſtando delictum occultum, hoc tamen procedat, quandò coactus quodammodò, & contrà voluntatem conſtituitur in aliquo ſtatu, in quo teneatur infamiam propriam detegere, ſecus quandò liberè intendit talem ſtatum, à quo poſſet ſe eximere non conſentiendo nuptijs ſibi oblatis. Sed contrà, quià ex fornicatione occulta nemo iure ſuo priuatur nubendi cum quocunq; qui eidẽ nuptias obtulerit, & quantumvis poſſit tales nuptias reicere, ne crimen ſuum propallet, non tamen ad hoc tenetur, quapropter, & poterit nuptias oblatas acceptare, & fornicationem non propallare.

Per fornicationem occultam nemo iure ſuo priuatur.

Aſſertio III. Puella, quæ antecedentèr ad ſponſalia fornicata eſt, cælans huiuſmodi vitium, quantumvis aliquibus medijs vtatur, vt ille defectus minimè percipiatur, non peccat, ſi nullum ſit periculum, quod poſt contractum matrimonium vitium illum detegatur, vel ſi detegeretur, quod alter coniux non ſit grauitèr ægrè laturus; ſi verò fuerit periculum alterum coniugem cogniturum illum defectum, & ægerimè laturum peccat ſic cælans ſaltem contrà caritatem. Ità in vniuerſum *Nauarrus cap. inter verba in 2. edit. concl. 1. corrol. 16. num. 80. Sanchez de matrim. lib. 6. diſp. 27. à nu. 8. ad finem.* 4

Puella, eliã fornicata, non peccat celando vitium.

Nauarrus. Sanchez.

Ratio quoad primam partem ex eo deducitur, quià huiuſmodi ſponſa ſic, vel ſpontè, vel per vim deflorata habet ius turpitudinem ſuam non manifeſtandi, ergò etiam ius habet adhibendi ea omnia media, quæ ex genere ſuo turpia non ſunt ad effectum, vt turpitudo ille non manifeſtetur, cui etenim licitus eſt finis, licitè etiam ſunt media conducentia ad talem finem, dummodò in ſe mala non ſint, vel prohibita. Confirmatur primo, quià communi vſu receptum iam eſt, vt contrahentes, & mediatores nequaquam aperiant propria vitia, nec vllus talem vſum, & conſuetudinem impugnat, quinimmò vnicuique naturalitèr inditum eſt, vt ſuam famam, quantum fieri poteſt, illæſam conſeruet, ergò &c. Confirmatur ſecundò, quià talis manifeſtatio eſſet onus fæminis intolerabile, quandòquidem, vt plurimum cogerentur innuptæ permanere.

Cui licitus eſt finis, ſũt etiam licita media conducentia ad finẽ.

Ratio quoad ſecundam partem, quod ſcilicet etiam non peccet, quantumvis ſit periculum, quod vitium poſteà ab altero coniuge detegatur, non tamen ſic ægrè laturus, ex eo deducitur, quià ex vno capite licitum eſt vnicuique propriam turpitudinem celare; ex alio non ſupponitur alter coniux, cui obeſſe poteſt illud vitium grauitèr indignandus; & peccatum, ſi quod eſt, deſumendum eſt ex graui, vel leui indignatione præuiſa in altero coniuge decepto per illam non manifeſtationem, ergò, ſi præſumatur non grauitèr indignandus non conſurget culpa, adeoque &c.

Peccatum deſumitur ex motiuo ind gnationis alterius.

Ratio tandem quoad tertiam partem, quià dans operam rei, ex qua nouit ſcandala pleraque oritura, iurgia intèr maritum, & coniugem, & infelices exitus nuptiarum vtique eſt cauſa iniqua eorundem, à quibus poterat deflectere non nubendo, ergò nubendo cum illa præuiſione vtique peccat, quandòquidem præſcius tribuit fundamentum grauis indignationis alteri coniugi.

Aſſer-

5 Assertio IV. Tenetur sponsus, vel sponsa requisitus, vel requisita ab altero secum contrahere volenti sponsalia, & matrimonium aperire defectus, seù vitia occulta, quæ possunt esse eidem petenti noxia, & perniciosa, quantumvis non fuerit de illis interrogatus, seù interrogata *Coninchus disp. 23. dub. 12. num. 96.*, & in hoc consentire videntur quotquot sustinent in contractu venditionis teneri venditorem aperire vitia occulta rei venalis, quæ possunt esse noxia emptori; hocque expresse habetur *in l. Iulianus 13. ff. de act. empt.*, *& in l. 1. ff. de adil. edict.*

Vitia occulta noxia tenetur aperire. Coninchus

Probatur primo, quià in illa hypothesi manifestè præsumitur, quod laborans illis vitijs nouerit alterum contrahentem illis cognitis ægrè laturum illa vitia, & conceptorum grauem indignationem ob non manifestationem, ergò contrahendo sine illa manifestatione vtique grauitèr peccat. Secundò, quià tale matrimonium esset alteri perniciosum in societate coniugali, in prolis susceptione, & educatione, quæ omnia aduersantur bonis matrimonij, ergò contrahens non manifestando huiusmodi vitia noxia alteri parti grauitèr peccabit.

Esset vitiũ perniciosum in vita sociali.

Hic oritur difficultas, an, si laborans tali vitio occulto nouerit alterum simili defectu laborare possit contrahere non manifestando proprium vitium, quantumvis noxium. Absolutè sentio sic contrahentem, & non manifestantem proprium vitium occultum non peccare. Ità expresse sustinet *Coninchus loc. cit.* dum expresse dicit laborantem simili vitio occulto teneri manifestare illud alteri contrahenti cum exceptione, *nisi iste similes defectus patiatur*. Ratio ex eo deduci potest, quià alter non potest esse rationabilitèr inuitus, nam si alter opponat vitium cognitum, poterit alter de simili vitio in ipso, excipere, & sic fieri congrua compensatio, & in hoc verificatur iuristicum illud effatum, *Quem tenet actio, eundem repellit exceptio*. Confirmatur, quià, quandò vterque simili vitio laborat non consurgunt ea omnia incomoda respectu vnius, vel alterius, quæ consurgerent respectu alterius non infecti, si alter tantum tali vitio laboraret, ergò non consurgit talis noxa in primo casu, quæ consurgeret in secundo; vbi etenim non est eadem ratio, nec potest esse idem ius, & iudiciũ.

Non tenetur tamen, si alter etiã simili vitio laborat.

DISQVISITIONES I.

A prima ad sextam prænotionem inclusiuè.

§. I.

An promittens fœminæ matrimonium, si ipsam Virginem inuenerit, eaque cognita corrupta, si iterum, atque iterum cognouerit teneatur ad matrimonium,

SVMMARIVM.

Exponitur titulus in suis terminis. 1.

Ratione iuramenti præcisè, quo firmata fuerat præcedens promissio, non tenetur eam ducere, nec in foro interno, nec externo. 2.

Ratione vlterioris congressus post cognitam fœminam corruptam in foro interno animæ non tenetur sponsus illam ducere, nisi verè cesserit iuri suo, tenetur tamen aliquod conferre pro vsu corporis. 3.

Ratione vlterioris congressus post inuentam fœminam corruptam in foro externo obligatur ad matrimonium. 4.

Disquisitio I. Promiserat Caius Theodoricæ, & iure iurando promissionem confirmauerit se illam ducturum in coniugem, si sui copiam sibi facientem virginem inuenerit, non corruptam, Cognouit, sed eam corruptam inuenit, & nihilominus subsequentèr congressum carnalem pluries cum eadem habuit. Hic orta fuit controuersia, an ratione iuris iurandi, quo promissionem illam confirmauit, seù melius ratione continuationis in illo congressu carnali post habitam notitiam de carentia virginitatis in fœmina promissaria teneatur illam ducere. Hæc difficultas examinari potest sistendo, vel in foro conscientiæ præcisè, vel in foro externo Ecclesiæ. 1

Facti series exponitur.

Respondeo primo ratione iuramenti præcisè, quo firmata fuerat præcedens promissio non tenetur absolutè eam ducere, nec in foro interno animæ, nec in externo Ecclesiæ, si verè constiterit illam non esse Virginem *Corduba in tract. de casib. conscientiæ quæst. 48. Siluester verb. matrimonium 3. qu. 8. Sotus in 4. dist. 29. q. 2. art. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià iuramentum easdem recipit conditiones, & restrictiones, quas recipit promissio, suprà quam cadit *l. fin. C. de non numer. pecun. Hostiensis in summa tit. de iure iurand. num. 3 D. Antoninus 2. part. tit. 10. c. 6. §. 5. Siluester verb. Iuramentum 3. quæst. 1. dict. 3. Vega lib. 2. summa cas. 392.*, ergò non purificata conditione, sub 2

Non tenetur ratione iuramenti eam ducere Corduba. Syluester. Sotus.

Hostiensis. D. Antoninus. Siluester. Vega.

sub qua promisit, & iurauit matrimonium, sicuti promissio ipsa non obligat, nec obligabit ipsum iuramentum.

Procedit in suppositione quod illa promissio subsisteret;

Hæc procedunt inspectâ præcisè naturâ iuramenti in suppositione, quod illa promissio, & conditio subsisterent; cæterum cum in præcedentibus dixerimus, & præcipuè *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. prænot. 5. sect. 9. assert. 6. vers. hic excitatur difficultas* eam conditionem, si te Virginem inuenero, tanquam turpem reiiciendam esse, intellectam de inuentione per carnalem copulam, & proinde sponsalia pura remanere, ideò sicuti in puro esse remanent sponsalia, & promissio de futuro matrimonio, ità in eodem esse puro remanet iuramentum, quod eidem adijcitur. Cæterum, cum possit fieri promissio absoluta, vel conditionata tantum sub ea conditione, *si te inuenero Virginem per inspectionem matronarum*, & deindè possit idem Caius virtute præcedentium sponsalium inducere Theodoricam ad secum congrediendum, & illo congressu cognoscere eandem fuisse antecedentèr corruptam, tunc certum est, quod, sicuti posset recedere à promissione, ità etiam à iuramento, quandòquidem tàm promissio, quàm iuramentum intelliguntur esse sub illa conditione, si fuerit virgo, & illæsa non corrupta, & licet illa conditio referatur ad inspectionem matronarum, quæ licita est, non tollitur tamen, quod, si aliundè fuerit inuenta non virgo, sed corrupta, non possit inuentor à fide data recedere, quantumvis eandem iuramento firmauerit; non etenim conditio illa irritatur, neque habetur pro non adiecta per illũ modum inuentionis per carnalem copulam, cum ille modus in celebratione contractus non fuerit appositus, sed dumtaxat ex interuallo adiectus ex consensu partium non ad finem cognoscendi, an fuerit fœmina virgo, an verò corrupta, sed dumtaxat ad finem explendæ libidinis; sicuti igitur sponsalia non irritantur per subsequentem copulam inter sponsos, ità per illam subsequentem copulam nō demitur ius, quod competit eisdem sponsis, si ex illa copula dignoscatur defectus aliquis, qui tribuat sufficiens ius ad recedendum.

4 Quomodo possit intelligi illa conditio.

Si inuenta fuerit non virgo per copulam potest recedere.

3 *Ratione vlterioris congressus non tenetur illam ducere nisi cesserit iuri suo.* Ludouicus Lopez. Siluester. Sotus.

Respondeo secundò ratione vlterioris congressus post cognitam fœminam corruptam in foro interno animæ non tenetur Caius Theodoricam ducere, sed ad summum aliquid conferre pro vsu corporis illius spectata qualitate personæ, nisi in vlterioribus congressibus cesserit iuri suo *Ludouicus Lopez in instruct. part. 1. c. 77. in princip. vers. hinc correlariè sequitur*, qui pro se citat *Siluestrum verb. matrimonium 3. q. 8. Sotum in 4. dist. 29. q. 2. art. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia contractus conditionalis non adimpleta conditione, sub qua est initus ex genere suo immediatè euanescit; ergò, quantumvis postea ad eandem iterum accesserit, non proptereà in foro conscientiæ sponsalia conualescunt, quia actus secundum se irritus non reualidatur per actus subsequentes, qui regularitèr præsumuntur esse ex animo fornicario; neque dicas, quod illa conditio vtpote turpis habeatur pro non adiecta, adeoque &c. contrà enim impugnaberis, quia conditio non fertur super actum turpem coeundi, sed super honestam virginitatis qualitatem, quæ potest per aliam viam honestam indagari, vndè conditio ex se non est turpis, sed per accidens per congressum turpem comprehenditur illa qualitas non adesse.

Ille vsus est meritorius pretij proportionati.

Dixi, *sed ad summum aliquid conferre pro vsu illius corporis*, quandoquidem ille vsus secundum se est meritorius pretij proportionati ad arbitrium prudentis viri spectata qualitate personæ; si tamen ex illis congressibus subsequentibus damnum aliquod graue emanarit, quatenus infamia aliqua pullulet ex illis congressibus, quæ non emerserit ex concubitu, quo fuit illa filia deflorata; tunc non incongruè assererem iuxtà prædicta, quodamodo teneri ad compensationem illius infamiæ iuxtà modum superius allegatum.

Requiritur nouus consensus implicitus, & interpretatiuus.

Dixi, *nisi in vlterioribus congressibus cesserit iuri suo*; tunc etenim nulli dubium esse potest, quod, si tali iuri cesserit, teneatur stare contractui, nec possit à sponsalibus, & futuro matrimonio resilire; sed an tunc requiratur nouus consensus formalis, & expressus, an verò sufficiat interpretatiuus; existimo sufficere nouum implicitum, & interpretatiuum, qui potest stare cum illo congressu cum animo eandem ducendi, sicut supra dictum fuit.

4 *In foro externo ratione vlterioris congressus tenetur.* Lopez. Siluester. Sotus.

Respondeo tertiò ratione vlterioris congressus post inuentam sponsam defloratam, & continuationis in eodem congressu in foro externo tenetur ad perficiendum matrimonium *Ludouicus Lopez prima part. instruct. c. 77. in princip. vers. hinc correlariè Siluester verb. matrimonium 3. qu. 8. Sotus in quarto dist. 29. qu. 2. art. 3.* Ratio ex eo deducitur, quia tunc in foro Ecclesiæ præsumeretur pro cessione iuris competentis ex eo, quod fœmina promissa fuit inuenta corrupta, dum iterum ad eandem accessit, quandoquidem ille accessus videtur referri ad promissionem præcedentem; & ratione eiusdem præsumenda est fœmina consentire, & ex eo, quod ipse non excipiat de defloratione, videtur eandem non obstante firmare suam promissionem.

§. II.

Vtrum matrimonium possit esse materia voti.

S V M M A R I V M.

Status controuersiæ expositus. 1.
Votum matrimonij secundum se præcisè sumptũ nullo modo subsistit. 2.
Votum illud elicitum ea intentione, vt matrimonium contrahat, & consequatur gratiam sacramentalem, & posteà eo non consummato transeat ad Religionem non tenet. 3.
Votum emissum ad finem reparandi damnum illatum per deflorationem sponsæ intuitu matrimonij promissi corruptæ; si aliundè reparari non possit, tenet. 4.

1 *Factum tale in fuit terminis.*

DIsquisitio II. Caius, vel ad finem consequendi gratiam matrimonialem, & posteà commigrandi ad Religionem, vel ad effectum euitandi in se ipso libidinem, ad quam valdè procliuis est, vel extrahendi fœminam pauperculam à proximo periculo pudicitiæ amittendæ votum elicuit contrahendi matrimonium. Orta hic fuit controuersia, an tale votum subsisteret, & obligaret ipsum Caium ad sui obseruantiam, & an; si vigore eiusdem contraxerit cum determinata persona sponsalia, illa sponsalia tenerent.

2 *Votum matrimonij secundum se non tenet.* D. Thomas. Coninchus. Laiman.

Respondeo primò, votum matrimonij secundum se præcisè sumptum nulla ratione subsistere. Consentiunt omnes, quos viderim. Ratio ex eo deducitur, quià votum ex genere suo debet esse de meliori bono *D. Thomæ part. 3. qu. 88. art. 2. Coninchus disp. 22. dub. 10. Laiman lib. 4. tract. 4. c. 3. num. 11.* non enim Deus acceptat id, quod minus est; quando hoc impedit id, quod maius, & melius est, sed votum illud matrimonij non est de meliori bono, quinimmo secundũ se impeditiuum maioris boni, quià status ipsi oppositus continentiæ perfectior est teste *Apost. prima ad Corinth. 7., & Concil. Trident. sess. 24. can. 10.*, ergò illud votum non subsistit. *Paludanus in 4. dist. 38. q. 1. defin. 5.*

Est impeditiuum melioris boni.

3 *Votum celebrandi matrimonium cum fine illud non consummandi, sed transeundi ad Religionem non tenet.* Nauarrus. Lopez. Rodriqu. Sanchez. Suarez. Coninchus

Respondeo secundò. Votum illud à Caio elicitum ea intentione vt matrimonium contrahat, & consequatur gratiam matrimonij, & posteà eo non consummato transeat ad Religionem absolutè non tenet *Nauarrus c. 16. num. 30. Ludouicus Lopez 1. part. instruct. c. 50. ad fin. Emanuel Rodriquez 1. part. summæ c. 244. num. 5. Sanchez lib. 2. de matrimon. disp. 43. Suarez lib. 2. de voto c. 9. num. 6. Coninchus d. disp. 22. dub. 10. in princip.* Ratio ex eo deducitur primò, quià contrahere matrimonium sub ea intentione secundum communiorem DD. consensum vt coniux intacta deseratur non caret culpa, vt multis allegatis DD. tradit *Laiman d. lib. 4. tract. 4. c. 3. num. 11.*, neque obesse potest, si asseratur, quod licitum est vnicuique post contractum matrimonium intra bimestre eo non consummato comigrare ad Religionem, ergò etiam licitum erit illud contrahere ea intentione, vt ipso celebrato, & consecuta gratia sacramentali, posteà antequam consumet, transeat ad Religionem; non enim illicita est intentio de opere, quod secundum se licitum est, & in iure permissum; Non, inquam, obesse potest; quià vt latè superius diximus, quantumvis actualis consummatio in actu secundo, procreatio, & educatio prolis non sit de substantia sacramenti matrimonij, intentio tamen consummandi, aliaque perficiendi, quæ sunt de bonis matrimonij, est de eiusdem substantia, adeoque, qui cum intentione contraria contrahit, illicitè omninò contrahit. Secundò, quià sic contrahere cum ea intentione est parti maximè iniuriosum, adeoque ex genere suo illicitum. Tandem, quià matrimonium institutum non est præcisè propter se, & propter gratiam, quæ ad ipsum consequitur, sed ad socialem vitæ vnitatem, propagationem speciei, & prolis educationem, in ordine ad quæ gratia matrimonialis conceditur; ergò cessantibus huiusmodi causis finalibus non erit licitum &c.

Intentio consumandi est de substantia matrimonij.

4 *Tenet, si sit ad finem reparandi damnum sponsæ corruptæ.* Sanchez. Henriqu. Suarez. Laiman. Coninch.

Respondeo tertiò. Votum per Caium emissum, si fuerit ad reparandum damnum fœminæ, quam sub spe futuri matrimonij deflorauit, cum aliundè non posset reparare, vtique obligat, & tenet *Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 44. Henriquez lib. 11. cap. 13. §. 3. Suarez lib. 2. de voto c. 9. num. 8. Laiman lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 5. Coninchus d. disp. 22. dub. 10. num. 58. vers. secundo constat*; Intellige tamen non sub formali ratione voti, sed vel iuramenti, vel promissionis per ea, quæ docui supra *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de spons. 2. Disquis. 1. §. 3. respons. 2. per totum*, ad quæ vos remitto, sicuti pro alijs omnibus, quæ proposita sunt sub hoc titulo, seù paragrapho, cum ibi omnia fuerint pleuè actitata.

§. III.

An sponsus deprehendens Clericum cubantem cum propria sponsa de futuro, eumque grauiter, & enormiter percutiens subdatur excõmunicationi Romano Põtifici reseruatæ.

S V M M A R I V M.

Exponitur status controuersiæ. 1.
Probabilius est sponsum eximi ab excommunica-

nicatione summo Pontifici reservata. 2. Soluuntur rationes dubitandi. 3. Posset in ea hypothesi sponsus, qui sic percussit, absolui à quocunque confessario approbato. 4.

1 *In quo consistat dubium.*

DIsquisitio III. Contractis legitimè sponsalibus inter Meuium, & Cæciliam seruatis omnibus iuris solemnitatibus, eadem Cæcilia, vel sponte se prostituit Caio Sacerdoti, vel fortè per vim prostituta est. Iisdem semel concumbentibus superuenit Meuius sponsus, & ira percitus enormitèr Caium Sacerdotem sauciauit. Controuersum tunc fuit, an Meuius inciderit in excommunicationem *c. si quis suadente*, quæ ratione enormis vulneris sit Romano Pontifici reseruata.

Ratio dubitandi, vnde desumatur.

Ratio dubitandi ex duplici capite oriri potest; primò ex eo, quod sponsus ius habet ex subsequenti sponsæ fornicatione recedendi à sponsalibus, & per recessum videtur sufficienter dedecori sibi per sponsam fornicariam illato subuenire, vnde cum aliundè possit sibi consulere non potest ex moderamine inculpatæ tutelæ excusari ab enormitate delicti, nec à pœnis iuris contrà huiusmodi delictum comminatis. Secundò, quià *in c. 3. de sententia excommun.* solum videtur eximi à reseruatione excommunicationis Romano Pontifici, qui Clericum cum propria vxore turpitèr deprehensum atrociter percusserit propter adulterium. Cum igitur ex dictis *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsal. 1. Disq. 1. §. 2. n. 2., & seqq.* per violationé sponsæ de futuro nō committatur adulteriū per consequens sponsus sic vulnerans non videtur subterfugere pœnas iuris in eo rigore, quo intelliguntur comminatæ. Nihilominus

2 *Eximitur in ea hypothesi ab excommunicatione. Couaruias.*

Respondeo in hac etiam hypothesi probabilius Caium sic percutientem eximi ab excommunicatione summo Pontifici reseruata *Couaruias 1. part. epitome c. 1. nu. 12,* aduersus *Glosam in d. c. 3. de sent. excommun.*, quæ tamen videtur communitèr recepta. Ratio ex eo deduci potest, quià iura æquè permittunt accusationem contra violatorem sponsæ, ac contra violatorem coniugis per textum *in l. si vxor §. Diuus ff. ad leg. Iul. de adulterijs* licet mitius puniant violatorem sponsæ, ac vxoris *Antonius Gomez in l. 8. Tauri num. 47. Nauarrus in c. consideret de pænit. dist. 5. num. 1. Rebellus 2. part. de oblig. iust. lib. 4. q. 8. sect. 2. num. 9.*, ergò, si vtrumq; delictū ius tribuit ad accusandum, vtrumque exceptionem sufficientem inducet ad excusandum à grauioribus pœnis iuris, si delinquens fuerit in crimine deprehensus; vtrumque etenim talem infert iniuriam aduersus sponsum, & coniugem, vt in fragranti ab eijsdem deprehensum non modicum minuat de plena deliberatione;

Gomez. Nauarrus. Rebellus.

Inducit exceptionem sufficientem ad excusandum à grauioribus pœnis.

Neque obesse potest, si afferatur, quod violatio sponsæ minus sit iniuriosa sponso, ac violatio vxoris marito; Non, inquam, obesse potest, quià licet minus graue delictum sit, & iniuriosum, est tamen tale, vt ratione iniuriæ illatæ, & in fragranti deprehensæ minuat de plena deliberatione requisita ad incurrendas grauiores pœnas iuris.

Alia ratione responsio euincitur.

Confirmatur, quià *in d. c. 3. de sentent. excommunic.* non solum eximitur ab excommunicatione Romano Pontifici reseruata maritus enormiter percutiens Clericum deprehensum in adulterio cum propria vxore, sed etiam Pater eundem clericum deprehensum turpiter cum propria filia, & frater eundem cum propria sorore repertum percutientes, ergò non præcisè ratione adulterij illa pœna dissoluitur, sed ratione grauis iniuriæ illatæ habentibus ius in fœminam stupratam, seù violatam, vel ratione sanguinis, vel iuris acquisiti ex contractu, seù fidei sibi præstitæ, ergò non erit, cur non dissoluatur illa pœna etiam respectu sponsi deprehendentis sponsam cum Clerico in actuali fornicatione, cum illud delictum sit eidem grauitèr iniuriosum, & ratione iniuriæ illico illatæ, seù deprehensæ ex animi motu supponitur attenuata plena deliberatio.

3 *Illata est eidem iniuria grauis.*

Ad primam rationem dubitandi dicendum est, quod, quantumvis sponsus ex fornicatione sponsæ ius habeat dissoluendi sponsalia, quantumvis hæc esset per vim cognita, non possit tamen tolli, quin eidem maxima sit illata iniuria cum læsione iuris jam acquisiti, quæ iniuria in subito casu deprehensa, quamvis non tribuat in foro conscientiæ ius ad vltionem, tribuit tamen exceptionem ad vitandas pœnas grauiores, si eadem vltio in subito criminis deprehensione fuerit executa in motus etenim naturæ in similibus casibus vix potest cohiberi, & propterea iura indulgent similibus motibus grauiorum pœnarum remissionem, seù recessum ab ordinarijs pœnis.

Textus restringetur ad adulterium.

Ad secundam dicendum est in allegato textu non comprehendi præcisè deprehensum in adulterio cum vxore, sed etiam in actuali fornicatione cum filia, vel sorore, adeoque non est etiam, cur non comprehendatur deprehensus in concubitu cum sponsa de futuro propter paritatem rationis; hæc etenim est causa ita mouens ad actualem vltionem, sicuti causa stupri propriæ filiæ, seù sororis.

Hic dubitant Doctores, an in hac hypothesi grauis percussionis clerici deprehensi per sponsum in violatione propriæ sponsæ sponsus sic percutiens exemptus à reseruatione Pontificis teneatur saltem ad Episcopum confugere pro absolutione, an verò possit à quocunque confessario absolui, 4

Coa-

Coartuuias Potest absolui à quocunque confessario approbato.

Coartuuias *in epitb. prima partis c. 1. num. 12.* videtur sentire tunc pro absolutione ad Episcopum recurrendum esse. Sed hoc ego crederem esse ad vberiorem cautelam in foro externo; cæterum in rigore, & in foro interno non video, cur nequeat absolui à quocunque approbato confessario; ablata etenim reseruatione ob præallegatam causam simpliciter non est, cur eadem reseruatio referri debeat ad Episcopum, cum textus dicat percutientem clericum turpiter inuentum cum propinqua excommunicatum non esse, vbi glosa comprehendit Clericum cubantem, cum vxore putata, quem, si percutiat maritus putatiuus, non est, cur non eximatur ab illa reseruatione, & si hoc intelligitur de percutiente Clericum repertum cum vxore putata, & non secundum rei veritatem, non est, cur intelligi non possit cum Clerico reperto cum vera, propria, & legitima sponsa.

§. IV.

An Sponsus, qui Clericum turpiter deprehensum cum propria sponsa grauiter, seu enormiter percussit priuetur iure soluendi sponsalia cum eadem contracta.

SVMMARIVM.

Titulus exponitur in suis terminis. 1.
Non obstante tali vltione potest adhuc à sponsalibus recedere. 2.
Soluuntur rationes oppositæ. 3.
Euincitur etiam paritate coniugis grauiter vulnerantem adulterū in deprehensum in adulterio cum propria vxore. 4.

1 *Difficultatis status explanatur.*

DIsquisitio IV. Iuxta hypothesim præcedentis disquisitionis Meuius sponsus Caium Sacerdotem deprehensum turpiter cum Cæcilia propria sponsa grauiter vulnerauit ad proprium dedecus vindicandum, & redimendam infamiam per violatorem sibi illatam. Hic orta fuit controuersia, an ratione fornicationis, siuè per vim, siuè sponte à propria sponsa commissæ liber etiam remaneat non obstante tali vltione à contrahendo cum ipsa; an verò eandem teneatur ducere.

Ratio dubitandi vnde formatur.

Ratio dubitandi ex duplici capite consurgit; primò, quià grauiter sic vlciscendo propriam iniuriam videtur Cæciliam cognoscere, & confirmare vt suam; non enim ità vlcisceretur, nisi suum cognosceret id, in quo delinquitur. Secundò, quià sic vlciscendo videtur redimere vexationem sibi illatam, qua propterea redempta non est, cur non debeat permanere in suo onere. Nihilominus

Respondeo, non obstante tali vltione posse adhuc à sponsalibus recedere. Ità sentire existimo quotquot sustinent ex fornicatione subsequenti sponsalia dissolui eorundem contractum. Ratio ex eo deducitur, quià ex eo, quod sponsus clericum deprehensum turpiter cum sponsa grauiter vulnerauerit, non tollitur, quin illa fuerit deflorata, & quod in eodem statu non permaneat; sed ex defloratione sponsæ, rebusque notabiliter variatis sufficiens innocenti ius tribuitur ad recedendum à prioribus sponsalibus, ergò &c. Neque obesse potest id, quod afferebatur in ratione dubitandi ex primo capite, quod scilicet sponsus vlciscendo sic propriam iniuriam Cæciliam cognouerit, vt suam, sicq; quodamodo sponsalia confirmauerit; Non, inquam; obesse potest, quià per illam vltionem infertur quidem, quod cognouerit se habere ius aliquod saltem incohatum in corpus Cæciliæ, & quodamodo ipsam, vt suam, non autem infertur, quod per illam vltionem confirmauerit ius suum in eadem, seu quod idem est, ius, quod sibi competebat ex fornicatione propriæ sponsæ recedendi à sponsalibus, amiserit; neque vltio in alterum exercita priuat vltorem iure suo, quod habet versus sponsam delinquentem; vterque etenim deliquit aduersus vultorem, & sic per vltionem versus vnum non demitur pæna aduersus alterum. Minus obesse potest id, quod subditur ex secundo capite, quià vltio aduersus fornicarium non demit ius aduersus sponsam delinquentem, vterque etenim est delinquens, & ex vnius pæna non tollitur ius ad pænam aduersus alterum, cum sponsus ex vi sponsalium non solum habeat ius aduersus sponsam, ne à fide sibi prestita deficiat, sed etiam aduersus quemcunque alium, ne ius, quod acquisiuit in sponsam, violet.

2 *Adhuc potest à sponsalibus recedere.*

Variatus est status rerum.

3 *Satisfit rationibus dubitandi.*

Per vltionem vnius non demitur pæna versus alterum.

Habet ius aduersus quemcunque, ne ius suum violet.

Confirmari potest responsio paritate mariti deprehendentis adulterum actualiter turpiter commorantem cum propria vxore, qui si eundem, vel enormiter sauciet, vel fortè etiam occidat, non propterea amittit ius aduersus vxorem adulterantem intentandi, & prosequendi diuortium, vt est in confesso apud omnes, ergò etiam, si sponsus deprehenderit amasium in actuali concubitu cum propria sponsa, eundemque grauiter vulnerauerit non propterea amittet ius aduersus eandem sponsam resiliendi à sponsalibus; semper enim verificatur, quod, sicuti illa est adultera, ità ista sit deflorata, & non minus quoad torum est dissolubile matrimoniū ratione adulterij commissi ab altero coniuge, ac sint dissolubilia absolutè sponsalia ratione fornicationis ab altero sponso perpatratæ post eadem sponsalia.

4 *Euincitur paritate coniugis percutientis adulterum deprehensū in adulterio.*

§. V.

An ex sponsalibus contractis ignoranter inter impeditos dissoluantur posteriora sponsalia inita cum altero consanguineo sponsi impediti.

S V M M A R I V M.

Titulus exponitur in suis terminis. 1.

Attento praecise iure nouo Concil. Trident. posteriora sponsalia Liuia cum altero fratre prioris sponsi ex alio matrimonio non sunt inualida ex eo praecise, quod antecedenter fuerint inita sponsalia cum priore sponso fratre ex alio matrimonio cum eodem primo. 2.

Quando sponsalia sunt publica, impedimentum verò est occultum, adhuc non est impedimentum publica honestatis. 3.

1 *Elucidatur factum.* DIsquisitio V. Desponsauerat Titius filiam suam Liuiam Caio filio Theodorici eo adiecto iuramento, quod, si ex aliqua causa perfici non posset matrimonium inter eandem Liuiam, & Caium, eandem traderet alteri filio eiusdem Theodorici, quem habuit ex alia vxore. Rebus sic stantibus innotuit inter Caium, & Liuiam intercedere gradum consanguinitatis vetantem inter eosdem matrimonium, & sic Titius contendebat Liuiam iuxtà normam iuramenti tradere alteri filio Theodorici ex alia vxore. Quaesitum fuit, an sponsalia cum hoc secundo inita subsistant, & an inter eosdem possit intercedere matrimonium.

Ratio potissima dubitandi. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod ex illis prioribus sponsalibus nullum consurgit vinculum obligatorium, cum impossibilium nulla sit obligatio §. *si impossibili Instit. de inutil. stipul.*, impossibile autem est stante impedimento consanguinitatis, quod inter Caium, & Liuiam possit esse matrimonium, cum hoc esset contra bonos mores *l. filius familias ff. de condit. instit.*, *& cap. faciat homo 22. q. 2.*, ergò ex illis oriri nequit impedimentum publicae honestatis. Accedit, quod ex contractu nullo nullus potest esse effectus, sed priora illa sponsalia fuerunt in sua radice nulla, cum fuerint inter personas inhabiles ad contrahendum ad inuicem intuitu consanguinitatis inter eosdem intercedentis, ergò ex illis nullus effectus, nullaque obligatio potest prouenire, adeoque, nec impedimentum publicae honestatis, quod est effectus sponsalium. Nihilominus.

Rescriptum Alexandri III. in simili casu Episcopo Papiensi. Consultus Alexander III. in simili casu *in cap. ad audientiam de sponsalib.* Episcopo Papiensi in hanc formam rescripsit, *Sed quoniam scriptum est, quod sponsam fratris frater habere non potest, mandamus, quatenus eum suum implere propositum non permittas, sed vt poenitentiam agat de illicito iuramento monitione praemissa ecclesiastica districtione compellas.* Quamobrem ad ea, quae in ratione dubitandi mox dicebamus, respondet *Glosa in d. c. ad audientiam in verbo habere non potest de sponsalib.*, quod in ordine ad hoc impedimentum potius factum attendatur, quam ius *cap. nuper de bigam.*, *& l. eum, qui C. de adult.*, & in talibus plus consideretur, quandòque opinio, quàm veritas *cap. cum inter Ioannem, Qui fil. sint legit.* Quid igitur in hac controuersia concludendum?

2 *Posteriora sponsalia de iure nouo non inualidantur.* Respondeo attento praecisè iure nouo *Concil. Trid. sess. 24. cap. 3.* posteriora sponsalia Liuiae contracta cum altero filio Theodorici ex alio matrimonio non dissolui ex eo praecisè, quod antecedenter fuerint inita sponsalia cum Caio fratre eiusdem ex alio matrimonio *Henriquez lib. 12. de matrim. c. 10. n. 3. Sanchez lib. 7. disp. 68. Gutierez de matrimonio c. 103. n. 5. Coninckus disp. 32. dub. 5. num. 63. Bonacina q. 3. de matrimonio punct. 11. n. 3. vers. dixi.* (*Henriquez. Sanchez. Gutierez. Coninch. Bonacina.*) Ratio ex eo deducitur, quià illa priora sponsalia contracta inter Liuiam, & Caium fuerunt in sua radice absolutè irrita, si quidem inita inter personas omninò inhabiles ad contrahendum; Concilium autem Trident. loco cit. absolutè sustulit impedimentum honestatis ex sponsalibus in sua radice inualidis, per quod etiam derogauit iuri *in illo cap. ad audientiam de sponsalib.*; nec hoc mirum, quandoquidem idem Concilium loco citato restrixit etiam tale impedimentum ad primum gradum consanguinitatis, quod antiquitus extendebatur vsque ad quartum. *Ex sponsalibus inualidis non consurgit publica honestas.*

3 *Quid dicendum, quandò sponsalia sunt publica, impedimentum verò occultum.* Hic suboritur difficultas, an etiam tollatur per idem Concilium Tridentinum illud impedimentum publicae honestatis, quantumvis sponsalia fuerint publicà, impedimentum autem omninò occultum. *Durandus in 4. dist. 41. q. 2.*, *& ibid. Paludanus art. 3. concl. 2. Siluester verb. matrimonium 8. num. 14. dict. 6.* fauere videntur opinioni asserenti in hac hypothesi oriri impedimentum publicae honestatis; quandòquidem hoc inductum est ab Ecclesia in ordine ad vitanda scandala; prout habetur *in cap. iuuenis 3. de sponsalib.*; quandò autem sponsalia essent publica, & in faciem Ecclesiae celebrata eadem est ratio scandali non apparente de impedimento, ac si illa sponsalia fuissent valida, ergò &c. Atque iuxtà hunc sensum explicari potest textus *in d. cap. ad audientiam de sponsalib.* quatenus procedat solummodò, quandò existentibus publicis sponsalibus impedimentum esset dumtaxat occultum, ad quod etiam referri potest id, quod asse- *Sententia asserens oriri publicam honestatem. Durandus. Paludanus. Siluester.*

rebat

rebat *Glossa ibid.* nempe potius in his attendi factum, quam ius, & habere quandoque praelationem opinionem, quam veritatem. Nihilominus absolutè sentiendum existimo, nullum etiam in data hypothesi oriri impedimentum publicae honestatis. *Nauarrus cap. 22. num. 57 Coninchus disp. 32. dub. 5. n. 69.* Ratio ex eo deducitur, quià iura *in d. cap. iuuenis 3. de sponsalib.*, *& Conc. Trid. loc. cit.* loquuntur generatim de sponsalibus quauis ratione inualidis, vndè non est, cur debeat dispositum restringi ad sponsalia publica, quandò impedimentum est occultum; caeteroqui, si sponsalia essent priuatim contracta, & possent per duos testes probari, non orietur ex illis impedimentum publicae honestatis. Quamobrem ad ea, quae afferuntur *ex Glosa in d. cap. ad audientiam de sponsalib.* dicendũ est ea procedere secundum praesumptionem in foro externo, quatenus quandiu sponsalia publica sunt, & nullitas occulta Ecclesia praesumat esse valida, & inducere impedimentum publicae honestatis, nec matrimonium sponsi cum sorore sponsae permittet. Caeterum vbicunque Ecclesiae constaret de inualiditate eorundem sponsalium non esset, cur impedimentum illud non desineret etiam in foro externo, sicuti non est subsistens etiam in foro interno, cum re verâ in se ex sponsalibus inualidis non oriatur.

3 *Contraria sententia praefertur.* Nauarrus. Coninch.

§. VI.

An priora sponsalia dissoluantur per publicam honestatem superuenientem.

SVMMARIVM.

Status controuersiae exponitur. 1.

Iuxtà terminos facti ex secundis sponsalibus non oritur impedimentum publicae honestatis dissolutiuum priorum. 2.

DIsquisitio VI. Contractis sponsalibus inter Flauiam, & Meuium, idem Meuius nulla intercedente legitima causa recedendi ab eisdem sponsalibus contraxit noua sponsalia cum Calidonia sorore eiusdem Flauiae cum publicis solemnitatibus, dum fortè priora sponsalia fuerunt priuatim contracta. Hic orta fuit ratio dubitandi, an ex his posterioribus sponsalibus ortum fuerit impedimentum publicae honestatis, ratione cuius idem Meuius non possit contrahere matrimonium cum Flauia priori sponsa.

Facti series explicata.

Ratio dubitandi deducitur *ex cap. unico de sponsalib. in 6.*, vbi videtur inuui per impedimentum publicę honestatis ortum post sponsalia non dirimi priora sponsalia, cum ex alio capite communitèr doceant Doctores per matrimonium subsequens etiam inualidum induci tale impedimentum publicae honestatis, & priora sponsalia dissolui. Nihilominus

Ratio dubitandi exposita.

Respondeo, in hac hypothesi ex secundis sponsalibus non oriri impedimentum publicae honestatis dissolutiuum priorum *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 68. num. 24. Nauarrus cap. 22. num. 57. Bonacina de matrimonio q. 3. punct. 11. nu. 21., & alij communitèr.* Ratio multiplex esse potest. Prima, quià ex Concil. Trident. suprà allegato ex sponsalibus, quacunque ratione inualidis nullum oritur impedimentum publicae honestatis, sed posteriora sponsalia inita cum Calidonia sorore Flauiae prioris sponsae sunt absolutè inualida, quandòquidem ex superius dictis priora sponsalia non dissoluuntur per subsequentia, cùm autem simul, & semel idem non possit esse sponsus duarum, manifestè sequitur, quod, si priora sponsalia subsistant posteriora non teneant. Secunda, quià ex prioribus sponsalibus contractis cum Flauia seruatis omnibus solemnitatibus, vt supponitur, oritur impedimentum publicae honestatis, vt est in confesso apud omnes, ergò vigore eiusdem Meuius non poterit validè, & efficacitèr contrahere cum sorore eiusdem Flauiae, ergò, si contrahat, inualidè contrahet, sicque non consurget impedimentum publicae honestatis. Tertia, quià priora sponsalia legitimè inita non dissoluuntur per posteriora cum quacunque alia persona extra gradum consanguinitatis cum prima inita, ergò nec poterunt dissolui per posteriora inita cum sorore eiusdem Flauiae. Consequentia tenet, quià in tantum per posteriora non dissoluuntur prima, in quantum illa posteriora sunt inualida, sed etiam sunt inualida posteriora inita cum sorore eiusdem Flauiae, ergò &c.

2 *Ex secundis non oritur impedimentum honestatis contra priora.* Sanchez. Nauarrus Bonacina

Per posteriora non dissoluuntur priora.

Dices primo, superueniente sponsalibus affinitate, vel aliquo alio impedimento eadem sponsalia dissoluuntur *Sanchez d. l. 7. de matrim. c. 68. n. 24 Nauarrus d. c. 22. n. 57.* ergò etiam superueniente impedimento publicae honestatis ob sponsalia contracta cum sorore primae sponsae eadem priora dissoluentur. Sed contrà primo dato antecedente, negandum est directè suppositum consequentis; supponit etiam, quod ex illis posterioribus sponsalibus oriatur impedimentum publicae honestatis, quod falsum omninò est, cum illa sint in sua radice inualida, adeoque nullum valeant producere effectum. Secundò, quià iura expressè statuunt ex affinitate, cognatione legali, & spirituali superuenientibus dissolui priora sponsalia, vt latè suo loco videbimus; in impedimento autem publicae honestatis hoc negant expressè, vt videre est in textu *in cap. unico de sponsal. in 6.* vbi

Sanchez. Nauarrus.

Non subsistit suppositum consequentis.

Ex impedimento publicae honestatis superueniente non dissoluuntur priora sponsalia.

sic legitur. *Ex sponsalibus puris, & certis, dummodò non sint nulla ex defectu consensus, oritur efficax ad impediendum, & dirimendum sequentia sponsalia, vel matrimonia, non autem ad præcedentia dissoluendum impedimentum publicæ honestatis.*

Dices secundò ex matrimonio subsequenti cum Calidonia sorore Flauiæ, quantumvis inualido oritur impedimentum publicæ honestatis dirimens priora sponsalia contracta cum eadem Flauia, ergò etiam ex sponsalibus subsequentibus initis cum eadem Calidonia, quantumvis inualidis orietur tale impedimentum dirimens. Antecedens probatur, quià ex matrimonio irrito ex alia causa, quam ex defectu consensus oritur impedimentum publicæ honestatis, quod de iure antiquo deducitur *ex cap. sponsam de sponsalib., & cap. accessit de desponsatione impuberum*; ius autem nouum Concil. Trident. quoad hujusmodi matrimonia nihil innouauit, vt patet ex motu proprio *Pij V. ad Romanum spectat*, & sic declarauit Sacra Congregatio apud *Bonacinam de matrimonio q. 3. punct. 11. num. 11.* Consequentia item euincitur, quià tota ratio, ob quam ex sponsalibus subsequentibus cum sorore prioris sponsæ non oritur impedimentum publicæ honestatis est inualiditas eorundem sponsalium subsequentium; cum igitur non obstante inualiditate in matrimonio consurgat ex eodem impedimentum publicæ honestatis, non erit, cur illud non consurgat etiam ex sponsalibus inualidis. Sed contrà negandum est in hac hypothesi absolutè antecedens; nam quantumvis, vt infrà examinabimus, absolutè ex matrimonio inualido ex alia causa à defectu consensus consurgat tale impedimentum, non consurgit tamen in hypothesi, qua ex prioribus sponsalibus legitimè celebratis iam ortum est tale impedimentum aduersus eam, cum qua contractum fuit tale matrimonium inualidum, cæteroqui ex eodem capite daretur mutua pugna adinuicem, sicque ratio publicæ honestatis, quæ impedit contractum cum consanguinea sponsæ intra gradus à iure prohibitos, impedit etiam, ne consurgat ex contractu illo inualido, si ineatur aliud impedimentum aduersus se ipsam.

Ratio aduersans assertioni; eiusque dissolutio.

Non consurgit, quandò iam ex prioribus sponsalibus ortum est.

Dices tertiò. Si Meuius contractis sponsalibus legitimis cum Flauia contrahat posteà matrimonium de rato cum Calidonia eius sorore ex tali matrimonio, quantumvis inualido consurgit impedimentum publicæ honestatis, cum quacunque ipsius consanguinea intra quartum gradum *Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 68. num. 24. Bonacina item de matrim. quæst. 3. punct. 11. num. 20.*, qui etiam testatur de communi, ergò etiam ex tali matrimonio, quantumvis inualido consurget tale impedimentum etiam cum Flauia, cum qua antecedenter inierat sponsalia, siquidem cum Calidonia est in primo consanguinitatis gradu. Sed contrà dato pro nunc antecedenti neganda est absolutè consequentia propter rationes in responsione ad præcedentem instantiam adductas; iam etenim antecedenter Flauia ex præcedentibus sponsalibus validè celebratis ius acquisierat, ne matrimonium contraheretur cum alia ipsius consanguinea in gradu prohibito, & per consequens etiam, ne aduersus se ipsam ex alio matrimonio consurgeret impedimentum publicæ honestatis.

Sanchez. Bonacina.

§. VII.

An priora sponsalia conditionata dissoluantur per posteriora pura celebrata cum consanguinea.

SVMMARIVM.

Expenditur status controuersiæ. 1.

Ex posterioribus sponsalibus pure initis cum sorore prioris sponsæ conditionalis non oritur impedimentum publicæ honestatis; ratione cuius non possit contrahere cum eadem prima. 2.

Soluuntur rationes dubitandi in contrarium. num. 3.

Intellige, quando priora inita sunt sub conditione de futuro, non de præsenti. 4.

2 *Non oritur impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius non possit contrahere cum prima.* Sanchez. Reginald. Quiricæ. Bonacina.

Disquisitio VII. Contraxerat Caius sponsalia sub conditione de futuro honesta, & possibili cum Meuia, posteà pendente adhuc conditionis euentu idem Caius per consensum purum, & absolutum noua sponsalia inierat cum Berta sorore eiusdem Meuiæ. Hic orta fuit controuersia, an ratione talium subsequentium sponsalium ortum fuerit impedimentum publicæ honestatis etiam aduersus Meuiam, cum qua prius fuerant celebrata sponsalia sub conditione honesta, & possibili de futuro. 1 *Factum ex positum in suis terminis.*

Rationem dubitandi desumunt Doctores *ex cap. vnico verb. præsenti de sponsalib. in 6.*, vbi Glosa expresse dicit per posteriora sponsalia pura consurgere impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius nequit posteà sponsus cum priori, cum qua contraxerat sponsalia conditionata, contrahere matrimonium, quod idem affirmauit *Tabiena verb. impedimentum imped. 11. n. vnico*, & certè dictum ipsorum videtur inniti congruæ rationi, quandoquidem *ex d. cap. vnico de sponsalib. in 6.* oritur tale impedimentum ex sponsalibus irritis ex quacunque alia causa excepto defectu consensus; in his autem poste-

Ratio dubitandi desumpta ex cap. vnico verb. præsent. de sponsalib. in 6. Tabiena.

posterioribus sponsalibus non est defectus consensus, vt per se patet, ergò quantumvis sint irrita ex alia causa pariunt tamen tale impedimentum. Accedit, quod huiusmodi impedimentum non oritur, nisi vel ex matrimonio, vel ex sponsalibus celebratis; sed sponsalia cum priori celebrata non sunt talia, nisi purificata conditione. ergò, si ante illius adimplementum celebrentur posteriora secundum purum, & absolutum consensum priora in vim sponsalium non obligant, adeoque non inducunt impedimentum, ergò per eadem posteriora ante talem conditionem absolutè dissoluuntur, sicque ratione publicæ honestatis consurgentis ex secundis non poterit contrahere cum prima. Nihilominus.

Publica honestas non consurgit, nisi ex matrimonio, vel sponsalibus

2 Respondeo, ex posterioribus sponsalibus puris initis cum sorore eiusdem Meuiæ non oriri impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius non possit contrahere cum eadem Meuia, cum qua prius sponsalia conditionata contraxerat *Sanchez lib. 7. de matrimon. disp. 69 num. 3. Reginaldus lib. 31. num. 129. Gutierez de matrim. c. 103. num. 20. Bonacina qu. 3. punct. 11. num. 5.* Ratio ex ijs deducitur, quæ ex iure nouo *Concil. Trid. sess. 24. c. 3.* statuuntur, ex sponsalibus scilicet quacunque ratione inualidis non consurgere impedimentum publicæ honestatis, sed posteriora sponsalia pura inita cum sorore eiusdem Meuiæ sunt secundum se inualida, ergò ex illis non potest oriri impedimentum publicæ honestatis eximens à priori obligatione inita sub conditione. Minor probatur, quia sponsalia ex genere suo sunt intra limites promissionis, omnis antè promissio de re illicita absolutè non subsistit: illicitum autem est pendente adhuc conditione, sub qua celebratus fuit prior contractus, alium celebrare, qui cadat in destructionem primi: tenetur etenim expectare vsque ad conditionis euentum.

Non oritur impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius non possit contrahere cum prima.

Sanchez. Reginald. Gutierez. Bonacina.

Dices, ex prioribus sponsalibus initis sub conditione honesta, & possibili de futuro non oritur impedimentum publicæ honestatis ante conditionis euentum, quandoquidem contractus non obligat vltra consensum, & intentionem contrahentium, contrahentes autem non intelligunt se obligare ante conditionis euentū, ergò ex illis non potest prouenire, quin ex secundis purè, & absolutè initis oriatur tale impedimentum. Sed contra, quia, quantumuis non oriatur ante conditionis euentum in prioribus sponsalibus impedimentum publicæ honestatis, non tamen tollitur, quin pendente adhuc conditionis euentu inualidè posteriora sponsalia contrahantur, cum promittens teneretur expectare conditionis euentum, sicque ratione inualiditatis posterioris contractus non oritur ex illo impedimentum publicæ honestatis tollentis ius ex prioribus sponsalibus initis sub conditione acquisitum.

Quamvis ex primis conditionatis non ... honestas ... conditionis ... posteriora ...

Ad rationem dubitandi, quæ afferebatur *ex d. c. vnico de sponsalibus in 6.* dicendum est habere ad summum vim de iure antiquo, secundum quod ex sponsalibus inualidis ex quacunque causa præter defectum consensus oriebatur impedimentum publicæ honestatis, vt videtur quodamodo statui in dicto textu; de iure autem nouo Concilij Tridentini hæc non militant, quandoquidem per idem Concilium sublatum est huiusmodi impedimentum proueniens ex sponsalibus quacunque ratione inualidis. Ad illud, quod subditur, iam patet quid sit respondendum; dicendum quippe est non perimi impedimentum publicæ honestatis in secundis sponsalibus purè, & absolutè contractis ratione similis impedimenti, quod ortum fuerit in prioribus sub conditione de futuro celebratis, sed ratione inualiditatis, cum qua contrahuntur eadem posteriora sponsalia, quæ propterea stante dispositione dicti Concilij Tridentini non possunt parere illum effectum impedimenti publicæ honestatis. 3

Nō habens vim de iure nouo Concil. Trid.

Quæ hactenus dicta sunt, procedunt, quando conditio apposita est de futuro, honesta, & possibilis; si etenim esset de præsenti, vel de præterito, immediatè ex primis sponsalibus orietur illud impedimentum publicæ honestatis, si conditiones illæ exteut, vel extiterint per ea, quæ latè nos suprà diximus, & colligitur *ex d. c. vnico de sponsal. in 6.* Ibi, *ante conditionem extantem*, & ita docent *Ioannes Andreas eod. cap. vnico in fin. Ancharanus num. 4. Alexander de Neuo cap. ad audientiam num. 14. de sponsalibus; Siluester verb. matrimonium 8. quæst. 18. dict. 7 Sotus in 4. dist. 41. quæst. vnic. art. 2. col. penult.* Dixi, *si fuerit honesta, & possibilis*, quandoquidem etiam ex superius dictis conditiones turpes, & impossibiles, quæ non sint contra matrimonij substantiam non irritant, nec suspendunt contractum, sed irritantur, & habentur pro non adiectis, sicque contractus remanet in puro suo esse, & absoluto *Glosa in d. c. vnico verb. conditionem de sponsalib. in 6. Brunellus de sponsal. concl. 10. n. 3. Astensis 2. part. summa lib. 8. cap. 24. art. vnico q. 6. Vera Crux prima part. specul. art. 54. concl. 2.*, & alij communiter. 4

Si tamen conditio adiecta fuerit de futuro, secus, si de præsenti, vel præterito.

Ioannes Andræas. Ancharan. Alexander de Neuo. Siluester. Sotus.

Glosa. Brunellus.



§. VIII.

§. VIII.

An matrimonium conditionale dissoluat posteriora sponsalia ratione impedimenti publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

Factum, & articuli examinandi. 1.
Pendente adhuc conditione ex illo matrimonio conditionali non oritur impedimentum publicæ honestatis. 2.
Contracto matrimonio conditionali, & pendente adhuc conditione, si maritus contrahat sponsalia pura cum consanguinea vxoris inualidè contrahit, non quidem ex impedimento publicæ honestatis, sed ratione præcedentis obligationis. 3.
Pendente adhuc conditione prioris matrimonij, si contrahat cum consanguinea eius per verba de præsenti tenet contractus. 4.

1 *Factum expositum.* DIsquisitio VIII. Contraxerat matrimonium per verba de præsenti Caius cum Sempronia adiecta tamen aliqua conditione honesta, & possibili de futuro; Successiuè pendente adhuc conditione, vel sponsalia purè contraxit cum Theodorica sorore eiusdem Semproniæ, vel fortè etiam matrimonium verum, & absolutum sine vlla conditione. Hic multiplex excitatus fuit articulus. Primus, an ex illo matrimonio conditionali cum Sempronia ortum fuerit impedimentum publicæ honestatis. *Articuli examinandi.* Secundus, an sponsalia postea absolutè contracta cum sorore eiusdem Semproniæ sint ipso iure irrita, & an ex impedimento publicæ honestatis præcedenti in priori matrimonio conditionali, an verò ex aliquo alio capite. Tertius, an, si initus fuerit alius contractus matrimonialis per verba de præsenti pura, & absoluta seruatis omnibus iuris solemnitatibus talis contractus teneat non obstante priori conditionali.

2 *Impedimentum huiusmodi non oritur. Henriquez Sanchez. Bonacina.* Respondeo primò, ad primum pendente adhuc conditione ex illo matrimonio conditionali non oriri impedimentum publicæ honestatis *Henriquez lib. 11. de matrimonio cap. 10. num. 2. Sanchez disp. 70. num. 21. Bonacina de matrim. qu. 3. punct. 11. num. 16.* aduersus *Petrum de Ledesma de matrimonio qu. 55. art. 4. dubio penult.*, qui quamvis doceat pendente illa conditione non consurgere huiusmodi impedimentum, quando ea purificata requiritur nouus consensus, asserit tamen, quod in sententia asserente nouum consensum non requiri, sed immediatè transire in matrimonium purum, & absolutum consurgat tale impedimentum ea motus ratione, quod cum tale matrimonium conditionale sit perfectior contractus sponsalibus includat eminentèr ante conditionis euentum vox sponsalium absolutorum. Nihilominus

Probatur responsio in vniuersum, quia per addictionem illius conditionis contractus, seù consensus suspenditur vsque ad illius implementum, ergò ante illius adimplementum nullum inducit onus, nullumque parit effectum in contrahentibus, adeoque, nec impedimentum publicæ honestatis. Consequentia tenet, quia onera contractus non consurgunt, nisi ad normam consensus, seù intentionis contrahentium. *Onera contractus non consurgunt nisi ad normam intentionis contrahentiū.*

Dices primò, quod matrimonium conditionale sub conditione honesta, & possibili obliget vtrumque contrahentem ad non resiliendum vsque ad conditionis implementum eo modo, quo diximus suprà de sponsalibus conditionalibus, adeovt, si posteriora spōsalia contrahant, eadem sint inualida, ergò effectum aliquem gignunt, adeoque non est, cur etiam gignere nequeant impedimentū publicæ honestatis. Sed contrà, quia impedimentum publicæ honestatis non oritur ex obligatione præcisè contrahendi, sed ex vero, & actuali contractu, qui verè non est, nisi purificata, & adimpleta conditione possibili, & honesta. *Impedimentum publicæ honestatis non consurgit præcisè ex obligatione contrahendi.* Esto igitur, quod neuter possit recedere ante conditionis adimplementum propter fidem præstitam, non propterea sequitur, quod inter contrahentes conditionalitèr consurgat impedimentum publicæ honestatis, cum contractus non intelligatur completus.

Dices secundò, fortius obligare matrimonium conditionale, ac sponsalia sub conditione honesta, & possibili inita, ergò, quantumvis ex sponsalibus conditionalibus non consurgat tale impedimentum publicæ honestatis, consurget tamen ex matrimonio conditionali. Sed contrà, quia in ordine ad hunc effectum non maiorem vim habet conditionale matrimonium, ac sponsalia conditionalia, cum vterque contractus non sit perfectus, & absolutus, nisi post conditionis adimplementum, vnde etiam *Sanchez d. lib. 7. disp. 70. num. 21.* asserit, quod etiam huiusmodi matrimonium conditionale resoluatur in sponsalia sub conditione inita. *Matrimonium conditionale resoluitur in sponsalia sub conditione inita.*

3 *Inualidum tur sponsalia posteriora ratione præcedentis obligationis. Petrus de Ledesma. Sanchez. Reginald. Gutierez.* Respondeo secundò, si Caius pendente adhuc conditione, sub qua matrimonium contraxit cum Sempronia contrahat sponsalia purè cum Theodorica sorore eiusdem Semproniæ, inualidè quidem contrahit non quidem ex impedimento publicæ honestatis, quod consurrexerit ex prioribus sponsalibus, vel matrimonio conditionalibus, sed ratione præcedentis obligationis *Petrus de Ledesma de matrim. q. 55. art. 9. Sanchez lib. 7. disp. 69. num. 3. Reginaldus lib. 31. num. 129. Gutierez de matrimonio c. 103 num.*

num.19. Bonacina de matrimon. q. 3. punct. 11. num.5., & alij magis communiter. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ex allegatis iuribus promissiones de re illicita sunt absolutè inualidæ, & nullius roboris, sed stante illa priori promissione conditionali pendente adhuc conditionis effectu subsequentia sponsalia purè inita cum sorore eiusdem Semproniæ sunt absolutè de re illicita, utpotè quæ sunt contra fidem alteri obligatam, quæ licet fuerit conditionalis, obligat tamen ad non recedendum, vsquequo pendet conditionis euentus, ergò &c. Et proptèr hanc rationem non solum intelliguntur irrita sponsalia purè inita cum sorore eiusdem Semproniæ proptèr priora sponsalia conditionalia inita cum eadem Sempronia, sed etiam quæcunque sponsalia inita subsequentèr, cum quacunque alia etiam extranea. Ratio secundæ partis etiam ex eo deducitur, quia priora sponsalia conditionata non pariunt effectum impedimenti publicæ honestatis, nisi post purificatam conditionem per superius allegatã, & probata, ergò inualiditas posteriorum sponsalium initorum cum sorore eiusdem Semproniæ non consurgit ex impedimento publicæ honestatis prouenientе ex matrimonio, vel sponsalibus conditionalibus initis cum eadem Sempronia.

Ex sponsalibus inualidis non oritur impedimentum publicæ honestatis.

Ex ijs inferes, neque ex posterioribus sponsalibus initis purè, & absolutè cum sorore eiusdem Semproniæ oriri impedimentum publicæ honestatis irritans priora sponsalia inita conditionatè cum eadem Sempronia, vel fortè etiam matrimonium conditionale *Sanchez d. lib. 7. disp. 69. num. 3. Reginaldus d. lib. 31. n. 129. Gutierez loc. cit. num. 20.* Ratio ex eo deducitur, quia ex sponsalibus in suo esse inualidis nullum consurgit impedimentum publicæ honestatis per superius allegata, & probata ex definitione Concil. Trid., sed stantibus prioribus sponsalibus conditionalibus posteriora pura pendente adhuc conditione sunt absolutè inualida ex supradictis, ergò &c.

Nec ex posterioribus sponsalibus purè initis oritur honestas irritans priora conditionalia.
Sanchez.
Reginald.
Gutierez.

Dices, hæc procedere solummodò ex sponsalibus inualidis, secus autem ex matrimonio inualido, nam Concil. Trident. statuit quidem ex sponsalibus quocunque modo inualidis non oriri tale impedimentum publicæ honestatis, quoad matrimonium autem inualidum nihil absolutè decernit, sed iura antiqua in suo robore relinquit; ex antiquis autem iuribus nedum matrimonium inualidum, sed etiam sponsalia gignebant impedimentum publicæ honestatis. Sed contrà fateor ex matrimonio inualido oriri impedimentum huiusmodi, nisi sit inualidum ex defectu consensus; in præsenti autem hypothesi inualiditas consurgit ex defectu eiusdem consensus, cum contrahentes non se intendant obligare, nisi purificata conditione. Deindè hæc instantia locum non habet in præsenti difficultate, quandòquidem supponimus, quod subsequentèr non fuerit initum matrimonium conditionale, & inualidum, sed tantum sponsalia supposito priori matrimonio conditionali.

Inualiditas consurgit ex defectu consensus.

Respondeo tertiò: Si Caius pendente adhuc conditione prioris matrimonij initi cum Sempronia contrahat per verba de præsenti cum eiusdem sorore seruatis omnibus iuris solemnitatibus, vtique validè contrahit non obstante priori contractu conditionali. Consentiunt ferè omnes, quos viderim. Ratio ex eo deducitur, quia inualiditas posterioris matrimonij, nec consurgit ex impedimento publicæ honestatis prouenientis ex priori matrimonio conditionali, nec ex priori contractu irritante, ergò &c. Antecedens quoad primam partem deducitur ex superius dictis, quia ex matrimonio conditionali vigente adhuc conditionis termino non consurgit impedimentum publicæ honestatis, ergò &c. Quoad secundam etiam sic euincitur, quia ex superius dictis per matrimonium subsequens initum seruatis omnibus iuris solemnitatibus dissoluuntur præcedentia sponsalia etiam legitimè inita, ergò etiam dissoluetur prius matrimonium initum sub conditione, quandòquidem prius matrimonium sub conditione non obligat in vim matrimonij, nisi adimpleta conditione.

Si contrahas per verba de præsenti purè tenet contractus.

§. IX.

An ex matrimonio fictè celebrato dissoluantur posteriora sponsalia.

S V M M A R I V M.

Exponitur titulus in suis terminis. 1.
Ex illo matrimonio fictè contracto ex vi præcisè impedimenti publicæ honestatis, & in foro interno non dissoluuntur posteriora sponsalia legitimè contracta. 2.
In foro externo compellendus est stare matrimonio fictè contracto ad euitanda scandala, aliaque incommoda. 3.
Illatio accomoda ex præcedentibus deducta num. 4.

1 Disquisitio IX. Sine animo se obligandi, quin potius ex fine alterum decipiendi per verba de præsenti contraxerat matrimonium Caius cum Berta. Cognoscens posteà Caius se fictè promisisse vero animo, & cum intentione se obligandi verè, & realitèr seruatis omnibus iuris solemnitatibus contraxit sponsalia cum Theodorica sorore nulla habita ratione

Facti series exposita.

tione ad prius matrimonium fictè contractum cum Berta; orta hic fuit controuersia, an eadem sponsalia posteriora intelligantur ipso iure irrita, an verò legitimè subsistant.

Ratio vndè desumitur dubitatio. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod sentiunt communitèr DD., quod scilicet licet ex dispositione Concilij Tridentini ex sponsalibus quomodocunque inualidis non oriatur impedimentum publicæ honestatis, ex matrimonio tamen inualido tale impedimentum publicæ honestatis oriatur, adeoque, quod ratione eiusdem nedum impediantur; sed etiam inualidantur posteriora sponsalia. Nihilominus,

2 Non dissoluuntur posteriora sponsalia legitimè contracta. Petrus de Ledesma. Speculum. Nauarrus. Respondeo, ex illo matrimonio fictè contracto ex vi præcisè impedimenti publicæ honestatis, & in foro interno non dissolui posteriora sponsalia legitimè contracta *Petrus de Ledesma q.55. art.4. vers. nihilominus, Speculum art. 53. ad fin. Nauarrus c.22. n.57.* Ratio ex eo deducitur, quià licet ex matrimonio inualido ex alio capite consurgat impedimentum publicæ honestatis non consurgit tamen, quandò inualiditas oritur ex defectu consensus, vt suprà docuimus, sed matrimonium, de quo in præsenti agimus, est inualidum ex defectu consensus, quandòquidem, qui fictè promittit, sine consensu, & sine animo se obligandi promittit, ergò &c.

Sanchez. Eliditur ratio Sanchez innixa falso fundamento. Neque hic audiendus est *Sanchez d. lib. 7. disp. 70. num. 11.*, qui paritate sponsalium fictè contractorum, quæ asserit gignere impedimentum publicæ honestatis, quandò sunt inualida ex solo defectu consensus interni, statuit etiam matrimonium fictè contractum ob solum defectum consensus interni tale impedimentum producere. Rationem assumpti ex eo deducit, quià hoc impedimentum est institutum ob publicam honestatem, & ad vitandum scandalum; quandò autem sponsalia in exterioribus sunt legitimè contracta, & solus consensus internus ad eorum valorem deficit, tantum scandalum esset, tantaque inhonestas, ac si ille consensus non desideraretur. Non, inquam, audiendus est proptèr superius allegata, quandòquidem verè, & realitèr illa sponsalia non subsisterent secundum se, & in foro interno. Recole, quæ superius dicta sunt, non enim hic vacat ea repetere.

3 In foro externo tenentur stare contractui fictè inito. Dixi, *ex vi præcisè impedimenti publicæ honestatis, & in foro interno*; non enim negauerim, quod in foro externo fortè consentiens compellendus sit stare matrimonio fictè contracto ratione scandali, vel alterius incommodi vitandi iuxtà ea, quæ in superioribus dicta sunt; ratione etenim huiusmodi incommodorum tenetur à fictione recedere, & nouum consensum verum, & realem constituere, per quem prius matrimonium conualidetur; nunquam etenim Ecclesia præsumit de fictione, quandò matrimonium contractum est in faciem eiusdem Ecclesiæ, sed præsumit semper pro veritate actus, sicque dictum fuit eandem posse fictè consentientem censuris compellere.

4 Illatio congrua ex precedentibus. Sanchez. Ex hucusque dictis patet etiam, non dissolui ob impedimentum publicæ honestatis sponsalia posteriora seruatis legitimis solemnitatibus, & per verum consensum contracta ex matrimonio antecedentèr inito cum persona incerta, & indeterminata ex aliqua determinata familia, cum qua posterior sponsa habet agnationem intra gradum, ex quo oritur publica honestas *Sanchez lib. 7. disp. 70. n.13., & alij communitèr*. Ratio ex eo deducitur, quià prius matrimonium ex defectu consensus requisiti est omninò inualidum; requiritur enim consensus determinatus, qui esse non potest ad personam indeterminatam.

§. X.

An sponsalia inita inter dispares cultu sint ipso iure irrita, an irritanda.

SVMMARIVM.

Facti series exposita. 1.
Sponsalia inter Ortodoxum, & hæreticam, & econtra esse ipso iure irrita. 2.
Soluitur argumentum à paritate matrimonij, quod inter huiusmodi personas validum est, deductum. 3.
Quare sit validum matrimonium inter huiusmodi personas, non sponsalia. 4.
Stante consuetudine in aliquibus regionibus sponsalia huiusmodi sunt valida. 5.

1 Proponitur, & elucidatur factum. Disquisitio X. In regionibus aliquibus contraxerunt adinuicem sponsalia Titius Catholicus cum Fabia hæretica, seù infideli præstita fide de contrahendo matrimonium intra certum, & determinatum tempus. Orta subindè fuit controuersia, an huiusmodi sponsalia subsisterent in suo esse, & obligarent ad perficiendum contractum intrà terminum præfinitum per verba de præsenti.

Matrimonium catholici cum hæretica tenet D. Thomas. Albertus Magnus. D. Bonauentura. Riccardus. Paludanus. Ratio dubitandi ex eo potissimum consurgit, quod licet matrimonium fidelis cum infideli carente baptismo sit ipso iure inualidum, matrimonium tamen Catholici cum hæretica ex communiori Theologorum consensu absolutè validum est, & tenet *D. Thomas in 4. dist. 39. q. vnica art. 1. ad quintum, Albertus Magnus ead. dist. 39. art. 4. D. Bonauentura ibi art. 1. quæst. 1. Riccardus ibi art. 1. quæst. 1. ad secundum, Paludanus Ibid. quæst. vnica art. 1. num. 7.* Caie-

Caietanus. D. Antoninus. Sotus.

Caietanus in summa verb. matrimonium cap. 1. impedim. 6. D. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 6. notab. 2. Sotus in 4. dist. 39. q. vnica art. 2. ad vlt. Petrus de Soto lect. 9. de matrimonio in impediment. disparis cultus, quod potissimum colligitur *ex cap. decreuit de hæreticis in 6.*, vbi matrimonium catholici cum hæretica non declaratur irritum, sed tantum inducitur pæna ammissionis doris; nec obstare posse videtur *canon 72. sexta Sinod. Generalis*, vbi sic legitur. *Non licere ortodoxum cum hæretica coniungi, nec ortodoxam cum hæretico, sed, & si quid huiusmodi factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.* Non, inquam, obstare potest, quia Canon ille allegatus sextæ Sinodi generalis, vt præfertur, est inter Trullanos, eo quod apud Trullum palatium regium editi sunt, qui certè nullam vim, nullamque concilij auctoritatem habent, cum editi fuerint post idem Concilium à nonnullis Episcopis, nec ab aliquo Romano Pontifice fuerint approbati, quinimmò, vt refert *Beda in lib. de sex ætat. in Iustiniano, & Paulus Diaconus lib. 8. de reb. Rom. cap. 9.* fuerunt reprobati à Sergio Pontifice illius temporis. Si igitur matrimonium inter Ortodoxum, & hæreticum, vel è contrà subsistit, non est, cur inter eosdem nequeant etiam sponsalia subsistere. Nihilominus

Beda. Paulus Diaconus.

Respondeo, absolutè sponsalia intèr Ortodoxum, & Hereticam, vel inter Hereticum, & Ortodoxam non subsistere, sed esse ipso iure irrita *Nauarrus lib. 4. consil. tit. de sponsal. in prima edit. cons. 38. n. 6., & consil. 5. n. 6. Sanchez lib. 7. de impedim. disp. 72. num 3.* Ratio ex eo deducitur, quià omnis promissio de re turpi, & illicita est ipso iure irrita, sed talis est promissio intèr Ortodoxum, & hæreticam, seù è contrà de contrahendo matrimonio, quandòquidem licet matrimonium ipsum, si contraheretur esset, validum, esset tamen peccaminosum læthalitèr, vt habetur *in concil. Calcedonensi can. 13, & Concil. Elibertino c. 16., & Laodiceno c. 10., & 31.*, quandòquidem controueniretur iustissimo Ecclesiæ decreto prohibentis ea matrimónia proptèr periculum fidei imminens nedum coniugi ortodoxo, sed etiam proli; vbi autem peccaminosum est matrimonium, non possunt esse nisi peccaminosa sponsalia, quæ ad ipsum ordinantur tanquam ad finem.

Huiusmodi sponsalia sunt irrita. Nauarrus. Sanchez.

Esset promissio de re illicita.

3 *Non valet argumentũ à matrimonio.*

Quamobrem ad ea, quæ dicuntur in ratione dubitandi, dicendum est, quod, quantumvis matrimonium illud sit validum, sit tamen secundum se illicitum, sicque compatitur cum validitate inhonestas, multa etenim facta tenent, quæ fieri prohibentur, pleraque sunt valida, quæ secundum se sunt illicita, & inhonesta. Cum igitur omnis promissio de re turpi, & inhonesta sit absolutè inualida, & non obligatoria, sequitur, quod præmissa sponsalia, quæ sunt in genere promissionis, nullam prorsus vim habeant. Si autem hic inquiras, cur matrimonium de facto initum inter Ortodoxum, & hæreticam teneat, non sic autem sponsalia; statim respondebimus id ex eo prouenire, quod promissio respicit complementum futurum, illudque est secundum se illicitum, & peccaminosum, adeoque non potest obligare ad executionem, cum promissio de re illicita non sit obligatoria, & iura omnia eximant promittentem ab onere executionis; matrimonium autem est de re præsenti, quod, cum sit cum debito, & proportionato consensu, & interueniant ea omnia, quæ ex natura sua, & ex dispositione iuris requiruntur ad validitatem eiusdem, non est, cur non debeat subsistere, non enim vitiatur quoad substantiam ex illo esse illicito, quandòquidem hoc non pertinet ad substantiam, sicuti non vitiatur quoad substantiam ex eo, quod celebretur ab eo, qui est alligatus onere castitatis simplicis, vel obstrictus aliquo impedimento non dirimente, quamvis reddatur illicita illa celebratio, & in hoc sensu verificatur illud axioma, quod multa facta tenent, quæ fieri prohibentur.

4 *Assignatur ratio disparitatis.*

Hic oritur difficultas, an in ijs orbis partibus, puta in Germania, & Gallijs, vbi ex consuetudine celebrantur matrimonia inter ortodoxos, & hæreticas, vel è contrà contrahatur noxa læthalis, si ad inuicem isti contrahant sponsalia. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod consuetudo, non videtur officere posse iuribus expresè obsistentibus, & prohibentibus celebrationem huiusmodi contractus inter tales determinatas personas, adeoque &c. Nihilominus absolutè sentio in huiusmodi regionibus, vbi viget hæc consuetudo, sic contrahentes non contrahere noxam læthalem, *Azorius lib. 8. instit. mor. cap. 11. q. 5. Nauarrus lib. 1. cons. tit. de constit. in vtraque edit. cons. 1. n. 59. & seqq. Sanchez lib. 7. disp. 72. n. 5. Bonacina de matrim. q. 3. punct. 7. n. 2. vers. dixi matrimonium baptizati*, qui omnes, licet loquantur in terminis matrimonij, facili tamen negotio ob paritatem rationis trahi possunt ad terminos sponsalium. Ratio ex eo deducitur, quià consuetudo recepta, & tolerata maximè intercedente aliqua causa habet vim iuris derogantis cuicunque iuri in contrarium, & sicuti impedimentum criminis simplicitèr impedientis contraria consuetudine abolertum est, quantumvis fuerit à iure inductum, ita non est, cur in aliquibus regionibus eadem consuetudine non potuerit aboleri ius prohibens celebrationem contractus

An ex tanta consuetudine sponsalia sint valida:

Sententia negans.

5 *Sententia affirmans præfertur.* Axorius. Nauarrus. Sanchez. Bonacina.

Tt inter

Consuetudo habet vim legis derogantis. inter ortodoxos, & hereticas, maximè vbi ob numerum hæreticorum vigent commertia inter eosdem, & catholicos; possunt etenim huiusmodi contractus iniri ob amicitiæ leges, & ad communem pacem, & Reipublicæ tranquillitatem tendam. Aduertendum tamen hic est, quod ad valida contrahenda sponsalia requiratur, quod catholicus permittatur in sua fide, & Religione viuere, & nullum subsit peruersionis periculum, & non adsit aliorum scandalum, vt bene notant *Sanchez d.disp.72.n.5. Coninchus de matrim. disp. 31.dub.3. num.45.* tunc etenim debet præualere fides, & bonum Religionis cuicunque iuri, & consuetudini contrariæ. Sanchez. Coninch.

§. XI.

An sponsalia intèr cathecumenum, & catolicam subsistant.

SVMMARIVM.

Exponitur diluciàe factum. 1.
Matrimonium inter catechumenum, & catholicam non tenet. 2.
Sponsalia inter catechumenum, & catholicam probabilius tenent. 3.

1 DIsquisitio I. Caius adultus, & infidelis Spiritu Sancto efflatus statuit in corde suo ab infidelitate recedere, seque ad fidem catholicam conuertere; dum Christianis imbueretur præceptis, antequam baptismum reciperet, fide data de matrimonio futuro post baptismum contrahendo contraxit sponsalia cum Theodorica nubili catholica, quæ etiam repromisit. Orta hic fuit controuersia, an huiusmodi sponsalia tunc subsisterent. *Factum dilucide expositum.*

2 Matrimonium inter catecumenum nondum baptizatum, & catholicam non subsistere ex dispositione iuris Ecclesiastici certo certius est, prout colligitur *ex concil. Toletano 3.*, & ex communi praxi, & consuetudine Ecclesiæ, quæ vim legis habet, & licet huiusmodi Concilium, & praxis videantur procedere de infideli absolutè, qualis non videtur esse catecumenus, cum iam intrinsecè ad fidem videatur conuersus, & in proximo etiam extrinsecè initiandus per actualem baptismi susceptionem, nihilominus, quià adhuc formalitèr catholicus non est, quantùm ad forum externum non intelligitur esse intra Ecclesiæ gremium, adeoque eiusdem Ecclesiæ sacramenta validè nequit suscipere antè baptismum, cum hic sit ianua omnium sacramentorum. Difficultas igitur præcisè reducitur ad sponsalia, quæ cum sistant in ratione præcisa contractus, nec sint eleuata ad excellentiam sacramenti, videntur posse iniri validè etiam ante susceptionem baptismatis, cum præcisè non sint complenda, nisi post susceptum baptismum. *Matrimonium inter catecumenum, & catholicam non subsistit.*

Respondeo igitur, huiusmodi sponsalia probabilius subsistere. Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi sponsalia, nec sunt ex obiecto de re turpi, & illicita, nec ex dispositione iuris intelligantur prohibita, ergò non est, cur non debeant subsistere. Antecedens quoad primam partem probatur, quià promissio quoad huiusmodi sponsalia refertur ad tempus, pro quo licitum est matrimonium, nempè post susceptum baptismum, ergò quantum est ex se, & ex obiecto non est de re illicita, & inhonesta. 3 *Sponsalia huiusmodi probabilius tenent.* *Referuntur ad tempus licitum.*

Dices primo, pro eo tempore, pro quo nondum suscepit baptismum, incapax est ad contrahendum, ergò ille consensus tunc præstitus non est sufficiens ad obligandum pro tempore, pro quo post susceptum baptisma erit capax ad contrahendum ea proportionali ratione, qua ex dispositione iuris municipalis Mediolani filius familias viuente Patre contrahens sine facultate eiusdem inualidè contrahit, nec obligatur ad executionem contractus, quià pro eo tempore, pro quo contrahit, incapax est ad contrahendum. Antecedens probatur, quià pro eo tempore incapax est ad complendum contractum, ergò etiam ad contrahendum. Sed contrà, quià licet pro eo tempore incapax sit ad contrahendum matrimonium, non est tamen incapax ad præbendum consensum, cum adhuc, nec ex natura sua, nec ex dispositione iuris ecclesiastici reddatur talis, non ex natura sua, quià nec iure diuino, nec naturali matrimonium contractum inter fidelem, & infidelem quantum est ex natura eiusdem, est inualidum, *Sanchez de matrimon. lib. 7. disp. 71. num. 7. Gutierez de matrim. cap. 104. num. 1. Coninchus de matrim. disp. 21. num. 41.*, ergò non est, cur sint inualida sponsalia; non ex dispositione iuris, quod inquantum inualidat sponsalia, inquantum sunt de obiecto turpi, & inhonesto, seù de matrimonio, quod est illicitum, sed non est illicitum matrimonium pro eo tempore, ad quod refertur promissio, vt per se patet, ergò &c. Nec valet paritas adducta de statuto Mediolanensi irritante absolutè consensum filiorum familias in ordine ad contractus, qui etiam non obligat, postquam filij familias facti fuerint sui iuris; non valet, inquam, quià tale statutum innititur iuris præsumptioni, quod scilicet pro eo tempore, quo consensum elicuerunt, non habuerint plenum iudicium, nec plenam deliberationem, nec fuerint sui iuris, quod non militat in præsenti hypothesi, secundum quam cathecumenus, & supponitur pleni iudicij, & maturæ deliberationis, & sui omninò iuris. *Licet sit incapax ad contrahendum matrimonium, non est incapax ad præbendum consensum.* Sanchez. Gutierez. Coninch. *Non valet paritas adducta de statuto Mediolanensi, & quare.*

Dices

Dices secundò, non subsistunt sponsalia, quibus quis impeditus impedimento dirimente contrahit ea adiecta conditione, *si Pontifex dispensauerit*, ergò, nec subsistunt sponsalia, quibus catechumenus ante susceptum baptismum promittit matrimonium contrahere, postquam eundem susceperit. Consequentia probatur, quià æquè est impedimentum ante dispensationem Pontificis ad contrahendum matrimonium, ac sit ante susceptum baptismum respectu catecumini, & respectu vtriusque matrimonium est complendum solummodò post remotum impedimentum per dispensationem, vel per baptismum, ergò, si in primo casu non tenent sponsalia, nec tenere possunt in secundo. Sed contrà in primis antecedens à nobis non admittitur, quamvis sit probabile; Deindè neganda est consequentia. Ratio disparitatis in eo consistit, quià ideò sponsalia inita sub conditione, *si Pontifex dispensauerit in impedimento* non tenent, quià ea, quæ pendent à voluntate Principis habeantur pro impossibilibus per ea, quæ supra allegauimus, & probauimus; ea autem, quæ dependent à propriæ voluntatis arbitrio, non habentur pro talibus, adeoque catechumenus, à cuius voluntate pendet baptismum suscipere, quiq; ad illum se disponit vtique potest contrahere, seque ad futurum matrimonium obligare.

Assignatur manifesta disparitas.

Probatur iam antecedens quoad secundam partem, quod scilicet sponsalia catechumeni nõ sint à iure prohibita: nam non est assignabile ius eadem vetans, quandòquidem omnia iura, quæ adduci possunt, procedunt dumtaxat de matrimonio proptèr periculum peruersionis catholici, & malam prolis educationem, sed hæc omnia non militant quoad sponsalia catechumeni, tum quià matrimonium non est complendum, nisi postquam ille baptismum susceperit, tum quià cessat periculum subuersionis in altero, cum ipse iam se disponat ad fidem per baptismum suscipiendum, licet eundem intrinsecè iam receperit, ergò &c.

Nullum ius positiuum prohibet hujusmodi sponsalia.

Probatur secundò responsio in vniuersum, quià tenent absolutè sponsalia inita inter fidelem, & infidelem sub conditione qua fidelis alteri dicit *Promitto, si te ad fidem conuerteris*; huiusmodi etenim conditio est honesta, & possibilis, ergò etiam non est, cur nõ teneant sponsalia inita inter cathecumenũ, & catholicam adimplenda per matrimonium, postquam ille fidem per baptismum susceperit. Consequentia tenet; tum quià illa sponsalia inuoluunt implicitè conditionem, *si ille baptismum receperit*, tum quià ille iam se disponit ad fidem per baptismum suscipiendam.

Illa sponsalia inuoluunt implicitè conditionem, si ille baptismum receperit.

Probatur tertio, quià matrimonium inter fidelem, & infidelem non est inualidum iure diuino, nec naturali, prout latè docet *Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 71. num. 7.* allegatis ibid. DD. innumeris, adductis etiam rationibus, & solutionibus argumentorum obuiantium, idemque sentiunt *Gutierez. de matrimonio cap. 104. nu. 1. Coninchus disp. 21. n. 41.*, & solũ prohibentur iure Ecclesiastico *in d. concil. Tolet. 3. c. 13.*, & ex communi praxi, & consuetudine Ecclesiæ, ergò cum ius Ecclesiasticum sit quodammodò correctorium, & restrictiuum iuris naturæ, & diuini, est strictè interpretandum, nec extendendum vltrà id, quod præfinit; ergò cum ipsum dumtaxat prohibeat matrimonium inter fidelem, & infidelem, non est extendendum ad sponsalia, præcipuè cum non extent illa incommoda, & pericula, quæ timentur in matrimonio, & in præsenti hypothesi iam catecumenus se disponat ad baptismum.

Sanchez. Gutierez. Coninch.

Ius quoad matrimonium non extenditur quoad sponsalia.

§. XII.

An in dubio, quod sponsus tempore celebrationis contractus habuerit voluntatem promittendi, si cognouisset aliquod vitium in sponsa, præsumendum sit pro validitate sponsalium.

SVMMARIVM.

Dilucidatur factum in casu particulari. 1. *Voluntas illa habitualis secundum se sumpta præscindendo à quocunque actu positiuo, per quem deferatur actualis consensus, non est sufficiens ad constituenda sponsalia.* 2. *Si voluntas illa habitualis fuerit coniuncta cum actu exercito inferente per se consensum ad vera, & realia sponsalia, quatenus in illo actu, si cognouisset defectus illos accidentales adhuc formaliter consensisset, probabilius est tenere, nec sponsum illis cognitis posse recedere.* 3. *In dubio, an talis voluntas fuerit arguendum est ex grauitate defectus, & ex propensione contrahentis.* 4.

Disquisitio XII. Communi opinione in certa huius dominij Mediolanensis vrbe Titia habebatur pro diuite, vel Virgine, cum tamen esset pauper, vel corrupta. Erga hanc magno amoris pondere ferebatur Antonius, cui propterea fidem dedit per sponsalia de contrahendo certo tempore matrimonium, ignorans tamen defectum diuitiarum, vel virginitatis amissæ. Tanta erat animi propensio eiusdem Antonij erga eandem Titiam ob singularem venustatem, aliasque dotes, vt dubium esset, an si cognouisset præmemoratos defectus, adhuc fuisset consensurus. His 1

Refertur facti series dilucidè.

positis.

positis lapsu temporis ante contractum matrimonium huiusmodi defectus existentes in Titia, vel alter eorum innotuerunt Antonio, qui anceps adhuc remanet, an si tempore celebrationis contractus cognouisset huiusmodi vitia, adhuc consensum præstitisset. Quæritur iam, an in hac suppositione præsumendum sit pro voluntate habituali contrahendi, seù pro validitate sponsalium, an verò pro negatione eiusdem.

Nonnullæ inspectiones ad quæsitũ.

Ad clarius procedendum in hoc quæsito nonnullæ inspectiones sunt habendæ. Prima, an ad valida contrahenda sponsalia sufficiat voluntas habitualis simplicitèr. Secunda, an saltem sufficiat huiusmodi voluntas, quandò coniungitur cum aliquo actu positiuo elicito, per quem præstatur consensus, qui etiam traxisset voluntatem formalem, si fuisset cognitum obiectum illius voluntatis habitualis. Tertia ex suppositione, quod illa voluntas habitualis sit sufficiens an, & quomodo coniectandum sit in dubio, an illa intercesserit, nec ne. Singula expendo.

2 *Voluntas illa habitualis secundum se non est sufficiens.*

Respondeo primo, voluntatem illam habitualem secundum se sumptam præscindendo à quocunque actu positiuo, per quem deferatur actualis consensus, non esse sufficientem ad constituenda vera, & actualia sponsalia. Est communis. Probatur primo, quià voluntas illa habitualis secundum se sumpta non importat id, quod fecerit voluntas, sed tantum id, quod factura esset, vel fuisset, si eidem proponeretur, vel fuisset propositum obiectum secundum illas circumstantias, & conditiones, sed hoc, quod factura esset, vel fuisset non importat aliquem actum positiuum, per quem constituuntur vera, & realia sponsalia in actu exercito, cum ista exigant verum, & realem consensum positiuum, & actualem, ergò &c. Minor probatur, quià hoc, quod est, quod esset, vel fuisset factura voluntas non dicit, quod aliquid fecerit, ergò &c. Probatur secúndò, quià hoc, quod esset vel fuisset factura voluntas importat quid minus, quam actuale, & formale propositum efficiendi; propositum etenim importat deliberationem efficiendi; voluntas autem illa virtualis, seù melius habitualis non importat actualem deliberationem in actu exercito, sed tantum in actu primo, & signato, sed actuale propositum contrahendi sponsalia non est sufficiens ad eadem actu constituenda per eà, quæ latè superius diximus, & latè docent *Rebellius lib. 4. quæst. 3. Tuscus tom. 5. concl. 122. num. 1. Couaruuias 1. part. c. 4. Valentia tom. 4 disp. 10. punct. 5. in fin. Speculum 1. part. art. 17*, & alij magis communitèr, ergò &c.

Importat illa voluntas quid minus, quã actuale, & formale propositum.

Rebellus. Tuscus. Coaruu. Valentia. Speculum.

3 Respondeo secundò. Si voluntas illa habitualis fuerit coniuncta cum actu exercito inferente per se consensum ad vera, & realia sponsalia, quatenus, si in illo actu cognouisset defectus illos accidentales, adhuc formalitèr consensisset, probabilius est, & sponsalia tenere, & sponsum cognitis illis defectibus non posse à sponsalibus resilire. Ita implicitè sentire videtur, *Bonacina de matrimonio q. 1. punct. 8. num. 20., & seqq.* dum asserit inspiciendam esse grauitatem vitij ad coniectandum, an habuerit sponsus tempore celebrationis contractus voluntatem illam habitualem, ratione cuius non possit recedere à sponsalibus; dum enim supponit, quod, si sit præsumptio, quod talis voluntas fuerit, non possit sponsus à sponsalibus recedere, vtique supponit eadem sponsalia tenere, & obligare ad complementum. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià in ea hypothesi est consensus determinatus quoad substantiam ad determinatam personam, ergò non est, cur non debeat quoad substantiam subsistere contractus, qui etiam ex genere suo non inualidatur ex defectu qualitatis, quandò qualitas ipsa non est apposita per modum expresæ conditionis; Neque obesse possunt ea, quæ alibi diximus, nempè contrahentem contractu inualido, qui alio modo valido, & licito contraxisset, si cognouisset inualiditatem prioris contractus, non posse gaudere priuilegijs huius contractus validi, quem non iniuit, sed iniuisset, si cognouisset, adeòq; etiam, quod in præsenti hypothesi non teneatur ex illo consensu, quem non præstitit, sed præstitisset, si cognouisset; Non, inquam, obesse possunt, quià ea, quæ ibi dicta sunt, procedunt de contractu inualido secundum se per defectum pertinentem ad substantiam, qui propterea perindè est, ac si non fuisset positus, ea autem, quæ hic dicuntur, procedunt de contractu quoad substantiam valido, adeoque non est, cur non debeat subsistere, cum habeat quoad eandem substantiam proportionatum consensum, & solum defectum quoad aliquas qualitates, quæ non attingunt eandem substantiam. Ratio secundæ partis ex eo deducitur primò, quià stante substantia contractus illa voluntas habitualis quoad illas qualitates æquiualet voluntati formali, & actuali quoad ipsas, ergò stante positiuo consensu ad substantiam contractus, & illa habituali voluntate ad qualitates non poterit amplius sponsus à sponsalibus resilire. Antecedens probatur, quià stante positiua voluntate ad substantiam contractus cum illa intentione habituali perindè est, ac si contrahens habita notitia de illis qualitatibus deficientibus de illarum defectu non curaret, illisque cederet, ergò &c. Neque dicas, hanc voluntatem habitualem secundum se sumptam non æquiualere formali, neque esse

Secus, si coniungatur cum actu positiuo. Bonacina.

Est consensus determinatus quoad substantiam ad determinatam personam.

Illa voluntas habitualis stante substantia contractus æquiualet quoad illas qualitates voluntati actuali.

esse sufficientem ad validitatem sponsal ū, si sit quoad substantiam, ergò neque vt coniuncta cum voluntate positiua quoad substantiam erit sufficiens, vt contrahens possit recedere deficientibus illis qualitatibus, quandoquidem defectus illarum tribuit sufficiens ius ad recedendum, sicuti defectus substantiæ absolutè irritat contractum; contra enim impugnaberis, quia ad constituendum contractum in suo esse absolutè requiritur consensus positiuus, sine quo esse non potest; ad cedendum autem iuri quoad qualitates deficientes in contractu iam constituto sufficit, quod contrahens illas nulla habeat in consideratione. Rursus in primo casu nullus est consensus positiuus, adeoque non est, cur debeat sub illere contractus; in secundo est consensus positiuus quoad substantiam, qui videtur vim tribuere voluntati habituali quoad accidentia, cùm volens substantiam, & non curans de accidentibus propter voluntatem habitualem, quam habet ad illa, implicitè non renuat illa accidentia. Probatur vlterius eadem secunda pars, ille defectus qualitatum est sufficiens, vt quis possit recedere à sponsalibus, quem, si contrahens cognouisset, vtique non contraxisset per ea, quæ superius latè commendauimus, ergò è contrario ille qualitatum defectus non erit sufficiens, vt quis possit recedere, quem, si cognouisset, adhuc absolutè contraxisset. Consequentia tenet, quia illa ratio, quæ non existens eximit ab obligatione, eadem vt existens firmat obligationem.

Ad validitatē contractus quoad substantiā requiritur consensus positiuus.

4 Respondeo tertiò. In dubio, an contrahens habuerit talem voluntatem habitualem ad qualitates, nec ne coniectandum est ex grauitate, & leuitate defectus existentis in altero sponso, & ex vehementi, vel leui propensione eius, qui contraxit, versus personam deficientem, adeovt, si defectus fuerit grauis, & propensio non vehemens, sed leuis præsumendum sit pro negatione talis voluntatis habitualis, si verò defectus fuerit leuis, & propensio vehemens præsumendum sit pro eiusdem existentia. *Nauarrus in summa c.18 num.7. Gutierez de matrimonio c.33. num.9., & c.34. num.8. Sanchez lib. 1. disp.65. num. 4. Bonacina de matrim. qu.1. punct.8.num.20.* Ratio ex eo deducitur, quia in dubijs præsumptio vehementissima desumitur ex communitèr accidentibus *Menochius lib. 1. de præsumpt. qu.18. num.1.*, sed secundùm ea, quæ communiter accidunt, contrahentes extante graui defectu, & leui propensione non contrahunt, & si cognoscerent, non contraherent, extante verò leui vitio, & vehementi propensione contrahunt, & quantumvis cognoscerent defectum, à contractu non recederent, ergò &c. Hinc in particulari monet *Bonacina d.q.1. punct.* 8.*num.* 21., quod si defectus contingeret in sponsa quoad diuitias, & esset grauis, vel quoad virginitatem, quatenus sponsa credebatur diues, & erat pauper, se simulabat Virginem, & erat corrupta, tunc esset vehemens præsumptio de negatione illius voluntatis habitualis propter grauitatem vitij, quod homines regulariter habent in magna consideratione.

Præsumendū ex grauitate defectus, & ex propensione contrahentis.

Nauarrus. Gutierez. Sanchez. Bonacina. Menoch.

§. XIII.

An, & ex quanam affinitate superueniente dissoluantur sponsalia.

SVMMARIVM.

Factum expositum in suis terminis. 1.
Cognoscens carnaliter completè consanguineam suæ sponsæ in primo, & secundo gradu contrahit impedimentum affinitatis, per quod dissoluuntur sponsalia. 2.
Si copula non fuerit consummata cum eadem consanguinea sponsæ non inducit impedimentum affinitatis dirimens priora sponsalia. 3.
Impedimentum affinitatis consurgeret ex sola seminis immissione sine penetratione. 4.
Per solam vasis penetrationem sine seminatione non contrahitur affinitas. 5.
Per solam seminationem viri etiam cum penetratione non oritur affinitas. 6.
Ex conatu sponsi in copulam cum consanguinea sponsæ, quamvis non oriatur dissolutio sponsalium ex affinitate, oritur tamen ius respectu innocentis ad ea dissoluenda. 7.

1 Disquisitio XIII. Contractis legitimè sponsalibus inter Seium, & Meuia nullo inter eosdem extante impedimento idem Seius cognouit carnaliter, vel saltem conatum habuit in copulam carnalem cum consanguinea eiusdem Meuiæ. Excitata fuit hic controuersia, an per talem copulam, seù conatum in eandem consurrexerit impedimentum affinitatis cum eadem Meuia, ratione cuius priora sponsalia dissoluantur.

Facti series

Pro casus resolutione nonnulla sunt consideranda, & primo, in quonam gradu consanguinitatis fuerit fæmina illa carnaliter cognita per Seium cum eadem Meuia, secundò, an verè copula fuerit consummata, an verò dumtaxat attentata per conatum, vt præfertur in facti serie. Tertiò, an si ex illo conatu absque consummatione non oriatur impedimentum affinitatis, consurgat tamen in fauorem sponsæ innocentis ius ex alio capite dissoluendi priora sponsalia. Iuxta has considerationes.

Considerationes circà titulum.

2 Respondeo primo. Si Seius carnalitèr cognouerit, & consummauerit cum consanguinea Meuiæ suæ sponsæ, & hæc fuerit in

Si consanguinea fuerit in primo, & secundo gradu dissoluuntur sponsalia. Sanchez. Gutierez. Coninch. Reginald.

in primo, vel secundo gradu consanguinitatis cum eadem Meuia ex impedimento affinitatis superueniente dissoluuntur sponsalia prius contracta cum ipsa Meuia. *Sanchez lib.1. de sponsalib. disp.56.nu.1. Gutierez de matrimon. cap.32. num.1. Coninchus disp.23.dub.5. Reginaldus lib.32. n.263., & alij communiter*, & consonat cum his, quæ dicta sunt *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. II. prenot.7.*, quæ ibi recole. Ratio ex eo deducitur, quia ex impedimento dirimente superueniente sponsalibus iam contractis eadem absolutè dissoluuntur, cum non possit esse obligatio ad id, quod fieri non potest, stante autem tali impedimento sponsalia perfici non possunt per matrimonium, sed per talem cognitionem carnalem consummatam habitam per Seium cum consanguinea sponsæ in primo, vel secundo gradu consurgit impedimentum affinitatis cum eadem sponsa in primo, vel secundo gradu, quod impedimentum, quantumvis oriatur ex copula illicita, absolutè dirimit, ergò &c. Minor probatur, quia per carnalem copulam cum consanguinea sponsæ consurgit affinitas in eodem gradu cum eadem sponsa, in quo gradu consanguinitatis est eadem sponsa cum eadem consanguinea cognita per sponsum, ergò cum sit cum eadem in primo, vel secundo gradu consanguinitatis erit in primo, vel secundo gradu affinitatis cum sponso cognoscente; affinitas autem in primo, vel secundo gradu cum sponso, quantumvis orta fuerit ex copula fornicaria dirimit, vt suo loco latè videbimus.

Stante illo impedimento sponsalia non possunt durare, cũ nequeat esse matrimonium.

3 *Secus, si copula non fuerit consummata.*

Respondeo secundò, si copula non fuerit consummata cum eadem consanguinea sponsæ, sed solummodò per conatum attentata non inducit impedimentum secundum se affinitatis dirimens priora sponsalia cum sponsa. *D. Thomas in 4. dist. 41. quæst. vnica art.1. quæstiuncula 4. ad secundum, D. Bonauentura ibid. art. vnico quæst.1. Durandus ibi quæst.1.nu.7. D. Antoninus 3.part. tit.1.cap.15. in princip. Guillelmus Parisiensis lib.1 de sacramentis tit. de matrimonio cap.30. Sotus in 4. dist.41. qu. vnica art.2. col.3. vers. ex quo fit, Valentia 4.part. disp.10.q.5.punct.3., Vega 2 tom. summa c.34.cas.171. concl.4., & 6. ArchiDiaconus c. vnico de desponsat. impub. in 6. num.2., & c. vnico num.3. de sponsalib. in 6. Innocentius cap. fraternitati n. vnico de eo, qui cogn. consang.*, & alij communitèr tum Theologi, tum iuris interpretes aduersus Michaelem Medinam contendentem ex solo conatu in copulam cum consanguinea oriri impedimentum affinitatis.

D.Thomas. D. Bonauentura. Durandus. D. Antoninus. Parisiensis. Sotus. Valentia. Vega. Archidiac. Innocent.

Ratio deducitur primo *ex cap. fraternitatis 35. quæst.10.*, vbi dicitur huiusmodi impedimentum consurgere ex commixtione ratione cuius cognoscens, & cognita fiunt vna caro, & proindè consanguinei vnius fiunt affines alterius, sed per solum conatum in copulam ea non consummata non fiunt vir, & fœmina vna caro, cum ille conatus non sit sufficiens ad prolis generationem, cum semen virile in vas fœmineum non recipiatur, ergò &c. Secundò *Ex cap. lex diuina 27. quæst.2.* vbi Pontifex ait. *Sed neque osculum paris propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commixtionem*, ergò ad inducendum impedimentum affinitatis requiritur sanguinis commixtio, quæ non habetur per solum conatum in copulam. Tertiò, quia per copulam sodomiticam propriè non oritur huiusmodi impedimentum affinitatis, nonnisi, quia non est apta ad prolis generationem, ergò talis copula requiritur ad huiusmodi impedimentum inducendum, qualis requiritur ad generationem; huiusmodi autem non est solus conatus in copulam, vt per se patet.

Per conatũ in copulam non fiunt vna caro.

Hic triplex oritur difficultas. Prima est, an si contingere posset absque vasis penetratione, & corporum commixtione recipi semen virile intra vas fœmineum consurgeret adhuc impedimentum affinitatis. Secunda, an si penetraretur vas fœmineum absque seminis emissione oriretur huiusmodi impedimentum. Tertia, an si masculus vas fœmineum penetraret, in eoque semen emitteret, non tamen fœmina seminaret tale impedimentum pullularet.

Difficultas triplex excitata.

4 *Per solam seminis immissionẽ in vas fœmineum sine penetratione hoc impedimentum consurgit.*

Ad primam respondeo per talem seminis effusionem intrà vas fœmineum absque eiusdem vasis penetratione consurgere impedimentum affinitatis *Cardinalis Clem. vnica num.12. q.15. de consang. Henricus cap. fraternitati num 6. de eo qui cog. consang. Paludanus in 4. dist. 41. q.1. art.3. concl.2. num.19. D. Antoninus 3. part. tit.1. c.11. in princip. paulò ante notabile secundum. Siluester verb. matrimonium 8. q.15. dicto 2. Astensis 2. part. summæ lib.8. tit.25. art. vnico quæst.6. Veracrux 1. part. speculi art.47. ad fin.* Ratio ex eo deducitur, quia per talem seminis immissionem verè, & propriè fiunt masculus, & fœmina vna caro, verè & propriè inducitur sanguinum commixtio, hocque sufficit ad prolis generationem, quæ sunt rationes ob quas iura induxerunt affinitatem, ergò non est, cur per eandem seminis immissionem non debeat induci huiusmodi impedimentum. Accedit, quod, si ex tali seminis immissione intra vas fœmineum proles oriretur, illa verè, & propriè diceretur proles illius, à quo semen decisum est, & in vas fœminæ immissum, vt docent communitèr Phylosophi de demonibus incubis, qui semen à masculis decisum deferunt intrà muliebri vasa, ex quo filij generantur, qui non dicuntur propriè filij dæmonum, sed eorum, à quibus semen decidit, ergò, cum dicantur eorum filij, à quibus semen decidit, dicedi sunt per veram generationem ab illis procedere, adeoque per verum

Cardinalis. Henricus. D. Antoninus. Siluester. Astensis. Veracrux.

Proles diceretur filia eius, à quo semen dic.

rum

rum seminum commixtionem, & proindè non est, cur ex illa commixtione non debeat dici oriri impedimentum affinitatis. Neque hic audiendi sunt aliqui asserentes ad inducendum huiusmodi impedimentum non solum requiri seminum, sed etiam corporum commixtionem, quæ haberi nequit sine vasis fæminei penetratione, vnde etiam dicitur, quod, si v. gr. inducatur ex dispositione iuris, vel hominis habentis legitimam potestatem, ne quis ob stuprum, vel deflorationem virginis à simplici confessario possit absolui, & vnus vas penetret virginis, & non seminet, alter verò seminet, & non frangat claustrum virginale, cum iam fractum inuenerit per primam, neuter incidat in tale impedimentum, quia defloratio indiuisibilitèr respicit, & fractionem claustri virginalis, & seminationem intra illud, ergò etiam ad inducendum impedimentum affinitatis non sola requiritur seminatio, seu seminum commixtio, sed etiam corporum, quæ fit per penetrationem; Non, inquam, audiendi sunt, quià iura solum requirunt ad affinitatem inducendam sanguinum, vel seminum commixtionem, quod si quandòque meminerint etiam commixtionis corporum, hoc indicarunt secundum regularem modum, quo fit seminum commixtio, quæ fit per vasis penetrationem, non quià hæc fit de substantia, & essentia eiusdem, cum haberi possit aliqua arte vera commixtio, veraque generatione sine illa. Ad id, quod subditur de impedimento absolutionis ob deflorationem, dicendum est, & rectè procedere, quià defloratio, qua defloratio est, exigit indiuisibilitèr vtrumque, & cum versemur in odiosis nempè in reseruatione, debemus strictè procedere, ità vt non extendamus casum, nisi ad delictum vsquequaq; completum; commixtio autem seminum, ex qua oritur tale impedimentum affinitatis non exigit ex genere suo talem penetrationem, cum haberi possit sine illa, nec hic versamur in odiosis, & pænalibus præcisè, sed in his, quæ congruunt recto rationis, & naturæ ordini, quæ propterea non sunt rigorosè, & strictissimè interpretanda, ita vt exigant omnes circumstantias, quæ requiruntur ad rigorosam deflorationem.

Iura requirunt solam seminum commixtionem.

Penetratio requiri dicitur secundum regularem modum.

5 Ad secundam respondeo per solam vasis fæminei penetrationem sine virilis seminis effusione intra idem vas non contrahitur impedimentū affinitatis cum sponsa. Ità DD. omnes præallegati in responsione secunda contra *Michaelem Medinam lib. 5. de sacrorum hominum continentia cap. 76.* Ratio ex eo deducitur, quià per solam vasis penetrationem sine seminis effusione intra idem vas, nec fit seminum commixtio, quæ est adæquata ratio, ob quam inducitur affinitas, nec potest esse prolis generatio, vt per se patet, qua ratione ob copulam sodomiticam asserunt non oriri affinitatem *D. Bonauentura in 4. dist. 41. art. vnico q. 1. Riccardus ibid. art. 1. q. 1. Petrus de Soto lect. 10. de matrim. col. penult. vers. tertium est, ArchiDiaconus c. vnico n. 3. de sponsal. in 6. Caietanus in summa verb. matrimonium cap. 1. imped. 11. Angelus verb. matrimonium 3. impedim 15. num. 5. Toledo lib. 7. summa cap. 11. n. 3.*, nec ex congressu spadonum consummatur intra legitimum vas, *Ledesma 2. part. q. 57. art. 3. ad fin. vers. adhoc dico Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 64. num. 11.*, quià semen eorundem non est aptum ad generationem, ergò, quandò vas per membrum virile penetratur, nec tamen sequitur seminis emissio ex parte viri non propriè consurgit impedimentum affinitatis. Neq; obesse possunt iura, quæ refert *Michael Medina loc. cit.*, & primo *in cap. iuuenis de sponsalib.* vbi iuuenis, qui puellam nondum septennem duxerat, & conatum tentauit in copulam, nec potuit, impeditur à matrimonio cum eiusdem puellæ consobrina. Secundò *ex cap. fraternitati de eo qui cogn. consang.* vbi sic legitur *Diuortij sententiam approbamus, quam in eum canonice promulgasti, qui illam sibi postea copulare præsumpsit, cuius antea sororem adhuc septennem contractis sponsalibus extra ordinaria libidine nascitur polluisse.* Non, inquam, obesse possunt, quià huiusmodi iura variam intèr DD. recipiunt interpretationem, sed intèr cæteras placet interpretatio *Soti in 4. dist. 41. q. vnica art. 2. col. 3. vers. ex quo fit, & vers. quod, si obijcias*, quam etiam commendat *Sanchez de matrimonio lib. 7. disp. 64. nu. 19.*, nempè ex illis textibus non deduci proptèr nixum ad copulam induci impedimentum affinitatis, sed proptèr publicam honestatem ex sponsalibus in ordine ad matrimonium de futuro, quæ ibi præcesserant, ortam, vndè *in eod. cap. iuuenis* dicitur *proptèr honestatem Ecclesiæ* id impedimentum esse.

Non contrahitur affinitas sine seminatione.

Sine seminatione nō fiunt vna caro. D. Bonauentura. Riccardus. Petrus de Soto. ArchiDiacon. Caietanus. Angelus. Toletus.

Iura aduersantia.

Iura huiusmodi explicantur.

Sanchez.

6 Ad tertiam Respondeo per solam viri seminationem etiam cum fractione claustri virginalis, seù cum penetratione in vas fæmineum non oriri in rigore impedimentum affinitatis *Innocentius c. fraternitati num. vnico de eo, qui cogno. consanguin. Archidiaconus c. vnic. n. 3., & 4. de sponsal. in 6., & c. extra ordinaria 35. q. 3. num. 9. Cardinalis Clem. vnica num. 10. q. 13. in fin. de consang. Astensis 2. part. summæ lib 8. tit. 25. art. vnico q. 8.*, & ex Theologis *D. Thomas in 4. dist. 41. q. vnica art. 1. quæstiuncula 3. in corpore D. Bonauentura in 4. dist. 41. art. vnic. q. 1. & ibi Durandus q. 1. num. 7. Viguerius lib. instit. c. 16. §. 7. vers. 9. impedim. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià solo masculo seminante, & non fæmina non fit sanguinum commixtio, vt per se patet, quinimmo nec sola masculi seminatio sufficiens est ad generationem prolis

Per solam viri seminationem non oritur affinitas. Innocen. Archidia. Astensis. D. Thomas. D. Bonau. Durandus. Viguerius.

Non fit sanguinum commixtio.

prolis per ea, quæ latè docuimus in quæstionibus de ortu, & interitu, dum de generatione viuentium, nempe ad generationem prolis non solum masculum, sed etiam fœminam actiuè concurrere, ergò, cum ad affinitatem contrahendam requiratur seminum commixtio, eaque apta ad generationem prolis, hæc non contrahetur per solam masculi seminationem intra vas fœmineum. Confirmatur ex dicto textu *c. lex diuina* 27. *qu*.2. vbi ad inducendam affinitatem requiritur sanguinum commixtio, quæ non est, vbi solus masculus seminat.

Nec si sola fœmina seminet.

Hinc deduces à fortiori non oriri affinitatem, si in congressu masculi cum fœmina, hæc dumtaxat seminet, quià nemine disceptante ea non satis est ad prolis generationem *Astensis in summa q.* 7. *Siluester verb. matrimonium* 8.*q*.15. *dec*.2. *Toletus lib*.7. *summæ cap*. 11. *num*. 3. *Bartolomeus à Ledesma de matrimon. dub*.40. *concl*.2. *Manuel primo tomo summæ* 2. *edit. c*.228. *num*, 1., & *alij communiter*.

Astensis. Siluester. Toletus. Bartolomæus à Ledesma. Manuel.

Deduces secundò, ex quacunque extra vas legitimum pollutione non oriri impedimentum affinitatis, prout præter allegatas rationes expresè euincit textus *in cap. extraordinaria* 35. *qu*. 2., non enim fit seminum commixtio apta ad generationem.

7 *Quamvis non oriatur affinitas oritur tamen ius ad dissolutionem.*

Respondeo tertiò. Ex conatu Seij in copulam fornicariam cum consanguinea Meuiæ, quantumvis non oriatur dissolutio sponsaliium ex impedimento affinitatis, oritur tamen respectu sponsæ innocentis ius ad eadem sponsalia dissoluenda. Est communis. Ratio ex eo deducitur primò, quià per talem conatum in copulam cum consobrina sponsæ grauis irrogatur iniuria eidem sponsæ, ergò eidem competit ius resiliendi à sponsalibus contractis; secundò, quià, si sponsa permittat se impudicè tangi per amplexus, & oscula potest sponsus à sponsalibus resilire vt latè *Gutierez de matrimon c*.31.*nu* 1. *Sanchez lib*.1. *disp*. 55. *Coninchus disp*.23. *num*.56. *Bonacina de matrim. q*.1.*puncti*.8.*num*.2., & nos supra docuimus, ergò à fortiori, si sponsus nitatur in copulam cum consanguinea sponsæ, hæc acquiret ius resiliendi à sponsalibus; & licet supra dixerimus sponsum patientem amplexus, & oscula ab alia fœmina non tribuere ius sufficiens sponsæ recedendi à contractu, quià indè nullum dedecus ingeritur sponsæ, nec notabilis mutatio infertur; nihilominus ex conatu in copulam fortior ratio deducitur, quandoquidem per illam iniuria infertur sponsæ, & ipsius fides violatur, & arguitur propensio delinquentis ad similes actus, & secundum moralem hominum æstimationem per similem conatum intelligitur læsa sponsa, quæ non intelligitur læsa per simplices tactus, amplexus, & oscula. Tertiò, quià in coniugibus per similem accessum ad non suam per vasis penetrationem inducitur sufficiens ratio diuortij, vt sentire videtur *Sanchez d. lib*.7. *disp*. 64.*num*.19.*in fin*., ergò in sponsis per talem nixum in copulam erit sufficiens ratio dissolutionis sponsaliũ propter eam rationem, quià turpius eijcitur, quam non admittitur hospes.

Gutierez. Sanchez. Bonacina.

Sanchez.

§. XIV.

An ex copula cum consanguinea sponsæ prorsus inuita, ignorante, vel dormiente consurgat impedimentum affinitatis.

SVMMARIVM.

Status controuersia expositus. 1.

Reijcitur sententia asserens ex copula illicita naturali non oriri affinitatis vinculum. num. 2.

Ex copula etiam habita cum fœmina prorsus inuita, ignorante, & dormiente oritur impedimentum affinitatis. 3.

Impedimentum affinitatis consurgit, quamvis copula sit occulta. 4.

Disquisitio XIV. Contractis sponsalibus cum Caia Theodoricus consanguineam eiusdem, vel prorsus inuitam, vel penitus ignaram, vel dormientem carnaliter cognouit, & deinde matrimonium contrahere contendebat cum eadem Caia virtute sponsalium præcedentium cum ipsa initorum. Certum est in hac hypothesi Caiam ius habere dissoluendi sponsalia propter iniuriam sibi illatam, fidemque non seruatam in concubitu cum sua consanguinea. Difficultas in præsenti solummodò est, an sponsalia ipsa intelligãtur ipso iure irrita, & impedimento affinitatis superueniente ex illa copula fornicaria cum consanguinea penitus ignorante. 1

Exponitur difficultas.

Antequam directè ad quæsitum respondeam placet nonnullorum assertum confutare, quos refert *ArchiDiaconus in c. vnico num*.6. *de sponsalibus in* 6. sentientium ex copula illicita naturali non oriri affinitatis vinculum, sed dumtaxat ex copula licita, & coniugali, qui vt refert *Sanchez lib*. 7. *de matrimonio disp*. 64. *num*.16, mouentur *ex c. tua*, & *c. discretionem vers. nos igitur de eo, qui cognou. consang.* vbi impedimentum, quod consurgit ex copula illicita appellatur publica honestas, & ex textu *ex l. non facile vers. sciendum*, & *vers. affines ff. de gradibus*, vbi dicitur ex solis iustis nuptijs oriri affinitatem. Nihilominus ex ijs iuribus nihil euincunt, nam textus *in d. c. tua* explicatur in fine sub proprio nomine affinitatis, quod prius sub generali honestatis expresserat, 2

ArchiDiacon.

Sanchez.

Refertur et reijcitur opinio asserens ex copula illicita non oriri affinitatem.

presserat, idemque dicit Glosa *in d. c. discretionem verb. publicam de eo, qui cogn. consang.* intelligendum esse in eodem textu *c. discretionem*. Ad illud, quod subditur *ex l. non facile vers. sciendum, & vers. affines ff. de gradibus*, dicendum est, verificari dumtaxat de affinitate legali, prout inducit ius aliquod ad hæreditatem, vel tutelam, non autem prout infert prohibitionem ad matrimonium contrahendum, prout explicat *Glosa ibid. vers. per nuptias ff. de gradibus*. Cæterum hoc aduersantium assertum expressè reijcitur à *Concil. Trid. de matrim. sess. 24. c. 4.*, vbi asserit ex fornicatione oriri affinitatem, vnde DD. communiter tàm Theologi, quàm iuris canonici interpretes statuunt pro regula per affinitatem ortam ex copula licita impediri matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiuè, per affinitatem verò ex copula fornicaria, non nisi vsque ad secundum gradum. His positis

Glosa. Concil. Trid.

3 Respondeo iam ad quæsitum. Ex copula etiam habita cum fæmina prorsus inuita, ignorante, & dormiente oritur impedimentum affinitatis. *Hostiensis in summa tit. de sponsal. §. & qualiter dissoluantur num. 10., vers. hanc doctrinam Cardin. d. c. discretionem num. 2. de eo, qui cog. consang Coaruuias quarto decret. 2. part. c. 6. §. 7. num. 2. Antonius Cucus instit. maior. lib. 5. tit. 12. num. 241. Soacius de sponsal. 1. part. super instit. de nuptijs §. affinitatis num. 1., & alij communiter*, quos refert, & sequitur *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 64. num. 17.* Epressè deducitur *ex d. c. discretionem de eo, qui cogn. consang.*. vbi asseritur affinitas consurgere, quantumvis fæmina inuita cognoscatur. Vlterius ratione sic euincitur, quià per talem cognitionem carnalem fit propria seminum commistio apta ad generationem prolis, ergò non est, cur ex illa non debeat consurgere impedimentum affinitatis, cum tota ratio illius proueniat ex eo, quod adinuicem per sanguinum communicationem commisceantur. Antecedens probatur, quià sanguinum commixtio apta ad prolis generationem est effectus partis vegetatiuæ potius, & sensitiuæ, quam rationalis, sicque est operatio potius naturalis, quam libera, quæ propterea æquè haberi potest siuè alterius concurrente voluntate, siuè non concurrente, ergò &c. Hinc plures referunt fæminas dormientes, ebrios, & reluctantes carnalitèr cognitos concepisse, prolem fouisse, & suo tempore edidisse. Hinc etiam referunt fæminam quandam virginem ingressam balneum, in quo masculus semen ediderat idem atraxisse in temperie qualitatum in eodem balneo seruatum, & prolem concepisse, ad quod merè passiuè se habuit, ergò &c. Neque dicas ex hoc sequi contra superius dicta, fæmineum semen non requiri ad prolis generationem, quandoquidem fæmina illa vi matricis semen atrahentis recipiens virile semen, proprium non communicauit; contra enim impugnaberis; ex quonam constat, quod fæmina illa proprium semen non communicaret? Certè ex illa temperie qualitatum existentium in balneo potuit ad libidinem excitari, quod potissimum euinci potest ex illa atractione seminis virilis, quæ esse non potuit frigida fæmina existente, sicque proprium semen conferre, quod etiam excitari potuit per ingressum, & receptionem in actu exercito eiusdem virilis seminis.

Etiam ex copula cum inuita oritur tale impedimentum. Hostiensis. Cardinalis Coaruu. Cucus. Soacius.

Fit propria seminum commixtio.

Sanguinum commixtio est effectus partis vegetatiua.

Etiam, & fæmina potest propriū semen conferre.

Dices, fæmina dormiens, qua dormiens est, comparatur fæminæ mortuæ pro eo tempore, quo dormit, sed concubitus cum fæmina mortua non inducit impedimentum affinitatis cum consanguineis ipsius, ergò neque concubitus cum fæmina dormiente, qua dormiens est, & pro tempore, quo dormit. Sed contrà quoad effectus partis vegetatiuæ, & sensitiuæ, ad quos reducitur seminum commixtio, & generatio, falsum est fæminam dormientem comparari fæminæ mortuæ; illa etenim exercet munera vegetatiuæ potentiæ, quinimmo in aliquibus etiam sensitiuæ, in qua propterea potest fieri sanguinum commixtio, quod non euenit in fæmina mortua, quæ nullas operationes vitæ exercet, nec semen potest emittere, nec communicare.

Fæmina dormiens quoad actus partis vegetatiua non comparatur mortuæ.

Probatur vlterius responsio, quià impedimentum affinitatis non est inductum, nec ratione contractus, ad quem requiratur vtriusque consensus, nec ratione præcisè alicuius culpæ, quæ debeat esse in vtroque, sed ex quadam honestate fundata in iure sanguinis, vt sicuti ille, qui ratione consanguinitatis habet coniunctionem cum sanguine cum alijs, non potest contrahere cum illis, ita ille, qui factus est ratione copulæ naturalis, & completæ vna caro cum ea, quam cognouit, non possit cum consanguineis eiusdem contrahere, sed hæc honestas æquè est, siuè illa consenserit in copulam, siue non consenserit, quandoquidem semper verificatur, quod per illam copulam facta fuerit carnium communicatio, & per consequens vna caro, ergò &c.

Titulus honestatis militat etiam in hac hypothesi.

4 Ex dictis inferes à fortiori consurgere hoc impedimentum affinitatis, quantumvis copula fuerit occulta *Lambertinus de iure patronatus lib. 2. part. 1. q. 9. art. 18. num. 11. Nauarrus lib. 4. consil. tit. de consang. in prima edit. cons. 9. num. 1., & in secunda edit. cons. 1. num. 1., & seqq.*, nec incongrua sanè ratione, quandoquidem ponitur vera seminum communicatio, nec iura distinguunt inter copulam publicam, & occultam.

Etiam ex copula occulta oritur. Lambertinus. Nauarrus.

§. XV.

An sponsalia subsequentia dissoluantur ex affinitate contracta tempore infidelitatis.

SVMMARIVM.

Exponitur casus, in quo sita est difficultas. num. 1.

Sententia asserens vinculum affinitatis ex copula esse à iure tantum positiuo inductum. num. 2.

Vinculum ex copula coniugali est naturale, adeoque conuersus ad fidem non potest contrahere cum consanguinea prioris coniugis. 3.

1 *Status controuersiæ expositus.*

DIsquisitio XV. Titius infidelis durante tempore infidelitatis matrimonium contraxerat cum Seia item infideli, cuius tamen consanguinei, & consanguineæ erant ortodoxi, seù ortodoxæ, illudque consummauit. Mortua deinde eadem Seia Titius ad fidem, Religionemque catholicam conuersus est, susceptoque baptismate contendebat Claudiam consanguineam intra quartum gradum eiusdem Seiæ sibi coniugere in matrimonium, & fortè cum eadem contraxit sponsalia. Hic orta fuit controuersia, an talia sponsalia subsisterent, & validè posset Titius cum eadem Claudia matrimonium contrahere, an verò intelligerentur absolutè inualida sponsalia, & matrimonium impossibile.

2 *Sententia asserens esse tantum de iure positiuo.* Henriquez

Tota hæc difficultas dependet ab ea quæstione, an affinitatis vinculum ortum ex copula coniugali intelligatur inductum ex ipso iure naturæ, an verò solummodò iure Ecclesiastico. Circa quam quæstionem *Henriquez lib. 11. de matrimonio c. 3. nu. 4.* existimat tale vinculum induci solummodo ex dispositione iuris Ecclesiastici, & proindè matrimonium contractum, & cōsummatum tempore infidelitatis non inducere vinculum, quin infidelis post susceptum baptismum possit cum consanguinea coniugis, cum qua consummauit, contrahere sponsalia, & matrimonium; non enim pro tempore infidelitatis subditus erat iuribus Ecclesiasticis. Nihilominus

3 *Est naturale, & impedit.*

Respondeo, tale vinculum ex copula coniugali esse naturale, & proinde Titium, postquam ad fidem conuersus fuerit, non posse contrahere sponsalia, nec matrimonium cum consanguinea eiusdem coniugis intra quartum gradum *D.Thomas in 4. dist. 41. q. vnica art. 1. quæstiuncula prima in corpore Paludanus ibid. q. 1. art. 1. num. 10. concl. 2. D. Antoninus tertia part. tit. 1. c. 11. in fin. princip. VeraCrux 1 part. art. 47. concl. 1. Petrus de Ledesma de matrimon. qu. 55. art. 1. diffic. 1. in solutione ad secundum. Sanchez lib. 7. de matrimonio disp. 65. num. 4.*, & alij communiter aduersus *Henriquez loc. cit.* Ratio ex eo deducitur, quià nemine discepante vinculum consanguinitatis seclusa quacunque lege Ecclesiastica afficit quascunque personas etiam infideles, cum natura ipsa dictet ex sanguinum communicatione oriri coniunctionem, & reuerentiam quandam naturalem, sed etiam affinitas, quæ consurgit ex copula coniugali inducit quandam coniunctionem, & amicitiam naturalem, vt per se patet, quandoquidem coniuges per seminum commixtionem fiunt vna caro, ex qua consurgit quædam naturalis reuerentia, & amicitia cum consanguineis alterius, hocque imbibitum est ex ipso naturali instinctu, ergò, si prius vinculum est naturale, non poterit, nisi esse naturale posterius, quantumvis illud videatur fortius.

D.Thomas Paludanus D.Antoninus. VeraCrux. — Petrus de Ledesma. Sanchez. Henriquez

Consurgit naturalis reuerentia, & amicitia.

Dices, infideles non obstante naturali vinculo consanguinitatis possunt adinuicem contrahere vltra primum gradum, ergò etiam à fortiori poterunt contrahere vltra primum gradus affinitatis, ergò etiam, si deuenerint ad fidem poterunt vltra primum gradum affinitatis contrahere. Consequentia hæc vltima sic euincitur, quià affinitas attendenda est pro tempore, in quo contrahitur; contrahitur autem pro tempore infidelitatis, pro quo non impedit vltra primum gradum. Sed contra, quià, quamvis ex iure naturali consurgat vinculum consanguinitatis, & affinitatis iuxta superius probata, tale tamen vinculum non extenditur ad quemcunque gradum in ordine ad impedienda sponsalia, vel matrimonium, sed in hoc determinatio inducta est ab Ecclesia; ex quo sequitur, quod quousque perseuerent in infidelitate non prohibeantur contrahere, nisi intra primum gradum consanguinitatis, vel affinitatis, cum ius naturæ solummodo intra talem gradum matrimonium prohibeat; quando tamen ad fidem catholicam transeunt, tenentur stare iuribus Ecclesiasticis, quæ supposita consanguinitate, vel affinitate contracta per copulam coniugalem statuunt, non posse contrahi cum affinibus, vel consanguineis, nisi vltra quartum gradum; nec Ecclesia considerat vtrum affinitas, vel consanguinitas fuerit contracta tempore infidelitatis, vel fidei, sed eadem supposita, vt inducta de iure naturæ prohibet in ordine ad suos subditos contractum sponsalium, vel matrimonialem intra quartum gradum.

De iure naturæ non extenditur ad quemcunque gradum.

Si autem hic inquiras, ad quid fuerit inducta probatio responsionis in eo, quod tàm consanguinitas, quàm affinitas sit de iure naturæ, dum dicitur in statu infidelitatis prohiberi dumtaxat matrimonium intra

Ad quid fuerit inducta illa probatio.

intra primum gradum, in statu vero Ecclesiasticæ dispositionis solummodò intrà quartum gradum; Si, inquam hoc inquiras, statim responsionem accipies, eam probationem ideo inductam fuisse, vt intelligatur affinitatem, sicuti à fortiori & consanguinitatem ex iure naturæ prouenire, qua proindè existente, & iam orta independentèr à quocunque lege Ecclesiastica potuit Ecclesia inhibere in ordine ad quoscunque subditos pro quocunque tempore fuerint, ne matrimonium, vel sponsalia contraherent intra quartum gradum affinitatis, vel consanguinitatis, quod non ità facilè statuere potuisset, si nulla affinitas, vel consanguinitas consurrexisset.

Ecclesia potest inhibere in ordine ad quoscunque subditos.

Viterius responsio euincitur *ex cap. fin. de diuort.* vbi deciditur infideles conuersos ad fidem non posse post baptismum validum inire matrimonium cum consanguinea prioris coniugis vsque ad quartum gradum, quod idem intelligi debet de affinibus, cum Ecclesia vsque ad talem gradum affines ex copula coniugali, & licita prohibuerit contrahere.

§. XVI.

An sponsalia subsequentia dissoluantur ex affinitate contracta tempore infidelitatis per copulam fornicariam.

SVMMARIVM.

Sensus difficultatis expositus. 1.
Sententia asserens affinitatem ortam ex copula fornicaria non esse naturalem. 2.
Sententia asserens oriri affinitatem de iure naturæ. 3.
Probabilius oritur affinitas de iure naturæ, ratione cuius sponsalia subsequentia non tenent. 4.
Soluuntur rationes primæ sententiæ. 5.
Si fidelis rem habeat cum fideli, vel infideli, quæ habeat consanguineam infidelem cum ipsa contrahit affinitatem. 6.

1 *Facti series elucidatur.*

Disquisitio XVI. Infidelis perseuerans in infidelitate fornicariè cognouit Semproniam. Diuersus deindè ab infidelitate, & ad fidem conuersus intendebat contrahere sponsalia, sibique in matrimonium coniungere Liuiam sororem eiusdem Semproniæ. Excitata hic fuit apud DD. controuersia, an licitè, & validè posset talia sponsalia, seù matrimonium contrahere.

2 Sanchez.

Sanchez *d. lib. 7. de matrimonio disp. 65. n. 9.* asserit in primis affinitatem ortam ex copula fornicaria non esse naturalem, adeoq; seclusa lege Ecclesiastica nullũ vinculum naturalis amicitiæ inter consanguineos per fornicationem oriri, quod probat, quià inter huiusmodi consanguineos potius foueantur odia, & rixæ, quam nutriatur amicicia, item quià filius naturalitèr non inclinatur ad amorem fœminæ fornicariè cognitæ à Patre; item, quià non sunt imposita illa nomina affinibus ex copula fornicaria, quæ sunt imposita affinibus ex copula coniugali; tandem, quià de iure antiquo Romano ex solo coitu illicito non oriebatur affinitas, sed ex solis nuptijs.

Sententia asserens copulam fornicariam non gignere naturalitèr affinitatem

Deindè hoc supposito tanquam certo principio apud ipsum asserit consequentèr, quod infidelis, qui tempore infidelitatis fornicariè cognouit aliquam fœminam, possit post baptismum ducere ipsius consanguineam intra gradum prohibitum, quià cum illud vinculum non sit naturale, non contrahitur tempore infidelitatis, nec post baptismum oriri potest, quià, quod à principio irritum fuit conualescere nequit iuxta *reg. non firmatur de reg. iur. in 6., & l. quod ab initio ff. de reg. iuris.* Hæc ille.

Rationes, quibus innititur Sanchez.

3 *Sententia contraria asserens oriri affinitatem naturalem.*

E contra verò *Ioannes Andraas in cap. 1. num 3. de conuers. infid.* sustinet affinitatem ortam ex copula fornicaria esse naturalem, adeoque seclusa etiam Ecclesiastica lege oriri vinculum naturalis amicitiæ intèr consanguineos; nam tota ratio, ex qua consurgit affinitas est, quià masculus, & fœmina per copulam efficiuntur vna caro apta ad prolis generationem, sed hoc æquè verificatur secluso quocunque Ecclesiastico iure, siuè talis copula fuerit coniugalis, siuè fornicaria asserente Apostolo *1. ad Corint. Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur cum ea.* Quid igitur concludendum?

Efficiuntur etiam per talem copulam naturalitèr vna caro.

4 *Præfertur hæc secunda sententia.*

Respondeo, probabilius esse ex copula etiam fornicaria de iure naturæ consurgere affinitatem, ac proindè naturale vinculum inter consanguineos, virtute cuius post susceptum baptismum non possit contrahi matrimonium cum aliquo ex eisdem consanguineis in gradu à iure prohibito. *Antonius in cap. 1. num. 2. oppos. vnica, & ibi Cardinalis in princip. num. 1. opposit. 1. de conuers. infidel.* contrà Sanchez loc. cit., & alios apud ipsum. Ratio ex eo deducitur, quià naturalitèr ex genere suo affinitas consurgit ex commixtione seminum inter duo, ratione cuius fiunt vna caro, quod æquè verificatur siuè talis commixtio fiat per coniugalem copulam, siuè per fornicariam asserente Apostolo loc. cit. *Qui adhæret meretrici vnum corpus cum eá efficitur,* ergò cum re vera per copulam fornicariam fiat talis commixtio, & proindè formalitèr, & naturalitèr vna caro, non est, cur non debeat consurgere talis respectus ad consanguineos; sicuti etenim per carnis propagationem, vt Aristoteles ait 8. Ethic. c. 12. oritur consanguinitas, ita per carnis

Antonius. Cardinalis.

Per carnis propagationem oritur consanguinitas, per carnis vnitatem affinitas.

Aristotiles

carnis vnitatem, & coniunctionem aptam ad talem propagationem oritur affinitas; vndè hoc solum oritur discrimen inter copulam coniugalem, & fornicariam, quod per illam ob maiorem reuerentiam protrahitur ex dispositione iuris canonici ad vlteriores gradus in ordine ad impedienda sponsalia, vel matrimonium, per istam verò restringitur ad gradus proximiores; Neque arbitrandum est, hoc solum esse meram dispositionem Ecclesiasticam, quandòquidem Ecclesia ex maiori, vel minori conuenientia solum restringit, & dilatat gradus inter quos fieri, vel non fieri possit matrimonium, cæterum supponit affinitatem de iure naturæ consurrexisse, sicuti orta fuit iuxtà dictum Apostoli vna caro, vnumque corpus.

5 Neque obesse possunt ea, quæ ex aduerso per Sanchez afferebantur, quià illud vinculum affinitatis non consistit solum in naturali amicitia ex eodem consurgente, sed in naturali conuenientia debita alteri, cum qua concubuit, & cum qua factus est vna quodamodò caro, ne scilicet commisceatur cum altera ipsius consanguinea, & in deformitate, quæ consurgeret, si ad eiusdem consanguineas accederet proptèr coniunctionem cum sanguine, quam iste habet cum illa, quæ fuit carnalitèr cognita; Neque priuata odia consanguineorum demunt illam sanguinum communionem, & ea, quæ ex eadem proueniunt. Idem dic de filio, qui naturalitèr non inclinatur ad amorem fœminæ, quam Pater ipsius carnalitèr fornicariè cognouit; secus nec de iure naturæ consurgeret affinitas cum matrigna, seù nouerca, cum Pater transiret ad secunda vota, nam regularitèr filij alterius matrimonij non inclinantur ad amorem eiusdem, & regularitèr inter eosdem consurgunt iurgia, & rixæ. Ad illud, quod subditur de iure antiquo Romanorum, dicendum est non consurgere affinitatem quantum ad effectum impediendi futura sponsalia, & matrimonium in certis gradibus, non autem absolutè.

Oritur etiã ex conuenientia, & quomodo.

Non sunt attendenda priuata odia.

6 Ex dictis inferes primo, male nonnullos asserere, quod, si fidelis habeat rem cum fideli, vel infideli, & illa habeat sororem infidelem non contrahere affinitatem cum illa sorore infideli, ac proindè, si ille conuertatur posse eam ducere; Male, inquam, quià non solum rationes superius adductæ ad probationem nostræ responsionis, & confutationem rationum Sanchez contrarium euincunt, sed etiam, quià adhuc data contraria sententia, vt bene notat idem *Sanchez. loc. cit. num.* 12. consuetudo Ecclesiæ iam obtinuit fidelem fornicantem cum fœmina fideli contrahere affinitatem cum sorore ipsius fidelis statim, cum infideli autem, quandòcunque hæc fuerit baptizata, quià fidelis ille tempore copulæ subiacebat legi Ecclesiæ statuenti ex ea copula oriri affinitatem cum consanguineis alterius, quandòcunq; nati fuerunt, & baptizati.

Concumbens cum fœmina fideli habente sororem infidelem cũ ista contrahit affinitatem.

Inferes secundo iuxtà mox dicta de mente Sanchez, quantumvis daremus ex copula fornicaria de iure naturæ non consurgere affinitatem naturalem cum consanguineis alterius, quod, si fidelis carnalitèr cognosceret, & fornicariè infidelem, quæ posteà facta fuerit fidelis, & ex alio conceperit filiam, quæ fuerit baptizata, tunc fidelis, qui cognouit Matrem, contrahat affinitatem cum eadem filia baptizata immediatè post susceptum baptismum; quod idem asserendum est, si Mater perseueret in infidelitate, & ex alio concipiat prolem, quæ posteà baptizetur; cum hac enim contrahit affinitatem, quià satis est ad hanc contrahendam, alterum ex fornicantibus esse fidelem, semper enim habet ordinem ad consanguineos alterius, quotiescunque fidem per baptismum susceperint.

Deducitur aliud simile illatum.

§. XVII.

An ex sponsalibus tempore infidelitatis initis oriatur vinculum naturale cum consanguineis alterius sponsi de futuro.

SVMMARIVM.

Exponitur controuersia in casu particulari. num. 1.

Probabilius non oritur vinculum naturale, sed mere Ecclesiasticum, & non obligat, postquam sponsus fuerit ad fidem conuersus. 2.

Disquisitio XVII. Titius infidelis perseuerans adhuc in infidelitate contraxit sponsalia cum Berta item infideli. 1
Mortua deindè eadem Berta ante contractum matrimonium Titius ad fidem conuersus est, & baptizatus, & contrahere intendebat matrimonium cum Calidonia Sorore eiusdem Bertæ. Orta hic fuit controuersia, an ex illis prioribus sponsalibus initis tempore infidelitatis cum Berta ortum fuerit aliquod vinculum, ratione cuius posteà factus fidelis non possit contrahere cum consanguinea eiusdem intrà primum gradum.

Factum dilucidè expositum.

Ex illis sponsalibus antecedentèr initis cum Berta tempore infidelitatis non oriri impedimentum affinitatis certo certius est; quandòquidem hæc non consurgit, nisi ex seminum commixtione facta, vel per coniugalem, vel per fornicariam copulam, quæ non supponitur intercessisse inter eosdem sponsos, ac proindè illa iuxta superius dicta

dicta non orta est. Difficultas igitur solummodò reducitur ad impedimentum publicæ honestatis, quod non solum consurgit ex matrimonio rato, sed etiam ex sponsalibus legitimè initis. Pro quo examinandum adhuc occurrit, an illud vinculum sit naturalis iuris, an verò tantum dispositionis Ecclesiasticæ illud inducentis.

An honestas sit iuris naturalis, an merè Ecclesiastici.

Respondeo probabilius esse, & illud vinculum esse merè Ecclesiasticum, & non obligare eundem Titium, postquam fuerit ad fidem conuersus, *Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 3. n. 4. VeraCrux 1. part. speculi art. 51. in corrolario*, *Bonacina de matrim. q. 3. punct. 11. n. 6.* Prima pars manifestè euincitur ex definitione publicæ honestatis traditæ à D. Thoma *in 4. dist. 41. quæst. unica art. 1. quæstiuncula 4. in corpore*, quæ sic habetur, *Est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ab Ecclesia institutione propter honestatem eius*, vbi per ly, *robur trahens ab Ecclesia institutione*, communitèr tradunt DD. tàm Theologi, quàm iuris canonici interpretes, induci præcisè ius Ecclesiasticum, quod habetur *in cap. literas de desponsat. impub. c. iuuenis c. veniens cap. ad audientiam c. sponsam de sponsalib.*, *& cap. vnico de sponsal. in 6.*, & licet huiusmodi iura fundentur in quadam conuenientia naturali; non propterea sequitur, esse iuris naturæ, quandòquidem omnia iura positiua fundantur in quadam æquitate naturali, nec propterea ea, quæ disponunt, sunt iuris naturalis; nec in hoc currit paritas de affinitate, quandòquidem hæc habet fundamentum in commixtione seminum, illa autem nonnisi in quadam communi hominum æstimatione. Secunda pars ex eo deducitur, quià infideles pro tempore infidelitatis non subduntur legibus Ecclesiæ, ergò quousque perseuerant in eandem infidelitate, non contrahunt impedimenta, quæ fuerunt præcisè per eandem Ecclesiam inducta; Neque potest dici, impedimenta huiusmodi, quæ non suboriuntur tempore infidelitatis, oriri post susceptum baptismum, quià quod ab initio irritum fuit, non potest tractu temporis conualescere *reg. non firmatur de reg. iur. in 6.*, *& in l. quod ab initio ff. de reg. iuris*, & sicuti non entis nullæ possunt inesse qualitates *l. si seruum §. 1. ff. de act. empt.* ita non affinitati nulla potest esse obligatio de futuro.

Illud vinculum est merè Ecclesiasticum. Henriquez VeraCrux. D.Thomas

Iura euincentia responsionem.

Infideles non subduntur legibus Ecclesiasticis.

2 Dices ex superius dictis, quod quantumvis publica honestas non oriatur pro tempore infidelitatis, consequatur tamen, postquam sponsus conuersus fuerit ad fidem, ea proportionali ratione, qua affinitas, quæ consurgit ex copula coniugali durante tempore infidelitatis non prohibet matrimonium cum consanguineis alterius coniugis, nisi intrà primum gradum, postquam verò conuersus fuerit ad fidem prohibet vsque ad quartum gradum inclusiuè. Sed contrà, quià dispar omninò est ratio de affinitate consurgente ex copula coniugali, ac de publica honestate consurgente ex sponsalibus initis pro tempore infidelitatis; nam affinitas consurgit ex iure naturali, prout antecedentèr diximus, ac proindè non est, cur eadem supposita non possit Ecclesia determinare gradus intra, quos subditus eiusdem, vel posteà factus subditus non possit contrahere, & extra quos possit contrahere; publica autem honestas non consurgit, nisi ex lege Ecclesiastica, quæ afficere non potest suos non subditos, & cum non oriatur de iure naturæ, non potest posteà tractu temporis conualescere, nisi per nouum actum positum post baptismum susceptum.

Dispar ratio de affinitate, & de publica honestate.

DISQVISITIONES II.

Ad reliquas omnes de sponsalibus II. prænotiones.

§. I.

An quandò terminus appositus in celebratione sponsalium pro complemento matrimonij cadit in tempore prohibito eximat ab obligatione, an verò protrahat obligationem vsq; ad tempus non prohibitum.

SVMMARIVM.

Factum expositum, & rationes dubitandi circà ipsum. 1.

Cadente termino apposito ad restringendam obligationem ad tempus feriatum non perimitur obligatio, sed protrahitur ad tempus non feriatum. 2.

Elapso termino feriato tenentur quam primum contrahere, vel ad petitionem alterius. num. 3.

Ly, quam primum, intelligendum est moralitèr, non metamaticè. 4.

Disquisitio I. Contraxerunt adinuicem sponsalia Titius, & Berta ea apposita conditione, vt intra sex menses tenerentur complere matrimonium, quibus elapsis vnusquisque liber remaneret. Contigit, vt terminus appositus, & præscriptus per eosdem contrahentes ad complendum matrimonium caderet in dies, quibus ex Ecclesiæ præscripto vetitum est matrimonia celebrare, ac propterea in tali termino completa non est obligatio in tali conuentione apposita. Hic dubitatum 1

In quo sita sit difficultas.

tatum fuit, an per talem lapsum termini intelligatur soluta obligatio respectu vtriusque, an verò dilata vsque ad tempus non feriatum, & ex suppositione, quod intelligatur dilata, seù prorogata, an elapso tempore feriato sit immediatè complendum matrimonium, adeovt, si ad modicum tempus diferatur, soluatur respectu vtriusque obligatio.

Finis duplex ex quo potest apponi illo terminus.

Recolenda est distinctio supra posita quoad finem, ratione cuius appositus est talis terminus; vel enim appositus intelligitur ad limitandam obligationem, vel ad complementum ipsius præcisè sollicitandum. Difficultas non procedit iuxtà secundum membrum distinctionis, quandòquidem præscindendo etiam ab eo, quod caderet in tempus feriatum, adhuc obligationem non tolleret, prout docent, *Sanchez de matrim. lib.1. de sponsalib. disp.53. Reginaldus lib.22. num.261. Coninchus disp.23. dub.6. num.46. Gutierez de matrim. cap.24. n.6.* & nos etiam suprà latè ostendimus. Solū igitur est ratio dubitandi, quandò terminus est appositus ad restringendam obligationem, adeovt mens fuerit contrahentium vltrà talem terminum se non obligandi. Pro qua

Sanchez. Reginald. Coninchus

2 *Protrahitur ad tempus non feriatum.* Coninch. Bonacina.

Respondeo primò in hac suppositione cadente termino ad tempus feriatum non perimi obligationem, sed protrahi ad tempus non feriatum *Coninchus disp. 23. dub.6. num.43. Bonacina de matrimon. q. 1. punct.6. num.6., & alij magis communiter*. Ratio ex eo deducitur, quià, vel quando contraxerunt, sibique illum terminum præfixerunt cognouerunt cadere in tempore feriato, vel ad illud tempus non reflexerunt; si primum; iam ille terminus habetur per modum conditionis, & vtique impossibilis, quià id non possumus, quod de iure non possumus; conditio autem impossibilis adiecta contractui sponsalium habetur pro non adiecta ex supra allegatis iuribus: Si secundum afferatur, cum extet legitimum impedimentum, vt per se patet, eo perseuerante vterque eximitur ab obligatione, nam aduersus impeditum non currit tempus *l.1. ff. de annual. except.*, ergò &c. Confirmatur primò, quià, si matrimoniū non compleatur intra terminum in celebratione sponsalium appositum ad restringendam obligationem ex culpa vnius ex contrahentibus soluuntur quidem sponsalia eius, per quem non stetit, quin matrimonium compleretur, non autem ex parte eius, per quem stetit, vt colligitur *ex c. à nobis de desponsf. impub., & c. sicut de sponsalib.*, ergò, si ex neutrius culpa, seù per neutrum steterit, quià fuerit completum ex parte neutrius dissoluentur sponsalia. Confirmatur secundò, quià illa termini appositio intelligitur semper cum tacita conditione, nisi legitimum impedimentū

Aduersus impeditum non currit tempus.

Illa appositio termini intelligitur cum tacita conditione.

interuenerit; quominus intra illud tempus possint adimplere, nam nemo intelligitur se velle obligare ad id, quod non poterit adimplere, ergò interueniente legitimo impedimento à iure, quominus intra illud tempus possint adimplere, eximentur pro tali tempore ab obligatione; Neque ex eo, quod pro tali tempore eximantur ab obligatione, præsumendi sunt eximi pro quocunque tempore, & tolli absolutè obligationem; Non, inquam, præsumendi sunt; nam absolutè consenserunt in substantiam, & in ea, quæ ab ipsorum arbitrio pendent, non autem in ea, quæ impedimentum habere poterunt à iuris dispositione, quæ ab ipsorum voluntate non pendent, quæque cum sint temporanea, & ad modicum tempus, & non æterna, executionem protrahunt, non absolutè demunt.

Dices, cum contrahentes terminum illum apposuerint tanquam restrictiuum propriæ voluntatis ad illud tempus, & non vlterius, cur potius existente impedimento temporis feriati protrahitur obligatio, quam absolutè dematur, cum sit vltra intentionem eorundem contrahentium, vltrà quam nequeunt obligari. Sed contra, quià intentio contrahentium per appositionem illius termini restrictiui fuit ad tollendum arbitrium alterius contrahentis ad protrahendam executionem matrimonij, ne scilicet vltrà illud tempus differret, non autem ad tollendam dispositionem iuris, quæ non est in arbitrio eorundem contrahentium, cum non possint apponere conditionem, cuius implementum est omnino ab ipsis independens, adeoque habetur pro impossibili, & pro non adiecta; vnde, cum consenserint in substantiam, substantia eadem perseuerat remota eadem conditione, pro eo tempore, pro quo compleri non potest. 3

Illa appositio termini fuit ad tollendum arbitrium alterius, non ad tollendam dispositionem iuris.

Respondeo secundò. In hac suppositione elapso tempore feriato, seù remoto impedimento iuris tenentur, quam primum contrahere, vel immediatè ad petitionem alterius *Coninchus de matrimonio disput. 23. dub. 6. num. 43. Sanchez lib. 1. disp.28. num.2. Gutierez de matrim. c.15. nu.5., & alij communiter*. Ratio est, quià ille terminus appositus in celebratione sponsalium ad restringendam voluntatem contrahentium per illud iuris impedimentum intelligitur solummodo protractus non ademptus, ergò cessante iuris impedimento absolutè viget ille terminus, & obligat. Confirmatur, quià conuentiones, & pacta contrahentium, quæ non aduersantur naturæ contractus, sunt adamussim, quantum fieri potest, adimplenda, & secundum eas conditiones, secundum quas fuerunt apposita, ergò, cum obstante Ecclesiæ impedimento adimpleri non possint in termino con-

Elapso tempore feriato tenentur, quam primum contrahere. Coninch. Gutierez. Sanchez.

conuento adimpleri debent, quam primum possunt adimplere cessante eodem impedimento, quià talis præsumitur voluntas eorundem contrahentium.

4 *Intellige moraliter, non metamaticè.* Dixi, *quam primum*, quod non intelligendum est metamaticè, & metaphysicè, sed moralitèr ita vt tantum temporis tribuatur, quantum arbitrio prudentum omnia possint disponi, quod tempus alij ad plures, alij ad pauciores dies protrahunt, vel restringunt; existimo tamen arbitrio prudentum hoc tempus remittendum.

Dixi, *vel immediatè ad petitionem alterius*, quià stante tali conuentione, quantumvis ex se teneantur, cum conuentio ipsa interpellet pro adimplemento, nihilominus, si alter petat, à fortiori alter constituitur in mora non solum contra conuenta, sed etiam contra expressam alterius petitionem. *Petitio alterius constituit in mora.* Aduerte tamen, quod lly *immediatè* non ita strictè accipiendum sit, & metamaticè, vt nullam admittat latitudinem, sed protrahi possit ad aliquod modicum tempus, vt remoueri possint incommoda, & ea aptari, quæ necessaria sunt ad perficiendum contractum, si hactenus non fuerint adaptata.

§. II.

An sponsalia inita sub tacita conditione obligare possint eâ non adimpleta.

SVMMARIVM.

In quo sita sit hæc difficultas, & ad quem effectum excitetur. 1.

Sponsalia sic concepta valida sunt absolutè, & tenent absolutè à principio. 2.

Si posteà dissoluantur ex aliqua causa superueniente non propterea cessat impedimentum publica honestatis ad contrahendum cum consanguineis. 3.

Discrimen inter conditiones expressè appositas, & tacitè inexistentes. 4.

DIsquisitio II. Contraxerat sponsalia Titius cum Theodorica nulla penitus expressa conditione subintellectis precisè eis, quæ tacitè inesse solent puta, *si fornicata non fueris, vel si deformis non euaseris, vel non incideris in aliquam habitualem infirmitatem*. De facto Theodorica contractis iam diu sponsalibus fornicata est, vel deformis euasit, vel incidit in infirmitatem incurabilem. Nulli dubium Titium post aliquam ex prædictis deformitatibus resilire posse à sponsalibus antecedentèr initis, cum ex similibus causis detur locus recisioni, vt latè supra probauimus, quià contractui semper inest ea tacita conditio, si res in eodem statu remaneant. Solum hic adest difficultas, an sponsalia illa antecedenter fuerint absoluta, & constituerint absolutè eosdem sponsum, & sponsam, adeovt ex illis ortum fuerit impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius Titius non possit posteà contrahere cum consanguineis eiusdem Theodoricæ intrà gradus à iure prohibitos, nec Theodorica cum consanguineis eiusdem Titij intra eosdem gradus. *Ad quem finem excitetur præsens difficultas.*

2 *Sunt absoluta, & tenent à principio.* Respondeo, huiusmodi sponsalia sic concepta inter Titium, & Theodoricam valida fuisse absolutè, nec censeri propriè cōditionalia, adeovt non teneant, nisi purificata conditione, sed absolutè tenent à principio, licet posteà oriatur causa dissolutionis. *Sanchez lib.1. de sponsalib disp.67. num.3. Coninchus disp.23. dub.9. ad fin. Bonacina de matrim. qu.1. punct.10. num.4. vers. dixi donec adimpleatur*. Ratio ex eo deducitur, quià conditio tacitè subintellecta non reddit actum conditionalem *l. conditiones, quæ extrinsecus ff. de condit.*, nec incongrua sanè ratione hoc decernitur, secus sponsalia quomodocunque contracta vix possent in sua origine subsistere, cum semper contrahentes ante contractum matrimonium subesse possint illis dispositionibus, quibus propterea euenientibus sponsalia ipsa essent in sua radice irrita. Sanchez. Coninch. Bonacina.

3 *Non cessat impedimentum publica honestatis.* Ex his deducitur primò, quod quantumvis post contracta sponsalia sub tacitis illis conditionibus ex aliqua ex prædictis causis eueniente Titius sponsalia dissoluerit, non possit posteà contrahere sponsalia, vel matrimonium cum aliqua ex consanguineis eiusdem Theodoricæ intra gradus à iure prohibitos *Sanchez, & Coninchus loc. cit.* Ratio est, quià ex sponsalibus validis, & absolutis consurgit impedimentum publicæ honestatis secundum communem Theologorum, & Canonistarum consensum, sed illa sponsalia ex præactis sunt valida, & absoluta, ergò ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis, ergò ratione eiusdem vnus cum consanguineis alterius intra gradus à iure prohibitos non poterit contrahere. Confirmatur, quià data contraria sententia ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis, sicuti ex quacunque alia legitima causa non oriretur impedimentum publicæ honestatis, quandoquidem semper tacitè intelliguntur inita sub ea conditione, *Nisi mutuo consensu recesserimus, vel nisi superueniat legitima causa*, qua posita liceat recedere, quod vtique non est asserendum. Sanchez. Coninch.

Discrimina inter conditiones expressas, & tacitas. Deducitur secundò discrimen, quod intercedit inter conditiones expressè appositas, & conditiones tacitè inexistentes, nam illæ, si fuerint turpes, vel impossibiles habentur pro non adiectis, prout suprà latè probauimus, si fuerint honestæ, & possibiles vtique tenent, & suspendunt actum vsque ad illarum adimplementum; si

si fuerint contrariæ substantiæ actus, eundem absolutè vitiant, si fuerint impertinentes iuxtà eorum naturam, & normam, vel sunt irrisoriæ, & per consequens habentur pro non adiectis, vel sunt impossibiles, & sic etiam habentur pro non appositis, vel sunt disparatæ, & sic quandoque suspendunt, quandoque vitiantur; conditiones verò, quæ tacitè insunt cum sint conformes naturæ contractus, & intentioni contrahentium, neque irritantur, neque suspendunt, sed tantum tribuunt ius, vt quotiescunque innotuerint non inesse, vel eorum defectus superuenire, vt ille, contra quem defectus, & non implementum talis conditionis inest, possit à contractu recedere. Cæterum contractus cum his tacitis conditionibus initus est absolutus, & non conditionalis, & parit suos effectus immediatè, licet sit rescindibilis superueniente iusta, & legitima causa.

Conditionalia, quæ tacitè insunt semper insunt.

Dices, taciti, & expressi eadem est omninò ratio, idemque omninò iudicium, ergò, si per sponsalia contracta per expressam conditionem honestam, & possibilem non contrahitur impedimentum publicæ honestatis ante ipsius conditionis adimplementum, neque per sponsalia contracta sub tacita conditione contrahetur tale impedimentum ante eiusdem conditionis purificationem, adeoque neque sponsalia ante ipsam subsistent. Sed contra, allegata regula fallit in plerisque, & præcipuè in conditionalibus, nam conditionalia, quæ tacitè insunt actui, semper insunt, & imitantur naturam absolutorum, sicque actū non suspendunt, sed tantum postquam euenerint, tribuunt ius rescindendi; conditionalia verò, quæ per expressa pacta inducuntur solum insunt, in quantum apponuntur, & semper continentur intra limites conditionalium, quæ propterea ex genere suo suspendunt actum vsque ad purificationem. Deindè tacita conditionalia vim suam sortiuntur à iure, quod non suspendit actum vsque ad euentum; conditionalia verò expressa vim totam habent à voluntate, & intentione contrahentium, ex quorum arbitrio propterea suspenduntur vsque ad illorum effectum, seù purificationem.

§. III.

An ex conatu in copulam cum aliqua fœmina consurgat impedimentum publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Sententia asserens ex illo conatu oriri impedimentum publicæ honestatis. 2.
Ex illo conatu præcisè nullum oritur impedimentum prohibens matrimonium, vel sponsalia cum consanguinea eius, in quam factus fuit conatus. 3.
Nixus in copulam non infert sponsalia. 4.
Soluuntur aliæ rationes primæ sententiæ contrariæ. 5.

Disquisitio III. Nullis celebratis antecedentèr sponsalibus inter Meuium, & Caiam idem Meuius conatum habuit in copulam cum eadem Caia, vel inuita, vel fortè etiam consentiente, quam tamen, vel ex impotentia, vel ex aliqua alia causa non perfecit. Rebus sic stantibus matrimonium contrahere, vel sponsalia contendebat cum Flauia sorore eiusdem Caiæ. Hic dubitatum fuit, an licitè, & validè potuerit tale matrimonium contrahere, an verò ratione impedimenti publicæ honestatis prouenientis ex tali conatu in copulam cum Caia sorore eiusdem Flauiæ, cum qua modo intendit contrahere, reddatur tale matrimonium inualidum. 1

Titulus in casu particulari expositus.

ArchiDiaconus *in c. vnico num.* 10. *in fin. de sponsalibus in 6.* videtur expresſè sentire, quod, quantumvis, nec præuia sponsalia, nec matrimonium cum eadem Caia fuerint celebrata, oriatur tamen ex illo præciso nixu in copulam cum eadem impedimentum publicæ honestatis, præcipuè, si eadem Caia fuerit consentiens ad talem conatum in copulam, quem ea ratione potissimum existimo moueri, quià talis conatus in copulam consentiente fœmina habet vim quandam sponsalium, cum mutuos foueat affectus in ordine ad matrimonium de futuro ineundum, & sicuti contractus sponsalium initus inter infantes per parentes sufficientèr ratificatur ex eo, quod ijdem impuberes, postquam peruenerint ad legitimam ætatem absque expressa ratificatione, conentur in copulam, ita non est, cur, si duo ad inuicem conentur in copulam, nō præsumantur implicitè contrahere sponsalia, & ex illo conatu non oriatur impedimentum publicæ honestatis. Accedit primo, quod ex actuali copula consurgit impedimentum affinitatis, ergò ex conatu in eandem debet saltem consurgere impedimentum publicæ honestatis. Accedit secundo, quod ille nixus in copulam parere debet aliquem effectum, præcipuè cum maiorem vim videatur ingerere ille nixus, quem simplex consensus. Nihilominus 2

Arc conus.

Sententia asserens oriri impedimentum publicæ honestatis.

Respondeo, ex illo conatu in copulam præcisè nullum oriri impedimentum, quo minus ipse Mæuius possit contrahere, vel sponsalia, vel matrimonium cum sorore Caiæ *Ioannes Andreas in d. cap. vnico num.* 3. *de sponsal. in 6.*, & ibi *Ancharanus ad fin.* Domi-

Non oritur impedimentum.

Ioannes Andreas. Ancharan.

Dominic. Alexander de Neuo. Sanchez.

Dominicus num. 12. Alexander de Neuo cap iuuenis n. 20. de sponsal. Sanchez. de matrimon. lib. 7. disp. 68. n. 22. Ratio ex eo, deducitur quia nullibi reperitur in iure dispositum, quod ex illo præcisè nixu in copulam oriatur aliquod impedimentum irritans futurum matrimonium cum consanguineis; non enim ex eo oritur affinitas, quæ per superius dicta inducitur tantum per seminum commixtionem, quæ non habetur per solum illum conatum, quinimmò suprà etiam diximus, quod, quantumvis vas fæminaeum penetraretur, nec tamen in eo fieret seminatio, non propterea affinitas oriretur; Neque oritur publica honestas, quæ tantum consurgit ex sponsalibus validis, & matrimonio rato; non enim potest dici, quod ille nixus in copulam habeat vim sponsalium, cum potuerit esse ad finem libidinis explendæ sine animo se obligandi ad matrimonium; sicuti enim actualis copula secundum se non coniungitur ex necessitate cum sponsalibus, nec cum matrimonio, nec necessario infert consensũ ad eadem, ità multò minus nixus ad copulam, quandò antecedentèr inita non fuerunt eadem sponsalia.

Honestas consurgit solum ex sponsalibus, & matrimonio.

4 Hinc ad opposita per ArchiDiaconum facilè erit respondere, & quidem ad primum dic, ex eo, quod Mæuius conatus fuerit ad copulam cum Caia, & hæc fuerit consentiens, non proptereà ex hoc sequatur, quod ille promiserit matrimonium futurum, & hæc repromiserit, & contracta fuerint per promissionem, & repromissionem sponsalia; nixus etenim ad copulam, & consensus ad eandem respectu fæminæ potius infert explementum libidinis, quam consensum ad futurum matrimonium, & quamvis ille nixus, & consensus esset indiferens, vel ad inferendum explementum libidinis, vel ad inferendum consensum ad matrimonium futurum, non proptereà per illum constituerentur sponsalia, quæ exigunt determinatum consensum non indiferentem, secus quicunque concubitus, vel nixus ad concubitum liberi cum libera inferret sponsalia, quod est ridiculum.

Ille nixus in copulam non infert sponsalia.

5 Ad secundum dicendum est per illum conatum in copulam inter impuberes post acquisitam legitimam ætatem sufficientem ad consentiendum post contracta sponsalia per parentes nomine ipsorum ante legitimam ætatem inferri quidem ratificationem eorundem sponsalium antecedentèr initorum per parentes, non quidem ex vi eiusdem conatus præcisè secundum se sumpti, sed quia suppositis præcedentibus sponsalibus ille nixus infert interpretatiuam ratificationem eorundem priorum sponsalium prout habetur *in cap. unico de despons. impub. in 6.* sicque ille nixus ex dispositione iuris, & ex interpretatiua voluntate nitentium refertur ad eadem sponsalia per quæ limitatur ad hunc finem ratificationis eorundem. Hæc autem non ita se habent in præstito conatu ad copulam nullis præuijs existentibus sponsalibus, per quæ possit limitari, cum talis nixus ad plures fines possit referri ab eisdem sponsalibus.

Præsuppositis sponsalibus intèr impuberes ille nixus in copulâ infert ratificationem.

Ad tertiam dicendum est ex actuali copula inferri quidem affinitatem, quià per illam concumbentes fiunt vna caro, quod est fundamentum eiusdem affinitatis, non verò ex conatu in copulam infertur impedimentum publicæ honestatis, quod solum fundatur in sponsalibus legitimè contractis, & in matrimonio rato; cum etenim huiusmodi impedimentum inductum sit solummodò per dispositionem legis Ecclesiasticæ, vt suprà ostendimus, non debet extendi vltrà id, ad quod eadem Ecclesia extendit, & cum Ecclesia solum illud statuat ex sponsalibus, & matrimonio oriri, proptereà non debet ex arbitrio asseri etiam ex conatu in copulam, cum nullibi Ecclesia hoc statuat.

Ex actuali copula oritur affinitas, non autem honestas ex conatu, & quare.

Ad vltimum dicendum est, effectum, quem parit ille nixus in copulam restringi ad solum forum conscientiæ, in quo gignit noxam læthalem in ipsis concumbentibus, seù conantibus ad concubitum, non autem extendi ad forum iudicialem externum saltem in ordine ad impedimenta inducenda; nec absolutè verum est in ordine ad hæc maiorem vim habere huiusmodi conatum, ac habeat consensus ad matrimonium futurum, vel ad sponsalia, quandòquidem consensus secundum se obligat ad id, ad quod refertur, nixus autem huiusmodi in copulam non obligat nisi ad summum ad damna, si quæ indè obuenerint; quinimmò, nec ad hæc, si fæmina, cum qua intentata fuerit copula, fuerit consentiens, cum scienti, & consentienti ex vulgatis iuribus nulla fiat iniuria.

Nixus in copulam refertur ad solum forū conscientiæ.

§. IV.

An sponsalia conditionalia cum vna sorore dissoluantur per posteriora absoluta cum alia sorore pendente adhuc conditione priorum.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.

Ex prioribus sponsalibus conditionalibus pendente adhuc conditione non oritur secundum se impedimentum publicæ honestatis, num. 2.

Priora sponsalia pendente adhuc conditione non dissoluuntur per posteriora purè celebrata

brata cum sorore eiusdem prioris sponsæ. num. 3.

Per posteriora sponsalia purè inita cum sorore prioris sponsæ non tollitur quin purificata conditione possit contrahi matrimonium cum priori. 4.

1 *Facti series exposita.* DIsquisitio IV. Contraxerat Flauius matrimonium per verba de futuro, seù, quod idem est sponsalia cum Theodorica sub aliqua tamen conditione de futuro. Pendente adhuc tali conditione absoluta sponsalia nulla concepta conditione contraxit cum Calidonia sorore eiusdem Theodoricæ. Hic multiplex orta est difficultas. Prima est, an ex illis prioribus sponsalibus conditionalibus cum Theodorica ortum fuerit impedimentum publicæ honestatis. Secunda, an per posteriora sponsalia absoluta dissoluantur priora conditionalia. Tertia, an ex posterioribus sponsalibus absolutis oriatur impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius, si posteà hæc dissoluantur non possit contrahere matrimonium cum Theodorica, cum qua contraxerat sponsalia sub conditione, quantumvis postea illa conditio fuerit purificata.

2 *Ex sponsalibus prioribus ante conditionem non oritur publica honestas.* Henriquez. Bartolomæus à Ledesma. Petrus de Ledesma. Manuel. Respondeo primo, ex prioribus sponsalibus conditionalibus pendente adhuc conditione non oritur secundum se impedimentum publicæ honestatis, *Henriquez lib.11.de matrimonio c.10.n.2 Bartolomæus à Ledesma de matrimon. dub.47 concl.2. Petrus de Ledesma de matrimon q.55 art.4. vers.nihilominus, Manuel 1.tom.summa in 2.edit c.234. concl. 2. n. 3. in fin., & alij magis communiter.* Ratio ex eo deducitur, quià priora conditionalia sponsalia non tenent, nisi post purificatam conditionem, & hoc quidem ratione consensus contrahentium, qui ex quo apposuerint expressè talem conditionem, non præsumuntur se obligare ante illius euentum, ergò antecedentèr ad illius conditionis euentũ non pariunt effectum impedimenti publicæ honestatis. Consequentia probatur, quià impedimentum publicæ honestatis non oritur, nisi ex sponsalibus legitimè initis, & validis, sed ante conditionis euentum sponsalia inita sub expressa conditione non tenent, nec sunt valida, ergò ex illis non oritur impedimentum publicæ honestatis. In hoc vlterius non immoror, quandòquidem latè suprà fuit comprobatum.

3 *Non dissoluuntur per posteriora pura.* Sanchez. Respondeo secundo. Priora sponsalia conditionalia pendente adhuc conditione quoad onus eadem contrahendi post purificatam conditionem tempore opportuno, non dissoluuntur per posteriora purè, & absolutè celebrata cum sorore eiusdem prioris sponsæ conditionalis. *Sanchez lib.7. de matrimon. disp. 69. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià posteriora sponsalia, quantumvis purè, & absolutè inita, vtpotè de re turpi, & illicita sunt absolutè inualida, ergò per illa non dissoluuntur priora conditionalia quoad onus eadem contrahendi post purificatam conditionem tempore opportuno. Antecedens euincitur, quià pendente adhuc conditione Flauius tenetur expectare eiusdem conditionis euentum, & contrà iustitiam eo non expectato resilit, ergò, si pendente conditione alia sponsalia absolutè ineat, inualidè init, cum etenim eadem conditione pendente non possit licitè aliud matrimonium inire, promissio de eodem ineundo non potest esse valida, quià ex allegatis iuribus, & rationibus promissiones de re illicita nullius roboris sunt. Consequentia tenet, quià per id, quod omninò inualidum est, non potest tolli ius antecedentèr acquisitum dependentèr ab aliqua conditione honesta, & possibili pendente adhuc eadem conditione. *Tenetur expectare conditionis euentum.*

Dices primo, priora sponsalia conditionalia non tenent, nec obligant, nisi purificata conditione, ergò ante ipsius adimplementum, nec parere possunt impedimentum publicæ honestatis, nec posteriora absolutè celebranda cum sorore prioris sponsæ impedire. Antecedens patet ex superius dictis. Consequentia quoad primam partem etiam patet, quià impedimentum publicæ honestatis non consurgit nisi ex sponsalibus validis, & in suo esse subsistentibus; ante conditionis autem euentum sponsalia, nec sunt valida, nec in suo esse subsistunt; quoad secundam sic euincitur, quià, quod non est, non potest alium effectum subsequentèr ponendum impedire. Sed contrà, quià, quantumvis sponsalia conditionalia ante conditionis euentum non teneant, nec obligent in vim sponsalium, obligant tamen in vim promissionis, & pacti ad expectandum tempore congruo eiusdem conditionis purificationem, qua posita ex vi prioris consensus immediatè consurgunt sponsalia; vndè posteriora inita absolutè non irritantur quidem ratione impedimenti publicæ honestatis, irritantur tamen ratione iniustitiæ, quæ in eisdem imbibitur, quatenus scilicet lædunt ius priori sponsæ acquisitum, ne contrahantur alia sponsalia, donec congruo tempore expectetur conditionis appositæ implementum. *Irritantur ratione iniustitiæ, quæ in eisdem imbibitur.*

Dices secundo *ex cap.vnico verbo præsenti de sponsalib. in 6.* ex posterioribus sponsalibus oriri impedimentum publicæ honestatis, ac proindè non posse iam priorem sororem, cum qua fuerant sponsalia conditionalia inita, doci quod idem sentit *Glosa in d. c. vnico verb.præsenti, & Tabiena verbo impedimentum impedim.11. num. vnico.*

Sed

Sed contrà hæc, quæ dicuntur ex allegato textu valent quidem attento iure antiquo, secundum quod ex sponsalibus irritis alia ratione, quam defectu consensus illud impedimentum oriebatur. Cæterum attento iure hodierno *Concil. Trid. sess. 24. de matrimonio c. 3.* tollentis huiusmodi impedimentum ratione sponsalium quomodocunque inualidorum instantia nil roboris penitus habet, cum in hoc per dictum Concilium iuribus antiquis fuerit derogatum.

Non valent attento iure nouo concil. Trid.

4 Respondeo tertio, per posteriora sponsalia purè inita cum sorore Theodoricæ prioris sponsæ conditionalis non tollitur, quin possit, & teneatur sponsus purificata conditione contrahere matrimonium cum eadem Theodorica. Consonat cum ijs, quæ mox dicta sunt. Ratio ex eo deducitur, quià ex posterioribus sponsalibus purè initis vtpotè inualidis nullum ius consequitur, ergò perindè est, ac, si non fuerint posita, & per consequens non oritur irritatio iuris à priori sponsa acquisiti, nec ratione publicæ honestatis, nec ratione alicuius iniustitiæ, cum iniustitia non oriatur ex actu omninò nullo.

Potest contrahi matrimonium cum priori.

Non negauerim tamen in hac suppositione, quod Theodorica, cum qua fuerunt inita priora sponsalia conditionalia, possit, si velit à sponsalibus conditionatis recedere, & nolle amplius contrahere matrimonium, non quidem ratione publicæ honestatis consurgentis à posterioribus initis absolutè cum eiusdem sorore, cum hæc inualida sint, adeoque non apta parere talem effectum, sed ratione aliqualis iniuriæ sibi illatæ in contrahendis alijs sponsalibus pendente adhuc conditione ad propria perficienda, vndè frangenti fidem licet fidem non seruare.

Potest tamen prior sponsa nolle contrahere matrimonium.

§. V.

1 An, si expressè ponatur conditio in sponsalibus, quæ ex genere suo tacitè inest, suspendat eadem sponsalia vsque ad complementum conditionis.

SVMMARIVM

Refertur, in quo sensu sit accipiendus titulus, num. 1.

Sententia asserens per illam expressionem suspendi vsque ad conditionis euentum. 2.

Per illam expressionem conditionis secundum se non redditur contractus conditionalis, nec verè suspenditur. 3.

Conciliantur opiniones extremè opposita. 4.

1 Disquisitio V. Tacitè ex genere suo inest contractui sponsalium illa generalis conditio, *si res in eodem statu permaneant*; in qua generali conditione continentur illæ particulares, *si non fornicaueris, si in deformitatem non incideris, si habitualitèr non facta fueris infirma*, & aliæ similes, de quibus suprà. Hoc supposito Titius contracturus promissionem concepit sub hac conditione, *Ducam te, nisi fornicationem commiseris*, sicque conditionem tacitè inexistentem reddit expressam, & conuentionalem. Ex dictis in præcedentibus conditiones expresæ honestæ, & possibiles suspendunt contractum vsque ad illarum executionem. Ex alio capite conditiones tacitè inexistentes non constituunt actum conditionalem, nec eundem suspendunt vsque ad conditionis purificationem per superius allegata, & probata. Hic iam oritur difficultas, an per talem expressionem illa conditio extrahatur à ratione conditionis tacitè inexistentis, & suspendat actum vsque ad sui complementum, an verò quoad effectum remaneat in puro esse conditionis tacitæ.

Exponitur facti series.

Sanchez *d. lib. 7. de impedimentis disp. 69. num. 10.* sentit expressè talia sponsalia esse merè conditionalia, sicque suspendi vsque ad conditionis euentum, ac proindè non gignere impedimentũ publicę honestatis, nisi eadem conditione purificata; existimat enim non adijci eam conditionem expressè, eo modo, quo tacite inest, quandòquidem tacitè solum inest ad eum effectum, vt altero sponso fornicante innocens possit à sponsalibus resilire, quæ antecedentèr erant valida, quandò verò expressè ponitur, ponitur ad eum effectum, vt sponsa honestè viuat, adeo vt sponsus non intelligat inire ea sponsalia, nisi posita illa conditionis purificatione, qua propterea non posita à principio supponitur non positus consensus, seù suspensus vsque ad illam. Nihilominus.

2 Sanchez.

Sententia asserens constituere contractum merè conditionalem.

Respondeo, per talem expressionem conditionis precisè contractum non euadere purè conditionalem, sed suum effectum sortiri, & parere impedimentum publicæ honestatis. Ratio ex eo deducitur, quià illa expressio nil aliud efficit, nisi quod exprimit id, quod ex natura sua inest contractui, sed ex illa conditione tacitè inexistenti per superius probata non suspenditur contractus vsque ad illius purificationem, nec tollitur, quin immediatè oriatur impepimentum publicæ honestatis, ergò &c. Maior probatur, quià illa propositio, *Ducam te, nisi fornicationem commiseris* æquiualet huic propositioni, *Contraho tecum sponsalia contracturus etiam tempore debito matrimonium, nisi medio tempore fornicationem commiseris, vndè, si commiseris, recedam, & à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo*, sed hoc nihil aliud dicit, nisi expressionem eius, quod tacitè inest, & in hoc verificatur iuristicum illud effatum,

3 *Nec constituitur conditionalis, nec suspenditur.*

Non addit aliud, nisi expressionem.

 quod

quod *taciti*, *& expressi eadem est ratio, idemq; iudicium*, ergò &c.

Dices, in contractibus non supponendas esse clausulas expressas apponi superfluè, & sine aliquo determinato effectu, cù semper clausulæ intelligendæ sint operatoriæ, & cum effectu, nam iura abhorent à superfluis, esset autem superflua illa conditionis expressio, si tantum id operaretur. Sed contrà, quià illa expressio poni potuit ad remouendam sponsam à quocunque actu illicito fornicationis ad effectum, cum in votis maximè haberet illam ducendi, vt magis cauta procederet, ne occasionem ingereret resiliendi, vnde illa expressio esset ad vberiorem cautelam, & quodamodo ad terrorem.

Inducit sponsam ad cautius agendum.

Dixi, *præcisè*, non enim negauerim per talem expressionem probabiliùs inferri declarationem voluntatis sponsi contrahentis de non contrahendo, nisi purificata illa conditione, qua in hypothesi verificatur opinio Sanchez asserentis conditionem illam suspendere contractum; nam contractus totam vim sortiuntur à contrahentium, vltra quem non extenduntur, consensu, qui possunt apponere eas omnes conditiones, quæ non contrariantur naturæ contractus, quæque honestæ sunt, & possibiles. Ad hoc corroborandum maximè confert id, quod docent *DD. & præcipuè Bonacina de matrimonio q.* 2. *punct.* 10. *propositione prima num.* 5. *vers. neque obstat conditio*, nempe, quod quamvis conditio necessaria ex natura sua insit contractui, si tamen contrahentes expresè illam apponant, vt nullo modo se intendant obligare ante illius euentum, certè contractus suspenditur vsque ad conditionis complementum, quaque non purificata absolutè non tenet.

Potest tamen concipi illa conditio, vt indicans animum non contrahendi, nisi illa purificata.

Bonacina.

Quamobrem conciliari potest, & quidem congruè, nostra opinio cum illa Sanchez, adeovt nostra intelligatur, dum præcisè res sistit in puris terminis expressionis, & expressio illa ponitur ad vberiorem cautelam, & ad terrorem, in quo sensu verificatur, quod taciti, & expressi sit eadem ratio, idemque iudicium; opinio verò Sanchez intelligatur, quando per talem expressionem importatur declaratio voluntatis contrahentium, vel alterius contrahentis se non obligandi, nisi purificata illa conditione. Si autem hic inquiras, quando expresè apponitur per contrahentes illa conditio, an potius præsumendum sit pro sola expressione, & ad terrorem, an verò pro voluntate non contrahendi, nisi supposita illius conditionis purificatione; tunc dicerem ex coniecturis arguendum esse; si etenim sponsus sit maximè affectus ad nuptias cum tali fæmina, respectu cuius expresè apposuit illam conditionem, tunc præsumendum est illam conditionem appositam esse ad effectum, vt illa deterreatur à fornicatione, ne ex illa conferat occasionem apponenti talem conditionem recedendi, seù dissoluendi sponsalia, secus verò, si non fuerit ita affectus. Rursus, vel post talia sponsalia conditionalia ante conditionis euentum se gessit formaliter, vt sponsus exercendo illos omnes actus, qui respectu sponsorum liciti sunt, & honesti, & tunc præsumendum est conditionem illam esse appositam solummodo ad expressionem, vel non se gessit vt talis, sed ab huiusmodi actibus abstinuit, & tunc præsumendum est, esse appositam ad declarandam voluntatem non contrahendi, nisi supposita illius purificatione. Cæterum vbi ex huiusmodi circumstantijs nihil appareret, standum esset assertioni eiusdem sponsi, in cuius fauorem militat illa expressio, præcipuè cum frustratoriè non sit supponenda apposita.

4 *Conciliatur nostra opinio cum opinione Sanchez.*

§. VI.

An sponsalia iurata per diuitem nulla præuia promissione dotis dissolui possint, si fæmina nullam velit dotem conferre.

SVMMARIVM.

In quo consistat difficultas circa titulum. 1.
Probabilius sponsus diues potest sponsalia dissoluere, si fæmina in illa hypothesi nolit congruam dotem conferre. 2.
Dotis conditio non est omninò extrinseca matrimonio. 3.
Excipe, nisi sponsus esset valde diues, & sponsa pauper, sed valde formosa. 4.

1 Disquisitio VI. Tactus venustate eiusdem fæminæ Antonius vir diuitijs præpotens futurum matrimonium eidem promisit, quod etiam iuramento firmauit nulla sibi facta præuia dotis promissione. Eueniente tempore celebrationis contractus matrimonialis Antonius contendebat de dote sibi congrua, vel saltem iuxtà conditionem eiusdem fæminæ assignanda, aduersus quem ipsa excipiebat, quod promissio facta fuerit independenter à tali dote, & quod propterea tenebatur Antonius sine illa ipsam ducere. Quæritur iam, quid iuris. Aliqua de hac controuersia diximus in præcedentibus; nunc præcisè ex occasione, quod nulla facta fuerit mentio in celebratione contractus de dote, & quod fæmina illa supponitur valde formosa, ratione cuius formositatis Antonius supponitur contraxisse, hæc controuersia secundum has circumstantias proponitur ex professo examinanda. Res-

Expositio casus particularis.

probabilius potest dissoluere. Respondeo, probabilius esse Antoinum posse sponsalia dissoluere, si fæmina illa in data hypothesi nolit congruam dotem conferre *Baldus c. iurauit de probat. num. 3. & seqq. Lupus c. per vestrat de donat. inter virum, & vxor. not. 3., & 4. §. 2. num. 4. Gutierez de iuram. prima part. cap. 37. num. 3. in fin. Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 5. cas. 455. num. 6. Paludanus in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. concl. 4. num. 14.* hancque etiam valde probabilem existimat *Diana part. 3. tract. 4. resol. 286. vers. notandum est etiam*, & probabiliorem *Sanchez de matrimon. lib. 1. de sponsalib. disp. 60. num. 2.* Ratio ex eo deducitur, quiá sponsus taliter spondens matrimonium, quantumvis nulla doris facta expressione non præsumitur cessisse iuri dotis consequendæ, sed contraxisse reseruato sibi iure consequendi congruam dotem, seù conformasse se consuetudini, secundum quam vnicuique coniugi regularitèr congrua dos tribuitur, vnde communitèr dicunt DD. conditionem dotis non esse omninò extrinsecam matrimonio, sed implicitè eidem inesse; sicque aliqui asserunt censeri sponsam omnia bona sua in dotem promittere. *Bartolus in l. si constante num. 87. ff. solut. matrim. Ioannes Lupus rub de donat. §. 57. num. 1. in fin.*, vel saltem partem patrimonij iuxtà viri dignitatem iuxta textum *in l. mulier bona, & l. quero ff. de iur. dotis Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 60. nu. 2.*, ergò sponsa potente, & nolente conferre poterit sponsus non obstante, quod ea non fuerit præuiè, & expresè promissa à sponsalibus recedere. Confirmatur, quiá, si quis alteri spoponderit matrimonium futurum nulla facta mentione dotis, & promissaria antequam matrimonium contraheretur ad paupertatem fuerit redacta, potest promittens à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo recedere *Abbas c. quemadmodum num. 10. de iure iur. Brunellus de sponsalib. concl. 8. num. 6. Angelus verb. sponsalia num. 33., & ibi Siluester qu. 10. cas. 9. Nauarrus in summa c. 22. num. 27. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 10. num. 17. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 14. num. 6.*, quiá in promissione futuri matrimonij sine expressione dotis non censetur cessisse iuri ad eandem dotem, sed eandem implicitè intendisse iuxta propriam, & sponsæ conditionem, sicque deueniente promissaria ad paupertatem denegari non potest, quin facta fuerit notabilis mutatio, qua stante non est, cur non possit promittens à promissione recedere *c. quemadmodum de iure iur.*, ergò, si quis alteri promiserit matrimonium futurum nulla sibi facta promissione dotis poterit à promissione recedere, si promissaria, cum possit, nolit congruam dotem conferre. Consequentia probatur, quiá maius ius tribuit ad recedendum à sponsalibus posse, & nolle conferre congruam dotem, quam præcisè non posse.

Non præsumitur cessisse iuri dotis congruæ.

Baldus. Lupus. Gutierez. Menoch. Paludanus. Diana. Sanchez. Bartolus. Lupus. Sanchez. Abbas. Brunellus. Angelus. Siluester. Nauarrus. Cucus. Henriqu.

2 Dices ex eo, quod nullam dotis exegerit promissionem in celebratione contractus sponsalium, debet sponsus sibi imputare, quod dotem, vel eiusdem promissionem non exegerit *Glosa in c. quemadmodum verb. oculos de iure iur., & ibi Hostiensis super verb. iuramentum Couarruuias 4. decretalium prima part. cap. 5. num. 5. Alexander Carrerius lib. 1. de sponsalib. c. 15. in fin. Menochius cons. 380. num 3. vol. 4. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. c. 18.*, ergò, si sibi non præcauerit exigendo illam promissionem, non poterit postea promissaria nolente conferre recedere à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo. Sed contra, quiá cum dotis conditio non sit omninò extrinseca matrimonio, cum regularitèr soleat conferri præsumitur sponsus sic contrahendo non cessisse iuri suo in ordine ad dotem, sed se communi consuetudini accomodasse, conformiter ad quam iustè congrua dos in ordine ad sustinenda onera matrimonij potest exigi, nec proinde damnandus est inertiæ, quod non exegerit talem promissionem, cum implicitè ex consuetudine imbibatur in promissione eiusdem matrimonij.

Glosa. Astensis. Carrerius. Menoch. Lopez.

3 *Dotis conditio non est omninò extrinseca matrimonio.*

Limitanda tamen est responsio in hypothesi, qua sponsus promittens sine vlla præuia promissione dotis esset valdè diuitijs præpotens, & fæmina promissaria esset pauper, & inops, sed formosa valde, & pulchra, & sponsus nouerit defectum diuitiarum in eadem fæmina promissaria; tunc etenim absolutè crederem non posse sponsum recedere à sponsalibus antecedenter promissis, quantumvis promissaria non posset congruam dotem conferre. Ratio ex eo deducitur, quiá ex eo, quod nouerit fæminam promissariam non posse conferre congruam dotem, & nihilominus absolutè promiserit, supponitur liberè cessisse iuri suo in ordine ad consequendam eandem dotem, eidemque despondisse matrimonium, vel ratione formositatis, vel ad piam causam, ergò non poterit amplius eodem statu permanente eandem exigere, vel non valente eadem promissaria conferre à contractu recedere. Consequentia tenet, quiá præuisis certis conditionibus, eisq; non obstantibus inito contractu contractus non potest deficere eisdem perseuerantibus, & semel facta cessione liberè alicuius iuris non potest stantibus eisdem conditionibus idem ius reuiuiscere, quiá, quod semel placuit, non amplius potest displicere.

4 *Excipe nisi sponsus esset valdè diues, & sponsa pauper, sed valdè formosa.*



§. VII.

§. VII.

An in suppositione paupertatis fœminæ promissariæ cognitæ à promittente, si illa deuenerit ad pinguiorem fortunam possit sponsus recedere à promissione, si illa nolit congruam dotem conferre.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersiæ. 1.
Ratio dubitandi in fauorem sponsi. 2.
In hypothesi, qua sponsus esset diuitijs præpotens, & valens sustinere onera matrimonij probabilius est fœminam promissariam non teneri ad dotem, nec ideò sponsum posse recedere. 3.
Soluuntur rationes adductæ in fauorem sponsi. num. 4.

1 Disquisitio VII. Iuxtà terminos præcedentis disquisitionis Antonius diuitijs præpotens contraxit sponsalia cum quadam fœmina formosa quidem, sed paupere conscius quidem paupertatis eiusdem; iuxta quem sensum diximus non posse Antonium ex eo, quod fœmina promissaria non possit congruam dotem conferre, nec à sponsalibus, nec à matrimonio contrahendo recedere, cum quodamodo præsumatur liberè cessisse iuri suo in ordine ad illam consequendam. Rebus sic stantibus, & nondum celebrato matrimonio eidem fœminæ promissariæ Antonij per tertiam quandam personam liberè delata est pinguis hæreditas, ratione cuius facta est locuples. Contendebat posteà Antonius sibi deberi congruam dotem, nec aliter velle contrahere cum eadem matrimonium. Ex aduerso excipiebat fœmina illa, quod promissio matrimonij facta sibi fuerit independenter ab illa hæreditate sibi delata, nam, si ea sibi non obuenisset, certè teneretur stare contractui, illumque perficere, vnde, quod sibi obuenerit, tribuendum est propriæ conditioni, nec conferre aliquod ius Antonio promittenti. Quæritur iam quid iuris

Exponitur factum in suis terminis.

2 Ratio dubitandi ex parte, & in fauorem sponsi promittentis ex eo deducitur, quod non videtur absolutè cessisse iuri suo in ordine ad consequendam dotem, sed tantum sub tacita conditione, si fœmina promissaria non possit illam conferre, nam si diuitem cognouisset non præsumitur iuxtà superius dicta, quod cessisset iuri suo, sed posset ex integro congruam dotem exigere. Accedit primò, quod, si eadem fœmina primò diues ante contractum matrimonium in paupertatem deuenerit, adeo vt non possit congruam dotem erogare, vtique possit sponsus à sponsalibus recedere per ea, quæ superius dicta sunt, ergò è conuerso, si primò fuerit pauper, & posteà facta fuerit locuples ante contractum matrimonium poterit idem sponsus à sponsalibus recedere, si illa, cum possit, nolit congruam dotem conferre. Accedit secundò, quià per negationem dotis facta fœmina promissaria diuite ratione hæreditatis eidem delatæ infertur causa futurorum dissidiorum inter eosdem coniuges, ergò ratione eiusdem poterit sponsus à sponsalibus recedere. Accedit tertiò, quod, si quis creditor ratione impotentiæ debitoris eidem cedat ius suum non repetendi debitum, non præsumitur cedere in hypothesi, qua ipse debitor deuenerit ad pinguiorem fortunam, ergò cum ipse sponsus quodamodò contrahendo sponsalia acquirat ius ad dotem congruam, illamque ob impotentiam sponsæ cognitæ, vt pauperis, eidem cedere videatur contrahendo sine illius exactione, seù sine vlla præuia mentione eiusdem, non præsumendus tamen est cedere absolutè etiam in hypothesi, qua fœmina promissaria deueniret ad pinguiorem fortunam. Nihilominus

Ratio dubitandi in fauorem sponsi promittentis sine expressione dotis, & iura pro eodem militantia.

3 Respondeo, in supppositione, qua Antonius, vt præfertur, sit diuitijs præpotens, & commodè ex se possit onera matrimonij sustinere, non teneri in rigore fœminam promissariam conferre dotem, nec proptereà posse Antonium à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo recedere. In hac opinionem implicitè videtur consentire *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 59. n. 7.*, dum asserit, quod, si vno sponso in eodem statu permanente alteri ingentissima diuitiarum copia accederet, non ob id sponsalia dissoluantur. Ratio ex eo deducitur primò, quià rebus in eodem statu permanentibus, & non deterioratis à die, quo præstitus fuit consensus absolutus, & initus contractus, non possunt contrahentes à contractu inito recedere, siquidem vbi viget eadem causa contrahendi, viget etiā causa non resiliendi, sed respectu fœminæ promissariæ res in eodem statu permanet, nec vlla secuta fuit deterioratio ab eo, in quo erat, quando celebratus fuit contractus, ergò &c. Nec ex eo, quod ingens illa copia diuitiarum accesserit fœminæ promissariæ aliquod ius confertur sponso promittenti recedendi à promissione; siquidem sponsus promisit attentis qualitatibus sibi notis, quæ tunc inerant in eadem fœmina nulla habita consideratione eorum, quæ posteà in ipsius fauorem poterant obuenire, & illa accessio bonorum facta eidem fœminæ cedit ipsius conditioni independenter à contractu iam inito, non conditioni mariti, intuitu cuius non fuit

Probabilius est non teneri ad dot., nec sponsum posse recedere.

Sanchez.

Res non intelliguntur deteriorata.

fuit, delata illa hæreditas, nec sponsam obligauit ad aliquid supposito, quod ad pinquiorem fortunam deueniret. Secundò ex eo euincitur, quod, si contractis sponsalibus inter personam præpotentem, & fæminam quandam formosam conuenta de certa dote non iuxta conditionem sponsi, sed iuxtà qualitatum eiusdem fæminæ, accedat eidem fæminæ maxima diuitiarum vbertas, non tenetur eadem fæmina supra id, quod conuentum est de dote, aliquid conferre ratione illius accessionis, nec potest sponsus ob negationem maioris summæ à contractu recedere, ergò, si contractis sponsalibus inter eundem præpotentem, & fæminam pauperem, sed formosam nulla constituta dote, cui præsumitur cessisse sponsus; cum nouerit fæminam esse pauperem, & nihilominus contraxerit, eidem fæminæ accesserit pinguis hæreditas, non tenebitur aliquid pro dote erogare, nec propterea poterit sponsus à sponsalibus recedere. Consequentia probatur, quiâ in tantum in constitutione minoris dotis superueniente posteà in fæmina maxima diuitiarum copia, non tenetur maiorem conferre sine præiudicio contractus, in quantum contractus fuit absolutè initus solummodò cum illa minori, & si quid ab extra accedit fæminæ eidem accedit independentèr ab illo contractu, sed etiam nulla constituta dote contractus fuit absolutè initus, & facta implicita cessio iuri ad eandem dotem, cum absolutè consenserit sponsus sine dote, ergò superueniente maxima diuitiarum copia eidem fæminæ ab extra independenter ab illo contractu non tenebitur ex illa dotem conferre, nec propterea poterit sponsus à contractu recedere. Tertiò ex eo deducitur; vno sponso in eodem statu permanente, si alter fiat valdè diues, hic tenetur stare sponsalibus, nec potest licitè ab eisdem recedere *Sanchez lib. 1. qu. 59. num. 7. Coninchus disp. 23. num. 69. Reginaldus lib. 31. num. 264. Gutierez. de matrim. c. 33. num. 4.*, ergò, nec poterit ille recedere, qui in eodem statu permanet, quantumvis alter factus ditior, nolit communicare diuitias acquisitas. Consequentia probatur, quiâ in tantum factus ditior non potest recedere, in quantum alterius conditio non est deteriorata, non enim in propriam conditionem fertur consensus, sed etiam in hypothesi nostra illius, qui ex paupere factus est ditior, non est deteriorata conditio ab ea, in qua erat, quando initus fuit contractus, ergò alter non poterit à contractu recedere. Quartò ex eo deducitur, quod perseuerante ratione formali contractus, nec mutatis in deteriorem partem qualitatibus contractus ipse non potest dissolui, sed ratio formalis contractus, de quo loquimur, non fuerunt diuitiæ in fæmina, sed eius pulchritudo, & singulares animi, & corporis dotes, quæ adhuc in eadem fæmina perseuerant, ergò &c.

Rationes plures euincentes intentum.

Euincitur etiam pariter. Sanchez. Coninch. Reginald. Gutierez.

4 Nunc ad rationes, quæ ex aduerso in fauorem sponsi præpotentis allatæ fuerunt respondendum est, & quidem ad primam dicendum est gratis omninò dici illam cessionem iuris ad dotem non esse absolutam, sed merè conditionatam; ex eo etenim, quod nouerit fæminam esse impotentem in celebratione contractus ad conferendam dotem, & nihilominus absolutè contraxerit nulla facta reseruatione, videtur præcisè respexisse qualitates naturales eiusdem fæminæ, nullatenus diuitias, adeoque iuri ad easdem absolutè cessisse; nam adhuc eam duxisset, prout promisit absolutè ducere, etiam, si nullæ diuitiæ eidem contigissent, quia istæ non fuerint motiuum alliciens, nec præmouens ad contractum. Dicere deinde, quod, si cognouisset futuras diuitias, non contraxisset, nisi facta reseruatione, est dicere, quid omninò gratis; nam constat consensum præbuisse ad contractum omnino absolutum, qui perseuerantibus eisdem qualitatibus, nec in deteriorem partem mutatis non potest tolli, nec mutari.

Respexit qualitates naturales eiusdem fæminæ, non statum.

Ad secundam dicendum est, disparem omninò esse rationem casus consequentiæ à casu antecedentis; quandoquidem in casu antecedentis apparet expresè facta mutatio status in fæmina in deteriorem partem, nam ex diuite facta est inops, & ex potente congruam dotem conferre impotens ad eandem; in celebratione autem contractus sponsalium semper intelligitur tacita conditio, si res in eodem statu permaneant, nec aliter, nec alio modo per allegatum textum *in c. quemadmodum de iure iurando*; in casu autem consequentiæ nulla est facta deterioratio, sed res permanent in eodem statu, & solummodo facta augmentatio, vnde nulla est inducta ratio remouens à contractu. Quamobrem in primo casu diuitiæ præexistentes potuerunt esse motiuum saltem impulsiuum ad contrahendum, sine quo fortè non contraxisset; diuitiæ autem subsequentes ad contractum iam perfectè celebratum non possunt, nec potuerunt esse motiuum talis contractus, cum fuerit celebratus independentèr ab ipso.

In primo casu fit deterioratio, non fit in secundo.

Ad tertiam dicendum est, friuolam omninò fore, & emendicatam hanc causam, si quæ consurgeret, dissidiorum inter coniuges, quandoquidem, cum sponsus contraxerit independentèr ab illis diuitijs acquisitis per sponsam nullum ius omninò acquisiuit in ordine ad illas, adeoque iustè nequit illas exigere, secùs etiam constituta eidem fæminæ congrua dote, si eidem accederet post initum absolutè

Causa dissidiorum est omninò friuola, & emendicata.

con-

contractum pinguis aliqua hæreditas posset à contractu resilire emendicans ex negatione talis hæreditatis in augmentum dotis rixarum occasionem, & dissidiorum originē; sicuti igitur omninò iniusta essent dissidia, ita & iniusta causa assumpta eorundem, de qua propterea nulla habenda est consideratio.

Ad vltimam tandem dicendum est, non valere paritatem, nam creditor cedens ex impotentia debitoris ad soluendum absolutè non cedit iuri suo, sed quoad executionem solummodò suspensum retinet, vnde eueniente casu potentiæ in eodem debitore non est, cur illud non possit exequi; sponsus autem, qui absolutè contraxit sponsalia habita cognitione impotentiæ fœminæ promissariæ ad erogandam congruam dotem absolutè cessit iuri ad eandem dotem, voluitq; fœminam nulla habita ratione dotis, & diuitiarum, adeoq; non est, cur ad illas, si superuenerint, celebrato iam contractu, & perfecto possit habere regressum. Deindè creditor ad suum creditum habet perfectum ius ex contractu, vel ex aliquo iusto titulo, quod semper clamat pro ipso, licet debitor eximatur ab onere solutionis clamante pro eodem impotentia, qua cessante non est, cur possit excipere; sponsus verò, qui cognita impotentia fœminæ promissariæ ad dotem erogandam eandem ducere promisit, nullum ius habet ad dotem, cum absolutè eidem cesserit, adeoque superuenientibus diuitijs non potest ad illas habere regressum, cum nullum habeat titulum; non enim ex contractu sponsalium ius ad illas acquisiuit, cum huiusmodi contractus à contractu dotali sit separabilis, & ex eo, quod huic cesserit, supponitur de facto separasse, adeoque ex illo nullum ius habere posse.

Diuersa ratio de impotente soluendi debitum, & de paupere facto diuite.

§. VIII.

An dissolutio sponsalium valida sit ex mutuo consensu, quandò alter fictè se exhibet paratum, obijcit tamen parentum repugnantiam, paupertatem, & alter his motus remittit promissionem.

SVMMARIVM.

Exponitur status controuersiæ. 1.

Ratio dubitandi pro negatione remissionis. num. 2.

Si sponsa liberè remittit promissionem stante illa obiectione incommodorum, & promptitudine exhibiti sponsi ad contrahendum, tenet remissio secus, si remittat inuita, vel ex eo, quod viderit signa aduersa, vel ex aliqua alia ratione. 3.

Disquisitio VIII. Contraxerant adinuicem Sponsalia seruatis iuris solemnitatibus, & congrua forma Titius, & Theodorica præstita fide de celebrando matrimonio inter certum, & determinatum tempus per eosdem. Vrgente iam termino perficiendi contractum per verba de præsenti Titius cupiens à contractu recedere fictè se paratum exhibuit ad contrahendum, & animo lubenti, cum potius intrinsecus contrarium moliretur; obiecit tamen Theodoricæ difficultates ad ineundum contractum, puta parentum repugnantiam, paupertatem, & alia similia incommoda deinde obuentura. His mota Theodorica remisit promissionem, quam remissionem acceptauit immediatè Titius. Hic orta fuit difficultas, an ex tali remissione facta per Theodoricam dependentèr ab illa fictione, & simulatione Titij, & ex tali acceptatione remissionis facta per Titium validè fuerint dissoluta sponsalia, adeovt liberum sit vtrique aliud matrimonium cum quacunque à iure non prohibita contrahere. 1

Status difficultatis expositus.

Ratio dubitandi ex eo consurgit, quià deceptus non videtur liberè, & spontè remittere, cum nullus ignorans liberè cedat; libertas etenim debet esse cum plena cognitione eius, quod fit; deceptus autem est ignorans, quod præcipuè verificatur in præsenti hypothesi, secundum quam interuenit fraus, vel culpa aliqua eiusdem sponsi resilire intendentis à sponsalibus, & simulantis voluntatem paratam ad contrahendum, cum tamen obiecerit parentum repugnantiam, paupertatem, & similia, quæ fortè non erant, vel non erant attendenda, ratione quorum sponsa remisit promissionem, sine quibus præsumptiuè non remisisset; quod in similibus ostendunt *Siluester verb. restitutio* 7. *quæst.* 2. *dicto* 1. *Nauarrus in summa cap.* 17. *num.* 75. de eo, qui cum sit debitor, fingit maiorem inopiam, quam re vera patiatur; hic certè, si ex illa fictione remissionem partis debiti à creditore obtinuerit, cum talis remissio proueniat ex ipsius culpa, & fraude, non eximitur ab onere integræ solutionis, quià remissio illa non est libera, ergò etiam, cum in præsenti hypothesi illa remissio, vt potè quæ fit ex culpa, & dolo sponsi simulantis, non sit libera, non eximet sponsum decipientem, & simulantem ab onere contrahendi. Nihilominus. 2

Ratio dubitandi pro negatione remissionis.

Siluester. Nauarrus.

Respondeo cum distinctione; vel etenim facta illa obiectione incommodorū, & promptitudine animi ad contrahendū, si illis non obstantibus sponsa nolit remittere, sponsa remittit promissionem, & tunc talis remissio tenet, vel facta illa obiectione incommodorum, & animi promptitudine oretenus exhibita, exhibet interna signa voluntatis aduersæ, vel per torum 3

Si sponsa remittit tenet remissio, secus si inuita.

toruum supercilium, vel per quid simile, ratione quorum sponsa timens malos exitus remittit alioqui non remissura, & tunc probabilius sentio, talem remissionem non subsistere. Ita quoad primam partem *Sanchez de matrimonio lib. 1. de sponsalibus disp. 52. n. 3.*, & in similibus terminis de remissione partis debiti per illam simulationem promptitudinis soluendi integrum *D. Antoninus 2. part. tit. 2. c. 6. vers. septimo*, *Siluester verb. restitutio 7. quæst. 2. dict. 1.* *Angelus verb. restitutio ult. num. 1.* *Medina C. de restitutione q. 3. caus. 2. vers. sequitur non esse necessarium*, *Nauarrus in summa c. 17. nu. 78. vers. 4. infertur*, *Coaruuias reg. peccatum 2. part. in initio nu. 5.* *Carbonus de restit. qu. 82. concl. 3.* Quoad secundam partem idem *Sanchez d. lib. 1. de sponsalibus disp. 52. num. 3.* & alij communitèr. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià remissio promissionis, quam præstat fœmina promissaria, non est coacta, nec per aliquem metum cadentem in constantem virum inducta, ergò non est, cur non teneat, & non liberet promissorem. Consequentia probatur, quià remissio, vt vires habeat à sola remittentis voluntate dependet, ergò cum voluntas illa non sit coacta, nec per metum cadentem in constantem virum inducta, non est, cur parere non debeat suum effectum, & liberare promissorem. Confirmatur exemplo debitoris, qui si per fictionem, & mendacium asserat creditori, se paratum esse ad integram debiti solutionem, nisi partem aliquam condonet, cum tamen vero animo soluendi careat, & dependenter ab illa fictione obtineat remissionem, validè obtinet, & liberatur, vt docent DD. omnes prællegati, rationemque adducit *Sanchez lib. 4. de matrimonio disp. 9. num. 17. vers. non tamen reputabitur fraus*, quià licet *ad rationem peccati attendenda sit voluntas debitoris remissionem petentis, in ordine tamen ad liberationem eiusdem sola voluntas remittentis est attendenda.* Hæc ad verbum idem Sanchez, ergò etiã, si sponsus per fictionem asserat sponsæ se paratum esse ipsam ducere, nisi velit remittere, cum tamen non habeat animum ipsam ducendi, & dependenter ab illa fictione obtineat condonationem promissionis, vtique liber erit ab eadem promissione, nec amplius tenebitur.

Sanchez. | D. Antoninus. | Siluester. | Angelus. | Medina. | Nauarrus. | Coaruuias | Carbonus. | *Consensus non est per aliquem metum.* | *Conuincitur etiam exemplo.* | Sanchez.

Dices, sponsam promissariam non remittere liberè, & spontè, cum remittat dependentèr à fictione, & simulatione promptitudinis animi alterius contrahendi, cum re vera animum illum non habuerit, & dependenter ab obiectione illorum incommodorum, quæ fortè futura non erant; remissio autem per errorem non est libera, & per consequens, nec valida. Sed contra, quià in primis, quod sponsus illam promptitudinem contrahendi simulet, & offerat, nullam facit iniuriam sponsæ promissariæ, cum ipsi offeratur, quidquid requiritur ad obtinendam validam promissionem, nec obesse potest illa fictio interna, quià propositum in mente retentum ex vulgatis iuribus nihil operatur, nisi in quantum ad peccatum coram Deo, vnde illa poterat non remittere. Deinde, quod obiecerit illa incommoda, nihil officit, quià in primis illa poterunt euenire, & sponsus illis non obstantibus paratum se exhibent ad contrahendum, & promissaria poterat adhuc resistere, & non acquiescere, vnde, si recessit, liberè recessit, adeoque non est, cur sponsus non possit validè gaudere remissione.

Sponsus simulando illam promptitudinem non facit iniuriam sponsæ.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià illa remissio non est absolutè libera, sed inuoluntaria mixtè, ergò non reddit tutum promittentem. Antecedens probatur, quià, quantumvis oretenus sponsus offerat matrimonium promissariæ, per illa tamen signa externa torui oculi, & reluctantiæ ad contrahendum, indicat expressè se nolle contrahere, vnde sponsa reluctans quodamodo, & inuita morem gerit, semper timens, quod non poterit contrahere, & quod, si contrahet non remittendo promissionem, infelici semper exitu comprimetur, ex quo apparet discrimen inter remissionem, quæ fit per sponsam, quando sponsus paratum se exhibet ad contrahendum licet fictè nullam exhibendo extrinsecus reluctantiam, & inter remissionem, quæ fit, quando sponsus oretenus exhibet, sed cum externa illa reluctantia per toruum oculum, & per indignationem; in primò etenim casu cessio est libera, in secundo inuoluntaria mixtè; ad primum mouetur ex propriæ voluntatis arbitrio; ad secundum ex illo metu, vel matrimonij non ineundi, quod arguitur ex illa indignatione extrinsecus exhibita, vel mali, & infelicis exitus, qui etiam ex eadem indignatione, & toruo oculo deducitur.

Illa remissio non est libera, sed inuoluntaria mixtè.

§. IX.

An Iudex possit sponsis præfigere terminum ad contrahendum matrimonium, & an eo elapso vterque liber remaneat.

S V M M A R I V M.

Exponitur status controuersiæ. 1.
Extante causa periculi fornicationis in altero sponso potest Iudex legitimè præfinire terminum ad contrahendum matrimonium. num. 2.
Ad solum Iudicem Ecclesiasticum pertinet præfinire talem terminum. 3.
Talis terminus præsumendus est adiectus per Iudi-

Iudicem ad effectum finiendæ obligationis, adeoque eo elapso ille, per quem non stetit, liber remanet ab onere contrahendi. 4.

1 *Pactum in suis terminis.* Disquisitio II. Contractis sponsalibus inter Theodoricum, & Meuiam nullo præfinito tempore ad contrahendum matrimonium, cum immineret in altero periculum fornicationis, nec alter tunc vellet contrahere adito Iudice per eundem præfixus est certus terminus ad contrahendum matrimonium. Hic excitata fuit primò difficultas, an Iudex iustè potuerit talem terminum præfigere, adeout hic obligat contrahentes ad complendum contractum intrà illum. Secundò, an, si ille terminus fuerit elapsus, & nondum completus contractus, possit vterque, vel saltem alter, per quem non stetit, quin compleretur, aliud matrimonium inire inconsulto renuente.

Inspectio considerabilis ad factum. Tota ratio dubitandi quoad secundam partem pendet ab ea quæstione, de qua latè actum est supra, an ille terminus à Iudice præfinitus præsumendus sit appositus ad finem præcisè sollicitandæ executionis, an verò ad effectum finiendæ obligationis, sicuti dictum est suprà de termino per eosdem contrahentes, vel in celebratione contractus sponsalium apposito, vel postea ex interuallo, quod in omnibus obseruandum est quoad similis termini appositionem.

2 *Potest Iudex extante tali causa præfinire terminum.* Respondeo primò, extante simili causa periculi fornicationis in altero sponso potest Iudex legitimè talem terminum præfinire ad contrahendum matrimonium. *Sanchez lib. 1. de sponsal. disput. 53. num. 9.* Expressè colligitur ex textu *in c. ex publico de conuers. coniug.*, nec incongrua sanè ratione hoc decernitur, quandoquidem exorta obligatione ex legitimo consensu præstito quoad substantiam in controuersia quoad executionem matrimonij contrahendi imminente periculo regulariter ad Iudicem spectat eandem controuersiam dirimere, vt videre est in alijs ferè omnibus contractibus, ergò non est, cur in hac controuersia etiam Iudex non possit se intromittere congruum terminum præfigendo ad contrahendum. Confirmatur, *Terminus, vbi non est appositus, intelligitur ad arbitriū boni viri.* quià nullo assignato termino ad contrahendum matrimonium in celebratione contractus sponsalium terminus ille implicitè intelligitur appositus, qui pensatis omnibus constituetur ad arbitrium boni, & prudentis viri, ergò partibus non conuenientibus ad Iudicem pertinebit terminum illum statuere, quandoquidem ex genere suo in omnibus cõtrouersijs id præstat Iudex ex officio, quod præstat arbiter ex conuentione, & partium remissione. Confirmatur secundò, quià, quando nullus est præfixus terminus per contrahentes, tunc ad petitionem vnius partis contractus complendus est, ergò altero petente, & altero renuente ad iudicem pertinebit controuersiam dirimere per præfinitionem congrui temporis ad contrahendum.

Dices, matrimonium debere esse omninò liberum, quià ex quacunque coactione possunt mali, & infelices exitus pertimeri; non esset autem matrimonium liberum, si alter per Iudicem cogeretur intra certum terminum contrahere. Sed contrà, quià, ex quo præstitit consensum liberum, & nulla vi coactum ad contrahendum matrimonium, non tollitur libertas ex eo, quod posteà per Iudicem compellatur illud contrahere, nam quæ anteà sunt libertatis, ex post facto fiunt necessitatis, vnde libertas saluatur in priori actu elicito ex libero animi motu; quare ex allegatis etiam superius iuribus compelli possunt per Ecclesiasticas censuras. Deindè ille terminus per Iudicem appositus non supponitur adiectus ad absolutè compellendum ad contractum, sed ad eum finem, quod, si intra illum non perfecerit, alter intelligatur absolutus ab onere contrahendi cum ipso, prout inferius subdam in sequenti responsione. *Ex quo præstitit consensum liberum intelligitur posteà obligatus.*

Hic oritur difficultas, ad quemnam Iudicem spectet hunc terminum apponere, an ad solum Ecclesiasticum, an verò etiam ad laicum. Videtur prima fronte liberum esse vtrique Iudici hunc terminum statuere, quià hoc non spectat ad substantiam matrimonij, seù sponsalium, quæ omninò spiritualis est, sed ad accidentalia, quæ possunt esse merè temporalia. Nihilominus absolutè censendum est pertinere ad solum Iudicem Ecclesiasticum. *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 69. num. 10. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. num. 38. Reginaldus lib. 31. num. 260. Riccius decis. 245. Gutierez c. 35. num. 8.*, qui quamvis loquantur in terminis dissolutionis sponsalium, trahi tamen possunt ad terminos præsentis difficultatis, nam ad quem spectat dissoluere, spectat etiam complere, & executionem præcipere. Ratio ea est, quià causa sponsalium quoad substantiam omninò spiritualis est, ergò etiam quoad complementum, & executionem eorundem erit spiritualis, nam ad quem spectat substantia, spectat etiam executio. Confirmatur, quià Iudex cognoscens priuatiuè quoad alios super aliqua causa cognoscit etiam priuatiuè quoad alios super incidentia, connexa, & dependentia ab eadem causa, ergò cum executio dependeat, & sit connexa cum substantia sponsalium iudicans super substantiam iudicare debet etiam super executionem eiusdem. Confirmatur secundò, quià executio est pars integralis, & completiua substantiæ contractus 3 *Solus Iudex Ecclesiasticus præfinit talem terminum.* Sanchez. Paludanus Reginald. Riccius.

ctus initi per purum consensum, ergò ad quem pertinet iudicare de substantia, pertinebit etiam iudicare de executione, nam Iudex quoad substantiam actus est etiam Iudex quoad partes eiusdem. Confirmatur tertiò in hac speciali hypothesi, nam adiectio talis termini est ad euitandum periculum peccati fornicationis; Iudex autem Ecclesiasticus maximè ex officio proprio inniti debet, vt peccatorum pericula euitentur.

Est ad euitandum periculum peccati.

4 Respondeo secundò, talis terminus præsumendus est adiectus per Iudicem ad effectum finiendæ obligationis, adeoque eodem elapso ille, per quem non stetit, quin contractus compleretur, liber remanet ab onere contrahendi, & per consequens liberè potest cum quacunque alia à iure non prohibita contrahere, *Præpositus c. de illis num. 5. cas. 5. de sponsalib. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 53. nu. 9.* Ratio ex eo deducitur, quia vrgente periculo fornicationis terminus ille præsumendus est appositus, ne cum tali periculo nuptiæ protrahantur, ergò præsumendus est appositus ad finem obligationis finiendæ. Consequentia probatur, quia vbi est finis tollendi periculum alicuius mali, ablatio illius mali est ratio finalis, & formalis cuiuscumque determinationis circa ipsum.

Ille terminus præsumitur adiectus ad effectum finiendæ obligationis.

Præpositus. Sanchez.

§. X.

An laborans vitio occulto teneatur illud in celebratione sponsalium manifestare.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Si vitia fuerit talia, vt reddant nuptias minus expetibiles, non tamen noxias, non tenetur his laborans ea detegere in celebratione contractus. 2.
Si vitia fuerint noxia alteri contrahenti, vtique licitè nequit sponsalia contrahere, sed tenetur ea detegere. 3.

1 Disquisitio X. Titius laborans aliquo vitio occulto, quod, si fuisset cognitum tempore celebrationis sponsalium, vtique illa impediuisset, contraxit sponsalia cum Calidonia vitium illud non detegens. Orta tunc fuit controuersia, an validè contraxerit. Nonnulla de hac difficultate supra attigimus, quæ hic sunt recolēda. Pro maiori tamē claritate

Factum dilucidè expositum.

Nota, huiusmodi vitia posse esse in duplici differentia, alia etenim sunt talia, quæ ex genere suo reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen noxias, vt si quis antecedenter fuerit fornicatus, vel aliquod aliud delictum commiserit; alia autem, quæ reddunt nuptias nedum minus expetibiles, sed etiam ex genere suo sunt perniciosæ, vt si laboret morbo contagioso, moribus improbis sit affectus. De vtrisque procedit disquisitio.

Defectus in duplici genere.

Respondeo, si vitia fuerint primi generis, non teneri his laborantem ea detegere in celebratione contractus sponsalium, nec propterea ea inualidè cōtrahere. Consonat cum ijs, quæ superius dicta sunt, & vlterius eā sustinēt *Basilius Pontius de matrim lib. 12. c. 18. n. 5. & seq. Coninc. de Sacr. disp. 23. dub. 12. n. 91. & seq. Diana part. 3. tract. 4. resol. 287.* Ratio ex eo deducitur, quia nemo tenetur delictum suum occultum manifestare, vt impediatur aliquo iure, quod habet, ex genere suo contrahendi, quinimmò ex superius dictis concedunt Doctores fœminæ recenter nuptæ posse liberè vti aliquo artificio, quo impediat, ne vir deprehendat corruptam, ergò vtique poterit tale crimen tegere. Confirmatur primò, quia contractis sponsalibus patiens vitium occultum potest cogere alterum sponsum stare sponsalibus, dum nescit tali scientia illud vitium, vt iustè possit à sponsalibus resilire, *Archidiaconus in c. in coniugio 32. qu. 1. Caietanus opusc. 17 responsionum resp. 4. Sotus in 4. dist. 36. qu. vnica art. 4. vers. virū verò vxor, Petrus de Soto lect. 16. de matrim. §. penult. Palatios in 4. dist. 35. disp. 1. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 15. nu. 6. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 68. num. 8.*, ergò si contractis potest sic cogere innocentem manente vitio occulto, poterit etiam eodē manente occulto licitè, & validè contrahere. Confirmatur secundò ex ijs, quæ docuimus tomo primo, dum de emptione, & venditione, nempè vendentem rem aliquam laborantem aliquo vitio occulto, ratione cuius res illa non redditur inhabilis, licet minus expetibilis ad vsum, ad quem emitur, non inualidè vendere, nec teneri vitium illud occultum propalare, dummodò de pretio diminuat ad æqualitatem illius vitij, ergò &c.

Si non fuerint noxia, non sunt ex necessitate aperienda. Pontius. Coninchus Diana.

Rationes euincentes responsionē.

Archidiaconus. Caietanus Sotus. Petrus de Soto. Palacios. Henriquez Sanchez.

Hic tamen aduertendum est, prout supra etiam notauimus, quod patienti huiusmodi defectus occultos nullo modo licitum sit dicto, vel facto positiuè simulando contrarium alterum allicere ad nuptias, prout etiam benè aduertit *Diana dicto tractatu 4. part. 3. resol. 283.* quia hoc esset positiuè decipere per mendacium, quod nunquam licitum esse potest.

Non potest tamen sic infectus allicere ad nuptias.

Respondeo secundò, si vitia fuerint secundi generis, hoc est noxia alteri contrahenti, vtique nequit licitè contrahere, sed tenetur absolutè vitium illud propalare, *Diana d. parte 3. tract. 4. resol. 287.* Ratio ex eo deducitur, quia nemini licitum est cum graui nocumento alterius innocentis, & ignorantis contrahere, sed laborans vitijs noxijs contraheret cum alterius innocentis, & ignorantis maximo detrimento, ergò

Si fuerint noxia sunt propallāda. Diana.

gò &c. Confirmatur primò, quià nemo poteſt alteri ignoranti vendere res noxias, puta oues morbidas, & laborantes morbo contagioſo, & ſic vendens tenetur ad omnia damna, quæ inde contingerent emptori per ea, quæ diximus d. tom. primo, dum de venditione rerum vitioſarum, ergò à fortiori ſponſus, vel ſponſa laborans vitio noxali non poterit contrahere ius ad proprium corpus alteri tribuendo. Confirmatur ſecundò, quià laborans aliquo vitio noxali poſt contracta validè ſponſalia non poteſt licitè compellere alterum innocentem ad contrahendum matrimonium cælans, & cõtegens vitium illud occultum, & noxium, vt expreſsè docent *Diana loc. quo ſupra, Coninchus de ſacram. diſp. 22. dub. 12. nu. 91. Baſilius Pontius de matrim. lib. 12. c. 18. nu. 5., & ſeqq.*, quià hoc eſſet compellere ad grauia damna inde obuentura, quibus vnuſquiſque debet obuiare, ergò etiam laborans tali vitio ante contracta ſponſalia non poterit licitè eadem contrahere cælans huiuſmodi defectus.

Euincitur paritate in alijs omnibus.

Diana. Coninch. Pontius.

§. XI.

An fornicatio præcedens in vidua ignorata à ſponſo tempore celebrationis contractus, & poſteà cognita tribuat ius ad diſſoluenda ſponſalia.

SVMMARIVM.

Status controuerſiæ expoſitus. 1.
Sententia negans competere ſponſo ius ad diſſoluenda ſponſalia. 2.
Probabilius ſponſus habita ea notitia poteſt recedere à ſponſalibus. 3.
Soluuntur rationes ſententiæ oppoſitæ. 4.

1 *Factum expoſitum in ſuis terminis.*

Diſquiſitio XI. Mortuo priori coniuge Titia vidua contraxerat ſponſalia cum Theodorico, ita tamen, vt poſt priorem coniugem defunctum fornicationem commiſerit cum tertia quadam perſona, quæ fornicatio erat penitus occulta, & ignorata à Theodorico poſteriori ſponſo. Poſt aliquod temporis à contractu ſponſalium Theodoricus conſcius factus fuit fornicationis commiſſæ. Orta tunc fuit controuerſia, an poſſet à ſponſalibus recedere.

2 *Sententia negans competere ſponſo ius diſſoluendi.* Hugo. D. Antoninus. Siluester. Henriqu.

Negant abſolutè *Hugo c. rapto 27. qu. 2. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 17. §. 1. caſ. 6. Silueſter verb. ſponſalia qu. 10. caſ. 6. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 14. num. 6.*, quæ opinio multis poteſt rationibus comprobari: primò, quià, cum iam corrupta præſumatur per prius matrimonium, non videtur talem notam incurrere, vt ſi reputaretur virgo, & eſſet corrupta, prout à contrario ſenſu videtur deduci ex ijs, quæ docent *Roſella verb. ſponſalia num 9., & ibi Angelus num. 29. Tabiena q. 9. num. 10. Corduba in ſumma qu. 49. Vuinaldus in candelabro part. 1. de ſponſalib. c. 5. num. 35. Ludouicus Lopez 2. parte inſtruct. de matrim. cap. 36.*, nempe diſſolui ſponſalia ob fornicationem præcedentem, quando ſponſus putabat eſſe virginem, ergò, ſi non putaret eſſe virginem, cum optimè nouit per prius matrimonium fuiſſe corruptam, non poterit ſponſalia antecedenter inita diſſoluere. Secundò, quià, quando fornicatio in vidua eſt occulta nõ ingerit, nec quoad eſſe phyſicum, nec quoad eſſe morale mutationem talem, qualem ingerit in virgine, ergò non inducit ſufficiens motiuum diſſoluendi ſponſalia, cum poſteà fuerit cognita. Antecedens quoad primam partem probatur, quià quoad eſſe Phyſicum vidua eſt propriè, & formalitèr corrupta, & ſponſus quoad idem eſſe nil amplius habet, ſiuè per primum maritum fuerit corrupta, ſiuè per alium, cum ſemper verum ſit, quod non habeat virginalem integritatem, quoad ſecundam etiam ſic euincitur, quià, quando crimen eſt occultum quoad hominum æſtimationem, in qua conſiſtit eſſe morale, nullum dedecus ingeritur. Tertiò, quià, vt aſſerit *Molina tom. 2. de iuſt. tract. 2. diſp. 272. §. deinde, ſi mulieri*, & cum eo *Sanchez lib. 1. de ſponſalib. diſp. 43.*, ſi ſponſus conſcius erat ſponſam impudicam eſſe, & infamem ob fornicationis culpam, licet poſteà detegantur aliæ fornicationes præuiæ ſibi ignotæ, non propterea ius habet diſſoluendi ſponſalia, ergò etiam, ſi ſponſus conſcius fuerit fæminam eſſe corruptam per antecedens matrimonium, & ignorans de ſubſequenti fornicatione occulta, ſi poſteà hæc eidem innotuerit, non propterea poterit reſilire, quià ſicuti in priori caſu non notabilis inducitur mutatio, ità nec in poſteriori. Nihilominus

Roſella. Angelus. Tabiena. Corduba.

Non ingerit mutationem notabilem, nec quoad eſſe Phyſicum, nec quoad eſſe morale.

Molina. Sanchez.

Reſpondeo, Theodoricum adhuc poſſe à ſponſalibus reſilire *Philiarchus de offic. ſacerdot. tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 1. Nauarrus in ſumma c. 22. num. 27. caſ. 9. Molina tom. 2. de iuſtit. tract. 2. diſp. 274. verſ. deinde ſi mulieri*. Ratio ex eo deducitur, quià denegari non poteſt, quin per talem fornicationem præcedentem ſponſalia, & ſubſequentem prius matrimonium inducta ſit mutatio notabilis, & talis, quæ poſſit inducere ſponſum ad ſe retrahendum à ſponſalibus, ergò &c. Antecedens probatur, quià eſt notabilis mutatio, quod fæmina ex honeſta vidua tranſeat ad inhoneſtam fæminam, & ſecundum communem prudentum hominum æſtimationem magnum eſt dedecus ducere fæminam fornicariam, non tamen ducere honeſtam viduam, ergò &c. Confirmatur primò, quià, ſi ante contracta ſponſalia fæmina fuiſſet cognita, vt

3 *Probabilius poteſt recedere.* Philiarch. Nauarrus. Molina.

Inducta est notabilis mutatio.

vt fornicaria, probabilius est secundum prudens iuditium, quod sponsus cum ea non contraxisset, ergò, quantumvis contraxerit cum ignorantia talis vitij, si posteà vitium illud cognouerit ante contractum matrimonium, poterit legitimè à contractu recedere. Consequentia probatur, quià illa causa, quæ cognita esset sufficiens ad remouendum à contractu, seù contrahendo, eadem cognita post contractum est sufficiens ad resiliendum ab eodem iam inito per ea, quæ superius allegauimus. Confirmatur secundò, quià fornicatio supra statum viduitatis inducit moralem quandam turpitudinem, ratione cuius vidua ipsa redditur quodamodo turpis, & infamis, ergò sponsus cognita posteà huiusmodi turpitudine poterit à contractu recedere, quià turpitudo sponsæ maximum redundant in dedecus sponsi.

4 Hinc ad rationes ex aduerso adductas responderi potest, & quidem ad primam dicendum est, quod quantumvis tantam non inferat mutationem, quando vidua reperitur corrupta per fornicariam copulam, ac quando dignoscitur corrupta virgo, quià in ista est læsio virginalis integritatis, quæ non est in illa, fit tamen talis mutatio, quæ sufficiens sit ad dissoluenda sponsalia; non enim ius eadem dissoluendi consistit præcisè in fractione claustri virginalis, secus, si virgo pateretur se impudicè tangi non esset sufficiens ius respectu sponsi innocentis resiliendi à sponsalibus, quod est contrà superius dicta. Hæc autem mutatio in vidua cognita posteà vt fornicaria consistit in illa morali turpitudine, quam addit fornicatio supra esse corruptam præcisè, hæc etenim de honesta vidua constituit fæminam fornicariam, & inhonestam vt supra. Ad illud, quod subditur ex argumento à contrario sensu deducto per allegatos DD. dicendum est ipsos solummodo loqui de corrupta reputata virgine per sponsum, cùm corruptio fuerit occulta; cæterum non excludunt ius dissoluendi quoad viduam reputatam honestam, si posteà fuerit cognita inhonesta post contracta sponsalia, cum de illa non loquantur, & certè, si de eadem expressè locuti fuissent, ab eadem regula non exclusissent, cum ipsi asserant etiam ex minori causa posse dissolui sponsalia.

Illa mutatio consistit in morali turpitudine, & quanam.

De honesta vidua transit in fornicariam.

Ad secundam dicendum est, secundum esse morale fornicationem huiusmodi, quantumvis antecedentèr occultam inducere mutationem, & dedecus sufficiens ad huiusmodi dissolutionem, nam præter infamiam iuris inducit habitudinem ad huiusmodi actus, & facilitatem, quæ proptereà, si fuerit cognita ante contractum matrimonium, non est, cur non tribuat ius ad dissolueuda sponsalia. Cæterum si ex eo, quod fuerit occulta, & cognita per solum sponsum non tribueret ius ad dissolutionem, nec præsumeretur, quod impediret eadem sponsalia, si fuerit cognita ante contracta eadem, quod non est asserendum, nec præsumendum. Talis igitur, & tanta est, quæ sicuti si fuisset cognita ante sponsalia, retraxisset animum sponsi à contrahendis eisdem, ita si fuerit cognita post eadem contracta, tribuit ius ad recedendum ab eisdem.

Inducit præter infamiam habitudinem ad huiusmodi actus, & facilitatem.

Ad tertiam dicendum est, non currere paritatem, nisi supponas post contracta sponsalia nouas fornicationes fœminam promissariam commisisse; nam qui cognoscens fœminam esse infamem, & fornicariam, nihilominus cum eadem contrahit, supponitur defectus illos remisisse, & quantumuis fornicationes aliquot commiserit non cognitas à sponso, quia tamen hæ sunt in eodem genere, & non addunt, nisi maiorem turpitudinem extensiuè, præsumitur quod eidem etiam remitteret, si cognouisset; qui enim non erubescit cum fornicaria contrahere, nec erubescere præsumendus est cum eadem contrahere siue quinquies fornicata fuerit, siue septies; defectus enim semper est, & qui remittit generi, remittit omnibus sub genere contentis. Dixi, *nisi supponas post contracta sponsalia nouas fornicationes commisisse*, quià tunc post obligatam fidem à debito deficeret, & frangenti fidem, fidem licet frangere.

§. XII.

An fornicatio occulta commissa à Vidua constante primo matrimonio, & postea cognita à posteriori sponso tribuat ius dissoluendi sponsalia.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Rationes dubitandi pro vtraque parte. 2.
Probabilius est, posse adhuc sponsum à sponsalibus recedere. 3.
Soluuntur obiectiones partis opposita. 4.

D**Isquisitio XII.** Caia nupta primò cum Francisco, constante adhuc matrimonio cum eodem actum, vel actus fornicarios comisit cum tertia quadam persona. Dissoluto postea matrimonio per mortem eiusdem Francisci, cum ignoraretur illa præcedens fornicatio commissa tempore prioris matrimonij eadem Caia contraxit sponsalia per verba de futuro cum Theodorico. Pendente adhuc termino ad compleudum matrimonium per verba de præsenti Theodoricus nouit actus illos fornicationis præcedentes, & 1

Proponitur factum.

con-

contendebat ex illis sponsalia contracta dissoluere. Orta hic fuit controuersia, an illi actus fornicationis tribuerent Theodorico sufficiens ius dissoluendi sponsalia.

Rationes dubitandi pro vtraque parte.

2 Ratio dubitandi ex eo desumitur, quod fornicatio commissa tempore constantis prioris matrimonij verè, & naturaliter constituit eandem Caiam fœminam inhonestam ex coniuge honesta, nec talis inhonestas demitur ex eo, quod quando fuit commissa, adhuc constaret prius matrimonium, quandoquidem illud constituit potius culpam grauiorem, cum efficiat illam fornicationem adulteram, & sicuti ille indicat eandem Caiam non seruasse fidem primo coniugi, ita arguit procliuitatem ad non seruandam fidem cum secundo, qui propterea eadem cognita ante contractum matrimonium, & post contracta sponsalia vtique videtur posse ab eisdem sponsalibus resilire. Ex aduerso ea ratio militare videtur, quod cum præcedens fornicatio lædat solummodò ius prioris coniugis, cum quo adhuc extabat matrimonium, nulla habenda videtur in consideratione in ordine ad subsequens futurum matrimonium, præcipuè cum post solutum idem primum matrimonium, quo tempore Caia erat sui iuris honestè semper vixerit, per quod demisse quodammodò videtur priorem maculã contractam per fornicationem constante priori matrimonio; vndè secundò contrahens sponsalia præsumitur contrahere attentis qualitatibus, quas habet fœmina in statu viduitatis, non attentis qualitatibus, quibus gaudebat, quando erat alterius coniux, cum istæ afficiant diuersum statum. Quid igitur in hac controuersia concludendum?

Potest adhuc recedere à sponsalibus.

3 Respondeo probabilius esse, posse adhuc Theodoricum à sponsalibus resilire. Ita arbitror teneri sentire Doctores omnes præallegatos in responsione præcedentis Disquisitionis, & quotquot sustinent ex vitio fornicationis occulto commisso in statu viduationis, & cognito post contracta spansalia posse sponsum desumere sufficiens fundamentum ad recedendum à sponsalibus. Probatur primò, quia, si ante contracta sponsalia cum eadem vidua Theodoricus cognouisset vitium illud occultum commissum constante priori matrimonio, vtique probabilissimum est, quod non contraxisset, non solum quia illa effecta est macula inhonestatis, sed etiam quia haberet sufficiens fundamentum suspicandi, quod, sicuti illa vidua non fidem seruauit priori coniugi, ita sibi non sit seruatura, ergò eisdem contractis, & postea cognito per Theodoricum vitio illo occulto poterit ab eisdem sponsalibus resilire argumento ex supradictis deducto, quod scilicet causa, quæ remouere potest à contrahendo, sufficienter, & efficaciter excitare possit ad resiliendum post contractum. Secundò, quia ex eo, quod fornicatio commissa sit constante priori matrimonio, non tollit, quin fœmina illa sit inhonesta, turpis, & infamis, ergò postquam cognita est, vt talis tribuit sufficiens fundamentum ad resiliendum, quia nunquam supponitur voluisse contrahere cum inhonesta, & turpi. Tertiò, quia si commiserit fornicationem dissoluto priori matrimonio per mortem alterius coniugis, sponsus, qui cum eadem contraxit cognita fornicatione, potest recedere, ergò etiam poterit recedere, si fornicatio commissa fuerit constante eodem primo matrimonio, & postea cognito post contracta posteriora sponsalia. Consequentia probatur, quia quod fuerit commissa vel constante matrimonio, vel eodem dissoluto, nec quid magis, nec quid minus influit respectu posterioris sponsi; in neutro etenim casu, quando commissa est, fœmina erat sub ipsius potestate, & licet in priori casu constantis matrimonij læserit ius prioris coniugis, quod non videtur læsisse in secundo casu viduitatis, nihilominus quantum ad posteriorem sponsum hoc nihil refert, quandoquidem antecedentèr ad sponsalia fœmina fornicaria nihil habebat commune cum posteriori sponso, vnde vel in vtroque casu sponsus habet ius recedendi propter inhonestatem secundum se, vel in neutro.

Si cognouisset, non contraxisset.

Non tollitur, quin fœmina sit inhonesta, & turpis.

Sponsus posterior non magis læditur per fornicationem dissoluto priori matrimonio, et eodem constante.

Soluuntur rationes partis oppositæ.

Hinc facilè erit respondere ad ea, quæ ex aduerso obijciebantur; ex eo etenim quod fornicatio fuerit commissa tempore constantis prioris matrimonij, sequitur quidem, quod fuerit læsum ius prioris coniugis, non tamen ex hoc sequitur, quia ratione inhonestatis facta fuerit fœmina fornicans subiecta oneri, vt alter ratione eiusdem possit gaudere priuilegio, quod sibi competit ex dispositione iuris, quinimmò, quantumuis coniux factus conscius iniuriæ sibi illatæ per fornicationem constante matrimonio eandem remiserit, non propterea sequitur, quod fornicatio censeatur remissa in ordine ad quemcunque alterum, quia acta inter duos non nocent iuri tertij. Ad id, quod subditur, dicendum est præsumi quidem sponsum contraxisse attentis qualitatibus, quas sponsa habet pro tempore viduitatis, sed vel actualiter, vel habitualiter; inhonestas autem commissa tempore constantis primi matrimonij habitualiter etiam perseuerat pro tempore viduitatis, cum mulier illa dicatur secundum se inhonesta. Deindè absolutè falsum est, quod sponsus contraxerit attentis qualitatibus, quas sponsa contraxit pro tempore viduitatis, cæteroqui si fœmina illa esset ex turpi genere nata, & reputata nobilis, vel aliqua

Inhonestas habitualiter perseuerans.

notabili

notabili indispositione laborans contracta tempore prioris matrimonij, & in celebratione posteriorum sponsalium non cognita à sponso, & posteà deprehenderetur illa indispositio, non posset sponsus à sponsalibus recedere, quod falsum omninò est.

§. XIII.

An solemnis professio emissa in Religione irritet sponsalia in quocunqua casu etiam necessitatis.

S V M M A R I V M.

Factum propositum in suis terminis. 1.
Sententia asserens, Religiosos post emissam professionem in nullo casu posse contrahere sponsalia. 2.
In casu huiusmodi necessitatis possunt professi sponsalia, & matrimonium inire. 3.
Soluitur ratio contraria sententia. 4.
Vrgentibus seditionibus, & bellis potest filius Princeps, quantumvis professus nubere, si aliunde non possit occurri. 5.

DIsquisitio XIII Emisserat solemnem professionem Caius in Religione approbata canonicè, sicuti & alij plures. Grassante in toto orbe terrarum pestifera lue, vel sterilitate sæculares ferè omnes perierant superstitibus Religiosis professis: Rursus magni alterius Monarchæ Filius secundogenitus viuente primogenito [*Elucidatur series facti.*] similem professionem in Canonica Religione emiserat. Posteà eodem primogenito defuncto ortæ fuerunt seditiones, & bella non facilè extinguenda, nisi idem secundogenitus Regis relicta Religione sponsalia, & matrimonium contraheret. Hinc orta fuit controuersia, an in huiusmodi casibus non obstante professione possent præallegati sponsalia, & matrimonium contrahere.

2 [*Sententia negans posse contrahere.* Pontius. Vasquez. Siluius.] Basilius Pontius *de matrimonio lib. 1. c. 4. num. 11. Vasquez in 3. part. tom. 4. disp. 1. de matrimon. c. 3. Siluius in 3. part. qu. 41. art. 2. concl. 2. ad argumentum 5. & alij plures* quoad primum casum absolutè existimant Religiosos sic professos deficientibus secularibus non posse nec sponsalia, nec matrimonium contrahere, ea ducti ratione, quià tota vis contrariæ sententiæ in eo fundatur, quod ius naturæ exigit, vt species hominum conseruetur, quæ in eo casu dilaberetur, si Religiosi professi à nuptijs abstinerent, quod non solum potentiam ingerit ad contrahendum, sed etiam infert necessitatem, sed hæc vis in ea hypothesi non vrgeret, quià [*Rationes pro eadem afferuntur.*] tunc manifestum esset signum, quod mundi finis instaret; non enim suprema Dei dispositio permisisset talem hominum interitum, nisi mundi interitum destinasset, ergò &c. Nihilominus

Respondeo primò, ad primum licere 3 [*In casu tales necessitatis possunt contrahere.* Molina. Sotus. Viualdus. Reginald. Villalobos. Sanchez. Diana.]
in ea hypothesi, & Caio, cæterisque Religiosis professis, & sponsalia, & matrimonia contrahere *Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 22. Sotus in 4. disp. 26. q. 1. art. 1. Angles Floribus prima part. q. 1. de essentia matrimon. d. 26 q. 1. art. 2. diff 3. Viualdus candelab. prima part. de matrim. num. 10. Reginaldus in praxi tom. 2. disp. 31. c. 2. num. 8. Villalobos in summa tom. 1. tract. 13. difficult. 3. num. 1. Sanchez de matrim. lib. 2. disp. 3. num. 4. vers. melius tamen sentiunt Diana part. 3. tract. 4. resol. 289.* Ratio ex eo deducitur, quià præceptum matrimonij est naturale *D. Thomas in 4 dist. 26. qu. 1. art. 1.*, quem omnes Theologi sequuntur, & à principio afficit homines, estque ad finem mundi duraturum, & licet cessante [*Præceptum matrimonij est naturale.*] necessitate, pro tunc non obliget, semper tamen viget, & necessitate vrgente semper obligat *D. Thomas in 4. dist. 26. q. 1., & ibi Paludanus q. 3. Durandus q. 2. Viguerius lib. instit. c. 16. §. 7. vers. 3. Henriquez lib. 11. de matrimon. cap. 1. num. 5. Vega lib. 3. summa cas. 144*, quod assumptum probat D. Thomas [D. Thomas. Paludanus. Durandus. Viguerius. Henriqu.] seruata proportione cibi ad vitam conseruandam in indiuiduo, ac generationis ad speciem conseruandam, ergò vrgente necessitate conseruandæ speciei iam ex defectu hominum deficientis vnusquisque superstes, quantumvis fuerit Religiosus professus tenebitur matrimoniũ inire. Confirmatur, quià quamvis Christus Dominus abrogauerit præcepta ceremonialia, non tamen per præceptũ aliquod, vel per consiliũ abstulit præcepta naturalia, & licet consilium dederit perfectionis Euangelicæ, quæ maximè habetur per vitam cælibem, hoc tamen intelligitur non vrgente fortiori iure naturali.

Nec obesse potest motiuum adductum 4
pro contraria sententia, quod tunc scilicet esset proxima, & rationabilis præsumptio mundi defecturi; non, inquam, obesse potest, quià cessante diuina reuelatione gratis omnino fingitur, quod immineat proxima mundi dissolutio; cum hæc à solo [*Soluitur motiuum contraria sententia.*] Dei arbitrio dependeat, quod nobis non potest innotescere, nisi per reuelationem. Cæterum, si ex illo hominum sæcularium defectu, argueretur sufficienter orbis dissolutio, ratione cuius Religiosi non compellerentur contrahere matrimonium, existentibus pluribus signis futuri iudicij proximi præsignatis à Christo Domino puta signis in cælo, bellis inter homines, seditionibus inter ciues, alijsque possent homines abstinere, vel à coniugijs, vel ab vsu eorundem, cum possent præsumere de proximo mundi interitu. Defectus igitur ille hominum sæcularium non est proximũ inditium futuri orbis interitus, nisi aliundè à Deo reueletur.

Respondeo secundò, ad secundum etiã 5
in data suppositione seditionum, & bellorum,

Potest filius Principis professus nubere ad sedanda bella. Sanchez. Martinus à Ledesma. Reginald. Diana.

rum, si filius Principis Religionis professus non nubat, posse eundem, & debere non obstante professione contrahere sponsalia, & matrimonium *Sanchez tom. 1. lib. 2. disp. 3. num. 4. vers. posset etiam Martinus à Ledesma qu. 43. art. 2. Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 31. cap. 2. num. 8. Diana part. 3. tract. 4. resol. 289.* Ratio ex eo deducitur, quià præceptum naturale tunc maximè obligat, quando grauis vrget necessitas, sed quando timentur seditiones, & bella, nisi filius Principis contrahat sponsalia, & consequenter matrimonium maxima vrget necessitas boni communis, ergò &c. Neque dicas necessitatem huiusmodi non esse naturalem, sicuti est illa conseruandæ speciei deficientibus hominibus sæcularibus, adeoque non esse sufficientem ad tollendum vinculum, quod consurgit ex solemni professione in Religione; contra enim impugnaberis, quià etiam præceptum consulendi bono communi Reipublicæ, quando eidem imminent damna, est naturale; quià non solum inditum est à natura hominibus, vt Rempublicam ciuibus feruent locupletem, sed etiam eandem immunem à seditionibus, & bellis, quantum fieri potest, per quas, seù quæ ciuibus destitueretur; vndè hoc præceptum præualet cuicunque oneri resultanti ex Religiosa professione, quandoquidem Deus, qui ius acquisiuit ex illa professione, præsumitur vrgente graui illa necessitate in bonum commune ius illud remittere.

§. XIV.

An matrimonium initum sub conditione honesta, & possibili purificata conditione irritet posterius matrimonium initum purè.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in suis terminis. 1.
Sententia canonistarum asserentium matrimonium conditionale purificata conditione immediatè fieri validum. 2.
Sententia Theologorum asserentium requiri nouum consensum. 3.
Sententia media asserens, quod, si contrahentes pacti fuerint, quod immediatè subsistat, præfertur. 4.

1 *Dilucidatur factum.* Disquisitio XIV. Conuenerunt ad inuicem Caja, & Flaminius sub hac conditione per verba de præsenti. *Contraho tecum, si Patri tuo placuerit.* Patri de facto placuit, suumque præbuit consensum, & tunc Caia nouo consensu non præstito ad idem matrimonium per verba de præsenti seruatis omnibus iuris solemnitatibus contraxit nouum matrimonium cum Demetrio. Hic orta est difficultas, an prius matrimonium initum sub illa conditione honesta, & possibili irritet posterius initum purè, & sine vlla prorsus conditione.

Triplicem quoad hanc controuersiam inuenio DD. sententiam. Alteram canonistarum asserentium huiusmodi matrimonium conditionale purificata conditione fieri validum, & per consequens inualidare quodcunque aliud matrimonium posterius, quantumvis purè, & sine vlla conditione celebratum. Canonistis fauent *Coninchus de matrimonio disp. 29. dub. 1. concl. 3. num. 11. Sanchez tom. 1. lib. 5. disp. 8. num. 5. Siluius in 3. parte q. 43. art. 1. qu. 1. concl. 7.* Mouentur potissimum huiusmodi DD. paritate cæterorum contractuum conditionalium, qui purificata conditione immediatè fiunt validi, & obligant absolutè. 2 *Sententia canonistarum asserentium immediatè fieri validum.* Coninchus Sanchez. Siluius

Alteram magis communem Theologorum, quibus specialitèr adhærent *Basilius Pontius de matrimonio lib. 3. c. 14. num. 15.* & *Augustinus Barbosa* declinans à Canonistis *in collect. tom. 2. lib. 4. tit. 5. c. 5. num. 7. Gutierez de matrimon. c. 81. num. 8.* asserentium per solam conditionis purificationem non constitui immediatè validum sine nouo consensu, adeoque non reddere inualidum posterius matrimonium purè conceptum. Rationem ex eo deducunt, quod per illum modum contrahendi solum importatur contractus de futuro perficiendus, & resoluitur in sponsalia. Addunt, quod nullum sacramentum pendere potest à conditione de futuro, vt licet per singula inducere. 3 *Sententia Theologorum requirentium nouum consensum.* Pontius. Barbosa.

Mediam tertiam inuenio apud *Rebellium part. 2. lib. 2. q. 10 sect. 6. num. 44.* qui asserit, quod, si contrahentes expressè pacti fuerint, quod immediatè adueniente conditione matrimonium subsisteret immediatè conualidaretur sine nouo consensu, dummodo reliqua omnia ad hoc requisita interuenerint. *Sententia media asserens à pactis contrahentium pendere, & quomodo.*

4 *Præfertur sententia asserens matrimonium immediatè fieri validum, si contrahentes pacti fuerint sine alio validari.* Respondeo cum eodem Rebellio, si expressè pacti fuerint, quod adueniente conditione matrimonium statim fieret, & in eodem pacto per consensum virtualem perseuerauerint tutum esse matrimonium fieri sine nouo consensu, dummodò matrimonium illud conditionale fuerit contractum coram Parocho, & testibus, & conditio adimpleatur coram ipsis, vel eisdem innotescat certo fuisse adimpletam. Ratio ex eo deducitur, quià ille consensus habet vim duplicis actus, quatenus scilicet assentitur sub conditione, & quatenus posita conditione ponit alterum actum virtualitèr, quo vult priorem actum habere posita conditione in esse rationē cōsensus absoluti, ergò ratione eiusdem coram testibus, & Parocho expressi, & eueniente conditione coram ipsis non est, cur contractus ille non debeat subsistere; non-

etenim

etenim ad validitatem contractus necesse est, vt consensus pro eodem tempore, quo conditio purificatur simul ponatur, sed potest poni etiam antecedentèr, dummodò virtualitèr pro eo tempore perseueret, & pro eo tempore habeat rationem formæ absolutæ, vt in hac hypothesi. Confirmatur ratione superius adducta pro prima sententia canonistarum de cæteris omnibus contractibus conditionalibus, qui adueniente conditione absque nouo consensu perficiuntur per textum *in l. hac venditio ff. de contrahend. capt.*, vbi sic legitur. *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio*, ergò in hoc, si seruentur cæteræ conditiones, non erit secernendus contractus matrimonialis.

Ille consensus haberet vim duplicis actus, & quomodo.

Dices, contractum matrimonialem non habere præcisè vim contractus, sed eleuatum esse ad excellentiam sacramenti; sacramenta autem, vt asserebatur in secunda opinione Theologorum non pendent à conditione de futuro. Sed contra, quidquid sit de cæteris sacramentis, de quibus latè erit sermo Deo dante, in quæstionibus de sacramentis in genere, instantia non habet locum in sacramento matrimonij, quandoquidem hoc absolutè versatur circa humanos contractus, tanquam circa materiam, & formam proportionatam, quos eleuat ad esse sacramenti, ac proindè eosdem contractus non extrahit à sua ratione formali contractus; contractibus autem humanis non repugnat ex genere suo esse conceptos sub conditionibus honestis, & possibilibus, eisdemque conditionibus positis in esse perfici. Quod, si dicas, de ratione sacramenti, qua tale est, esse, gratiam sacramentalem, dum constituitur, producere, hancque non posse suspensam manere, donec compleatur cōditio. Si, inquam, hoc dicas; statim impugnaberis, quià in ea hypothesi, tunc solum perficitur sacramentum, quando adimpletur conditio perseuerantibus moralitèr cæteris requisitis antecedentèr positis, quæ tunc constituunt perfectum conflatum, in quo consistit ratio sacramenti, & tunc gratia producitur in contrahentibus, nisi obice impediatur.

Matrimonium per esse sacramenti non extrahitur à ratione contractus.

Ad illud, quod subdebatur pro sententia eorundem Theologorum, dicendum est, contractus totam vim sumere à voluntate, & consensu contrahentium, qui ex eo, quod per duplicem illum actum virtualem voluerint expresse illum priorem actum posita conditione habere rationem formæ absolutæ perindè, ac si tunc actualitèr poneretur, intelliguntur etiam voluisse non habere vim contractus de futuro, sed de præsenti supposito illius conditionis adimplemento.

Perinde est, ac, si actus actualiter poneretur.

Ex quibus omnibus habes, decisionem propositæ difficultatis nempè huiusmodi matrimonium sic initum purificata conditione irritare quodcunque posterius, quantumvis purè celebratum. Ratio ex eo deducitur, quià constante in suo esse primo matrimonio, quodcunque aliud posterius contingat, omninò inualidum est, cum prius purificata conditione sit secundum se indissolubile, & constante vno matrimonio aliud non possit simul contrahi, & incongruè asseritur priorem illum contractum resolui in pura sponsalia, prout supra dicebamus.

Matrimonium subsequens irritatur.

§. XV.

An sponsalia contracta cum falso errore alicuius impedimenti teneant.

SVMMARIVM.

Titulus in suis terminis elucidatur. 1.
Si contraxerint cum errore, seu ignorantia facti, & cum scientia iuris scientes contractum nullo modo subsistere sponsalia certè non tenent. 2.
Dubitantes de existentia facti contrahentes tamen sub conditione validè contrahunt. num. 3.
Si contraxerint cum errore tàm facti, quàm iuris, quatenus crediderint impedimentum adesse, cum non adesset, & ius dirimere, cum verè non dirimat quomodo discurrendum. 4.

1 DIsquisitio XV. Contraxerunt adinuicem sponsalia Calimerus, & Febronia falso existimantes inter se adesse, vel impedimentum consanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis spiritualis, cum tamen re vera non adesset, quinimmò perseuerantes in tali erronea credulitate contraxerunt etiam matrimonium per verba de præsenti. Controuersum hic fuit, an tale matrimonium, seù sponsalia subsisterent, adeovt cognito posteà errore non teneantur contrahentes nouum actum consensus elicere, an verò esset inualidum, adeovt ad ipsius validitatem requireretur nouus consensus.

Series facti exposita.

Pro solutione aduertendum est, an fuerit error tàm facti, quàm iuris, quatenus falso credebant adesse impedimentum, cum non adesset, & ius prohibere sub nullitate talem contractum, cum tamen non prohiberet, an verò fuerit error solummodo facti, non tamen iuris, quatenus scilicet sibi suadebant adesse impedimentum, quod non aderat, & simul apertè sciebant stante eodem impedimento iura prohibere talia sponsalia, & matrimonium, & nihilominus contrahunt, an verò fuerit error iuris cum scientia facti, quatenus sibi suadebant ius prohibere matrimonium in

Error duplex, alius facti, alius iuris.

in aliquo determinato casu, quem contrahentes optimè nouerunt adesse, cum tamen ius in tali casu non prohiberet.

Tota hæc controuersia pendet ab animo contrahentium, prout etiam in similibus supra latè attigimus, vel etenim contrahentes eliciunt quodamodò duos actus, vel iudicia, quorum vno ferantur in impedimentum, quod falsò subesse sibi suadent, & simul in ius, quod sciunt certè existente illo impedimento sub nullitate prohibere matrimonium, altero, quo supposita ea scientia iuris irritantis, & credulitate impedimenti existentis volunt adhuc contrahere, quamvis ius resistat contractui; vel contrahentes, quantumvis habeant talem credulitatem facti, & scientiam iuris, adhuc tamen dubitantes de tali existentia facti, quasi conditionatè consentiunt, quatenus inter se quodamodo dicant, *& si nos teneamus impedimentum, & ius resistat contractui, attamen, si fortè potest iniri inter nos matrimonium, consentimus in illud.* Vniuersam hanc doctrinam cum huiusmodi distinctione colligo *ex Coninchо de sacramentis disp.24.dub.6.nu.53., & ex Diana pars.3. tract.4.resol.292. vers.verum Basilius Pontius*, iuxta quam dirimendam existimo hanc controuersiam.

Vniuersa hæc controuersia pendet ab intentione contrahentium.

Coninchus. Diana. Pontius.

2 Respondeo primò, si contraxerint cum ignorantia, seù errore facti, & cum scientia iuris scientes contractum nullo modo posse subsistere certè, nec sponsalia, nec matrimonium tenent. Iuxtà hunc sensum intelligo locutum fuisse *Coninchum de sacramentis disp.26.dub.6.num.53.* Ratio ex eo deducitur, quià impossibile omninò est, quod quis verè, & cum effectu consentiat in id, quod nouit impossibile esse exequi, vnde emanauit effatum, quod voluntas non possit ferri efficacitèr in id, quod est cognitum, vt impossibile, sed stante scientia iuris prohibentis supposito tali impedimento in facto, & credulitate facti existentis contrahentes expressè cognoscunt matrimonium inter ipsos esse impossibile, ergò ad illud non potest esse verus, & realis consensus; Neque obesse potest textus *in c.1.de sponsalib.in 6.* vbi dicitur ex sponsalibus nullis ratione consanguinitatis, vel alterius impedimenti irritantis oriri publicam honestatem, modo adsit consensus, ergò stante hoc errore est possibilis consensus; Non, inquam, obesse potest; quià in primis ex moderno iure Concilij Tridentini instantia locum non habet, quandoquidem ex dispositione ipsius ex sponsalibus quomodocunque inualidis nulla consurgit publica honestas. Deindè attento etiam iure antiquo in hac hypothesi est defectus consensus, quandoquidem impossibile est, vt quis feratur in impossibile cognitum, vt tale, prout docent *Vincentius c.cum in Apostolica de sponsalib., & ibi Ioannes Andreas num.9. Ancharanus num.5. Abbas num.6. Præpositus num.3. in fin. Siluester verb matrimonium 8 qu.13.dict.5. Nauarrus in summa c.22. num. 56. Sotus in 4. dist.37. qu.vnica art.5. concl 3. Angles Floribus prima part.de matrim.qu.11. de imped.ord. art.3. dub. 3.*, nec existimo in hoc dissentiri *Sanchez lib. 2. de matrim. disp.23.num.1.* pro contraria sententia allegatum, quandoquidem ibi solum loquitur, quando contrahentes intendunt consentire, quantum in se ipsis est, quod intelligendum est, *si possunt contrahere*, vt mox subdo.

Cum errore facti, & scientia iuris non tenet. Coninchus

Non potest esse consensus.

Vincentius. Ioannes Andreas. Ancharanus. Præpositus. Siluester. Sotus. Angles.

Respondeo secundò. Si contrahentes habeant erroneam credulitatem facti cum scientia iuris, adhuc tamen dubitantes de tali existentia facti adhuc tamen contrahant conditionatè quodamodo dicentes. *Et si teneamur impedimento, & ius obsistat contractui, attamen, si fortè potest inter nos iniri matrimonium consentimus in illud,* validè contrahant, & tenet ipso iure matrimonium. Consentiunt *Coninchus, & Diana loc. cit.* Ratio ex eo deducitur; quià ad matrimonium sufficiens est consensus conditionalis, & si sit de conditione præsenti immediatè perficitur, sed talis est consensus, qui in hac hypothesi exhibetur, ergò &c. Neque obstat, quod conditio illa reputetur per ipsos contrahentes impossibilis, cum per eosdem præsupponatur impedimentum irritans existere; Non, inquam, obstat, quià quantumvis illa conditio reputetur impossibilis, & impedimentum verè existere non parit tamen talem certitudinem impossibilitatis conditionis, & existentiæ impedimenti, vt subesse non possit contrarium, vnde contrahunt quasi conditionatè, si tamen impedimentum non existat, & conditio sit purificabilis, seù purificata; atque iuxta hunc sensum intelligendum esse assero, quidquid fortè suprà dictum fuerit, quod propterea reduci debet ad sanum sensum distinctionis hucusque explicatæ. 3

Si dubitantes de existentia facti contrahant conditionatè tenet contractus. Coninch. Diana.

Respondeo tertiò. Si contraxerint cum errore tàm facti, quàm iuris, quatenus crediderint impedimentum adesse, cum non adesset, & ius dirimere, cum verè non dirimat contractum, eodem modo phylosophandum existimo, quo in præcedentibus responsionibus; si etenim consensus sit absolutus cum certitudine adhæsiua impedimenti, & iuris irritantis certum est contractum non subsistere, quià consensus absolutus non potest ferri in impossibile cognitum, vt tale; si verò sit conditionatus, si scilicet ius non obstat, nec impedimentum irritat, tunc certum est iuxtà superius dicta contractum immediatè tenere. Si verò supponas contrahentes errare quoad ius, quatenus scilicet arbitrentur non dirimere, cum re vera dirimat, tunc arbitratur *Sanchez d.lib. 2. disp.31. num.1. in princip.* 4

Quomodo in hac hypothesi philosophandum.

princip. tenere contractum, si impedimentum, quod aprehenditur per contrahentes non existat. Ratio est, quià tunc non deficit consensus.

§. XVI.

An sponsalia contracta sub conditione honesta, & possibili intelligantur perfecta purificata conditione etiam si contrahentes nesciant extitisse.

SVMMARIVM.

Factum in suis terminis elucidatum. 1.
Sponsalia illa purificata conditione fiunt immediatè, & ipso iure pura etiam ante scientiam contrahentium. 2.
Si purificata conditione alter ante scientiam eiusdem contrahat alia sponsalia, ista ipso iure sunt irrita. 3.
Purificata conditione, si alter ex sponsis decesserit, non potest superstes cum consanguinea defuncti contrahere. 4.

1 *Facti series*

DIsquisitio XVI. Contractis adinuicem sponsalibus inter Valerianum, & Mæuiam sub certa conditione honesta, & possibili conditio posita est in esse, seù purificata ipsis tamen contrahentibus penitus ignorantibus. Hinc exorta est difficultas, an sponsalia illa facta fuerint pura immediatè post conditionis euentum, & ante scientiam contrahentium, an veró solummodo post talem scientiam.

2 *Fiunt pura etiam ante scientiam contrahentiū. Sanchez.*

Respondeo, sponsalia illa inter Valerianum, & Meuiam purificata conditione fiunt immediatè, & ipso iure pura, etiam ante scientiam contrahentium *Ancharanus in c. super eo num.*8. *de condit. appos. Sanchez lib.*5. *de matrimonio disp.* 8. *num.* 6. In primis colligi videtur à contrario sensu *ex c. vnico in fin. de sponsal. in* 6., vbi dicitur ex sponsalibus conditionalibus ante conditionis effectum non oriri impedimentum publicæ honestatis, quod nos etiam supra latè commendauimus, ergò à contrario sensu oritur post conditionis euentum, quandoquidem tunc consensus est consummatus, nec refert defectus scientiæ quoad talem purificationem ipsorum contrahentiū, quandoquidem talis scientia non influit in consensum, qui cum respexerit præcisè conditionis euentum, non est, cur illa posita in esse debeat suspendi.

Scientia nō influit in consensum.

Deindè confirmatur, quià, qui, contrahit per Procuratorem sponsalia eo ipso, quod Procurator consentit, firma manent sponsalia, quantumvis principalis, qui talem Procuratorem constituit, ignoret consensum fuisse præstitum, ergò etiam, qui contraxit sub conditione honesta, & possibili ipsa purificata in vim sponsalium obligabitur, quantumvis ignoret talem conditionem extitisse, quià sicuti in primo casu iam posuit legitimum consensum per Procuratorem deferendum, ità in secundo consensum iam posuit post conditionem immediatè purificandum, & consumandum.

Euincitur etiam paritate Procuratoris contrahētis nomine principalis.

Confirmatur secundò, quià scientia conditionis adimpletæ, nec ponit conditionem, nec suspendit, quinimmò, nec influit in actum, nec in negationem eiusdem, ergò independentèr ab eadem actus intelligitur completus, cum actus consensus intelligatur perfectus, cum in ipsum non influat scientia.

3 *Alia sponsalia contracta purè ante notitiam sunt irrita.*

Hinc inferes primò, quod, si purificata conditione ante scientiam eiusdem, alter ex sponsis contrahat alia sponsalia per verba pura, & absoluta, ista absolutè non teneant, quandoquidem iam absolutè intelligitur obligatus per priora, quæ suum consecuta sunt effectum per illius conditionis purificationem, & subsequentia non tenent prioribus in suo esse subsistentibus, cum simul sint incompossibilia; vnde bene dicitur, quod dispositio conditionalis adueniente conditione purificetur, & ab eo tempore censeatur perfecta, ac si à principio purè fuisset contracta, prout habetur *in l. potior esse in principio ff. qui pot. in pig. hab.*, vbi sic legitur *Cum enim semel conditio extitit perindè habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.*

4 *Superstes non potest cum consanguinea defuncta contrahere.*

Inferes secundò, quod, si post conditionis euentum etiam ante cognitionem, quod conditio illa euenerit, alter ex sponsis defecerit, non possit superstes cum consanguinea defuncti, vel defunctæ contrahere sponsalia, nec matrimonium intrà gradus à iure prohibitos. Ratio ex eó deducitur, quià ex sponsalibus puris, & absolutis oritur impedimentum publicæ honestatis; illa autem sponsalia per purificationem conditionis facta sunt pura, & absoluta, adeoque non est, cur immediatè parere non habeant huiusmodi impedimentum.

Neque obesse potest, si asseratur, quod, si quis seruatis omnibus iuris solemnitatibus per verba de præsenti contraxerit matrimonium sub conditione honesta, & possibili eadem secundum se purificata non possit vti matrimonio ante cognitionem eiusdem conditionis adimplementi, prout rectè adnotauit *Sanchez lib.*5. *de matrimonio disp.*8. *num.* 6. *vers. vt tamen licitè possint*, ergò, quià non intelligitur purum matrimonium per solam conditionis purificationem ante habitam notitiam eiusdem existentiæ; Non, inquam obesse potest, quià, quod non possit vti matrimonio, non necessariò arguit matrimonium

Vetatur vsus ob periculum fornicationis. illud non esse secundum se absolutum, sed ad summum non esse absolutum quoad cognitionem contrahentium; vnde vetatur vsus matrimonij ob periculum fornicationis in hypothesi, qua conditio non esset purificata, quod periculum in casu sponsalium, cessat cum vsus carnalis, etiam si eadem fuerint absoluta, & secundum se, & cognitionem contrahentium pura, non sit licitus inter sponsos.

§. XVII.

Ad quid teneatur, qui contraxit sponsalia sub conditione honesta, & possibili, & ante conditionis euentum reuocauit consensum.

SVMMARIVM.

Factum, & articuli examinandi. 1.
Pendente adhuc conditione reuocato consensu per conditionis euentum non purificantur sponsalia. 2.
Intellige etiam, si reuocatio facta fuerit altero ignorante. 3.
Reuocato consensu per vnum ex contrahentibus sine legitima causa potest iste compelli ad ponendum nouum consensum. 4.

1 Disquisitio XVII. In hanc formam contraxerant Titius, & Meuia. *Contraho tecum sponsalia, si Patri tuo placuerit, vel si talis casus euenerit.* Adhuc non impleta conditione Meuia, vel per actum internum, vel per externum reuocauit consensum, & posteà intrà tempus congruum purificata est cõditio. Hic duplex orta est difficultas. Prima, an per talis conditionis euentum non obstante talis consensus reuocatione facta per Meuiam, siuè interna, siuè externa perficiantur sponsalia, & reddantur pura, nec ne. Secunda, an compelli possit ad reuocandam talem consensus reuocationem, & ponendum nouum consensum purum post purificatam conditionem. *Duplex difficultas examinanda.*

2 Respondeo primò ad primum per conditionis euentum sponsalia illa non purificari *Glosa in c. super eo verb. alieno de condit. apposit., & ibi Hostiensis in verb. in alieno Prepositus num. 3. Rosella verb. matrimonium 5. num. 2. Siluester verb. matrimonium 3. qu. 4. dict. 1. D. Antoninus 3. part. tit. 1. c. 19. §. 5. vers. sexta est conditio Coaruuias 4. decret. 2. part. cap. 3. num. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià non potest subsistere contractus sponsalium sine mutuo vtriusque contrahentis consensu, sed reuocato per vnum consensu ante conditionis euentum dici non potest, quod in euentu eiusdem adsit mutuus vtriusque contrahentis consensus, ergò &c. Minor probatur, quià consensus non positus, & consensus reuocatus ante tempus, quo compleri debet contractus paria sunt quoad effectum; Neque obesse potest, si asseratur, quod, cum ille consensus iustè non potuerit reuocari sine legitima causa, perinde se habeat, ac si non fuerit reuocatus, & proindè non esse, quin purificata conditione illa sponsalia non debeant subsistere. Non, inquam obesse potest, quià cum ad contractum sponsalium requiratur consensus omninò liber, & spontaneus non sufficit ille consensus, qui habetur pro tali ex dispositione iuris, cum iste respectu reuocantis sit coactus; ex eo etenim, quod ipse reuocauerit, & ius habeat pro non reuocato intelligitur reuocans esse inuitus quoad tale ius, & proindè &c. *Per conditionis euentum non purificantur sponsalia.* *Glosa. Hostiensis. Prepositus. Rosella. Siluester. D. Antoninus. Coaruuias* *Non potest subsistere contractus sine consensu.*

Hic oritur difficultas, an ea, quæ dicta sunt in hac respõsione æquè intelligenda sint, siuè consensus reuocatio facta fuerit altero ignorante, siuè altero sciente. Respondendum est etiam intelligenda esse, si alter fuerit ignorans de tali reuocatione *Coaruuias 4. decret. secunda part. cap. 12. in initio num. 6. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 11. num. 55. Sanchez de matrimon. lib. 5. disp. 8. num. 1. vers. nec refert,* quidquid in contrarium dixerit *Abbas in c. super eo num. 7. de condit. appos.* Clarè deducitur ex *cap. fin. de procurat. in 6.* Ratio ex eo deducitur, quià pro eo tempore, pro quo complendus est contractus re vera non adest vtriusque contrahentis consensus, nec notitia defectus talis negationis in altero potest officere, quandoquidem sicuti notitia secundum se non ponit alterius consensum, ità nec defectus eiusdem notitiæ tollit, quin talis consensus verè fuerit. Verum tamen est, quod in foro externo non esset de facili credendum, quando externè reuocatio consensus non fuerit posita, quod consensum talem reuocauerit, vnde potest compelli ad contrahendum, vt mox subdo. 3 *Etiam si reuocatio facta fuerit altero ignorante.* *Coaruuias Cucus. Sanchez.* *Verè consensus alterius desperit.*

Respondeo secundò ad secundum. Si consensus per vnum ex contrahentibus fuerit reuocatus ante conditionis euentũ nulla legitima causa existente reuocationis potest ille compelli ad reuocandam reuocationem, & ponendum nouum consensum, per quem purificetur contractus *Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 11. num. 54. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 48. art. 5. dub. 7. in princip. §. circa ea, quæ dicta sunt Sanchez de matrim. lib. 5. disp. 8. nu. 1. vers. posterius est.* Ratio ex eo deducitur, quià, ex quo liberè posuit consensum supposita purificatione illius conditionis iam se obligauit posita conditionis eiusdem existentia ad perficiendum contractum, ergò ad non reuocandũ consensum, per quem ille posset compleri, ergò, si illum reuocauerit poterit iustè compelli ad ponendũ nouum con- 4 *Potest compelli ad ponendum nouum consensum.* *Cucus. Petrus de Ledesma. Sanchez.*

consensum, per quem contractus compleatur. Neque obesse potest, si asseratur, quod illa coactio esset violenta, adeoque quod tolleret libertatem requisitam ad validitatem contractus. Non, inquam, obesse potest, quia ex eo, quod primò liberè consenserit non est absurdum quin posteà possit compelli ad perficiendum consensum, vt videre etiam est in donationibus liberis, vndè benè dicitur, quod ea, quæ ante factum sunt voluntatis, expost facto sint necessitatis. Deindè quando dicimus quod possit cõpelli ad ponendũ nouum actum, per quem perficiatur contractus, hoc intelligendum est de quadam coactione modificata, quod scilicet possit compelli, nisi grauiora damna inde timeantur, vel ex successiuis inimicitijs inter coniuges, seu sponsos, vel ex alio quocunque capite, quia expedit Ecclesiæ minus malum permittere, vt grauiora euitet; maius autem malum est scandala, & perpetuas inimicitias oriri, quam fidem sponsalium frangere. *Glosa in c. 2. de sponsalibus verb. interpositione, & ibi Abbas num. 4. Alexander de Neuo num. 10. Præpositus num. 2. Coaruuias quarto decr. 1. part. cap. 4. in init. nu. 3. Abbas c. ex litteris 2. de sponsalibus nu. 3. Felinus c. 1. de pactis nu. 12. Lancellotus instit. iuris canon. lib. 2. tit. de sponsalibus verb compelli, Palacios in 4. dist. 27. disp. 3. in fin. Henriquez lib. 11. de matrim. c. 13. nu. 4.* & præcipuè colligitur *ex c. requisiuit de sponsalib.* vbi sic legitur. *Cum libera esse debeant matrimonia, monenda sunt potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus habere*, cui consonat *textus in c. 2. eod. titulo de sponsalibus*. Ibi: *commonendi sunt, & omnibus modis inducendi*.

Ex quo se obligauit tenetur obligationem adimplere.

Intellige de coactione modificata.

Abbas. Alexander de Neuo. Præpositus Coaruuias Felinus. Lancellotus. Palacios. Henriquez

Dices iuxta superius dicta, si quis reuocauerit consensum in sponsalibus conditionalibus ante conditionis euentum, quantumuis iura habeant pro nulla talem reuocationem, attamen consensus ille reuocatus non est sufficiens ad validanda sponsalia, quia reputatur coactus, ergò si post reuocationem compellatur nouum consensum apponere, ille non erit sufficiens, cum etiam supponatur coactus. Sed contra dispar omninò est ratio, quia in primo casu supponitur consensus ex reuocatione actuali, quantum est ex parte reuocantis omninò deficere, & solũ vim habere, si quam habet, ex dispositione iuris; in secundo autem casu supponitur nouus consensus interuenire, qui quantumuis sit ex quadam compulsione, non est tamen ex tali, vt tollat libertatem, cum supponatur esse ex priori monitione, & modis congruis, cum Iudex renuente altero absolutè ob scandala, & infelices exitus, qui timentur, non possit absolutè compellere.

In secundo interuenit quodammodo nouus consensus.

§. XVIII.

An sponsalia conditionalia inita cum duabus locum habere possint, & quomodo.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.
Sententia asserens priora sponsalia absolutè valere, & obligare in rationem sponsalium, siue conditio eorundem purificata fuerit aquè primo, siue successiuè. 2.
Siue conditio vtriusque contractus fuerit purificata aquè primo, siue primo purificata conditio posteriorum, non valet prior contractus in vim sponsalium. 3.
Si conditio fuerit purificata primo quoad priora, ista absolutè tenent, & obligant. 4.
Soluitur ratio sententiæ appositæ. 5.

DIsquisitio XVIII. Contraxerat Titius sponsalia sub conditione honesta, & possibili cum Calidonia, si tantam dotem contulerit. Postea non expectato conditionis euentu, idem Titius noua sponsalia contraxit cum Flauia eadem apposita conditione. Vel pro eodem tempore, vel successiuè purificata est conditio, nam vtraque sponsa congruam, & petitam dotem obtulit. Hic excitata fuit controuersia an huiusmodi sponsalia teneãt, & si verificata, seu purificata fuerit conditio prius posterioris sponsæ, ipsa præualere debeat quoad sponsalia, & si purificata fuerit conditio simul respectu vtriusque, prior sponsa sit præferenda, an verò neutrius sponsalia teneant. 1

Declaratur factum

Petrus Ledesma de matrimonio quæst. 47. art. 5. dub. 1. concl. prima, & secunda absolutè existimat, quod siuè conditio fuerit simul purificata, siuè successiuè, ità vt prius habuerit locum conditio posteriorum sponsalium, priora sponsalia absolutè valere, & obligare in ratione eorundem. Rationem ex eo adducit, quia ex genere suo sponsalia priora non dissoluuntur per posteriora, si vtraque fuerint absoluta, ergò nec priora conditionata per posteriora conditionata, quia ita se habet purum ad purum, sicuti conditionale ad conditionale, nec obstat quod conditio posteriorum fuerit prius purificata, quandoquidem expectanda erat purificatio priorum, cum esset purificabilis, & postea de facto posita in esse. Nihilominus 2

Petrus de Ledesma.

Sententia asserens priora semper valere, quomodocũq; purificetur conditio

Respondeo primò, siuè conditio fuerit purificata æquè primò respectu vtriusque contractus, siuè primò purificata conditio posteriorum sponsalium, non valere priorem contractum in vim sponsalium, *Sanchez de matrimonio lib. 5. disp. 8. nu. 18.* Ratio ex eo deducitur, quia quando purificatur

Priora sponsalia non obligant in vim sponsalium, sive conditio utrorumque purificata fuerit aequè primò, sive illa primò posteriorũ.

rificatur vtriusque conditio simul voluntas est incerta, cum aequè sit cum duabus, adeoque ratione incertitudinis vitiatur, quando verò purificatur prius respectu posterioris sponsae perinde est, ac si posterior contractus fuisset purè initus, sicque quodamodò voluntas in vtroque casu respectu prioris contractus sponsalium intelligitur virtualitèr reuocata, sed deficiente voluntate, vel absoluta, vel certa pro tempore adimplementi contractus, contractus ipse sponsalium in vim sponsalium per superius notata non potest subsistere. Dixi *in vim sponsalium*; non enim negauerim in euentum, quo prius purificaretur conditio secundi contractus, teneri ex vi pacti ad expectandum euentum conditionis primi contractus, & ea eueniente teneri ad illum per nouum consensum; quod idem dicendum existimo, quandò vtraque conditio simul verificaretur, seù purificaretur, quandoquidem tunc etiam, si non in vim sponsalium, saltem ratione pacti, seù promissionis, cui derogari non poterat per secundam, teneretur contractum complere cum priori sponsa.

Voluntas esset incerta.

Obligaret tamen in vim pacti.

4 *Purificata prius conditione priorum ista perficiuntur.*

Respondeo secundò, si conditio fuerit purificata primò quoad priora sponsalia, tunc certum est eadem priora sponsalia per adimplementum eiusdem conditionis perfici. Ratio ex eo deducitur, quià in ea hypothesi nihil substantialitèr deesset, quod requiri possit ad validitatem contractus; nam consensus ille praestitus in celebratione consensus censetur virtualitèr perseuerare vsque ad complementũ conditionis, & conditio ipsa intelligitur completa, per quam etiam completur consensus conditionatus; nec dici potest, quod voluntas ad huiusmodi primum contractum fuerit reuocata per posteriorem contractum conditionatum, per quem fides data est alteri; Non, inquam, dici potest, quià posterior conditionata promissio duplicem quodamodo inuoluit conditionem, alteram scilicet, si talem dotem contulerit, vel opus in celebratione contractus iniunctum praestiterit, alterum, si prioris contractus conditio non purificabitur; ex quibus apparet, per posteriorem promissionem non reuocari voluntatem ad primum. Quod, si supponas secundò contrahentem conditionalitèr reuera reuocasse voluntatem circa priora sponsalia conditionata, tunc re vera crederem eueniente conditione apposita in primo contractu eundem non perfici in vim sponsalium, obligare tamen ipsum contrahentem in vim pacti, & promissionis ad reuocandam talem reuocationem talis voluntatis, & ad perficiendum contractum per nouum consensum.

Secunda conditionata promissio inuoluit duplicè conditionem, & quomodo.

5 Ad rationem, quae per Petrum de Ledesma ex aduerso afferebatur dicendum est purificata primò, vel simul conditione posteriorum sponsalium cessare priora in vim sponsalium, quià quando priora erant perficienda per adimplementum conditionis mutata supponitur voluntas ad eadem, quae est de essentia, & necessitate contractus; ex hoc tamen non sequitur, quia priora sponsalia etiam adimpleta cõditione posteriorum obligent in vim promissionis, quià iniquè, & contra iustitiam mutata est voluntas; vnde non valet argumentum à prioribus sponsalibus purè contractis ad posteriora pura, ac à prioribus conditionalibus ad posteriora conditionalia, nam pura priora intelliguntur perfecta, & consummata, quibus propterea nullo modo derogari potest per posteriora, cum duo sponsalia simul sint incompatibilia, priora verò conditionalia, cum sint imperfecta, & pendentia adhuc à conditione, & sunt compatibilia cum alijs, & propterea per posteriora potest ipsis derogari quoad hunc effectum, vt non teneant in vim sponsaliũ, quià deficit voluntas reuocata in adimplemento conditionis eorundem posteriorum.

Soluitur ratio praeditis sententiae oppositae.

§. XIX.

An noua causa dissoluendi sponsalia superueniens post moram alterius sit sufficiens ad eadem dissoluenda.

SVMMARIVM.

Exponitur status quaestionis. 1.
Potest sponsus morosus ratione notabilis mutationis superuenientis post moram in sponsa recedere à sponsalibus. 2.
Tenetur tamen ad omnia damna, quae subsecuta sunt post moram ex causa morae. 3.
Soluuntur rationes oppositae. 4.

1 DIsquisitio XIX. Contraxerant adinuicem sponsalia Valerianus, & Theodora praefixo certo termino ad eadem perficienda per verba de praesenti, quem terminum supponimus adiectum, ad sollicitandum, non verò ad finiendam obligationem. Constitutus est in mora idem Valerianus, & post moram Theodora notabilem aliquam mutationem passa est. Hic dubium excitatum fuit, an Valerianus ratione talis notabilis mutationis, quae superuenit sponsae, possit à sponsalibus resilire.

Dilucidatur factum.

Ratio dubitandi, ex eo consurgit, quià, si Valerianus intra tempus conuentum contraxisset matrimonium, eoque contracto notabilis illa mutatio superuenisset Theodorae certè nõ posset recedere à matrimonio, ergò, nec poterit recedere à sponsalibus, si ratione morae culpabilis matrimonium

nium intra tempus conuentum non fuerit celebratum, quandoquidem, quod prouenit ex culpa, culposo imputandum est. Confirmatur, quià, quod vnius culpa natum est non potest in eiusdem fauorem cedere, sed est in ipsius odium retorquendum. Confirmatur secundò paritate venditionis rei in indiuiduo, quæ si fuerit perfecta, &c. ex conuentione retenta apud venditorem vsque ad certum, & determinatum tempus, & post moram emptoris ad eam recipiendam facta fuerit vitiosa, vtique vitium cedit eidem emptori, adeo &c. ratione illius nequeat à contractu recedere, ergò etiam &c. Nihilominus

Rationes dubitandi exponuntur

2 Respondeo Valerianum posse ratione talis notabilis mutationis superuenientis post moram à sponsalibus recedere, teneri tamen ad omnia damna, quæ subsecuta fuerunt Theodoræ ratione moræ. Consentiunt *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 272. vers. sunt vero nonnulla Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 62. num. 5., & de hoc etiam incidentèr nos supra egimus sub hoc eodem titulo, ad quæ vos remitto*. Ratio ex eo deducitur, quià, quando terminus ponitur non ad finiendam obligationem, sed ad eandem sollecitandam, nec eandem perimit, si elabatur, nec obligationem reducit ad rationem perfectam contractus, vt per se patet, sed adhuc non completo contractu superueniente legitima causa ipsum dissoluendi liberum est contrahenti ex eadem à contractu recedere, ergò &c. Confirmatur, quià illa noua causa superueniens post moram non est ex causa, seù culpa eiusdem morosi, siquidem æquè obuentura fuisset, si non contraxisset ex legitima causa superueniente, sicque ille defectus imputandus est conditioni sponsæ affectæ tali causa, non alteri, qui nihil contulit ad talem defectum.

Potest non obstante mora recedere.

Molina. Sanchez.

Illa causa superueniens post moram non est ex culpa morosi.

3 Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià per talem moram culpabilem fuit causa damnorum, quæ inde non contigissent, & à tempore moræ morosus iniustitiam commisit, ergò non est, cur talia damna per legitimam compensationem non debeat reparare. Hinc in particulari deducitur, quod, si contrahere potuisset illa fœmina, seù Theodora cum alio æquè nobili, si illa mora non fuisset interposita, & posteà non possit cum illo contrahere, teneatur ad damnum illud. Secundò, quod si non possit posteà nubere æquè idoneo sine maiori dote teneatur ad illud augmentum dotis. Tertiò, quod si non possit nubere teneatur ad congrua status eiusdem Theodoræ, & ad similia.

Tenetur tamen ad omnia damna moræ.

4 Ad rationes, quæ in oppositum afferebantur nunc est occurrendum, & quidem ad primam assero disparem omninò esse rationem, quià si contractum fuisset matrimonium, cum illud ex genere suo sit indissolubile, vtique ex illa causa non posset dissolui; non sic autem quando matrimonium contractum non est, quià cum contractus remaneat in puro esse sponsalium, qui ex legitima causa est rescindibilis, vtique illa superueniente non est, cur non possit dissolui, nec mora potest officere, quià hæc constituit quidem morosum iniustum, & culpabilem, qui proindè tenetur ad damna reparanda, non autem constituit contractum matrimonij perfectum, & completum in se, nec ex dispositione iuris; contractu autem non perfecto liberum est contrahentibus superueniente legitima causa ab illo recedere.

Soluuntur rationes opposita.

Contractus remanet in puro esse sponsalium

Ad secundam dicendum est, illum defectum non oriri ex culpa morosi, sed ex conditione patientis illum defectum, qui propterea non est imputandus eidem moroso, cum æquè obuenisset, si ille non fuisset in mora culpabili, quare ad summum tenetur ad damna.

Prouenit ex conditione patientis illam causam.

Ad tertiam dicendum est disparem omninò esse rationem de illa venditione, quià in illo casu contractus intelligitur absolutè completus per nudum consensum, & cum res illa sit vendita in indiuiduo, nec dependeat ab aliqua conditione de futuro non est, cur si post moram depereat, vel fiat vitiosa, & deterior, non pereat, & fiat deterior eidem emptori, & licet dicatur, quod non nudis pactis, sed traditionibus, & vsucapionibus dominia rerum transferantur, quantum tamen ad effectum, vt si res pereat, vel deterior fiat, pereat, & deterioretur præcipuè in contractu venditionis, vt alibi vidimus, sufficit, quod res sit vendita in indiuiduo seruatis debitis conditionibus, & præstito libero consensu, præcipuè, si per vnam partem fuerit contractus perfectus per solutionem, quià tunc ex fictione iuris, quantumvis res non sit in effectu tradita, habetur pro tradita. Cæterum, si supponas, vel rem non esse venditam in indiuiduo, vel factam fuisse solummodò promissionem venditionis tunc certum est, quod si illa pereat, vel deterior fiat, pereat, & deterioretur venditori. Hoc totum euenit in præsenti hypothesi, secundum quam, nec contractus completus est, & facta est solummodò promissio de illo complendo, seù perficiendo,

Dispar ratio de venditione rei in indiuiduo.

§. XX.

An afferenti, se non fuisse contracturum sponsalia, si talis causa à principio adesset, vel abesset, sit credendum.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.

In

In ea hypothesi, vbi aliundè constare non possit credendum est asserenti, se non fuisse contracturum. 2.

In suppositione, quod eidem sit credendum in dubio de sufficientia causæ ad dissolutionem coniectandum est ex qualitate eiusdem causæ. 3.

1 *Status controuersia.*

DIsquisitio XX. Contractis adinuicem sponsalibus sub certis pactis, & formis inter Califroniam, & Theodorum processu temporis cognita fuit aliqua causa per Theodorum, de qua poterat esse dubium, an asset sufficiens secundum se ad dissoluenda sponsalia, nec ne. In hoc dubio, seù controuersia Theodorus expresse asserebat, quod, si ab initio cognouisset talem causam adesse, vel abesse, vtique non fuisset contracturus, nec poterat alibi constare de tali voluntate habituali. Hic duplex orta est difficultas. Prima, an in ea hypothesi sit credendum eidem Theodoro asserenti se contracturum non fuisse, si illa causa adesset, vel non adesset. Secunda, an data suppositione quod eidem sit credendum, possint dissolui sponsalia, cum dubium sit, an illa causa sit sufficiens.

Duplex difficultas, quæ hinc emergit.

2 *Credendũ est asserenti se non fuisse contracturum.* Nauarrus. Sanchez. Coaruuias Mascardus Gratianus.

Respondeo primò in ea hypothesi, vbi aliundè constare non possit, credendum esse eidem asserenti, se non præstiturum consensum, si præcogitasset illam causam adesse, vel abesse. *Nauarrus in summa c.*18. *num.* 7. *Sanchez lib.* 1. *de sponsalibus disp.*62. *num.*6. *Coaruuias* 2. *variar. c.*10. *num.*1. *Mascardus de probationibus concl.*45. *num.*48 *Gratianus reg.* 270. *num.*1. Ratio ex eo deducitur, quià regula generalis est, quod ea, quæ in animo præcisè consistunt, cuiusmodi sunt ignorantia, & scientia, cum non possint secundum se hominibus innotescere, nisi eisdem manifestentur per verba, vel signa externa, vbi aliundè probari non possunt, probentur per iuramentum asserentis se habuisse, vel non habuisse talem voluntatem, vt asserunt DD. præallegandi, ergò ab hac regula non est secernendus casus præsentis hypothesis. Neque obesse potest, si asseratur, quod, quando cætera omnia sunt, quæ ad validitatem contractus requiruntur, propositum in mente retentum nihil operetur, cæteroqui semper esset in libertate contrahentis sponsalia ab illis recedere asserens, quod non intenderit contrahere existente, vel non existente hac, vel illa causa; Non, inquam, obesse potest, quià præcipuè cum contractus non est completus, & causa aliqua posteà apparet, quæ ab initio non apparebat, est sufficiens fundamentum præsumendi, quod non fuerit consensurus, & cum dependeat à voluntate eiusdem contrahentis dubiũ, an esset consensurus, nec ne, eiusdem dicto standum esse videtur, cum aliundè cognitio haberi non possit. Verum tamen est, quod quantum ad forum externum iudicio prudentis viri considerandum sit, an tales concurrant circumstantiæ, vt verisimiliter argui posset nequaquam promissurus, si illam causam præcogitasset, prout considerarunt *Nauarrus, & alij DD. supra allegati in responsione*; si etenim nullæ circumstantiæ concurrerent indicantes futuram negationem consensus, quinimmò oppositæ indicantes talem consensum, negandum non esset, quin in foro externo præsumendum esset pro vero consensu, & pro validitate contractus non retractabilis.

Fallit, quãdo contractus non est completus.

In foro externo attendendæ sunt circumstantiæ.

3 *In dubio de sufficientia coniectandum est ex qua ate caus*

Respondeo secundo, supposito, quod eidem asserenti sit credendum se non fuisse præstiturum consensum, si causam illam in celebratione contractus cognouisset, in dubio, an causa illa esset sufficiens ad recisscionem contractus, nec ne coniectandum est ex qualitate causæ, & vbi ex eadem nihil possit euinci fauendum potius est eidem asserenti se non fuisse contracturum, quam alteri. Ratio primæ partis est, quià non ex quacunque causa dissolui possunt sponsalia legitimè contracta, ergò secundum qualitatem eiusdem argui debet ipsius sufficientia, vel insufficientia; Neque obesse potest, si asseratur, quod in celebratione contractus possit fieri conuentio de recisscione contractus etiam ex aliqua causa leui, ergò, si eidem credendum est asserenti, se non fuisse contracturum, si talem causam cognouisset adesse, vel abesse etiam censendum erit esse locum recisscioni ex tali causa, quantumvis illa fuerit leuis. Antecedens non vertitur in dubium, quandoquidem contractus vim, & legem sortiuntur à pactis, & conditiones expresse appositæ maximè sunt in eisdem contractibus attendendæ, vbi non repugnent naturæ contractuum, cum consensus reguletur iuxta earum existentiam, vel non deficientiam; Non, inquam, obesse potest, quià quando illa causa expresse, & actualitèr apponitur per modum conditionis, vt fit, quando circa talem causam fit expressa conuentio, vtiquè quantumvis illa causa non fuerit valde grauis tribuit ius ad recisscionem, quià expresse venit sub conuentis, & contrahens consensum præstitit supposita, vel non supposita illa causa, cæteroqui non præstiturus; quando verò talis causa expresse non fuit apposita, nec in rigore habet vim conditionis, nec est pars conuentionis; adeoque non est regulanda ad normam pacti, sed secundum quod eadem causa secundum se, & ex natura sua est sufficiens, vel non sufficiens ad dissoluendum, vel non dissoluendum contractũ, quod præcipuè arguendum est grauitate, vel leuitate eiusdem causæ.

Nõ ex quãcunq; causa dissolui possunt spõsalia.

Illa causa non est pars conuentionis, quando non est expresse apposita.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià

quià quamvis in dubijs circa contractus sponsalium, & matrimonij semper præsumendum sit pro eisdem, cum eorum causæ sint maximè fauorabiles, aliter tamen fieri debet, quando altero renuente, & ratione talis dubij resilire contendente ex contractu completo timerentur scandala, & infelices exitus, quià tunc fieri debet interpretatio pro sufficientia resolutionis, sed hoc maximè eueniret in hypothesi, de qua loquimur, in qua contrahens cum exprimat, se non fuisse contracturum, si talem causam præcogitasset, vtique arguitur, quod, si compelleretur ad contrahendum per verba de præsenti, ex illa compulsione fit ægrè laturus tale matrimonium, ac proindè oriri debeat rixæ, & mali exitus, ex quorum præuisione facilè admittitur rescissio contractus. *Quando timentur damna, & scandala debet fieri stricta interpretatio.*

§. XXI.

An ad dissoluenda sponsalia, & impediendum matrimonium sufficiat rumor impedimenti.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in suis terminis. 1.
Discrimen inter famam, & rumorem. 2.
Rumor non est secundum se sufficiens ad dissoluenda sponsalia. 3.
Increbrescente rumore, & quasi in famam euadente potest admitti iuramentum contrahere volentis asserentis impedimentum non intercedere. 4.

1 DIsquisitio XXI. Contractis sponsalibus inter Titium, & Meuiam, & vrgente iam tempore matrimonij contrahendi iuxtà dispositionem eorundem sponsalium rumor quidam surrexit de impedimento consanguinitatis ex copula fornicaria commissa per Titium cum matre eiusdem Meuiæ, non tamen publica fama. Hic duplex orta est difficultas. Prima, an talis rumor sit sufficiens ad dissoluenda sponsalia, vel matrimonium. Secunda, an, si talis rumor inualesceret, nec veritas posset innotescere, posset, & deberet admitti iuramentum eiusdem Titij denegantis tale impedimentum. *Status controuersiæ expositus.*

2 Aduerte discrimen, quod intercedit inter famam propriè sumptam, & rumorem; nam illa est, quando maior pars viciniæ clamat de tali impedimento, iste verò, quando aliqua pars viciniæ, puta tertia, vel quarta pars proclamat. *Hostiensis cap. super eo in princip. de eo, qui cogn. consag. & ibi Ioannes Andreas num. 2. Cardinalis num. 1., Abbas num. 3. Prapositus num. 2. Alexander de Neuo num. 3. Angelus verb. fama num. 4., & ibi Siluester etiam num. 4. Tabiena in princip. Armilla num. 1.* *Quomodo differant fama, & rumor.* Hostiensis. Ioannes Andræas. Cardinalis Abbas.

3 Respondeo igitur primò, ad primum rumorem secundum se non esse sufficientem ad dissoluenda sponsalia iam ritè contracta, nec ad impediendum matrimoniū *Glos. in d. cap. super eo in fin., & ibi Cardinal. etiam in fin. Alexander num. 8 de eo, qui cogn. consang. Sanchez lib. 1. de sponsal. disp. 71. num. 18. vers. verius tamen est in fin.* aduersus *Antonium d. cap. super eo num. 7. de eo, qui cog. consang., & contra Prapositum ibid. num. 4.* Ratio ex eo deducitur, quià ex communi omnium DD. consensu rumor minus probat, quam fama, cum ille valde popularis sit, & leuibus, seù fortè chimericis innixus fundamentis, ergò non eodem modo de ipso philosophandum est, ac de fama; non enim æquum est, vt contractus, ad quem concurrit omninò liber, & spontaneus vtriusque contrahentis consensus vacillet ex inani populi vociferatione; Neque obesse potest, si asseratur in ijs, quæ pertinent ad actiones peccaminosas euitandas non solum malum ipsum attendendum esse, sed etiam speciem mali, ac proinde etiam in hac hypothesi &c. Non, inquam, obesse potest, quandoquidem hoc intelligendum est de specie mali futuri, quando talis species rationabilibus innititur fundamentis, secus autem quando fundamentum non habet, nisi in inani populi, seù melius alicuius partis populi rumore. Confirmatur, quià nullibi in iure reperitur dispositum ex solo rumore infringi sponsalia iam ritè celebrata, & impediri matrimonium contrahendum, ergò non est, cur & sponsalia non subsistant, & matrimonium non possit contrahi iuxtà regulam generalem, quod omnes possint contrahere, qui impediti non reperiuntur *cap. cum apud de sponsalib.* *Rumor non est secundū se sufficiens.* Glosa. Cardinalis Alexander Sanchez. *Rumor minus probat quam fama.*

4 Respondeo secundò, increbrescente rumore, & quasi in famam euadente potest admitti iuramentum contrahere volentis, aduersus quem rumor ille emanauit, asserentis impedimentum illud non intercedere *Prapositus in c. cum in tua nu. 4. de sponsalib. Menochius de arbitrarijs lib. 2. cent. 3. cas. 243. nu. 4. Mascardus de probationibus concl. 1035 num. 16. Sanchez lib. 1. de sponsal disp. 71. num. 17.* Ratio ex eo deducitur, quià, cum sponsalium, & matrimonij causæ sint maximè fauorabiles, maximè exigunt, vt admittantur probationes, quæ alias in iure non admittuntur ad infringenda ea, quæ militant aduersus huiusmodi contractus, sic admittitur etiam iuramentum consanguineorum per textum *in d. cap. cum in tua de sponsalib.* vbi sic legitur, *vel contra famam huiusmodi iuramento exhibeat propinquior,* quod tamen à iure in alijs non admittitur, ergò cum aliunde non possit haberi probatio contra huiusmodi rumorem admitti poterit iuramentum contrahere volentis. Vltèrius euincitur ex ijs, quæ supra dicta *Potest admitti iuramentum contrahere volentis.* Præpositus. Menoch. Mascardus Sanchez.

sunt, nempè aduersus famam, per quam habetur fortior probatio, admitti huiusmodi probationem per iuramentum contrahere volentis, ergò à fortiori admitti poterit huiusmodi probatio aduersus rumorem, qui non est tantæ efficacitatis ad probandum, sicuti est fama.

Dixi, *& quasi in famam euadente*, nam, si supponas, rumorem contineri in modica parte viciniæ, crediderim non esse huiusmodi iuramentum exigendum, quandoquidem, vt mox diximus, hic rumor non est sufficiens ad dissoluenda sponsalia, nec ad impediendum matrimonium.

Secus, si rumor continuetur solum in modica parte vicinia.

§. XXII.

An dictum vnius testis sufficiat, non solum quando opponitur impedimentum, cum quo contrahere esset peccatum, sed etiam, quando opponitur causa, cum qua contrahere nullum penitus esset peccatum.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersia. 1.
Vbi non agitur de peccato vitando dictum vnius testis non est sufficiens ad dissoluenda sponsalia. 2.
Soluitur ratio aduersa. 3.

1 Disquisitio XXII. Post contracta sponsalia inter Siluium, & Caiam vigente iam tempore celebrationis matrimonij, vel factis denuntiationibus, vel antecedenter ad easdem Titius deposuit inter eosdem contrahere volentes, non iam adesse impedimentum, ratione cuius, si contraherent, noxam lethalem committerent, vel in eadem celebratione, vel in vsu futuro matrimonij, sed solummodò Caiam contraxisse culpam lethalem ratione fornicationis commissæ cum tertia quadam persona, cum qua, si Siluius matrimonium contraheret, nullam culpam committeret, licet, si probaretur talis fornicatio, haberet sufficiens motiuum se retrahendi tum à sponsalibus, tum à matrimonio contrahendo per ea, quæ superius latè dicta sunt. Dictum vnius testis sufficere ad impediendum matrimonium, quando opponitur impedimentum, cum quo contrahere esset peccatum lethale sup. a latè probauimus, & clarè constat *ex cap. super eo 2. de testib., & attest., & cap. præterea 2. de sponsalib.*, rationemque adducunt DD. communitèr, quià vbi agitur de peccato vitando, minor probatio requiritur, ac in alijs requiratur à iure, vbi nullum viget periculum peccati. Hic iam oritur difficultas, an dictum etiam vnius testis asserentis

Exponitur controuersia ratio in suis terminis.

mulierem esse fornicatam sit sufficiens ad dissoluenda sponsalia, & impediendum matrimonium futurum.

Sufficere dictum vnius testis deponentis de fornicatione sponsæ ad finem dissoluendi sponsaliia, & impediendi futurum matrimonium sentire videtur *Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. casu primo in fine*, hocque videtur comprobare *ex c. super eo 2. de test., & attest.* Nihilominus

Paludanus

2 Respondeo absolutè, dictum vnius testis non sufficere ad eum effectum dissoluendi sponsalia, & impediendi matrimonium *Panormitanus c. præterea de sponsalib. Ioannes Andreas cap. duo pueri de desponś. impub. in fin., & ibi Hostiensis super verb. non cognouisse Abbas num. 6. Alexander de Neuo num. 12.* Ratio ex eo deducitur, quià vbi agitur de præiuditio iuris alteri perfectè acquisiti, & non de peccato vitando ex generali regula non satis est vnius testimonium, vt colligitur *ex c. licet ex quadam, c. veniens, c. in omni negotio de testibus, & l. vt ius iurandi C. eod. tit.*, sed hic agitur de præiudicio alteri inferendo contra ius, quod iam acquisiuit ex sponsalibus, & promissione futuri matrimonij, & non est in ordine ad peccatum vitandum, quandoquidem contrahere cum sponsa, quæ etiam fornicata esset, nullum est peccatum, ergò &c. Confirmatur primò, quià omnes DD. tàm Theologi, quàm iuris canonici interpretes asserunt iura indicantia dictum vnius testis deponentis de impedimento sufficere, specialitèr intelligenda esse, quando sunt in ordine ad peccatum vitandum, vt specialiter Panormitanus explicat textum *in cap. præterea 2. de sponsal.*, vel ad fauorem matrimonij, vt explicat *Ioannes Andreas d. c. duo pueri de desponsat. impub*, vbi dicitur sufficere dictum vnius testis deponentis de copula, eo quod huiusmodi copula firmaret matrimonium, quod contrahere nullum inducebat peccatum, ergò vbi nullum interueniret peccatum, & non esset in matrimonij fauorem, sed potius in destructionem dictum vnius non erit sufficiens. Confirmatur secundò, quià vbi allegatur fornicatio tanquam impedimentum matrimonij futuri, tunc solum sufficit depositio vnius testis, quando infertur impedimentum secundum se dirimens, vt concubitus cum consanguinea futuræ vxoris intra gradus à iure prohibitos, vt explicat *Glosa in cap. præterea de test., & attest. verb. de auditu Campegius tract. de testibus reg. 385. vers. tertio probatur Mascardus de probationibus concl. 62. num. 7.*, ergò è contrario sensu non sufficiet dictum vnius testis, quando opponitur fornicatio, quæ secundum se non inducit impedimentum dirimens, quandoquidem tota ratio recessus à communi regula, secundum quam in ore duorum, vel trium stat omne verbum, est recessus à periculo pec-

Dictum vnius testis non sufficit Panormitanus. Ioannes Andreas. Hostiensis. Abbas. Alexander de Neuo.

Vbi agitur de præiudicio alteri inferendo maior probatio requiritur.

Ioannes Andreas.

Glosa. Campegius. Mascardus

candi; hoc autem periculum non est, vbi agitur de simplici fornicatione non inuoluente aliquem gradum affinitatis, vel aliquod aliud impedimentum.

3 *Soluitur ratio aduersa.* Ad textum, qui afferebatur per Paludanum *ex c. super eo 2. de testib., & attest.*, dicendum est, non officere præsenti instituto, quandoquidem ille textus loquitur non de simplici fornicatione, sed de consanguinitate ex genere suo matrimonium dirimente, vt textum legenti manifestè innotescit.

§. XXIII.

Quænam conditiones requirantur, vt vnus testis sufficiens sit ad impediendum matrimonium, & dissoluenda sponsalia.

SVMMARIVM.

Enumerantur conditiones, de quibus potest esse dubium. 1.

Dictum vnius testis non sufficit, nisi fuerit cum iuramento. 2.

Iuramentum debet esse de certa scientia impedimenti. 3.


1 *Conditiones, de quibus potest esse controuersia.* DIsquisitio XXIII. Aduersus sponsalia contracta inter Titium, & Meuiam, & aduersus matrimonium inter ipsos contrahendum Caius vnicus testis excipiebat de quodam impedimento, seù opponebat de ipsius existentia, aduersus quem excipiebat ipse Titius primò, quod Caius non iurauerit de existentia talis impedimenti; secundò, quod deposuerit solum de auditu, & quantumvis iurauerit, quod non iurauerit certo scire; Tertiò, quod idem Caius sit persona vilis, & infamis. Quæritur iam hic, an præualere debeat dictum talis testis, an verò exceptiones Titij aduersus ipsum opponentis.

2 *Debet esse iuratum. Hostiensis Ioannes Andræas. Abbas. Præpositus. Coaruuias* Respondeo primò, dictum Caij non subsistere ad effectum impediendi matrimonium, nisi fuerit cum iuramento *Hostiensis in cap. præterea 2. de sponsalib. in initio, & ibi Ioannes Andræas nu. 2. Abbas num. 2. de consang. num. 4., & ibi Alexander de Neuo nu. 3. Præpositus num. 6. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 6. § 10 num. 21. Paludanus in 4. dist. 27. qu. 1. art. 3. casu 9. num. 27.* Ratio ex eo deducitur, quia quantumvis iura admittant in ordine ad peccatum vitandum dictum vnius testis, non tamen excludunt ea, quæ requiruntur ad ipsius dictum conualidandum; quinimmò ex eo, quod contra generales regulas, secundum quas omne verbum stat in ore duorum, vel trium, restringant etiam ad vnum, videntur exigere ea omnia, quæ ad conualidandum ipsius dictum requiruntur; defectus etenim in vno genere non excludit alia, quæ in eodem genere requiruntur, & in tantum depositioni vnius acquiescunt, in quantum aliorum dictum nequit haberi, cum igitur fulcimentum dicti vnius haberi possit per iuramentum, vtique hoc iura non excludunt, sine quo propterea huiusmodi dictum videtur infirmari.

Respondeò secundò, adhoc vt vnus testis sufficientem fidem faciat ad impediendum matrimonium debet deponere cum iuramento, se certo scire adesse tale impedimentum *Abbas c. 1. de consang. num. 2., & 3., & ibi Alexander de Neuo num. 2. Præpositus num. 6. Coaruuias 4. decretalium 2. part. c. 6. §. 10. num. 21. Nauarrus lib. 4. consil. in 2. edit. tit. de consang. cons. 2. num. 1.* Ratio autem ea est, quia in alijs omnibus testis simpliciter de auditu non admittitur quoad effectum sufficienter probandi, nec in hoc est aliqua exceptio in iure quoad testem deponentem quoad impedimenta matrimonij, ergò &c.; nec incongrua sanè ratione hoc decernitur, quandoquidem ipsius dictum fundatur in labili causa. Hinc deducunt plures DD., quod, si vnus etiã cũ iuramento deponeret de auditu, & alter sine fundamento de certa scientia non tamen impedirent matrimonium, & in hoc præualere dictum vnius deponentis cum iuramento de certa scientiam, vel publicam famam dicto duorum, quorum alter deponit tantum de auditu cum iuramento, alter de certa scientia sine iuramento Excipiunt tamen aliqui ab hac regula vnum deponentem de impedimento consanguinitatis cum iuramento ex auditu interuenientibus illis conditionibus, quæ habentur *in c. licet ex quadam de testibus.*

Margin notes (right): 3 *Iuramentũ debet esse de certa scientia impedimenti.* Abbas. Alexander de Neuo. Præpositus. Coaruuias. Nauarrus. — *Non sufficit de auditu.* — *Quædam exceptio,*



CONTRACTVS XIV.

De Sponsalibus III., hoc est de concomitantibus, & annexis eisdem sponsalibus.



Onsideratis sponsalibus secundum naturam, & substantialia eorundem, iam actiones, & obligationes eisdem annexas, & concomitantes examinandas assumimus, ne quid desit, quod ad eorum perfectam cognitionem possit pertinere. Ea est humanorum contractuum conditio, vt nedum in proprio esse per certas conuentiones, & pacta constituantur, sed etiam plura admittant, quæ quantumvis non sint de substantia eorundem, plurimum tamen conferant ad ea, quæ per contrahentes ex specialibus pactis adijciuntur. Hic sermo erit de chyrographo futurarum nuptiarum; Hic de sponsalitia largitate; Hic de Arris, alijsque ad ipsas pertinentibus, prout præcisè ad sponsalia restringuntur omissis ijs, quæ spectare possunt ad matrimonium ratum, vel consummatum. Actiones actiuas, & obligationes item actiuas, & passiuas, quæ consurgunt directè ex ipsa natura sponsalium iam in superioribus passim attigimus, & sparsim per prænotiones, & disquisitiones, nunc ea, quæ ex placito contrahentium, vel secundum consuetudinem adijciuntur. Materia in hoc genere ne dum vtilis, sed etiam necessaria, cui propterea sedulò vacare debemus.

PRÆ-

PRÆNOTIO I.

De Chyrographo futurarum nuptiarum.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa titulum proponuntur. 1.

Chyrographum ex genere suo non est de substantia contractus sponsalium, potest tamen esse tale ex conuentione contrahentium. 2.

Actiones actiuæ, & passiuæ, item & obligationes nedum naturales, sed etiam ciuiles consurgunt ex sponsalibus independenter à quacunque scriptura, dummodo exterius constet de consensu. 3.

Si contrahentes factis conuentionibus dixerint conficiendam esse scripturam, hæc intelligeretur ad probationem. 4.

Chyrographum confert ad probationem, & ad celerem executionem. 5.

Ob easdem causas, ob quas dissoluuntur sponsalia non scripta, dissoluuntur scripta. 6.

1 ASsolent cómunitèr contrahentes sponsalia cum promissione futuri matrimonij scriptum matrimoniale conficere, quod chyrographum futurarum nuptiarum appellatur, in quo nedum promissionem matrimonij apponunt, sed etiam conditiones, & pacta, quibus contrahere intendunt, & sub quibus se obligant ad contrahendum. De hoc chyrographo pleraque contingunt dubitari; & primò, an sit de substantia contractus. Secundò, an obligationes oriantur solummodò post confectionem talis chyrographi, an verò antecedenter ad illud post initas verbalitèr conuentiones. Tertiò, ad quid conferat huiusmodi chyrographum, & cuius efficacitatis sit. Quartò, an ob easdem causas, quibus dissolui possunt sponsalia non scripta, possint dissolui post chyrographum confectum.

Variæ rationes dubitandi.

2 Assertio I. Chyrographum ex genere suo non est de substantia contractus sponsalium, potest tamen esse tale ex conuentione contrahentium. Est communis apud eos omnes, qui docent sponsalia solo mutuo consensu sensibilitèr manifestato perfici, nec vllam propriè requiri stipulationem, nec certam verborum formam; ex quibus à fortiori deducitur, nec esse scripturam de necessitate, & substantia.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quod sponsalia nihil aliud sunt, quam futurarum nuptiarum promissio per textum *in c. nostrates 30. qu. 5., & in l. 1. ff. de sponsal.*, & per ea, quæ nos suprà latè commendauimus *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsalib. 1. prænot. 1*, sed potest esse mutua promissio de futuris nuptijs sine vlla prorsus scriptura, quandoquidem eadem promissio manifestari potest per nutus, signa, vel per verba, ergò &c. Confirmatur, quià sponsalia sunt ex illis contractibus, qui inter personas habiles ad contrahendum solo consensu perficiuntur, ergò ad eius substantiam nullam prorsus exigunt scripturam, quæ ad summum requiritur ad pleniorem probationem.

Sponsalia solo consensu secundùm se perficiuntur.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod contrahentes in contractibus per pacta, & conuentiones sibi legem constituunt, ergò possunt ità velle contrahere, vt non obligentur, nisi per scripturam perficiatur contractus. Confirmatur primò, quià contractus non perficitur, nisi ad normam consensus, qui præstatur, sed consensus potest esse ad obligandum, si accedat scriptura, & ad non obligandum, si illa non accedat, ergò &c. Confirmatur secundò, contractus initus sub conditione possibili, & honesta, quinimmò etiam indifferente, & impertinentèr se habente non perficitur, nec obligat, nisi purificata conditione, ergò, si ineantur sponsalia sub expressa conuentione, quod illa non intelligantur perfecta, & completa, nisi accedente scriptura, vtique sine ista in suo esse non subsistent.

Contractus non subsistit, nisi ad normam consensus contrahentium.

Assertio II. Actiones actiuæ, & passiuæ, item, & obligationes nedum naturales, sed etiam ciuiles consurgunt ex genere suo ex sponsalibus mutuo consensu initis independentèr à quacunque scriptura, dummodo exterius constet de mutuo consensu absolutè posito. Consonat cum ijs, quæ dicta sunt in præcedenti assertione. 3

Ratio ex eo deducitur, quod ex contractu in suo esse, & substantialitèr completo consurgunt irremissibilitèr omnes actiones, & obligationes, quæ sunt propriæ talis cõtractus, & iura eisdem actionibus, & obligationibus plenè assistunt, sed posito mutuo consensu exterius manifestato contractus sponsalium intelligitur in suo esse, & substantialitèr completus, ergò ex illo oriuntur absolutè actiones, & obligationes nedum naturales, sed etiam ciuiles independentèr à quacunque scriptura, seù chyrographo. Confirmatur, quià actiones, & obligationes sunt affixæ contractui secundum se, non scripturæ, ergò constante de contractu, & non existente scriptura non erit, cur non sint concedendæ actiones, & obligationes.

Actiones actiuæ, & passiuæ consurgunt ex contractu completo.

Dixi, *ex genere suo*, non enim negauerim, quod, si partes conuenerint, quod ex cõtractu non teneantur, nisi perfecta scriptura, actiones, & obligationes non oriantur, nisi post illius confectionem, quià tunc consensus limitatur secundum intentionem expressam appositam per eosdem contrahentes, & vim non habet, nisi purificata illa conditione, & conditio ipsa sic purificata tunc est complementum contractus.

4 tractus. Quod si partes inter se absolutè cōuenerint,& de conuentionibus dixerint conficiendam esse scripturam, tunc non videntur ex genere suo requiri tanquam de necessitate contractus, sed solummodo ad probationem eiusdem, vnde, si ea non fuerit confecta,& aliunde probaretur contractus, non esset, cur huiusmodi actiones non essent concedendæ, & obligationes non consurgerent, quià, quod adiectum est ad probationem non constuit ad substantiam contractus, quæ iam perfecta supponitur independenter ab illo, & effectus probationis, qui aliundè haberi potest, quam ab vna causa essentialitèr non dependet ab illa.

Scriptura intelligitur ad probationem.

5 Assertio III. Chyrographum futurarum nuptiarum maximè confert ad probationem, & ad celerem executionem contractus secundum omnes conditiones, & pacta in eodem appositas. Est communis

Scriptura facta seruatis requisitis probat.

Probatur, quia scriptura ad eum finem inuenta est, & ordinata, vt inter absentes, & præsentes manifestet internos animi conceptus, vel actu existentes, vel qui antecedenter præcesserint, & hoc pro quocunque tempore, ergò scriptura continēs contractum sponsalium initum cum promissione futuri matrimonij, si fuerit seruatis omnibus seruandis confecta, vtique efficax, & valida erit ad eundem contractum comprobandum, cum præcipuè talis scriptura in alijs omnibus contractibus efficax sit ad huiusmodi probationem; aduertendum tamen est, quod cum talis scriptura supponatur priuata, non solum debeat per partes esse subscripta, sed etiam per tres testes.

Dixi, *& ad celerem executionem contractus*, quandoquidem in controuersia super existentiam, vel non existentiam contractus immediatè probat existentiam, quæ cæteroqui nonnisi per plures, & difficiles probationes posset euinci. Dixi *Secundum omnes conditiones, & pacta in eadem scriptura apposita*; cum etenim quandoque, & vt plurimum per contrahentes de pluribus conueniatur, quæ sunt præter substantiam contractus, scilicet vel quoad dotem indeterminata quantitate, vel quoad arrhas, vel quoad tempus, & locum, & similia, constito de existentia contractus, non propterea de illorum existentia constaret de facili, sicque scriptura huiusmodi ad eorum probationem plurimum confert.

Probat secundum omnes conditiones, & pacta.

6 Assertio IV. Ob easdem causas, ob quas dissolui possunt sponsalia non scripta, dissolui etiam possunt scripta, si excipias casum, quo sponsalia non scripta dissoluerentur ob defectum probationum quoad illorum existentiam in foro externo.

Probatur prima pars, primò, quia scriptura nullam vim confert contractui, nisi ad summum quoad probationem, ergò non est, cur si ob aliquam causam dissolui possunt sponsalia non scripta, ex eadem dissolui nequeant etiam scripta; nam siuè fuerunt scripta, siuè non scripta, semper intelliguntur inita sub tacita conditione, si res in eodem statu perseuerent; si igitur ex superueniente causa, vel cognita de nouo, cum antecedenter non fuerit cognita, res non intelliguntur in eodem statu perseuerare, vtique contrahentes poterunt à contractu recedere. Secundò, quia quantumuis sponsalia fuerint iuramento firmata, superueniente tamen iusta causa contrahentes, & iurantes possunt à contractu recedere, quia supponuntur consensisse, & iurasse sub conditione, si res in eodem statu permanserint, & iuramentum conformatur actui, cui adijcitur per latè superius allegata, & probata, ergo etiam quantumuis fuerint scriptura vestita, si causa superueuerit, ob quam possint dissolui non scripta, poterunt etiam dissolui vt scripta, cum scriptura etiam conformatur actui, cui adijcitur ad probationem.

Scriptura nullam vim confert contractui, nisi quoad probationem.

Probatur secunda pars, quia scriptura quantumuis priuata si fuerit seruatis seruandis confecta plenè probat, siuè in iuditio, siuè extra iuditium in ijs omnibus, ad quæ est inducta, ergo si sponsalia non scripta dissolui possunt ob defectum in foro externo probationum, non propterea ex hoc capite dissolui poterunt sponsalia legitimè scripta, seruatis omnibus in hoc genere seruandis, quandoquidem ipsa scriptura secundum se sufficiens supponitur ad plenè probandam.

Hoc tamen vnū aduerterē, quod regulariter secundū cōmunē hominū existimationem, quando decernitur de chyrographo matrimoniali conficiendo in ordine ad nuptias futuras non intelligatur contractus secundum plenum consensum completus, nisi in eadem chyrographi confectione, non quia illud sit de substantia contractus secundum se, sed quia ipsi contrahentes tunc solum intelliguntur consensū absolutum ponere, vnde præcedentes tractatus præsumuntur se habere per modum dispositionis præparatoriæ, non autem per modum complementi contractus.

Regulariter conuenientes de chirographo conficiendo non intelliguntur obligari, nisi illo confecto.

PRÆNOTIO II.

Quale debeat esse huiusmodi chyrographum ad plenam probationem sponsalium.

SVMMARIVM

Ad plenam probationem non sufficit scriptura quomodocunque confecta, sed debet esse & partium, & trium testium subscriptione firmata. 1.

Sententia afferens testes deponentes de contentis

tes in scriptura priuata sufficere duos; tres verò requiri, si præcisè asserant, se vidisse scripturam priuatam confici. 2.

Scriptura priuata ex conuentione contrahentium potest plenè probare. 3.

Confecta scriptura priuata per partes, & per tres testes firmata altero ex contrahentibus negante plenè probat, si testes deponant interfuisse, quando contrahentes subscripserunt. 4.

Vbi tres testes subscripserint, non requiritur litterarum comparatio, si id fateantur. 5.

Literarum comparatio mortuis testibus quomodo conferat. 6.

INstrumentum publicum efficacem vim habere ad plenè probanda sponsalia cum omnibus pactis, & conditionibus in eisdem adiectis certo certius est, & à nemine reuocatur in dubium. Tota difficultas reducitur ad priuatam scripturam, seù chyrographum inter partes confectum, an, & quasnam scilicet habere debeat conditiones, vt sufficientèr, & efficacitèr probet contractum fuisse initum, & obliget contrahentes ad eundem perficiendum.

1 *Debet esse firmata, & quomodo.* Riminald. Triuisanus Genua.

Assertio I. Ad plenè probandum non sufficit scriptura quomodocunque confecta, sed debet esse, & partium, & trium testium subscriptione firmata *Riminal. cons. 39. num. 13. lib. 1. Thomas Triuisanus lib. 1. decis. 60. num. 8. Genua de script. priuata lib. 1. num. 10.*, qui DD. licet loquantur de scriptura priuata in genere, non est tamen ratio, cur intelligi non debeat de scriptura priuata etiam quoad sponsalia.

Ratio primæ partis, quod scilicet non sufficiat scriptura priuata quomodocunq; concepta deducitur ex textu *in l. instrumenta cum ibi not. C. de probat. in l. nuda C. de donationibus in l. exemplo, & l. rationes C. de fid. instrum., & in auth., si quis vult in fin. C. qui pot. in pign. hab.*, & ex communi DD. consensu *Aret. cons. 64. num. 1. Immola cons. 37. num. 4. Rebuf. cons. 4. num. 25. Mantua cons. 30. num. 10. in 2. Parisius cons. 125. num. 15. in primo, Rolandus à Valle cons. 2. num. 139. in primo Riminaldus Iun. cons. 213. num. 104., & cons. 452. num. 9. Pancirolus cons. 140. num. 18. Turretus cons. 74. num. 59. in primo Ioannes Baptista Costa cons. 1. num. 92. in primo Mascardus concl. 111. num. 1. Aluarus Valascus consult. Lusitania 177. num. 1, tom. 2.* Rationem adducit *Genua de script. priuat. lib. 1. num. 9.*, quià scilicet scriptura priuata non probat contra tertium, adeoque secundum se nullam inducit plenam probationem, sed melius assertum in eo fundarem, quià negante eo, qui scripsit, non est, cur scripturæ sit credendum, cum congruis non muniatur adminiculis.

Aret. Immola. Rebuffus. Mantua. Parisius. Rolandus à Valle. Rimiuald. Pancirolus Torretus. Costa. Valascus.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià scriptura priuata partium, & trium testium subscriptione firmata æquiualet publico instrumento per textum *in l. scripturas, & ibi Bartolus C. qui pot. in pign. habeantur*, sed instrumentum publicum plenè probat, ergò etiam &c., atque hæc est communior DD. opinio *Riminaldus d. cons. 39. num. 13. in primo, Bartolus in d. l. scripturas C. qui pot. in pign. habeantur, Mascardus de probationibus concl. 109. num 5. Genua de priuata scriptura lib. 1. num. 10. Thomas Triuisanus lib. 1. decis. 60. num. 8. Bartolus in l. admonendi nu. 26 ff. de iur. iurand. Antonius de Butrio in c. 2. de fid. instrum.*

Æquiualet publico instrumento. Riminald. Bartolus. Mascardus Genua. Butrius.

Dices primò, ad probandum impedimentum inter contrahentes sponsalia sufficit vnius testis depositio per ea, quæ latè fuerunt probata, & suprà in secunda parte huius contractus, ergò etiam ad probandam plenam constitutionem contractus sufficiet vnius testis depositio, & subscriptio in priuata scriptura. Sed contra neganda est consequentia. Ratio disparitatis in eo consistit, quià ex speciali dispositione inductum est in primo casu, vt vnius testis depositio sufficiat, eo quià agitur de peccato vitando, quod in cæteris non legitur inductum, adeoque &c.

Vbi agitur de peccato vitando sufficit vnicus testis.

Dices secundò, ad probandum contractum aliquem fuisse celebratum sufficit duorum testium depositio iuxta regulam generalem *In ore duorum, vel trium stat omne verbum*, ergò etiam, vt scriptura sit sufficiens ad probandum, sat erit, quod fuerit duorum testium subscriptione firmata. Sed contrà, quià vbi agitur de probando scripturam ab aliquo fuisse confectam ex testium subscriptione specialitèr à iure inductum est, vt requiratur trium testium subscriptio, & hoc ea ratione, quod cum de facili imitari possint caracteres partiũ subscribentium posset facilis patere via ad deceptiones, quibus iura obuiantia consulere voluerunt exigendo plurium testiũ subscriptiones; verum tamen est, quod multi asserant, quod, si duo ex testibus subscriptis deponant talem scripturam fuisse scriptam à contrahentibus plenè probent *Iacob. de Aret. in l. comparationes C. de fid. instrum. Alexander cons. 81. num. 3 vol. 2. Dec. in c. 2. nu. 8. de fid. instrum. Paulus de Castro cons. 134. lib. 1. Bertrandus cons. 409. nu. 6. vol. 6.*, quamvis *Felinus in d. c. 2. num. 3. vers. tertia declaratio de fid. instrum.* præcitatorum DD. limitet dictum ea restrictione, 2
vt si testes deponant de contentis in priuata scriptura duo sufficiant, si verò asserant se vidisse scripturam priuatam confici, tres requirantur, prout etiam sensisse videntur *Socinus cons. 274. col. 7. vol. 2. Aret. cons. 64. num. 3.*

Depositio duorum testium subscriptorum quomodo probet. Alexander Decius. Paulus de Costa. Bertrand. Felinus. Socinus. Aret.

Assertio II. Quantumvis scriptura priuata secundum se plenè non probat, ex expressa tamen conuentione partium induci potest, vt plenè probet, quatenus volue- 3

Plenè probat ex conuentione contrahentium.

voluerint vim habere publici instrumenti; vel eandem vim habere, ac si esset scriptura omnibus adminiculis ad hoc requisitis comprobata. *Baldus in l. de quibus nu. 17. ff. de legib. Iason in repetit. l. admonendi n. 102. & seqq. ff. de iur. iuran. Felinus in c. 2. n. 13. de fid. instrum. Parisius cons. 68. num. 34. in tertio Marsilius in repetit. rub. C. de probationibus num. 299., & seqq. Crauetta cons. 939. num. 12. in quinto, Vasquius lib. 2. suarum controuers. vsu freq. c. 29. num. 1.*, & nos etiam latè docuimus in simili materia *tom. 2. sub tit. Contractus V. de cambijs 2. Disq. 3. §. 7. per totum*, quæ omnia ibi recole, faciunt enim plurimum ad rem præsentem, & vlterius ratione sic

Baldus, Iason, Felinus, Parisius, Marsilius, Crauetta, Vasquius.

Probatur, quod scriptura priuata plenam probationem non inducat inductum est à iure in fauorem partium *Iason. in d. repetit. l. admonendi num. 101. in fin. ff. de iure iuran.*: partes autem ijs, quæ in proprium fauorem inducta sunt possunt renunciare *arg. textus in l. si quis in conscribendo C. de pactis tergo &c.* Hic DD. ad hoc comprobandum plurima afferunt exempla, & paritates. Sic *Ioannes Andreas in addit. ad specul. tit. de teste §. sepe in prima adit.* statuit, quod ex cõsensu partiũ possint testes cæteroqui inhabiles fieri habiles. Sic *Innoc. in c. cum causam extra de testib. Salicetus in l. si quis testam. C. de testibus Caroccius de iuram. lit. decis. quæst. quinta qq. principalis* asserunt attestationes inualidas factas scilicet tempore feriarum posse ratificari consensu partium. Sic *Bartolus in l. Lucius in fin. ff. de fideiuss. Baldus in l. in bonæ fidei col. penult. C. de reb. credit.* docent, quod pactum initum à partibus, quod stetur dicto alicuius testis etiam iuramento non confirmato teneat, & obliget partes ad eidem standum. Alia plura referunt *Genua lib. 1. de priuata scriptura à num. 38. vsque ad 45. Felinus in c. 2. num. 13. de fid. instrum., & Iason. in repet. d. l. admonendi num. 102., & seqq.* quos omnino tu consule.

Partes cedunt ijs, quæ sunt in proprium fauorem.

Ioannes Andreas, Innocētius, Salicetus, Carocius.

Exemplis, & paritatibus conuincitur.

Genua, Felinus, Iason.

4 Assertio III. Confecta scriptura per partes de futuro matrimonio contrahendo, & trium testium subscriptione firmata, si posteà per alteram ex partibus denegetur, vim non amittit ad plenè probandum, si testes deponant fuisse præsentes, quando fuit scripta ab eisdem contrahentibus, seu à contrahente negante. *Bartolus in l. admonendi num. 26 ff. de iureiur. Antonius de Butrio in c. 2. de fid. instrum. Lanfrancus de Orca in tract. de fid. instrum. num. 54. Imola in l. nuda col. fin. versic. item adde ff. de donat. Decius in d. c. 2. nu. 2. de fid. instrum. Alba cons. 33. num. 3. Mascardus de probat. concl. 285. num. 1. Cabalinus milleloq. 657. per totum.*

Probatur, si tres testes deponant de subscriptione partium.

Bartolus, Butrius, Lanfranchus, Imola, Alba, Cabalinus.

Expresse colligitur ex textu *in l. scripturas cum auth. si quis vult C. qui pot. in pign. habeantur*; nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem ad hunc effectum à iure admittuntur, & requiruntur tres testes quoad scripturas priuatas subscribentes, vt in hypothesi negationis per alterum ex contrahentibus illorum depositio aduersus negantem vrgeret; ad quid enim exigerentur, si illorum depositio plenè non probaret.

Hic nonnulla dubia excitant DD., & primo, an ad plenè probandum sufficiat trium testium subscriptorũ recognitio, & depositio, an verò vlterius requiratur literarum comparatio. Secundo, an sufficiat, quod duo ex testibus subscriptis deponant, an
verò omnium trium requiratur depositio. 5
Quoad primum negant requiri huiusmodi literarum comparationem existente depositione trium testium *Calcan. cons. 29. num. 16. sub fin. Antonius de Butrio in c. scriptura num. 4. de fid. instrum. Alexander in cons. 182. num. 3. lib. 2. Bartolus in auth. & si contractus C. de fid. instrum. Ioannes de Imola in l. nuda ratio ff. de donat. Iason. in l. admonendi num. 88., & seqq. ff. de iureiur.* Affirmant verò requiri huiusmodi comparationem *Caccialuppus in d. l. admonendi concl. 10. ff. de iureiuran. Angelus in l. comparationes C. de fid. instrum. Baldus in auth. sed nouo iure col. 2. vers. sed modo oppono C. si cert. petat. Corne. in cons. 48. in hac consultatione col. 2. lib. 3.*

Sententia negans requiri comparationem.

Sententia affirmans.

Distinguit, & opiniones has extremè oppositas conciliat *Genua de scriptura priuata in addit. ad tract. de scriptura priuat. tit. de chirographo num. 27., & seqq.* iuxta diuersum modum, quo huiusmodi testes deponunt; vel etenim præcisè deponunt se fuisse partium subscriptioni præsentes, & subscripsisse, vel vlterius deponunt omnia in chirographo scripta vera esse; iuxtà primum sensum vltra testium depositionem asserit requiri literarum comparationem; non sic iuxta secundum. Adhæreo mediæ huic Genuæ opinioni, quamuis valde probabilem, & magis tutã reputẽ primam opinionem negantem in ea hypothesi requiri eam literarum comparationem.

Probabilius non requiritur comparatio.

Quoad secundum asserendum existimo, scilicet sufficere duos testes, si non solum afferant se fuisse præsentes subscriptioni partium, sed etiam de veritate contentorum in scriptura, seu chyrographo illo, requiri verò tres, si solum deponant de partium subscriptione.

Assertio IV Confecta scriptura subscripta per cõtrahentes, & per tres testes, si per al-
terum ex contrahentibus denegetur, nec 6
amplius extent testes, qui possint deponere multum confert ad probationem literarum comparatio, vel testium notã habentium manum scribentis ex caracteribus, & figuris literarum depositio. Consonat cum ijs, quæ per nos dicta sunt *tom. 2. sub tit. Contractus V. de cambijs II. Disq. 4. §. 22.*

Literarum comparatio fallax.

12. num. 2. Fateor tamen non ita plenam inducere probationem, quandoquidem comparatio literarum est maximè fallax, & caractheris similitudo potest facilè effingi. In his non immoror, quia de his alibi erit sermo.

PRÆNOTIO III.

An, & quomodo Sponsalitia Largitas inter sponsos de futuro valida sit.

SVMMARIVM.

Sponsalitia largitas, quid sit, & ad quem finem inducta. 1.

Interueniente pacto, vt nullo modo redeat ad donantem, est irreuocabilis, quantumuis, nec sequatur osculum, nec copula. 2.

De iure antiquo nullo existente pacto sponsalitia largitas præsumebatur pura, & absoluta. de iure nouo etiam præciso pacto est conditionalis, & reuocabilis. 3.

Si matrimonium non sequatur ex culpa donantis donatarius integrè eam acquirit, si ex culpa donatarij, integrè ea restituitur. 4.

Matrimonio non secuto sine culpa alicuius restituenda est integrè, si non præcesserit osculum, dimidiate si osculum præcesserit, vel copula. 5.

REgulariter donationes inter coniuges constante matrimonio non tenere crebris iuribus definitum est, & præcipuè *in l. 1., 2., & 3., & 4. ff. de donat. inter virum, & vxor., & in l. cum hic status ff. eodem* vnde etiam dicitur, quod augmentum dotis factum à marito vxori constante matrimonio non teneat *Sanchez de matrimonio lib. 6. disput. 1. num. 2. Castrensis in l. 1., & in l. 4. C. de donat. ante nupt. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. num. 2. Ioannes Angelus Bossius tract. de dote c. 8. nu. 21.* Sed de his forte inferius, seù alibi erit sermo vberimus. Nunc specialiter de donationibus inter sponsos de futuro, seu de sponsalitia largitate; quam aliqui vocant donationem ante nuptias.

Sanchez. Castrensis. Menochius Bossius.

1 Hæc sponsalitia largitas nihil aliud est, quam donatio facta inter sponsos de futuro matrimonij ineundi spe, eiusque causa, prout explicat *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 1. num. 1.* De hac in præsenti inquiretur primo, an si inter ipsos conuenerit, vt nullo casu redeat ad donantem statim transeat irreuocabiliter ad donatarium, adeo vt nec reuocari possit, quantumuis, nec intercesserit copula, nec osculum, & ex culpa donatarij matrimonium non sequatur. Secundò, an si nullum intercesserit pactum de matrimonio ineundo illa donatio, seu sponsalitia largitas intelligatur irreuocabilis, seu quod idem est, an ad hoc vt illa donatio sit irreuocabilis, necessaria sit expressio conditionis, si matrimonium celebrabitur, & ea non expressa intelligatur absoluta, & pura donatio, & irreuocabilis. Tertio quid sentiendum sit circa huiusmodi sponsalitiam largitatem, quando ex culpa, vel donantis, vel donatarij non sequitur matrimonium.

Quid sit, & rationes eius ipsam dubitandi.

2 Assertio I. Interueniente pacto inter donantem, & donatarium in sponsalitia largitate, vt nullo casu redeat ad donantem, acquiritur irreuocabilitèr donatario, quantumuis, nec osculum sequatur, nec copula intercedat, & ex culpa donatarij non sequatur matrimonium *Glosa §. est, & aliud verbo exequentur in fin. instit. de donat. Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 2. Sanchez de matrimon. lib. 6. disput. 18. nu. 1. versic. prima conclusio.*

Interueniente pacto fit irreuocabilis. Glosa. Gomez. Sanchez

Expresè colligitur, *ex l. 1. vers. igitur ff. de donat. l. si mater C. de donat. ante nupt.*, & facilè ex eo liquet, quia nec donatio ipsa secundum se, nec tale pactum initum est sub aliqua conditione de futuro, quin immò cum exclusione cuiuscunque conditionis, nec talis donatio inter sponsos de futuro est aliquo iure prohibita, ergo quia absoluta est, & pura irreuocabilitèr transit in donatarium, quia nullo iure prohibita est, nulla ratione irritatur. Antecedens patet ex ipsa natura pacti, quod excludit quamcunque causam reuocationis, nec iura excludunt inter sponsos de futuro donationes, cum prohibeantur solummodo inter coniuges constante matrimonio.

Dices primo non esse præsumendum, quod in illo pacto voluerint contrahentes se obligare ad non reuocandam donationem in hypothesi, quod matrimonium non contrahatur, præcipuè ex culpa donatarij, cum donatio illa facta fuerit sub spe matrimonij contrahendi; vnde illud pactum videtur referri ad alias causas, quam quod non contrahatur ex culpa donatarij. Sed contra quia ex eo, quod contrahentes excluserint omnem causam reuocationis, intelliguntur etiam exclusisse causam matrimonij non contracti, quantumuis ex culpa, qui enim dicit omne nihil excludit; quinimmò ex eo, quod reuocabilitatem excluserint ex quacunque causa, videntur specialitèr respexisse ad hanc causam matrimonij non contracti, quandoquidem alia specialior causa non possit assignari, ob quam possit reuocari.

Pactum respicit irreuocabilitatem ex quacumque causa.

Dices secundo, fundamentum reuocationis donationis desumi posse ex titulo ingratitudinis, ratione cuius donatarius defecit ex sua culpa à promissis, & conuentis; quid enim indignius est, quam versus benefactorem ex aliquo titulo deficere à conuentis ex eodem titulo? Sed contra, quia hic titulus iam exclusus est ex eo, quod potentia ad reuocationem fuerit ex omni causa exclusa, vnde dona-

Ex motiuo antidotali non inducitur obligatio ex iustitia.

tio illa supponitur potius facta ad alliciendum ad contractum, quam ad obligandum, ex motiuo autem antedorali non inducitur obligatio ex iustitia ad adimplendum; vnde, si non adimpleatur, non propterea resoluitur donatio, vt patet in similibus. Deinde non supponitur promissio.

De iure antiquo est pura, de iure nouo conditionalis.

3 Assertio II. De iure antiquo nullo existente pacto inter sponsos, quod donatio intelligeretur facta sub conditione matrimonij ineundi præsumebatur semper absoluta, & irreuocabilis; de iure autem nouo etiam præciso pacto expresso intelligitur facta sub illa conditione, quæ propterea non adimpleta reuocabilis est *Molina tom. 2. de iust., & iure tract. 2. disp. 290. in princip. Gomez Arias l. 50. Tauri num. 3. Sanchez de matrimonio lib. 6. disp. 18. num. 2., & alij magis communiter.*

Molina. Gomez Arias. Sanchez.

Prima pars expresse habetur *in l. 1. vers. igitur ff. de donat., & l. 2., & l si filia, & l. si tibi C. de donat. ante nupt.*, & ratio est, quia tunc nulla ratio conditionis habebatur, cuius non adesset expressio, vnde omnia tanquam absolutè inita præsumebantur.

Secunda pars etiam expresse habetur *ex l. cum veterum C. de donationibus ante nuptias*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem ex iurium dispositione, præsumptaque contrahentium voluntate illa conditio intelligitur tacitè illa donationi inesse; non enim præsumendum est, quod quis voluerit aliquid ad aliquem finem erogare eodem fine non adimpleto; Neque obstat, si asseratur iuxta ea, quæ dicta sunt *tom. 4. sub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth. prænot. 5 sect. 3. nu 21.*, quod donationes factæ à marito ante matrimonium futuræ vxori ea adiecta conditione, vt tantum valeant tales donationes, quando verè contractum fuerit tale matrimonium, non teneat, sed adhuc celebrato matrimonio possit reuocari, prout latè docent *Castrensis in l. 1., & in l. 4. C. de donat. ante nupt. Menochius de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 12. num. 2. Sanchez de matrimonio lib. 6. disp. 7. num. 8. Ioannes Angelus Bossius de dote cap. 8. num. 21.* propter eam rationem, quia, si fieret per maritum talis donatio constituto iam matrimonio absolutè non teneret per textum *in l. 1., & seqq. ff. de donat. inter vir, & vxorem*, ergò etiam non potest tenere, quando eodem matrimonio non constante adhuc ea intelligeretur conditio, vt non teneret donatio, nisi quando verè contractum fuerit matrimonium. Consequentia tenet, quia cum quicunque actus initus sub conditione de futuro non obliget, nisi purificata conditione, & post purificatam ex dispositione iuris non teneat ille actus perindè est, ac si fuerit initus pro tempore, pro quo eodem iure obstante idem actus non potest esse validus *l. in tempus ff. de hæred. instit., & l. eum, qui ff. de iurisd. omnium Iud. Tiraquel de iure constituti part. 3. limat. 2. num. 3., & seqq. Cosia in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib., & posthum. part. 2. num. 172.*, ex quibus sequitur, vel quod non possit præsumi illa tacita conditio, vel quod, si præsumatur, non possit habere locum donatio; Non obstat, inquam, quia conditiones, quæ tacitè intelliguntur inesse contractui, vel alicui actui non suspendunt eundem, sicuti conditiones expressæ, quæ per speciales contrahentium conuentiones adijciuntur *l. conditiones, quæ extrinsecus ff. de conditione, & demonst., & c. significasti cum ibi notat. de elect., & communiter DD. in l. 2. ff. de legat. 1. Glosa in c quemadmodum de iure iurand., & ibi Hostiensis super verb. iuramentum Ioannes Andreæ num. 13. Ancharanus num. 3. Abbas num. 9.* Secundò, vt benè notat *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 18. num. 2. vers. quod si obijcias* dici non potest omninò, quod talis conditio referatur præcisè ad tempus contractus, cum matrimonio non secuto culpa alterius tota donatio deuoluatur ad donatarium, & eodem non secuto absque culpa lucratur sponsa per osculum medietatem rei donatæ, vt mox subdo.

Instantia aduersus assertionem.

Castrensis. Menoch. Sanchez. Bossius.

Resolutio instantiæ propositæ.

Glosa. Hostiensis. Ioannes Andreas. Ancharan. Abbas.

Assertio III. Si matrimonium non sequatur ex culpa eius, qui contulit sponsalitiam largitatem donatarius integrè eam acquirit; si verò ex culpa donatarij tunc integrè restituenda est ei, qui illam contulit. Consentit in hanc assertionem *Sanchez lib. 6 de matrimonio disp. 18. nu. 3.* 4

Iuxta culpam amittitur, & acquiritur.

Expresse colligitur tota assertio ex textu *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, vbi sic legitur *Siquidem sponsus, vel parentes eius sortiri filium noluerint vxorem id; quod ab eo donatum fuerit, nec repetatur traditum, & si quid apud donatorem recedit ad sponsam, & hæredes eius submotis ambagibus transferatur. Quod, si sponsa, vel is, in cuius agit potestate causam non contrahendi matrimonij præbuerit tunc sponso, eiusque hæredibus sine aliqua diminutione per conditionem, aut per vtilem actionem in rem redhibeantur. Quod similiter obseruari oportet, & si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit.* Ratio huiusmodi iuris, & assertionis colligitur ex eodem textu, vbi statuitur, quod nõ ex mera liberalitate præsumatur donatio, sed contemplatione matrimonij, quod semper præsumitur, nisi in contrarium sit actum, vt benè notat *Glosa ibid. in verb. cum veterum sententia*, ergò deficiente donatore ex sua culpa à talis matrimonij executione nõ erit, cur in pœnam res donata non debeat fieri donatarij, qui quantum est ex se paratus est contrahere, & perficere matrimonium.

Iura inio: tentia assertionem.

Assertio IV. Si matrimonium non sequatur sine culpa alterius ex sponsis, sed 5

ex aliquo casu, tunc non tenet absolutè sponsalitia largitas, sed omne, quod donatum est, debet restitui, si nec osculum, nec copula fuerit secuta; si verò fuerit secutum osculum tunc sponsa acquirit medietatem sponsalitiæ largitatis, si verò copula, de iure antiquo sponsa acquirebat sponsalitiam largitatem integrè, de iure verò nouissimo Tridentini ex quadam æquitate nonnisi medietatē lucratur. Hæc intellige, quando per sponsum collata est sponsalitia largitas sponsæ, & eidem osculum contulit in ordine ad amissionem medietatis sponsalitiæ largitatis, secus verò, quando sponsa talem largitatem contulit sponso, & eidem osculum infigit. Consentiunt in hanc assertionem omnes iuris interpretes, & Theologi, & præcipuè *Sanchez d. lib. 6. de matrimonio disp. 18. Cinus in l. si à sponso C. de donat. ante nuptias Ioannes Lupus rub. de donat. §. 3. in fine.*

Dissoluto matrimonio sine culpa integrè restituitur, dimidiatè, si cum osculo, vel copula.

Sanchez. Cinus. Lupus.

Prima pars expresè colligitur *ex d. l. si à sponso C. de donationib. ante nuptias*, qui textus non solum loquitur, quando sponsus contulit largitatem huiusmodi sponsæ, & matrimonium ob casum non sequitur -Ibi- *Osculo verò non interueniente, siue sponsus, siue sponsa obierit totam infirmari donationem, & donatori sponso, vel heredibus eius restitui*, sed etiam, quando sponsa sponso talem largitatem erogauit -Ibi- *Quod si sponsa interueniente, vel non interueniente osculo donationis titulo fuerit aliquid sponso largita, & ante nuptias hunc, vel illam mori contigerit omni donatione infirmata ad donatricem sponsam, siue eius successores donatarum rerum dominium transferatur.*

Huic textui aduersari ex directo videtur textus *in l. si tibi C. de donat. ante nuptias*, vbi sic legitur. *Si tibi res proprias liberalitatis causa sponsus tuus tradidit, eo quod ab hostibus posteà interfectus est, irrita donatio fieri nō potest.* Certè interfectio sponsi ab hostibus est casus inopinatus non proueniens ex culpa eiusdem sponsæ. Quomodo igitur hic dicitur non reddi irrita donatio, dum in allegato textu *in l. si à sponso* dicitur, quod donatum, si ex casu non sequatur matrimonium, sit restituendum donanti, vel eius hæredibus. Sed facile occurrere possumus conciliando huiusmodi textus, adeò vt hic *in l. si tibi* intelligendum sit de iure antiquo; secundum quod quæcunque donatio etiam inter sponsos præsumebatur absoluta, libera, pura, & irreuocabilis vt pote procedens ex titulo merè liberalitatis, nisi esset expressa conditio futuri matrimonij, prout dicebamus supra in secunda assertione *ex l. 1. vers. igitur ff. de donat., & ex l. si filia, & l. si tibi C. de donat. ante nup.* textus verò *in l. si à sponso* sit intelligendus de iure nouo Codicis, secundum quod omnia, quæ ad inuicem erogantur inter sponsos ante nuptias intelliguntur erogata sub conditione futuri matrimonij; atq; iuxta hunc sensum interpretatur *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 18. num. 2.* textum *in d. l. si tibi C. de donat ante nupt.*, atque huic textuum conciliationi expresè adhæret *Glosa in d. l. cum veterum C. de donat. ante nupt. in verb. cum veterum.*

Explicatur textus in l. si tibi C. de donationib. ante nuptias vt non ad uersentur assertioni.

Secunda pars, si osculum scilicet intercesserit, quando sponsus contulit sponsæ sponsalitiam largitatem expresè colligitur *ex d. l. si à sponso C. de donat. ante nupt.*, vbi sic legitur *Si à sponso rebus sponsæ donatis interueniente osculo ante nuptias hunc, vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad superstitem pertinere praecipimus, dimidiam ad defuncti, vel ad defunctæ hæredes cuiuslibet gradus sint, & quocunque iure successerint.* Ratio autem, cui innititur hic textus ea est, quia sponsa per osculi impressionem moralem quandam contrahit fœditatem, ratione cuius non ità facilè nubere posset, ac si osculum illud passa non fuisset.

Sponsa per osculum moralem contrahit fœditatem.

Tertia pars, quod scilicet, si secuta fuerit copula de iure antiquo sponsa acquireret integrè sponsalitiam largitatem colligitur *ex c. is, qui fidem de sponsalib.*, nec incongrua ratione hæc procedebant, quandoquidem antiquitus contractis legitimè sponsalibus per copulam eadem transibant in matrimonium, & vtique consummatum *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 4. in princip. Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 3. Matienzo lib. 5. recopil. 2. rub. Glosa 3. num. 3.* matrimonio autem consummato sponsa acquirit integrè sponsalitiam largitatem, eo quia conditio intelligitur integrè purificata, prout latè adductis iuribus, & rationibus probat *Sanchez d. lib. 6. de matrim. disp. 19. num. 1.* De iure verò nouo *Concilij Trid. sess. 24. de matrim. c. 1.* totam largitatem non acquiri etiam secuta copula ante nuptias ex eo deducitur, quia ex dispositione eiusdem Concilij sponsalia per illam copulam non transeunt in matrimonium; ex solo autem matrimonio consummato, prout infra dicemus integra sponsalitia largitas acquiritur sponsæ. Maior difficultas est circa id, quod subditur, quod scilicet stante Concil. Trid. non nisi medietatem lucretur, & ex quadam æquitate: videtur etenim omninò incongruum, quod ex opere omninò illicito consequatur sponsa præmium legale medietatis iocalium. Nihilominus standum est in decretis, quod scilicet illam medietatem acquirat, quandoquidem plus detrimenti, & verecundiæ patitur sponsa per copulam, ac per osculum patiatur; Si igitur ratione istius acquirit medietatem, non est, cur ratione illius non debeat acquirere; Neque obesse potest id, quod ex aduerso asserebatur, quod scilicet ex actione illicita nequeat sponsa lucrari premium legale

Lupus. Gomez. Matienzo.

Sanchez.

Ex copula acquirit medietatem ex æquitate.

Iura respexerunt ad ruborem, & verecundiam.

Non, inquam, obesse potest, quià iura non respexerunt ad esse licitum, vel illicitum, sed ad ruborem, & detrimentum sponsæ, quod certè maius est in copula, ac in simplici osculo, & fæmina consentit in eadem sub spe futuri matrimonij, quod, si contraheretur macula illa quodamodo abstergeretur.

Sponsus ex osculo non acquirit foeditatem.

Quarta pars, quod scilicet, si sponsa contulerit iocalia sponso, nil sponsus acquirat per osculum, sed integrè debeat restituere ex eo deducitur, quod per osculū non consideratur in eodem illa deformitas, seù detrimentum, quæ considerantur in fæmina, quandoquidem secundum cōmunem hominum existimationem sponsus ob osculum nullum ruborem, nullamque induit verecundiam; vnde merito dicitur *in d.l.si à sponso in fine. Quod, si sponsa interueniente, vel non interueniente osculo donationis titulo fuerit aliquid sponso elargita, & ante nuptias hunc, vel illam mori contigerit omni donatione infirmata ad donatricem sponsam, seù eius successores donatarum rerum dominium transferatur,*

PRÆNOTIO IV.

Quandonam acquiratur sponsalitia largitas à sponsa quoad medietatem, & quando non acquiratur, & an per amplexus.

SVMMARIVM.

Variæ rationes dubitandi. 1.
Si osculum præcesserit sponsalitiam largitatem à sponso collatam sistendo in rigore iuris sponsa non lucratur medietatem, iocalium, bene tamen ex æquitate. 2.
Sponsa, si non fuerit virgo reputata tamen à sponso pro Virgine, per osculum non acquirit medietatem. 3.
Si osculum præcesserit sponsalitiam largitatem, & sponsalia sponsa nihil lucratur. 4.
Sponsa ex simplici amplexu præcisè sine osculo non acquirit medietatem sponsalitiæ largitatis, si matrimonium non sequatur. 5.

1 QVÆ in præcedenti prænotione attigimus secundum se, & in genere, nunc in particulari examinanda assumimus, & secundum peculiares circumstantias. Hic primò inquiretur, an sponsa per osculum acquirat medietatem sponsalitiæ largitatis, siue talis sponsalitia largitas præcesserit tale osculum, siue fuerit subsecuta. Secundò, an eandem quoad medietatem acquirat, siue sponsa fuerit virgo, siue corrupta, à sponso tamen reputata vt virgo. Tertiò, an lucretur nō solum, si osculum subsecutum fuerit sponsalia, sed etiam, si eadem præcesserit.

Articuli examinandi sub hoc titulo.

Quartò, an acquirat, si sponsalia fuerint conditionalia, & ante conditionis euentu osculum accesserit. Quintò, an per solum amplexum sine osculo.

Assertio I. Si osculum præcesserit sponsalitiam largitatem à sponso collatam sistendo in rigore iuris sponsa non lucratur medietatem iocalium, considerata tamen æquitate eandem aquirit. Sic conciliare existimo opiniones extremè oppositas *Antonij Gomez l. 52. Tauri num. 9. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2 glos. 3 num. 1. Barbosæ rub. ff. solut. matrim part. 2. num. 112.* asserentium absolutè talem medietatem lucrari, & aliorum asserentium eandem non lucrari. 2

Præcedente osculo tecolia ex æquitate lucratur, non ex rigore iuris.

Ratio primæ partis desumitur ex textu *in l. si à sponso C. de donat. ante nupt.*, vbi dispositio sic concipitur. *Rebus à sponso donatis interueniente osculo*, vbi supponitur donatio iam facta antecedentèr ad osculum, & tunc dicitur acquiri quoad medietatem sponsæ, ergò, si osculum præcesserit talem donationem nullo præexistente ordine expresso ad talem donationem illa medietas eidem sponsæ non acquiretur. Consequentia probatur, tum quià in odiosis disposita secundam vnam qualitatem expressam non intelliguntur disposita quoad aliam non expressam; tum quià qualitas adiecta verbo debet intelligi iuxta tempus verbi *l. in delictis §. extraneus ff. de noxali*; cum igitur textus loquatur de donatis interueniente osculo debet intelligi, quando interuenit osculum, postquam res fuerint donatæ, ea proportionali ratione, qua, quià dicitur de rebus donatis à sponso interueniente osculo acquiri quoad medietatem sponsæ, debet intelligi secutis sponsalibus, cum ante illa non sint propriè sponsi, adeoque, quod osculum ad acquirendam illam medietatem debeat interuenire, postquam sponsalia sint contracta, non antecedenter, ità &c.

In odiosis dispositum quoad expressa non extendunt ad non expressa.

Dices primò ex textu non euinci, quod loquatur præcisè, quando donatio præcesserit osculum, vt patet ex contextu verborum eiusdem; dicitur enim solum *Rebus à sponso donatis interueniente osculo*, quod æquè esse potest, siue osculum præcesserit, siue fuerit subsecutum; nulla etenim est particula, quæ indicet donationem præcessisse, & ablatiuus absolutè positus indefinitè significat; nec potest dici, quod arguatur ex eo, quod antecedentèr fuerit posita donatio ad osculum, quià hoc merè verbalitèr, & materialitèr se habet. Sed contrà, quià nedum ordo verborum in præfato textu indicat donationem præcessisse osculum, cum dicatur *de rebus donatis interueniente osculo*, sed etiam vis significatiua verborum, ly etenim *interueniente* appositum post res donatas, & ante effectuationem matrimonij promissi, vel dissolutionem

Ordo verborum indicat donationem præcessisse osculum.

tionem eiusdem indicat osculum medium fuisse inter donationem, & dissolutionem, adeo vt ad illam fuerit consequens, ad hanc antecedens.

Dices secundo, non valere argumentum à rebus donatis post osculum antecedenter ad sponsalia contracta ad easdem res donatas post osculũ subsequenter ad eadẽ sponsalia quandoquidẽ in prima hypothesi osculum est actio omnino illicita, ex qua sponsa non potest consequi præmium legale, in secunda vero osculum inter sponsos est actio omnino licita, adeoque ex illa sponsa potest tale præmium consequi. Sed contra vis argumenti desumitur ex formali textus allegati dispositione, secundum quam quia dicitur res donatas à sponsis interueniente osculo acquiri quoad medietatem à sponsa debet intelligi præexistentibus sponsalibus, cum sine illis nequeant esse sponsi, ita etiam cum dicatur *de rebus donatis interueniente osculo* debet intelligi præexistente donatione &c. Cæterum, quod in vno casu osculum sit actio illicita, in altero actio licita afficit ad summum, quod ex alio capite ex illa nequeat acquiri medietas iocalium, non autem tollit, quin sistendo in rigore iuris, & in cortice verborum dispositionis legalis non acquiratur etiam si osculum quantumuis licitum præcesserit donationem, & sine expresso ordine ad illam, cum lex disponat solummodo de acquisitione medietatis rerum donatarum antecedenter ad idem osculum, nec ex omnibus actionibus licitis inter sponsos acquiritur illa medietas, vt videre est in tactibus simplicibus, & amplexibus, cum textus solummodo disponat, quando osculum interuenit; cum igitur solum etiam disponat de osculo subsequente sponsalitiam largitatem, non est, cur debeat extendi ad idem antecedenter ad eandem donationem, nam dispositiones pœnales, vt supra etiam innuebam, sunt strictè intelligendæ, nec extendendæ vltra verborum, quibus concipiuntur, formam. Deinde ratio actionis illicitę non tollit, quin acquiri etiam possit medietas iocalium, vt videre est in sponsa carnaliter cognita à sponso ante nuptias celebratas.

Dispositiones pœnales sunt strictè intelligendæ.

Vlterius confirmari potest eadem prima pars assertionis, quia sponsalitia largitas ex genere suo, & ex dispositione iuris est in ordine ad subsequentes actiones tanquam antidoralis donatio nempe in ordine ad matrimonium futurum, non autem ad præcedentes tanquam antidoralis remuneratio, & est potius ad conciliandum animum sponsæ ad futura obsequia, non ad præterita dirimenda, cum præcipuè in ordine ad illa sponsa nullum ius habeat, & liber sit sponsus ad retribuendum, vel non retribuendum, ergo in ordine ad osculum præcedens etiam ex interpretatiua donantis voluntate non potest vxor medietatem iocalium lucrari. Hæc dixi sistendo in cortice verborum; Cæterum respiciendo ad æquitatem, & ad finem legis congruentius asserendum est, eandem medietatem lucrari; vnde

Sponsalitia largitas est tanquam antidoralis donatio.

Secunda pars assertionis sic euincitur. Ratio, ob quam conceditur sponsæ acquisitio illius medietatis iocalium, est rubor, & verecundia, & difficultas, quam sortitur sponsa in inueniendo alium sponsum æquè idoneum prouenienes ex illo osculo, sed hæc ratio æque militat, siue osculum præcesserit, siue subsequutum fuerit sponsalitiam, largitatem subsequenter tamen ad sponsalia, ergo &c. Quamobrem omissa verborum serie, quibus concepta est legalis dispositio, tàm in consulendo, quàm in iudicando tutiorem hanc partem existimo, eidemque inhærendum.

Ratio æquitatis, & congruentia adducitur.

Assertio II. Sponsa si non fuerit Virgo reputata tamen à sponso pro Virgine propter osculum à sponso eidem infixum non lucratur medietatem iocalium, si matrimonium non sequatur *Castillo l. 52. Tauri super glos. antes de consumido num. 20. vers. ex qua ratione* aduersus *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 27. num. 4. vers. ead. ratione non tenetur sponsa.* 3.

Non acquirit, si non fuerit virgo Castillo. Sanchez.

Probatur primo, quia ex superius dictus propter huiusmodi causam potest sponsus licitè, & legitimè recedere à sponsalibus non obstante, quod inter ipsum, & sponsam intercesserint oscula, ergo etiam poterit integrè sponsalitiam largitatem reuocare, Consequentia tenet, quia causa, quæ eximit ab obligatione contractus, eximit etiam ab obligatione eorum, quæ inita sunt intuitu eiusdem contractus, & si osculum non impedit, quominus possit sponsus recedere à contractu, nec etiam impedire posse videtur, quo minus possit recedere à reuocatione donationis, quæ facta fuit intuitu eiusdem contractus; Neque obesse potest, si asseratur, quod ex illo osculo sponsa, quantumuis non virgo, passa fuerit ruborem, & verecundiam, & difficultatem inueniet in alio idoneo sponso inueniendo; Non, inquam, obesse potest, quia sibi debet imputare, quod sponsalia contraxerit cum illa qualitate eandẽ non manifestans, cum scire potuerit ex vno capite ex sponsalibus sponsum ius acquirere ad oscula, & ex alio eadem qualitate detecta recedere posse ab eisdem, & sponsus non contulisset sponsalitiam illam largitatem, si nouisset ex illa qualitate se recessurum à sponsalibus, cum sponsalitia largitas conferatur in ordine ad matrimonium contrahendum. Confirmatur ex ijs, quæ superius dicta sunt, scilicet sponsam non acquirere sponsalitiam largitatem, sed teneri eandem restituere, si ex culpa ipsius non

Causa tribuens ius ad recessum à sponsalibus, tribuit etiam ius ad reuocationem donationis.

Ex culpa sponsæ dissoluitur contractus

non sequatur matrimonium, sed in data hypothesi ex ipsius culpa matrimonium non contrahitur, cum sit infecta labe sufficienti ad dissolutionem, & eandem non manifestauerit, ergo &c. Hæc maximè procedunt, quando sponsalia dissoluuntur ex illo defectu posteà cognito, qui tempore celebrationis sponsalium latebat. Cæterum, quod procedat etiam, quando ex aliqua alia legitima causa matrimonium non sequitur, sic

Probatur secundò, Sponsalitia largitas non est aliquo iure indicta, sed procedit ex libera voluntate donantis, nisi de illa in celebratione contractus conuentum sit, ergo debet commensurari ad præsumptã voluntatem donantis, non est autem præsumendum, quod sponsus eandem contulisset, si sibi suadens sponsam esse virginem, cognouisset, dum eam contulit, non esse talem, sed corruptam, cum habita tali notitia non contraxisset. Confirmatur, quia illa donatio procedit ex errore, quo sponsus arbitrabatur eam esse virginem, & si nosset, non esse talem, nec donasset, nec cum ea contraxisset, ergo donatio illa non tenet. Consequentia tenet, quia donatio esse non potest sine libero consensu donantis, non potest autem esse liber consensus, vbi est error iuxta textum *in l. nihil ff. de reg. iur.*

Illa donatio procederet ex errore

Dices, errorem tunc solum demere consensum requisitum ad validitatem donationis, quando versatur circa principalem causam donationis, non autem quando versatur circa aliquas circunstantias, vt explicat *Molina tom. prim. de iustit. tract. 2. disput.* 209. & cum eo *Sanchez de matrim. disput. 27. nu. 5. vers. quinto quia vbi non est error* in simili hypothesi de eo, qui motus paupertate alterius, eidẽ erogat eleemosinam ignorans eum esse infidelem, quẽ si cognouisset, nõ erogasset, immò vellet donationem esse nullam, & nihilominus, si ille verè est pauper, tenet eleemosina, & donatio, quia error non est circa principalem causam donationis, quæ est paupertas, sed circa infidelitatem, quæ est solummodo circumstantia, cum igitur etiam in præsenti hypothesi error non sit circa principalem causam donationis, quæ iuxta *Castillum l. 51. Tauri num.* 2. est ratio dotis vel matrimonij contrahendi, iuxta alios, remuneratio dotis, vel nobilitatis, *Azebedo lib. 5. recop. tit. 2. lib. 1. num.* 26. sed circa circumstantiam, & qualitatem, per consequens non inualidat præfatam donationem. Sed contra primò, quia Doctores plurimi maximi nominis asserunt causam principalem talis donationis sponsalitiæ esse in ordine ad virginitatem, *Baldus in l. res vxoris C. de donat. inter vir. & vxor. in fin. Ioannes Lupus rub. de donat.* §. 12. *num.* 1. *Coaruuias* 4. *decr.* 2. *p. c.* 3. §. 7. *nu.*

Instantia ex paritate deducta proponitur. Molina. Sanchez.

Dissoluitur vis opposita instantiæ. Baldus. Lupus. Coaruuias

12. *Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 36. in fin.* ad quod conformitèr *Corduba in summa quæst.* 135. *Vega lib. 1. summa cas.* 387. *Manuel. primo tom. summa in secunda adit. c.* 208. *num.* 12. asserunt, quod si vir fœminæ, quam ducit, dotem constituat, credens eandem esse virginem, non tenere dotis cõstitutionem. Secundò non currit paritas de erogante eleemosinam pauperi, quem putat catholicum, cũ sit infidelis, & de erogante donationem sponsæ, quam putat virginem, cum tamen sit corrupta. Ratio disparitatis in eo consistit, quod erogans eleemosinam pauperi intendit solummodo bonum eiusdem pauperis idest subleuamen eiusdem; erogans autem sponsalitiam largitatem sponsæ non solum intendit bonum illius, sed etiam proprium, nempe bonitatem propriam, sine qua sicuti non duceret, ita nec elargiretur, vnde prima erogatio est absoluta, secunda respectiua. Tertiò quia non ita verum est, vt præfertur, quod illa eleemosinæ erogatio teneat secundum se, cum non interuenerit consensus nequidem interpretatiuus donantis vnde ad summum sequitur, quod ille pauper non teneatur receptum restituere ob impotentiam, cum vere pauper supponatur.

Lopez.

Disparitas inter eleemosinam pauperi, & donationem ante nuptias.

Dices secundo, donationes ante nuptias ita fieri possunt viduæ, sicuti virgini *Gregorius Lopez l. 87. verbo segunquero tit. 18. part. 3. Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 27. num.* 4. ergo non obstante, quod sponsa non fuerit virgo poterit acquirere medietatem sponsalitiæ largitatis. Sed contra, quia quantumuis sponsalitia illa largitas possit fieri viduæ, non propterea sequitur, quod sponsus ignorans illam esse virginem voluerit eandem ipsi conferre liberè, sicuti quantumuis possit libere ducere viduam non supponendus est, quod ignorans eandem velit ducere, si corruptam cognosceret.

Lopez. Sanchez.

Non præsumitur ignorans velle ducere viduam.

4

Assertio III. Si osculum præcesserit nedum sponsalitiam largitatem, sed etiam sponsalia nihil per ipsum lucratur sponsa *Coaruuias quarto decret. prima part. c.* 4. §. 1. *num.* 14. *Gutierez 3. pract. qq. q. 44. nu. 7. Barbosa rub. solut. matrim. 2. part. n.* 108. *Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. c.* 36.

Coaruuias. Gutierez. Barbosa. Lopez.

Ratio in fortioribus terminis deducitur ex ijs, quæ dicta sunt in probatione primæ partis assertionis primæ sub hoc eodem titulo; si etenim ex eo, quod iura ad effectum, vt sponsa lucretur, requirebant, quod donatio præcesserit osculum inter sponsos, à fortiori requirunt, quod sponsalia præcedant idem osculum propter allegatam rationem, quod qualitas adiecta verbo restringitur ad tempus verbi, cum igitur dicatur in textu *de rebus donatis à sponsis* vtique in eodem supponuntur sponsalia

Debet ſponſa ſibi imputare, ſi ante ſponſalia permiſerit oſculum.

contractæ, cum ſine eiſdem ſponſi eſſe non poſſint; Nec obeſſe poteſt; ſi aſſeratur, quod ex illo oſculo detrimentum ſequatur ſponſæ, cum non ita de facili alteri poſſit nubere; non, inquam, obeſſe poteſt, quia illa fæmina debet ſibi imputare, quod permiſerit oſculum ſibi infigi, ſi fuerit cõſentiens, vel proprio infortunio, ſi fuerit inuita, & ad ſummum ex alio capite poteſt inquirere compenſationem damni, ſi quod inde ortum fuerit; cæterum ex illo nullum ius acquiſiuit in ordine ad illam ſponſalitiam largitatem. Accedit, quod ex actione omnino illicita non poteſt, vt ſupra aſſerebamus, acquirere præmium legale; illa autem actio oſculi ſuſcepti ante celebrata ſponſalia omninò eſt illicita, vt per ſe patet. Quod ſi dixeris ex copula ſecuta inter ſponſos ſponſam acquirere per ſuperius notata illam medietatem ſponſalitiæ largitatis, & nihilominus illa actio copulæ carnalis inter ipſos eſt omninò illicita. Statim impugnaberis, quia illa actio carnalis copulæ inter ſponſos, quantumuis ſit abſolutè illicita, originem quodammodo trahit à ſponſalibus legitimè contractis, & ex eorundem ſponſorum voluntate refertur ad futurum matrimonium; illa autem actio oſculi antecedenter ad ſponſalia, nec à ſponſalibus originẽ trahit, nec ſecundum ſe refertur ad matrimonium; vnde iura conſuluerunt indemnitati ſponſæ poſt contracta ſponſalia, ne ex illis, vel intuitu ipſorum detrimentum patiatur, non autem antecedenter ad illa, nec reſpexerunt præcisè ad eſſe illicitum quomodocunque, ſed ad detrimentum quodcunque, quod prouenire poſſet ſponſæ poſt eadem ſponſalia, vel ex oſculo expreſsè, vel ex copula interpretatiuè.

Diſcrimen inter oſculum ante ſponſalia, & copulam poſt illa.

5 *Ex ſolo amplexu non acquiritur.* Lupus. Azebedo. Sanchez.

Aſſertio IV. Sponſa ex ſimplici amplexu præcisè ſine oſculo non acquirit medietatem ſponſalitiæ largitatis, ſi matrimonium promiſſum non ſequatur *Ioannes Lupus l. 52. Tauri num. 18., & ibi Caſtillo n. 23. Azebedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. num. 31.* apud *Sanchez lib. 6. de matrimonio diſp. 18. nu. 8.*

Ratio ex eo deducitur, quia iura præcisè loquuntur de oſculo, & cum ſint quodamodo pænalia non ſunt extendenda vltra verborum formam, nec in ſimilibus, quinimmo amplexus in rigore non poſſunt dici in effectu ſimiles oſculis, cum ſecundum communem hominum exiſtimationem, in qua conſiſtit moralis fæditas, non tantum afferant ruborem, ſicuti afferunt oſcula.

Dices, ſi iurium diſpoſitio in pænalibus non eſt extendenda vltra verborum formam, nec protrahenda ad caſus ſimiles, vtique nec erit extendenda ad caſus grauiores, vt videre eſt in reſeruatione actus ſodomitici, quæ non extenditur ad actus beſtialitatis, quantumuis grauiores. Quomodo igitur dictum fuit in præcedentibus diſpoſitionem legalem concedentem amiſſionem iocalium pro medietate ratione oſculi extendi etiam quoad copulam carnalem? Sed contrà, quià quamuis regulariter odioſa non extendantur ad caſus ſimiles, quinimmo nec ad grauiores, vt patet in exemplo allato de actu ſodomitico, fallit tamen, quando caſus ſunt intra eandem ſpeciem, & eandem, vel maiorem præferunt fæditatem, quià tunc caſus grauiores vltrà deformitatem actus poſitiui includunt etiam maiorem. Deinde in caſu præſenti non inuoluitur tanta deformitas in ſimplici amplexu, quanta in oſculo, vt per ſe patet.

Caſus ſunt intra eandem ſpeciem.

PRÆNOTIO V.

An ſi ſponſalia fuerint conditionalia, & pendente adhuc conditione ſponſus dederit ſponſæ oſculum, hæc acquirat medietatem iocalium.

SVMMARIVM.

Ex oſculo habito poſt ſponſalia conditionali a pendente adhuc conditione ſponſa non acquirit medietatem iocalium, ſi matrimonium non ſequatur poſt purificatam conditionem. 1.

Ex copula habita poſt ſponſalia conditionalia pendente adhuc conditione ſponſa non acquirit medietatem iocalium, ſiue conditio fuerit dependens à voluntate contrahentium ſiue independens. 2.

Per copulam non ſupponuntur contrahentes cedere conditioni, quæ ex illorum voluntate dependet. 3.

EX oſculo ſponſi ad ſponſam ante contracta ſponſalia hanc non acquirere medietatem ſponſalitiæ largitatis, quamvis poſtea contracta fuerint ſponſalia, licet non fuerit ſecutum matrimonium, ex dictis in præcedenti prænotione clarè liquet. Nunc ſupponimus ſponſalia quidem fuiſſe contracta non purè, ſed ſub conditione *ſi Patri tuo placueris, vel rem aliquam honeſtam geſſeris*, & medio tempore inter hunc contractum conditionalem, & conditionis euentum ſponſum fæminæ oſculum contuliſſe. Quo ſuppoſito inquirimus, an in hac hypotheſi ſponſa, ſi poſt purificatam conditionem nõ ſequatur matrimonium, illam medietatem ſponſalitiæ largitatis acquirat. Hoc, quod inquiritur quoad oſculum infixum pendente conditione, inquiretur etiam quoad copulam habitam pendente eadem conditione.

Aſſertio I. Ex oſculo habito poſt ſponſalia conditionalia pendente adhuc conditione 1

Pendente conditione ex osculo nil acquiritur. Sanchez.

tione sponsa non acquirit medietatem iocalium, si matrimonium non sequatur post purificatam conditionem *Sanchez de matrimon. lib. 6. disp.* 18. *num.* 7.

Ratio ex dictis in præcedenti prænotione deducitur, quiá ex osculo habito antecedentèr ad sponsalia sponsa non acquirit medietatem sponsalitiæ largitatis, si matrimonium non sequatur, dummodo quod non sequatur non proueniat ex culpa donantis, ergò etiam ex osculo habito post contracta sponsalia conditionata pendente adhuc conditione non lucrabitur illam medietatem, si sine culpa sponsi matrimonium non sequatur. Consequentia probatur, quiá sponsalia conditionalia ante conditionis euentum, nec sunt sponsalia, nisi quoad nomen, nec vlla ratione obligant per superius dicta, ergò eadem adhuc pendente dici non potest, quod osculum fuerit inter sponsos, ergò, si ante sponsalia ex osculo ius non acquiritur ad medietatem iocalium, nec acquiritur post eadem conditionalitèr contracta pendente adhuc conditione.

Sponsalia ante conditionis euentum non sunt sponsalia.

Dices, maius ius acquirere sponsam post contracta sponsalia conditionalia, ac antecedenter ad illa, quandoquidem iam fides obligata est, & solum pendet effectus à conditionis euentu, qui possibilis supponitur; ante sponsalia autem, nec fides data est, & eueniente quacunque conditione nulla consurgit obligatio, vnde in primo casu potest dici osculum post contracta sponsalia conditionata haberi ex quodam iure saltem incohato ad futurum matrimonium; in secundo autem casu non item. Sed contra, quiá illud ius non aliquam vim tribuit de præsenti, sed tantum pro futuro tempore supposita purificatione illius conditionis appositæ, cum consensus ad illam solummodo referatur, & antecedentèr ad illam perinde fit, ac si non esset, & per consequens, nec de præsenti constituit vera sponsalia, nec propriè obligat, nec illa fœmina respectu sponsi potest dici sua. Quod, si vrgeas, pendente adhuc conditione sponsum non esse liberum ad contrahenda alia sponsalia, sed teneri expectare conditionis euentum, ac proinde sponsam ius aliquod de præsenti acquisiuisse aduersus ipsum; statim impugnaberis, quiá ex illa amissione libertatis non sequitur, quod sponsalia teneant, & obligent pro tunc in vim sponsalium, quod requiritur ad hoc, vt donatio dicatur facta inter sponsos, sed quod tenebunt, & obligabunt, si posteà purificabitur conditio.

Pendente conditione non possunt dici sponsus, & sponsa.

Vlterius probatur assertio, quiá illud osculum intercedens pro tempore sponsalium conditionalium ante conditionis euentum vtique peccaminosum est, & illicitum, ergò ex illo nequit sponsa lucrari præmium legale. Confirmatur, quiá ex sponsalibus conditionalibus ante conditionis euentum non consurgit impedimentum publicæ honestatis, non nisi, quiá pro illo tempore non sunt vera, & realia sponsalia, vt superius latè probauimus, ergò nec ex eisdem consurget acquisitio medietatis iocalium respectu sponsæ, si ante conditionis euentum osculum patietur à sponso, quandoquidem semper verificatur, quod pro tempore, pro quo positum fuit osculum, non fuerint vera, nec realia sponsalia.

Per osculū contrahunt labem pec. cambioj.m

Assertio II. Ex copula habita post sponsalia conditionalia pendente adhuc conditione sponsa non acquirit medietatem iocalium, siue illa conditio, seù eiusdem executio fuerit dependens à voluntate contrahentium, eisdemque contrahentibus liberum sit ab illa recedere, siue independens à voluntate eorundem, eisdemque non sit liberum à conditione illa resilire. Consentit in vniuersum in hanc assertionem *Sanchez de matrimon. lib. 6. disput.* 19. *num.* 6.

2 *Ex copula pendente conditione nil iocaliū acquiritur.*

Sanchez.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quiá copula habita antecedentèr ad sponsalia quomodocunque concepta nullum ius tribuit ad illud præmium legale illius medietatis iocalium *Castillo in l.* 52. *Tauri num.* 6., *& seqq.*, *& ibi Antonius Gomez nu* 6. *Coaruuias quarto decret.* 1. *part. cap.* 4 §. 1. *nu.* 14. *Gutierez* 3. *pract. qu.* 44. *num.* 7 *Barbosa rub. ff solut. matrim.* 2. *part. num.* 108. *Ludouicus Lopez* 2. *part. instruct. de matrim. cap.* 36., ergò neque copula habita post sponsalia conditionalia pendente adhuc conditione independente quoad executionem à voluntate contrahentium, cumque eisdem non sit liberum cedere tribuet ius ad aquisitionem illius præmij legalis. Consequentia tenet, quiá cum illa sponsalia non sint vera sponsalia ante conditionis euentum semper verificarur, quod copula illa fuerit habita antecedenter ad sponsalia, & cum liberum non sit contrahentibus illi cedere ex illa copula non arguitur recessus ab illa conditione.

Castillo. Gomez. Coaruuias. Gutierez. Barbosa. Lopez.

3

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quiá, si quę ratio euinceret in ea hypothesi, in qua supponitur conditio apposita per contrahentes libere quoad executionem dependere ab eorundem voluntate, illisq; liberum esse illi cedere medietatem iocalium per sponsam acquiri ex illa copula, illa vtique esset, quiá per illam copulam videntur sponsi recessisse ab illa conditione, sicque sponsalia in pura transijsse per textum *in cap. de illis, & cap. per tuas de condit. appos.*, sed hæc ratio nulla est, ergò &c. Maior est fundamentum aduersantium. Minor probatur, quiá, quantumvis de iure antiquo præsumeretur de illo recessu à conditione hoc erat, quiá Ecclesia, ne præsumeret de delicto fornicationis præsu-

Non est præsumptio recessus ex affectu coniugali.

præsumebat illos accedere affectu coniugali, quod vtique tunc erat licitum, cum per illum accessum sponsalia conditionalia transirent in purum matrimonium nam per illum actum præsumebatur poni consensus de præsenti, de iure tamen nouo Concil. Trident. non potest esse præsumptio de illo accessu affectu coniugali, cum nequeat esse coniugium, nisi seruata forma eiusdem Tridentini, quæ est, vt consensus apertè præstetur coram Parocho, & testibus, sicque semper verificatur, quod accedant, seù accesserint affectu fornicario, per quem non receditur secundum se ab illa conditione. Vide, quæ supra latè de hoc diximus.

PRÆNOTIO VI.

An, si sponsalia fuerint nulla ex aliquo impedimento, lucretur sponsa ex osculo medietatem, & ex copula integram sponsalitiam largitatem.

SVMMARIVM.

Si vterque fuerit ignorans impedimenti, & nullitatis sponsa ex osculo, & copula nihil acquirit. 1.

Si vterque fuerit conscius impedimenti, & nullitatis sponsa potest probabiliter detinere, quod collatum est non quidem virtute legum illud applicantium per osculum, vel copulam, sed ex præsumpta respectu donantis antidorali collatione ad effectum consequendi osculum, vel copulam, & posteà cedente in pretium eorundem. 2.

Si sponsus fuerit ignarus impedimenti, & sponsa sciens hoc ex osculo, & copula nihil acquirit. 3.

Sciente sponso, & ignorante fæmina hæc acquirit eo modo, quo acquirit, quando vterque est sciens. 4.

VIdetur prima fronte ex prædictis asserendum in ea hypothesi, nec ex osculo medietatem, nec ex copula integram donationem sponsam lucrari, quandoquidem illa sponsalia nulla perinde se habent, ac si non esset sponsalia; ex osculo autem sine sponsalibus nulla fit acquisitio, nullumque lucrum, quod solum conceditur ex illo post legitima sponsalia. Nihilominus, quià iuxta diuersam considerationem potest esse diuersa ratio dubitandi, & ex aliqua motiuum etiam lucrandi, ideò diuersas has considerationes profero.

Considerationes circa titulum propositum. Primò potest res considerari, quandò vterque sponsus fuit ignarus impedimenti existentis, & per consequens etiam nullitatis, & perseuerante tali ignorantia in vtroque sponsus contulit osculum sponsæ post sponsalitiam largitatem. Secundò, quando vterque fuit conscius impedimenti, & nullitatis, & nihilominus secuta est sponsalitia largitas, & subsequenter osculum, vel copula. Tertiò, quando sponsus fuit ignorans, sponsa tamen sciens, Quartò, quando sponsa fuit ignorans, sponsus tamen è conuerso conscius.

Assertio I. Iuxtà primam consideratio- 1
nem, secundum quam vterque supponitur ignorans impedimenti, & nullitatis, sponsa, nec per osculum lucratur medietatem iocalium, nec per copulam eadem integrè *Salicetus in l. si à sponso num. 2. C. de donat. ante nupt., & ibi Fulgos., & Glosa verb. non interueniente Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 6. Cifuentes ibid in fin.*, aduersus *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 20. num. 3. Ioannem Lupum d. l. 52. Tauri num. 4., & rub. de donat. §. 36. num. 7. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. glos. 2. nu. 2. Azebedo eod. l. 4. nu. 10.*

Vterque ignorante sponsa nil acquirit.

Salicetus Fulgosius Glosa.

Probatur primò, quià sponsalitia largitas solum acquiritur per osculum quoad medietatem, & per copulam quoad integrum esse, quando, & eadem largitas, & osculum, & copula est inter veros sponsos, qui propriè tales sunt per superius latè probata, & allegata, sed in hac hypothesi illi propriè sponsi non sunt, cum inter legitimè impeditos non possint esse sponsalia, ergò &c. Confirmatur, quià sponsalitia largitas non ex solo osculo datur, seù acquiritur, sed ex osculo simul, & contractu sponsalium, cæteroqui acquireretur etiam ex osculo inter non sponsos, sed in præsenti hypothesi contractus sponsalium non est, nec sufficit putatiuus, cum hic eximat solummodo à culpa pro tempore, pro quo bona fides perseuerat, nullum tamen ius conferat in ordine ad acquirenda, ergò ex illo nulla potest acquiri sponsalitia largitas, & si fuerit acquisita cognita inualiditate erit restituenda, nam ex contractu nullo, nulla potest oriri actio, nullumque ius.

Non sufficit contractus putatiuus, & quare.

Dices primò, quantum ad affectum contrahentium illa sponsalitia largitas, osculum, & copula fuit intuitu matrimonij contrahendi, nec tunc quoad ipsorum affectum, & fidem aderat impedimentum, ergò non est, cur sponsa passa tale osculum, seù copulam sit priuanda præmio legali, cum inculpabiliter illud, seu illam passa fuerit: Sed contra, quià vbi iura requirunt vera sponsalia, non sufficit affectus contrahentium, & vbi iura non distinguunt, seù amplient, dum loquuntur de cōtractu intelligenda sunt de vero, non de simpliciter putato. Hoc videre est etiam in ijs, quæ docuimus *tom. 1. sub tit. Contractus III. de mutuo, & vsuris Disq. 6. §. 6. nu. 2.* de eo, qui vsurariè bona fide contraxit existimans contractum esse licitum, & non vsurarium, hic certè quantumvis in bona

Iura intelligenda sunt de vero, & reali contractu, non putato.

fide non potest lucrari id, quod iustè lucratus fuisset, si ille contractus non fuisset vsurarius, ergò etiam in præsenti hypothesi sponsa osculum passa non potest lucrari ex illo contractu inualido id, quod consecuta fuisset, si fuisset validus, vnde debet imputare propriæ conditioni, quod tunc extiterit illud impedimentum, & osculum, vel copulam passa fuerit.

Dices secundò, in hac hypothesi rationem fundamentalem interuenire, ob quã iura concesserunt acquisitionem illius medietatis iocalium ratione osculi, & integram acquisitionem ratione copulæ, nempe detrimentum amissi pudoris, & vtique sine aliqua culpa eiusdem sponsæ, ergò in præmium eiusdem, vtique poterit retinere, vel medietatem, vel totam largitatem respectiuè ad osculum, vel copulam. Sed contrà, quià iura non respexerunt ad illam amissionem pudoris quomodocunque, sed ad amissionem eiusdem in sponsis, cæteroqui sponsa acquireret talem medietatem, ratione osculi, & integram largitatem ratione copulæ, si osculum, vel copulam passa fuisset ante celebrationem sponsalium, quod est contra superius dicta; neque vrgeas, quod in hoc casu non celebratorum sponsalium nulla erat, nec probabilis spes radicata futuri matrimonij, in hypothesi autem, de qua hic loquimur adest spes radicata in contractu reputato valido ad idem matrimonium; & in primo casu debet sibi imputare, quod osculum permiserit, cũ nouerit illud esse omninò illicitũ, nec ex illo ius aliquod potest acquirere; in secundo autem nulli culpæ propriæ potest imputare, cum crediderit sibi esse licitum, & ex illo ius acquirere; contra enim impugnaberis, quià illa spes post contracta sponsalia inualidè ratione impedimenti existentis non est radicata, nisi in fide, & credulitate eorundem contrahentium, non autem in re ipsa; vnde sicuti in casu non existentium præcedentium sponsalium debet imputare propriæ culpæ, quod osculum, vel copulam passa fuerit, ità in casu præexistentium sponsalium, sed inualidorum, debet proprio infortunio imputare, quod talia sustulerit, sicuti maritus, seù sponsus debet proprio infortunio imputare, quod non consecutus fuerit dotem, nec in hoc grauamen debet subire sponsus illius amissionis, quandoquidem contulit illam largitatem sub spe matrimonij incundi, alioqui non collaturus. Hinc

Osculum, & copula sine sponsalibus non tribuunt ius ad iocalia.

Debet propriæ conditioni imputare, quod osculum sustulerit.

Probatur secundò. Sponsalitia largitas non solum ex præsumpta contrahentium voluntate, sed etiam ex iuris dispositione intelligitur facta sub tacita conditione, si matrimonium sequatur, & non aliter, nisi ex culpa donantis matrimonium non sequatur per textum *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, in hac autem hypothesi non sequitur matrimonium, nec sequi potest, & certè sine culpa sponsi donantis, sed præcisè impedimento iuris obstante, ergò &c.

Dices, hæc verificari ad summũ, quando res est integra, in præsenti autẽ res integra nõ est, cũ sponsa passa fuerit osculũ, vel copulã, vt præfertur; nec æquũ est, vt sponsa in bona fide persistens validorũ sponsaliũ detrimentum pudoris patiatur sine aliquo emolumento, vel compensatione. Sed contrà, quià suppositis sponsalibus oscula sunt licita, & debita inter sponsos, & ex eo, quod sponsi arbitrentur sponsalia esse legitima, & valida eximuntur quidem à culpa, si mutuo illa sibi infigant, non tamen efficiunt, quod illa consequantur suum effectum, perinde, ac si esset licita secundum se, vnde debet sponsa putata imputare propriæ conditioni, quod res non sit amplius integra, nec in hoc debet aliquod grauamen inferri sponso, cum ea, quæ præstitit, præstiterit ex vi contractus arbitrans sibi esse licita; quod si aliter res se habeat non est ex propria culpa, adeoque in eo non est grauandus in illa amissione.

Assertio II. Iuxta secundam considerationem, secundum quam vterque supponitur conscius impedimenti, & nullitatis contractus probabilissimum est, sponsam posse sibi detinere, quod collatum est, non quidem virtute legum illud applicantium per osculum, vel copulam, sed ex præsumpta respectu donantis antidorali collatione ad effectum consequendi voluntatem sponsæ ad osculum, & copulam, & postea quodamodo cedente in pretium eorundem. Consonat quodamodo cum ijs, quæ docet *Sanchez lib. 6. de matrim. disp.* 20. n. 7. licet nõ sub his terminis formalibus.

3 Vterque conscius nullitatis sponsa acquirit, & qua ratione.

Sanchez.

Prima pars deducitur ex ijs, quæ dicta sunt in præcedenti assertione, nam leges non disponunt, quod sponsa acquirat medietatem sponsalitiæ largitatis ex osculo, eandemque integram ex carnali copula, nisi quando præcesserunt vera, & legitima sponsalia, sed in hac hypothesi, nec præcesserunt vera, & legitima sponsalia, nec bona fide talia reputata, cum vterque supponatur conscius nullitatis contractus, ergò ex vi legum sponsa non acquirit respectiuè illam medietatem, nec totam largitatem. Confirmatur, quià æquum non est, vt sponsa consequatur præmium legale ex actione, quæ non solum aduersatur eidem legi, sed etiam iuri diuino, & humano, quamque nouit omni iure culpabilem esse, sed sciens adesse impedimentum dirimens, adeoque nullitatem contractus patiendo osculum, vel copulam actionem comisit, vndequaque peccaminosam, & aduersantem iuri diuino, & humano, ergò non potest ex illa con-

Non consequitur præmium legale ex actione illicita cognita, vt tali.

consequi illud praemium legale.

Secunda pars ex eo euincitur, quià ex alio capite sponsus sciens in subsistentiam contractus non praesumi potest illam donationem contulisse, nisi ad alliciendum animum sponsae fictae ad actus inhonestos osculorum, & copulae; non enim potest esse ad effectum matrimonij contrahendi, cum optimè nouerit obstante impedimento iuris non posse contrahi, ergò secuta copula, vel osculo praesumendum est datum, seù collatum ex voluntate dantis, & conferentis cedere quodamodo in pretium osculi, seù copulae, ergò sponsa ficta potest illud habere, & iustè detinere, cum huiusmodi actiones dignae sint suo pretio, seù compensabiles rebus pretio aestimabilibus. Confirmatur, nam donans ex falsa causa, nec ignarus falsitatis censetur donare, & abdicare à se dominium, & cum praestet, seù conferat celebratis primò sponsalibus, quae vndequaque nouit inualida, supponitur praestare ad aliquem finem, cum non contulisset sine illis, ergò supponitur abdicare supposito illo fine, qui alius esse non potest, nisi illa copula, seù oscula, sicque quod datum est, vt motiuum alliciens ad actum, posteà cedit, vt pretium actus.

Illud collatum cedit in pretium osculi, vel copulae.

3 Assertio III. Iuxta tertiam considerationem, secundum quam sponsus supponitur ignarus impedimenti, & nullitatis, & sponsa sciens, sponsa osculum, seù copulam passa nihil absolutè lucratur *Ioannes Lupus l. 52 Tauri num. 5., & rub. de donat. §. 3. in fin. Castillo l. 52. Tauri nu. 3. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. glos. 2. nu. 2. Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 20. nu. 9.*

Sponsa sciens nullitatem inscio sponso nihil acquirit. Lupus. Castillo. Matienzo. Sanchez.

Ratio deducitur non solum ex eo, quod ille contractus secundum se est nullus iuxta ea, quae dicta sunt in prima assertione; si enim, quando vterque est ignarus impedimenti non acquiritur per sponsam illa largitas, nec quoad medietatem propter osculum, nec quoad totum propter copulam, multo minus poterit acquiri, quando faemina est conscia, & masculus ignorans; sed etiam ex eo, quià ex culpa ipsius non perficitur matrimonium, & sponsalia falsa fuerunt. Accedit, quod ex actu illicito, & vtique sibi noto sponsa non potest acquirere praemium legale, cum potius ex illo actu sit paena digna, & multanda.

Ex culpa sponsae non perficitur matrimonium.

4 Assertio IV. Iuxta quartam considerationem, secundum quam sponsus supponitur conscius impedimenti, & nullitatis, & sponsa ignara, haec vtique consequitur sponsalitiam largitatem quoad medietatem, & quoad totum respectiuè ad osculum, & copulam, non quidem ex vi legum disponentium de tali acquisitione, sed ex praesumpta voluntate conferentis ex antidorali animo ad effectum conciliandi vt supra, & postea in pretium actionis. Consonat cum his, quae supra dicta sunt in secunda assertione. *Ioannes Lupus l. 52. Tauri num. 5., & ibi Antonius Gomez num. 7. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. glos. 2. num. 2.* Recole ea, quae dicta sunt in d. secunda assert., & hic applica.

Sponsa ignorans acquirit in pretium.

Lupus. Gomez. Matienzo.

PRAENOTIO VII.

An quando data opera, non casu dissoluuntur sponsalia alter ex sponsis acquirat iocalia.

SVMMARIVM.

Nonnullae considerationes circa titulum. 1.

Sponso post contracta sponsalia, & tradita iocalia, & osculum transeunte in Religionem sponsa lucratur medietatem sponsalitiae largitatis. 2.

Sponsa post receptum osculum transiens ad monasterium non priuatur iure illius medietatis. 3.

Si sponsa contulerit iocalia sponso, & ipse, vel ipsa ingrediatur monasterium sponsus integrè restituit. 4.

Si sponsus, qui contulit iocalia emiserit votum simplex castitatis in sententia asserente eadem dissolui sponsa per osculum lucratur medietatem, in sententia asserente non dissolui acquirit integrè. 5.

Si post contracta sponsalia sponsus receperit iocalia à sponsa, & ipse ratione voti, quod emisit resiliat à sponsalibus tenetur integre eadem reddere, si vero sponsa votum emiserit, & nolit matrimonio acquiescere eadem iocalia integre amittit. 6.

Quando sponsalia dissoluuntur mutuo consensu neuter acquirit sponsalitiam largitatem. 7.

NON procedit titulus, quando data opera alter ex sponsis ex culpa propria recedit à sponsalibus, nam tunc ex superius dictis, si matrimonium non sequatur ex culpa eius, qui contulit sponsalitiā largitatem integrè eam acquirit donatarius, si vero ex culpa donatarij integre restituenda est ei, qui illam contulit per textum *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* sed procedit solummodo quando non casu, sed data quidem opera, sed sine culpa sponsalia dissoluuntur, vt si sponsus ingrediatur monasterium, vel votum castitatis emittat, vel mutuo consensu à contractu recedant sponsi. 1

Sensus, in quibus procedit, vel non procedit titulus.

Procedit item titulus, tum quando spōsus contulit sponsae sponsalitiam largitatem, tum quando sponsa contulit sponso, & sic sub eodem inquiretur primò, an si sponsus post collatam, sponsalitiam largitatem, & osculum ingrediatur monasterium sponsa acquirat medietatem illius, & post copulam eandem integram. Secundo,

do, an si sponsa post largitatem illam acceptam, & osculum ingrediatur, adhuc illam medietatem acquirat, vel totam, si passa fuerit copulam, an vero teneatur restituere collatori. Tertio si sponsa contulerit illam largitatem, & ipsa, vel sponsus ingrediatur Religionem, sponsus illam acquirat. Quarto quid sentiendum sit, quando alter ipsorum emiserit votum simplex castitatis post talem donationem, & osculum, vel copulam. Quinto quid sentiendum, quando ex mutuo vtriusque contrahentis consensu dissoluuntur sponsalia, & his similia.

2 *Transeunte sponso ad Religionem post osculũ sponsa acquirit iocalia media.* Lupus. Azebedo. Molina. Sanchez.

Assertio I. Si sponsus post collatam sponsalitiam largitatem, & osculum exhibitum sponsæ ingrediatur Religionem sponsa acquirit medietatem eiusdem spõsalitiæ largitatis, *Ioannes Lupus l. 52. Tauri num. 3. Azebedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. nu. 9. & 17. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 290. vers. habent vero locum, Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 21. num. 4. vers. similiter.*

Probatur primo, quia in hac hypothesi interueniunt, ea omnia, quæ ex dispositione iuris requiruntur ad lucrum medietatis sponsalitiæ dispensationis respectu sponsæ, nempe sponsalia legitimè contracta, ipsa sponsalitia largitas, & osculum post eandem sponsalitiam largitatem, nec ex aliqua culpa, & causa eiusdem sponsæ dissoluuntur eadem sponsalia, ergo non est, cur eadem sponsa per ingressum sponsi in monasterium non debeat medietatem illius largitatis acquirere; Neque obesse potest, si asseratur in ea hypothesi sponsam non posse acquirere eo quia illa acquisitio esset quodamodò distractiua sponsi à perfectiori statu Religionis, vnde emanauit dictum in *c. decreta legalia 27. q. 2.* quod scilicet *decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit nullo modo consueuerunt damno mulctari*, & hoc vtique ob perfectiorem statum, quem eligit, seu eligere statuit; quod si hæc verificatur in ordine ad sponsam, non video, cur verificari non debeant etiam in ordine ad sponsum, qui certè damno mulctaretur, si teneretur amittere medietatem iocalium per ingressum in Religionem; Non, inquam, obesse potest, quia ex quo sponsus liberam fecit promissionem futuri matrimonij, & dependentèr ab eodem osculum contulerit, quod certe redolet in detrimentum sponsæ ob verecundiam, & difficultatem alteri nubendi, non potest ex illo motiuo amittendi medietatem iocaliũ retrahi rationabiliter à præfatio statu eo quia spontè per illud osculum cessit illi medietati; vnde iura quidem non obstantibus sponsalibus absolutis, & matrimonio rato intra bimestre eidem tribuũt facultatem ingrediendi Religionem ob maiorem status perfectionem, non tamen conferunt ius priuandi iure alteri perfectè

Spontè sponsus per osculum cessit illi medietati.

acquisito ex priuilegijs eidem à iure concessis, cum de hoc nullibi in iure reperiatur dispositum.

Probatur secundo, quia si sponsus post legitimè contracta sponsalia sponsam violat, & posteà velit monasterium ingredi tenetur prius damna ex violatione secuta sponsæ reparare, vt est in confesso apud omnes, & nos supra latè docuimus, ergo si antecedenter sponsalitiam largitatem contulerit, & postea eidem sponsæ osculũ præbuerit, non poterit quoad totum eandem largitatem reuocare, quandoquidem hæc cedit in præmium pudoris amissi, & quodamodo succedit pro eo, quod debuisset conferre, si sponsalitiam illam largitatem non contulisset; nec æquum est, vt sponsa, cum vacet culpa, debeat priuari illo iure acquisito per osculum in illa medietate iocalium.

Sponsus transiens ad monasterium debet damna reparare.

3 *Sponsa transiens ad monasterium non priuatur iocalibus.* Glosa. Corneus. Coaruuias. Molina. Sanchez.

Assertio II. Si sponsa post sponsalitiam illam largitatem acceptam, & post susceptum osculum ingrediatur monasterium vtique non priuatur iure ad illam medietatem iocalium, seu sponsalitiæ largitatis *Glosa in d. c. decreta legalia 27. q. 2. in fin. Corneus cons. 22. vol. 1. Coaruuias quarto decret. secunda part. c. 7. §. 4. n. 12. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 290. vers. habent verò locum Sanchez de matrim. lib. 6 disp. 21. nu. 4.*

Ratio ex eo deducitur primo, quia sponsa post contracta sponsalia, & sponsalitiam illam largitatem per osculum susceptum perfectè acquisiuit ius ad illam medietatem, quo non est priuanda sine sua culpa, sed ingrediendo monasterium omni vacat culpa, ergo propter illum ingressum non debet illo iure priuari. Confirmatur *ex d. c. decreta legalia 27. q. 2.* vbi præcitata verba leguntur, *decreta legalia desponsatam si conuerti voluerit nullo modo consueuerunt damno mulctari*; damno autem mulctaretur, si teneretur amittere medietatem iocalium, quæ per osculum acquisiuit.

Ingrediendo monasterium vacat culpa.

Dices primo sponsalitiam illam largitatem semper censeri ex dispositione iuris, & ex interpretatiua voluntate contrahentium conferri cum ordine implicito, seu conditione tacita si matrimonium sequatur *ex d. textu in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* nec aliter, nec alio modo, quod potissimum debet intelligi ordine contrario exclusiuè, si matrimonium non sequatur ex voluntate alterius contrahentis, ergo cum in hac hypothesi dissoluuntur ex voluntate sponsæ, cum posset non dissoluere, asserendum est eandem sponsam ius illud amittere, cum in hoc lædat quodamodo ius sponsi ad matrimonium, intuitu cuius contulit sponsalitiam illam largitatem, & sine quo non contulisset. Sed contra, quia quantumuis ille sponsalitia largitas sit cum implicito ordine, & contradictione

Interuenit alia implicita conditio, & qualis.

tione si matrimonium sequatur, intelligitur tamen ad normam sponsalium sub alia implicita conditione, si non eligatur perfectior status, quia tunc ille perfectior status, qui eligitur sine culpa sponsæ, non debet eam priuare iure, quod acquisiuit dependenter ab osculo, quod passa est stantibus sponsalibus legitime contractis, & perseuerantibus.

Instabis hac ratione, nec sponsus ingrediens monasterium post celebrata sponsalia, & post osculum fœminæ exhibitum esset priuandus illa medietate iocalium, quæ contulit sponsæ, quandoquidem debet intelligi, quod sicuti contraxit sponsalia cum promissione futuri matrimonij sub tacita conditione, nisi perfectiorem statum Religionis elegerit, ita quod contulerit illam sponsalitiam largitatem sub spe, & intuitu futuri matrimonij, ea tamen subintellecta tacita conditione nisi perfectum statum elegerit; hæc autem sunt contra superius dicta ergo &c. Sed contra negandum est assumptum, quandoquidem dispar omninò est ratio de sponso ingrediente monasterium post sponsalitiam largitatem, & osculum exhibitum, ac de sponsa, quæ recepit illud osculum, & postea ingreditur Religionem. Ratio disparitatis in eo consistit, quod sponsa per osculum receptum passa est verecundiam, ruborem, & aliquam moralem deformitatem, quæ certè meretur compensationem, sponsus autem damnum non passus est, sed contulit, adeoque, non mirum, si ratione eiusdem teneatur illam medietatem amittere; vnde quando dicitur, quod contrahens sponsalia, & conferens sponsalitiam largitatem possit libere transire ad Religionem, quia intelligitur contraxisse, & contulisse sub tacita conditione, nisi meliorem statum elegerit, intelligendum semper est parte in reliquis omnibus incolumi, & saluis iuribus alteri ex damno acquisitis.

Non currit paritas de sponso ingrediente.

Dices secundo, textum *in d. c. decreta legalia* 27. *q.* 2. non euincere intentum præsentis assertionis, quandoquidem loquitur de damno positiuo non inferendo fœminæ, si post dispensationem elegerit perfectum statum, hic autem est solummodo sermo de lucro non acquirendo. Sed contra quia priuatio lucri iam acquisiti per præcedentes actiones est propriè, & in rigore damnum, vt per se patet: in hac autem hypothesi sponsa ex electione perfectioris status religionis propriè priuatur lucro ex dispositione iuris iam acquisiti per osculum, quod positum est, adeoque &c.

Priuatio lucri est propri damnum.

Ratio secundo ex eo deducitur. Si sponsa, quæ arrhas receperat à sponso dissoluat sponsalia per ingressum in Religionem, non tenetur duplicatas restituere, cum tamen eas teneretur reddere, si ex causa culpabili dissolueret, non nisi quia sponsa recipiens arrhas intelligitur se obligasse sub tacita conditione, nisi perfectiorē statum eligerit ergo etiam ingrediens Religionem post sponsalitiam largitatem, & osculum non tenebitur sponsalitiam largitate ex integro restituere. Ans. communiter admittunt *DD. Glos. in d. c. decreta legalia* 27. *q.* 2. *in fin. Ioannes Lupus l.* 52. *Tauri num.* 3., *& ibi Cifuentes vers. in eadem lege Castillo num.* 3. *Antonius Gomez num.* 8. *Gregorius Lopez l.* 3. *tit.* 11. *part.* 4. *Matienzo lib.* 5. *recop. tit.* 2. *l.* 4. *glos.* 2. *num.* 1. Consequentia probatur quia non minus est pœna, & damnum teneri duplicatas arrhas restituere, ac amittere sponsalitiam largitatem acquisitam per osculum ergo si ob ingressum inculpabilem Religionis sponsa, quæ recepit arrhas, non afficitur pæna restitutionis dupli, ob eandem non inficietur pæna restitutionis medietatis sponsalitiæ largitatis acquisitæ per osculum.

Euincitur etiam assertio paritate Glosa. Lupus. Cifuentes. Gomez. Lopez. Matienzo.

Dices sponsa, quæ recepit arrhas in celebratione contractus sponsalium, si postea monastarium ingrediatur, quamuis non teneatur restituere duplum, tenetur tamen arrhas receptas reddere, ergo etiam sponsa, quæ recepit sponsalitiam largitatem, & postea monasterium ingressa est, tenebitur eandem sponsalitiam largitatem ex integro restituere. Sed contra neganda est consequentia. Ratio disparitatis in eo consistit, quia vt bene notat *Barbosa in l.* 2. *part.* 1. *in princip. nu.* 158. *ff. solut. matrim.* in arrhis non consideratur dissolui matrimonium absque culpa vxoris, sed solum acquiruntur consummato verè matrimonio, sponsalitia autem largitas acquiritur per osculum post contracta sponsalia etiā non secuto matrimonio, dummodo dissolutio non proueniat ex culpa eiusdem sponsæ; sed de hoc infra vberius, dum de arrhis.

Barbosa.

Non currit paritas de arrhis, ac de iocalibus.

Assertio III. Si sponsa post contracta sponsalia contulerit sponsalitiam largitatem sponso, & ipsa, vel sponsus postea ingressus fuerit monasterium, quantumuis intercesserit osculum, sponsus ipse nihil acquirit sponsalitiæ largitatis, sed tenetur integram restituere *Sanchez lib.* 6. *de matrimonio disp.* 21. *num.* 2. 4

Sponsus integrè restituit, quod recepit.

Sanchez.

Ratio deducitur primo *ex l. si à sponso C. de donat. ante nupt.* vbi expresè dicitur, quod dissolutis sponsalibus morte alterius, & ita absque vtriusque culpa sponsus nihil lucretur per osculum, ergo dissolutis sponsalibus etiam morte ciuili alterius, quatenus ingressus est monasterium, adeoque absque vtriusque culpa, cum iura inculpabiliter permittant sponsis ingredi Religionem, sponsus ipse nihil sponsalitiæ largitatis sibi à sponsa collatæ lucrabitur. Confirmatur, quia non militat eadem ratio de sponsa recipiente sponsalitiam

Non militat eadem ratio de sponso recipiente, ac de sponsa

litiam largitatem, & osculum, ac de sponso eadem recipiente in ordine ad eiusdem acquisitionem, quandoquidem sponsa recipiens osculum, & largitatem damnum consequitur in morali illa fœditate ex eodem consurgente, quæ in fœmina considerabilis est, sponsus autem per osculum secundum communem hominum existimationem nihil damni, & fœditatis consequitur, adeoque &c.

5 *Iuxta diuersam sententiam acquirit, vel integrè, vel dimidiatè.*

Assertio IV. Si post contracta sponsalia, sponsalitiam largitatem, & osculum, quando largitas collata est à sponso sponsæ, ipse sponsus, vel sponsa emiserit votum simplex castitatis, in sententia asserente per ipsum sponsalia dissolui, sponsa lucrabitur sponsalitiam largitatē pro medietate, in sententia verò asserente per tale votum simplex castitatis præcedentia sponsalia non dissolui lucrabitur sponsa integrè sponsalitiam largitatem, si ex parte sponsi matrimonium non sequatur, nihil verò, si ex parte sui ipsius. *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 21. num. 5.* (Sanchez.)

In hac sententia curris paritas de voto simplici, ac de ingressu in Religionem.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià in sententia asserente per votum simplex castitatis sponsalia præcedentia dissolui eadem militat ratio acquisitionis medietatis iocalium respectu sponsæ post emissum votum simplex castitatis, siue à se ipsa, siue à sponso, ac per ingressum formalem alterius in Religionem; siquidem interuenit in vtroque casu post sponsalia, & sponsalitia largitas, & osculum, & nulla vtriusque culpa dissoluuntur sponsalia eadem, ergò non est, cur, si per ingressum alterius in Religionem sponsa acquirit medietatem sponsalitiæ largitatis, etiam per emissum ab altero votum simplex castitatis non debeat sponsa eiusdem medietatem lucrari. Antecedens probatur, quià in hac sententia respectu status matrimonialis est perfectior status cælibatus, sicuti est perfectior status religionis; in contractu autem sponsalium, & sponsalitiæ largitatis semper intelligitur tacita conditio, nisi perfectior status eligatur.

Non sequeretur matrimonium ex culpa ventris.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià data sententia asserente non dissolui sponsalia per votum simplex castitatis, tunc matrimonium non sequeretur ex causa sponsi nolentis perficere, ergò non est, cur sponsa non debeat acquirere illam sponsalitiam largitatem, siquidem ea acquiritur, quando sponsus est in culpa, & causa, quod matrimonium non perficiatur, cum stante etiam voto teneatur illud perficere, in quo posteà casu licet ratione voti non possit vsum matrimonialem petere, quod non est de substantia matrimonij vt supra latè vidimus, potest tamen licitè reddere.

Ratio tertiæ partis etiam ex eo euincitur, quod, si ipsa sponsa post sponsalia, sponsalitiam largitatem, & osculum receptum votum simplex castitatis emiserit non propterea deobligatur ab onere contrahendi matrimonium, ergò, si posito tali voto, nolit matrimonium contrahere, sponsalia ipsius culpa dissoluuntur, sicque non poterit medietatem illam sponsalitiæ largitatis acquirere per textum *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, quandoquidem sponsa nihil acquirit, quando ex ipsius culpa sponsalia dissoluuntur. (*Idem dicendum est de sponsa ingrediente.*)

6 *Vtroque recedente ratione voti amittit integrè iocalia.*

Assertio V. Si post contracta sponsalia sponsus receperit iocalia a sponsa, & ipse ratione voti, quod emisit, resiliat à sponsalibus tenetur totam sponsalitiam largitatem eidem restituere; si verò sponsa votum emiserit, & nolit matrimonio consentire, ipsaque contulerit sponsalitia iocalia, eadem integrè amittet. Consonat cum ijs, quæ dicta sunt *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsal. II. Prænot. 3. assert. 3.*

Vtroque recederet ex culpa.

Colligitur expressè *ex l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, vbi habetur idem obseruandum esse, si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta fuerit, quod obseruatur, si ex parte sponsi viceuersa in sponsam facta fuerit donatio, sed quando ex parte sponsi donatio facta est, & ex ipsius culpa matrimonium non sequitur, sponsa integrè acquirit sponsalitiam largitatem non solum per notata *in d. l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, sed etiam per superius probata in præcedenti asserto, ergò &c. Sed in præsenti hypothesi sponsus, qui iocalia recepit non obstante voto ex sua culpa recedit à sponsalibus, quia tenetur eadem adimplere, ergò integrè tenetur eadem restituere, ne ex sua culpa commodum reportet. Hoc idem argumentum potest confici, quando sponsa iocalia contulit, & ratione voti non vult matrimonium perficere quoad amissionem eorundem iocalium collatorum. Assertio procedit in sententia, qua asseritur sponsalia præcedentia non dissolui per votum subsequens simplex castitatis.

7 (Salicetus. Angelus. Lupus. Sanchez.)

Assertio VI. Quando sponsalia mutuo consensu dissoluuntur, neuter acquirit sponsalitiam largitatem *Salicetus l. cum veterum C. de donat. ante nupt. Angelus §. est, & aliud cl. 2. num. 2. instit. de donat. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 3. nu. 5 Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 21. num. 6.*

Ratio ex eo deducitur, quià, cum partes adinuicem consentiunt in resolutione contractus, videntur tacitè consentire, vt singuli in integrum restituatur per textum *in l. si diuersa C. de transact.* Solum hic potest esse aliqua difficultas, an idem sentiendum sit, quando non æquè primò consentiunt in dissolutione contractus, sed successiuè, adeovt primò nolit consentire contractus perfectioni sponsus, & posteà sponsa, primò repu-

Vterque ex conuentione in integrum restituitur.

repugnans resolutioni postmodum consensum præbeat eidem. Qua in difficultate sentio, eum, qui vltimò consentit resolutioni lucrari integram sponsalitiam largitatem, si acceperit, vel vendicandam, si dederit. *Salicetus in d. l. cum veterum C. de donat. ante nupt. Angelus §. est, & aliud el. 2. num. 2. instit. de donat.* Ratio est, quia, ex quo alter antecedenter iniustè resilijt, innocens ex dispositione iuris, ius acquisiuit in illam sponsalitiam largitatem, & quidem ipso facto, vnde contra talem dispositionem, quæ ponit executionem ipso facto noxius nequit moram purgare.

Salicetus. Angelus.

PRÆNOTIO VIII.

An sponsa post contracta sponsalia, & receptam à sponso sponsalitiam largitatem eandem acquirat integrè, si resiliat ex discessu sponsi in longinqua.

SVMMARIVM.

Si sponsus in longinqua recesserit, & expectatus congruo tempore non redierit sponsa alteri nubens lucratur integrè sponsalitiam largitatem. 1.

Si sponsus abierit in longinqua vrgente graui necessitate, eademque perseuerante non redierit, siuè de iure ciuili, siue de iure canonico non amittit iocalia, quæ contulit. 2.

Sponsus, qui contulit sponsalitiam largitatem, si recesserit ex causa necessaria eandem non amittit in terminis iuris canonici, si sponsa immediatè alteri nubat, nec de iure ciuili, si post diutinum tempus. 3.

Sponsa, si contulerit sponsalitiam largitatem sponso, qui recessit ex necessaria causa, & immediatè alteri nubat de iure canonico integrè eam recuperat, amittit verò, si perseuerante necessitate alteri nubat in terminis iuris ciuilis. Ibid.

Sponso recedente in longinqua ex causa voluntaria sponsa immediatè alteri nubens de iure canonico acquirit sponsalitiam largitatem ab eadem receptam. 4.

In terminis iuris ciuilis eandem non acquirit, nisi expectauerit per biennium, si absens fuerit intra eandem prouinciam, vel per triennium, si extra eandem. Ibid.

Si sponsa contulerit sponsalitiam largitatem sponso, qui recessit in terminis iuris canonici eandem recuperat immediatè, amittit verò in terminis iuris ciuilis, si ante biennium, vel triennium respectiuè ad loca, ad quæ ille se contulit alteri nupserit. Ibid.

In terminis iuris canonici sponsa recepta iocalia non acquirit, si sit spes proxima, & rationabilis mox futuri reditus. Ibid.

Quod dicitur de sponso recedente in longinqua intelligendum est etiam de sponsa recedente. 5.

IN præcedentibus satis, superque diximus ex discessu alterius sponsi in longinquas regiones alterum iustam habere causam resiliendi à sponsalibus; nunc consequentèr ad ibi dicta inquirimus, an si tunc sponsa, quæ iocalia receperat, à sponsalibus cum ipso, qui recessit, contractis resiliat, & alteri nubat, acquirat integrè sponsalitiam largitatem, an verò teneatur eandem restituere.

Difficultas potest examinari, vel in suppositione, qua sponsus, qui recessit, debito tempore fuerit expectatus, & non redierit, vel in suppositione, qua sponsa immediatè habita notitia recessus eiusdem sponsi in longinquas regiones sine spe proximi regressus recesserit, & alteri nupserit. Rursus examinari potest in suppositione, qua non in remotas regiones recesserit, sed in propinquas, vel cum spe proximi reditus, vel sine tali spe, & quid in vtroque casu dicendum sit.

Suppositiones circa titulum propositum.

1 Assertio I. Si sponsus in longinqua recesserit, & expectatus congruo tempore non redierit sponsa recedens à sponsalibus, & alteri nubens lucratur integrè sponsalitiam largitatem, & si contulerit, integrè recuperat *Castillus l. 52. Tauri nu. 5. Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 21. nu. 8.*

Non rediente sponso intra tempus congruum sponsa lucratur Castillus, Sanchez.

Ratio ex ijs deducitur, quæ superius dicta sunt *in d. l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, cum scilicet ex alterius culpa sponsalia dissoluuntur, alterum lucrari integrè sponsalitiam largitatem, sed in hac hypothesi sponsalia dissoluuntur ex sponsi recedentis, & congruo tempore non reuertentis culpa, ergò alter, si receperit sponsalitiam largitatem, integrè eandem lucrabitur; Neque obesse potest, si asseratur, non ipso iure dissolui sponsalia ex recessu alterius, & non regressu congruo tempore, sed ex libertate permanentis in eodem loco, à quo alter recesserat, cum alter ipsi obligatus remaneat, non ipse alteri, ergò cum resoluantur sponsalia ex libertate innocentis permanentis in eodem loco non possunt dici resolui ex præcisa culpa recedentis, adeoque, cum innocens liberè recedat, non poterit integrè lucrari sponsalitiam largitatem. Non, inquam, ob esse potest, quia, ex quo recedens in longinquas regiones, & congruo tempore non reuertens causam dederit dissolutioni contractus respectu alterius debet sibi imputare, quod alter à contractu recesserit, cum vtatur iure suo, seu vsus fuerit, nec alter potuisset recedere à contractu, si ipse non recessisset à loco, vnde semper verificatur, quod contractus ex ipsius culpa dissoluatur, seu fuerit dissolutus, qui autem causa est dissolutionis per culpam reus est penæ legalis, adeoque &c. nec alter tenetur diutius expectare, & remanere in contractu, vbi iura ipsum eximunt à contractu.

Sponsus non reuertens dat causa dissolutioni

Hic

Excitatur difficultas de recessu vrgente graui necessitate. Hic oritur difficultas, an sponsus, qui recessit in longinqua, si recesserit ex aliqua vrgenti necessitate, & eadem perseuerante congruo tempore, pro quo expectatus fuit, non redierit, adhuc amittat integram sponsalitiam largitatem. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod ex superius dictis resultat, nempe, quando dissolutio contractus sponsalium casu sequitur, puta morte, sine alicuius culpa restituendam esse integrè sponsalitiam largitatem receptam, vel recuperandam, si fuerit collata; hic autem sine alterius culpa sponsalia dissoluuntur, quandoquidem vrgente graui necessitate recessus, & perseuerantiæ in eodem ille, qui sic recessit, non est in culpa excusante ipsum necessitate, quæ stat loco casus fortuiti. Qua in difficultate considerãda sunt in primis ius ciuile, & canonicum circa huiusmodi discessum in ordine ad dissoluenda sponsalia diuersimode disponere; ius etenim canonicum *in c. de illis de sponsalibus* nullum præscribit tempus expectandi, sed libertatem relinquit alteri matrimonium aliud ineundi ibi- *Si quis iurauit aliquam ducturum, & postea dimittit terram se ad alias partes transferrens liberum erit mulieri cum alio contrahere recepto de periurio penitentia, si per cum steiit*; Ius vero ciuile secundum varios respectus distinguit, vel etenim sponsus, qui discessit est intra eandem prouinciam, & tunc statuit expectandum esse per bienniũ per textum *in l. 2. C. de sponsalibus*, vel per triennium per textum *in l. 2. C. de repud.*, quod tamen aliqui intelligunt quando spõsus extra prouinciam recessit, vel sponsus qui discessit, abijt ex causa necessaria, & tunc statuit expectandum esse, donec causa cesset per textum *in l. sæpè ff. de sponsalibus*. Sed de his sermo erit infra vberior.

Diuersa dispositio iuris ciuilis, & canonici.

2 Redeundo iam ad statum præsentis quæstionis non obstante huiusmodi iuriũ diuersa dispositione absolutè quæstionem sic dirimo, Siue procedat in terminis, strictis, & iuxta rigorosam verborum significationem iuris canonici mox allegati, siue in terminis iuris ciuilis existente absoluta necessitate recessus, & perseuerantiæ in eodem sponsus non amittit sponsalitiam largitatem, nec eandem sponsa acquirit, si alteri nubat, quinimmò ipsa peccat in terminis iuris ciuilis, si perseuerante necessitate cum alio contrahat. Ratio in vniuersum esse potest ea, quam adduximus in ratione dubitandi. Quandoquidem, quod sponsa alteri nubat post discessum sponsi ex causa necessaria, non est imputandum culpæ sponsi discedentis, cũ necessitas eum excuset; Dixi, *quinimmò ipsa peccat cum altero contrahendo*, quià quando sponsus abest ex causa necessaria expectandus est, donec causa cesset per textum *in l. sæpe ff. de sponsalib.*, ex quo sequitur, quod, si ipsa sponsa contulerit sponsalitiam largitatem sistendo in terminis iuris ciuilis, & perseuerante necessitate sponsi alteri nubat ipsa amittat sponsalitiam largitatem, quandoquidem contra iuris eiusdem ordinem ipsa sponsalia dissoluit ex culpa propria. Dixi *in terminis iuris ciuilis*, quià in terminis iuris canonici, secundum quos eidem post discessum sponsi liberum est sine temporis præscriptione cum altero contrahere, si alteri nubat, & priori sponso ipsa contulerit iocalia, eadem non amittit, quià alteri nubendo non peccat, cum vtatur iure suo; nec in hac hypothesi iuris canonici, si sponsus contulerit sponsalitiam largitatem, eandẽ amittet, quandoquidem necessitate eum excusante non est in culpa dissolutionis contractus.

Nõ amittit nec de iure ciuili, nec canonico.

Assertio II. Si sponsus in longinqua recesserit, & ipse contulerit sponsalitiam largitatem sponsæ, nec eandem amittit in terminis iuris canonici, si immediatè sponsa alteri nubat, nec in terminis iuris ciuilis, si etiam intercedente diutino tempore perseuerante tamen necessitate sponsi cum altero contrahat; si verò sponsa contulerit sponsalitiam largitatem sponso, qui ex necessitate in longinqua recessit eandem ipsa non amittet, sed recuperabit integrè in terminis iuris canonici, si immediatè alteri nubat; amittet verò in terminis iuris ciuilis, si perseuerante necessitate cum altero contrahat. Consonat cum ijs, quæ dicta sunt mox in præcedenti difficultate. 3

Diuersa dispositio, quãdo sponsus confert, ac quando sponsa.

Ratio ex eisdem deducitur, quandoquidem iuxta primum sensum, quantumvis iura canonica conferant potestatem sponsæ remanenti in eodem loco alteri nubendi, nõ constituunt tamen in sponsũ in culpa dissolutionis contractus cum necessitas eum excusat; iuxta secundum verò sensũ in terminis iuris ciuilis ipsa sponsa potius est in culpa contrahendo cum altero, cum iura illa hoc ipsi vetent, ergò non est, cur sponsus sit priuandus illo iure recuperandi illud, quod nomine sponsalitiæ largitatis contulit. Rursus, si sponsa contulit sponsalitiam largitatem sponso, qui recessit, si in terminis iuris canonici immediatè alteri nubat, non peccat, cum vtatur iure sibi ab eisdem iuribus concesso; in terminis verò iuris ciuilis peccat, cum teneatur expectare, quousque necessitas cesserit, ergò in illis non amittet sponsalitiam largitatem collatam, in istis verò amittet. Non immoror, quià patet ex dictis.

Quandoq; est in culpa, quandoque non.

Assertio III. Si sponsus recesserit in longinqua ex causa voluntaria iuxta terminos iuris canonici sponsa habita notitia talis recessus nubendo alteri acquirit sponsalitiam largitatem sibi ab eodem sponso

sponso, qui recessit, collatam, etiam non expectato vlteriori tempore, iuxta terminos verò ciuilis eandem non acquirit; nisi expectauerit per biennium, si absens fuerit intra eandem prouinciam, vel per triennium, si absens fuerit extra eandem. Quod, si ipsa sponsa contulerit sponsalitiam largitatem sponso, qui recessit, in terminis iuris canonici eandem recuperabit immediatè post habitam notitiam recessus, si ipsa alteri nupserit, amittet verò in terminis iuris ciuilis, si ante biennium, vel triennium respectiuè ad loca, ad quæ ille se contulit, alteri nupserit, & dissoluerit priora sponsalia, recuperabit verò, si vltra illud tempus dissolueret. Limita tamen in terminis iuris canonici in hypothesi, qua sponsus recessisset intra eandem regionem, cum spe proxima, & rationabili proximi reditus, prout etiam videtur considerasse *D. Thomas in 4. dist. 27. qu. 2. art. 4. ad secundum, VeraCrux prima part. speculi art. 31. cas. 3. Ricardus in 4. dist. 27. art. 3. qu. 4. & ibi Durandus qu. 4. art. 3. Sotus in 4. dist. 27. q. 2. art. 5. vers. decimo quando*, quod etiam videtur considerasse textus *in d. cap. de illis de sponsalib.*, dum dicit, *dimittit terram se ad alias partes transferens*, nec æquum omninò est, vt ex modica illa absentia ita graue damnum subeat sponsus.

Quid sentiendũ sit, quando recessit ex causa voluntaria.

D. Thomas. VeraCrux. Riccardus. Durandus. Sotus.

Ratio primæ partis deducitur ex superius dictis, quià iura canonica per recessum sponsi in longinqua conferunt sponsæ permanenti in eodem loco potestatem dissoluendi sponsalia, & ad alias nuptias conuolandi sine vlla præscriptione temporis per superius allegata *ad d. c. de illis de sponsalib.*, ergò non est, cur illam sponsa permanens non debeat acquirere, cum sponsus ex necessitate non sit absens, sed ex voluntate, & arbitrio, vnde etiam supponitur, quod ex illo recessu spontè renuntiet sponsalibus.

Iura canonica tempus non prorogant.

Ratio secundæ partis quoad ius ciuile in recessu sponsi intra eandem prouinciã euincitur per textum *in l. 2. C. de sponsal.* cũ etenim iura eidem sponso recedenti intra eandem prouinciam permittant tempus biennij ad reditum, & intra illud compellant sponsam in eodem loco permanentem ad expectandum non est in culpa dissolutionis contractus sponsalium, si sponsa non expectato illo termino conuolet ad alias nuptias, vel alio modo dissoluat sponsalia, ergò non est, cur sit priuandus illa sponsalitia largitate, quam contulit. Hoc idem argumentum potest confici, quando sponsus abest extra eandem prouinciam ex causa voluntaria, iusta tamen, & probabili, & non expectatur ad triennium per textum *in l. 2. C. de repudijs*, vbi illud tempus præscribitur, intra quod sponsa permanens non potest recedere à sponsalibus ad alias nuptias conuolando.

Ius ciuile permittit biennium ad reditum in eadem prouincia.

Ratio tertiæ partis, quando sponsa contulit sponsalitiam largitatem sponso, qui in longinqua recessit, deducitur quoad ius canonicum ex eisdem rationibus, quæ supra allatæ sunt, quandoquidem huiusmodi ius tribuit facultatem immediatè recedendi à sponsalibus sponsæ permanenti in eodem loco, & vtique ex causa sponsi recedentis, ergò quantumvis ad alia sponsalia nullo tempore expectato transierit poterit sponsalitiam largitatem per se collatam integrè recuperare, quià tunc supponitur ex causa sponsi recedentis dissoluisse sponsalia.

Ex eodem iure canonico deducitur.

Ratio quartæ partis, quod scilicet de iure ciuili sponsa, quæ contulit sponsalitiam largitatem eandem amittat, si intra biennium, vel triennium à recessu sponsi comparatiuè ad loca, de quibus supra, alteri nubat, ex eo expresè deducitur, quià recedendo à sponsalibus intra illud tempus iniustè recedit, & contra præscriptum iuris, & ius dependentèr ab eodem iure assistens sponso recedenti, ergò in illius pænam priuanda est sponsalitia largitate per textum *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* Ex aduerso deducitur, quod, si expectato illo termino à iure præscripto, & sponso non redeunte sponsa ad alias nuptias conuolarit possit integram sponsalitiam largitatem repetere, quandoquidem tunc ius habet resiliendi suffragantibus sibi iuribus, & assistentibus, & culpa dissolutionis tunc imputatur sponso recedenti, & non redeunti, sicque totum, quod recepit, restituet *arg. d. l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*

Ius ciuile etiam ei suffragatur.

Assertio IV. Ea, quæ dicta sunt de sponso recedente in longinqua quoad acqui- 5
sitionem, vel non acquisitionem illius sponsalitiæ largitatis ratione sponsæ proportionalitèr intelligenda sunt de sponsa recedente in longinqua respectu sponsi permanentis in eodem loco in ordine ad eandem acquisitionem, vel non acquisitionem sponsalitiæ largitatis, vel retinendæ, si à sponsa receperit, vel recuperandæ, si eidem contulerit *Cinus, & Baldus in l. 2. in fin. C. de sponsalibus, Alexander de Neuo cap. de illis num. 16. de sponsal. Sanchez lib. 1 de sponsalib. disp. 54. num. 1.*, qui quamvis loquantur præcisè quoad ius dissoluendi sponsalia ex recessu alterius sponsi in longinqua, ex identitate tamen rationis intelligendi sunt etiam loqui de iure acquirendi, vel non acquirendi sponsalitiam largitatem.

Idem de sponsa recedente, ac de sponso.

Cinus. Baldus. Alexander de Neuo. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur primò, quià recessus sponsi in longinqua permanente sponsa in eodem loco, & recessus sponsæ permanente sponso sibi sunt correlatiua, vt per se patet, sed in correlatiuis disposi-

In correlatiuis dispositum in vno intelligitur dispositum in altero.

tum in vno censetur in alio disponi *l. fin. C. de indict. vid. l. fin. ff. de accept. l. 1. C. de cupr.*, & optimè probat *Euerardus loco à correlatiuis num.* 8. præcipuè vbi in vtroq; correlatiuo eadem militat ratio, vt in præsenti hypothesi, ergò &c. Neque dicas, iura præcisè loqui de sponso recedente respectu sponsæ permanentis, adeoque dispositа quoad illam non debere extendi in ordine ad sponsum recedentem; contra enim impugnaberis, quià iura loquuntur in terminis sponsi recedentis, quià regularitèr contingit eosdem sponsos recedere, non sponsas, quarum genus, quantumvis sit valde vagum quoad proposita, & mentis affectus, non est tamen valdè vagum quoad motum; cæterum cum in vtrisque sit eadem ratio debet intelligi eadem iuris dispositio.

Vt plurimũ sponsus recedit, non sponsa.

Ratio secundò deduci potest arg. eorum, quæ dicuntur *in d. l. cum veterum C. de donat. ante nupt.* nempe sponsum acquirere iocalia collata à sponsa, si hæc causa dissolutionis contractus dederit; dedisse autem supponitur causam sponsa ex recessu in longinqua nulla habita facultate à sponso.

Hic solum pro complemento eorum, quæ dicta sunt in hac prænotione, examinandum foret, cum dictum fuerit diuersimodè quoad hoc ius canonicum, & ciuile disponere, an res regulanda sit iuxta ius canonicum, an verò iuxta ius ciuile, vel intelligendum sit ius canonicum se conformare ciuili, an verò esse correctorium eiusdem, sed quià de hoc fuit sermo in præcedentibus, dum de dissolutione sponsalium ideò ab hac quæstione abstineo, vosque remitto ad ibi dicta.

PRÆNOTIO IX.

An, si sponsalitia largitas excedat summã, quæ absque insinuatione donari nequit, valida sit absque eadem.

SVMMARIVM.

Donationes liberæ, si excedant summam præscriptam, indigent insinuatione. 1.
Insinuatio quid propriè sit. 2.
Insinuatio potest fieri eodem contextu, quo fit donatio. 3.
Non requiritur, quod fiat in loco iudicij num. 4.
Nec requiris decretum Iudicis, sed sufficit publicatio coram ipso. 5.
Donatio ante nuptias, quantumvis excedat summam præscriptam de iure communi, non indiget insinuatione. 6.
Sponsalitia largitas, quæ de iure municipali nõ potest excedi non redditur valida quoad excessum per insinuationem. 7.

Regularitèr sancitum est, in omnibus liberis donationibus, quæ gratuito procedunt, requiri ad earum validitatem insinuationem, si excedant summam quinque centum aureorum per textum *in l. sancimus C. de donat., & per l. penul. §. fin. C. eodem tit.* Rursus in pluribus iuribus municipalibus diuersorum locorum statutum est, ne in terminis præsentibus sponsalitiæ largitatis eadem excedat determinatam summam, quæ diuersa est in diuersis locis iuxta eorum statuta, & in particulari *in l. 1. recop. tit. 2. lib. 5.* statuitur, ne in ea quantitate sit, vt octauam dotis sponsæ partem excedat, & alibi aliter. Sed quià in præsenti nobis non vacat immorari in inquirendis dispositionibus statutarijs, quæ vbique locorum in hoc genere præscribuntur, ideò jis omissis solũ in genere inquirimus, an, quãdo sponsalitia largitas excedit quantitatem à iure municipali præscriptam, exigat insinuationem, ad hoc vt sit valida. 1

Porrò insinuatio nihil aliud est teste *Iulio Claro §. donatio qu. 15. num. 2.*, quam per superiorem auctoritatis præstatio, quæ licet eodem teste non sit propriè definitio, nec congrua descriptio, ex communi tamen consuetudine admittitur *Alberic. in l. illud post num. 2. C. de Sacrosf. Eccl.* Circa hanc insinuationem controuertitur primò, an possit fieri eodem contextu cum ipsa donatione. Secundò, an debeat necessario fieri in loco iudicij. Tertiò, an requirat Iudicis decretum. Ad primum assero sufficere, si fiat eodem contextu, quo fit donatio, seù tunc quando donatio reducitur in scripturam, vel quando iam reducta est in scripturam coram Iudice publicatur *Guido Pape cons. 23. num. 11. Immola in c. cum contingat num. 9. de iure iur. Corneus cons. 36. in lit. A. lib. 3. Antonius Canarius de insinuat. in prima part. num. 4.* Ad secundum assero, non requiri, quod huiusmodi insinuatio fiat in loco iudicij, sed sufficit, quod fiat in quocunque loco coram Iudice, cum huiusmodi actus non exigat plenam causæ cognitionem, & sit potius voluntariæ iurisdictionis, quam contentiosæ *Canarius de insinuat. in prima part. num. 4. Immola in d. c. cum contingat. nu. 93. de iure iurand.* Ad tertium item assero, non requiri decretum Iudicis, sed sufficere publicationem coram ipso *Bartolus in l. Modestinus post num. 3. ff. de donat. Corn. d. cons. 36. in litt. B. lib. 3.*, propter eandem rationem, quià non est necesse, quod fiat cum plena causæ cognitione, & est actus iurisdictionis voluntariæ. Hæc videntur interuenire, & requiri de iure communi; cæterum de iuribus municipalibus diuersorum locorum plura alia admittuntur, & requiruntur ad huiusmodi insinuationem, quæ certè in eisdem locis sunt obseruanda.

2 *Clarus. Insinuationis natura.* 3 *Guido Pape. Immola. Corneus. Canarius.* 4 *Canarius. Immola.* 5 *Bartolus. Corneus.*

Asser-

6 Non indiget insinuatione. Molina. Sanchez. Assertio I. Quantumvis donatio ante nuptias, seù sponsalitia largitas excedat summam præscriptam *in d. l. sancimus C. de donat.*, *& in l. penult. §. fin. C. eodem tit.* non propterea indiget insinuatione. *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 290. vers. quintum est. Sanchez lib. 6. matrim. disp. 18. num. 12.*

Ratio ex eo deducitur, quià in donationibus ob causam non requiritur insinuatio *Bartolus in l. Aquilius Regulus n. 3. ff. de donat. Socin. Iun. cons. 77. num. 152. lib. 2.* Est donatio ob causam. Alexander. etiam, si essent donationes ob causam, vel causas de futuro *Alexander cons. 113. num. 22. lib. 6.* cum enim huiusmodi donationes habeant aliam causam, quam liberalitatis, donationes propriè non sunt, sed donatio ante nuptias, seù sponsalitia largitas non solum ex dispositione iuris, sed etiam ex præsumpta voluntate donantis, seù largientis est ob causam matrimonij scilicet contrahendi, sine qua non conferretur, ergò &c. Confirmatur, quià huiusmodi sponsalitia largitas, vel est proptèr virginitatem, vel pudicitiam amissam, vel in præmium nobilitatis, vel obsequiorum per donatarium præstandorum, vel propter alias similes causas, ergò vtpotè ex causa non indiget insinuatione. Et quodam modo remuneratoria.

7 Assertio II. In regionibus, in quibus statuto cautum est sponsalitiam largitatem non posse excedere determinatam quantitatem, per insinuationem, si excedat, non redditur valida quoad excessum. Ita videntur definire *Molina, & Sanchez loc. cit.* Molina. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur primo, quià insinuatio locum non habet in donationibus ob causam, seù ex causa per superius allegata, & probata, ergò in ijs, quantumvis interuenerit, non poterit suum effectum præstare. Secundò, quià cum iura municipalia prohibeant, ne excedatur in determinata quantitate, & illam determinatam quantitatem approbent, vtique quoad excessum videntur irritare, nec reprobare quoad summam determinatam. Vbi non habet locum, non præstat effectum.

PRÆNOTIO X.

Quandonam acquiratur sponsalitia largitas per matrimonium de præsenti.

SVMMARIVM.

Sponsalitia largitas collata à sponso contracto matrimonio per verba de præsenti, nec quoad totum, nec quoad partem acquiritur à sponsa, si sine osculo, & consumatione matrimonium illud dissoluatur, vel ob mortem naturalem alterius, vel ciuilem per ingressum in Religionem. 1.

Hac sponsalitia largitas per matrimonium ratum præcisè sine osculo, vel consummatione non acquiritur per sponsam, quantumuis fuerit solemniter traducta in domū sponsi. 2.

Nec etiam si intercesserint benedictiones Ecclesiæ. 3.

Post consummationem vterque acquirit sponsalitiam largitatem. 4.

Intellige quando sponsus, vel sponsa de futuro contulerit. 5.

SVB duplici sensu potest examinari præsens difficultas, vel scilicet quando nullis existentibus, vel præexistentibus sponsalibus immediatè per verba de præsenti, seruatis omnibus iuris solemnitatibus contractum est matrimonium, & tunc collata sponsalitia largitas; vel quando præexistentibus sponsalibus legitimè celebratis, & collata sponsalia largitate posteà contractum est matrimonium per verba de præsenti, non tamen consummatum, & in vtroque sensu ante consummationem dissolutum est matrimonium intercedente morte alterius coniugis. Hic iam erit examinandum primò, an in vtroque sensu per simplex matrimonium per verba de præsenti nullo præcedente osculo, vel cōsummatione acquiratur vel integra, vel dimidiata sponsalitia largitas. Secundò an saltem acquiratur, si quantumuis non fuerit consummatū matrimonium, nec exhibitum osculum fuerit tamen sponsa traducta in domum sponsi. Tertiò, an saltem acquiratur si intercesserint benedictiones Ecclesiæ. Quartò, an consummato matrimonio non solum sponsa acquirat integra iocalia sibi à sponso collata, sed etiam sponsus sibi exhibita, & præstita à sponsa. Rationes dubitandi circa titulū.

Assertio I. Siue sponsalitia largitas fuerit à sponso collata iuxtà primum sensum, siuè iuxta secundum expositum, nec quoad totum, nec quoad partem acquiritur sponsæ, si nullo præcedente osculo, seu consūmatione matrimonij, matrimonium dissoluatur ob mortem naturalem alterius, vel etiam ciuilem ob ingressum in monastarium, *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 4. in initio. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 19. num. 3.* 1 Non acquiritur si dissoluatur ob mortem. Lupus. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quia nondum consummato matrimonio, conditio sub qua tacitè intelligitur inita sponsalitia illa largitas, non est perfectè completa, cum adhuc possit matrimonium dissolui per ingressum alterius in Religionem, vndè benè dicitur *in d. l. si desponso C. de donat. ante nupt.* quod si ante nuptias hunc, vel illam mori contigerit, non interueniente osculo, non acquiratur sponsalitia largitas, quod certè debet intelligi de nup- Ex dispositione iuris eruitur.

tijs completis per consummationem, vel per osculum in ordine ad acquisitionem medietatis, ergò non est, cur debeat acquiri illa sponsalitia largitas deficiente conditione, quæ ad ipsam requiritur.

Confirmari potest ex eo, quod suprà dictum est, nempè talem sponsalitiam largitatem dari in præmium amissi pudoris, qui certè non amittitur, nec per sponsalia præcisè, nec per matrimonium præcisè ratum, vt per se patet, nisi sequatur consummatio, vel osculum &c. ergo &c.

2 *Etiam si fuerit traducta in domum sponsi* Lupus. Castillo. Azabedo. Sanchez.

Assertio II. Hæc sponsalitia largitas per matrimonium ratum præcisè, nec etiam acquiritur, quantumvis sponsa fuerit solemnitèr traducta in domum sponsi, si ante consummationem alter ex sponsis obierit. *Ioannes Lupus rub. de donat.* §.4. *num.* 1. *in fin. Castillo l.* 52. *Tauri num.* 17., *&* 18. *in fin. Azabedo lib.* 5. *recop. tit.* 2. *l.* 4. *num.* 2. *Sanchez lib.* 6. *de matrim. disp.* 19. *num.* 4.

Ratio ex superius dictis deducitur, quià non acquiritur, nisi post consummatum matrimonium; ex traductione autem sponsæ in domum sponsi non efficaciter infertur consummatio, nec propriè in re est, ergò &c.

Dices primò, ex illa traductione sponsæ in domum sponsi maximam, & vehementem esse præsumptionem consummationis matrimonij iam secutæ, vel saltem osculi præstiti, adeoque sufficiens esse fundamentum acquisitionis iocalium, vel quoad totum, vel saltem quoad partem. Sed contra, quià dispositio pænalis, cuiusmodi est ista respectu illius, qui sponsalitiam largitatem contulit, non fundatur in simplici præsumptione, sed in veritate actus, cæteroqui ex sponsalibus simplicitèr initis argueretur acquisitio illius sponsalitiæ largitatis saltem quoad medietatem, cum arguatur regularitèr post sponsalia osculum intercessisse.

Dispositio pænalis non innititur soli præsumptioni.

Dices secundò, iura concedere talem sponsalitiæ largitatis acquisitionem ob ruborem, verecundiam, & detrimentum, quod sponsa patitur ex osculo quoad medietatem, vel ex copula quoad totum; hoc autem detrimentum æquè pateretur sponsa ex matrimonio rato post traductionem eiusdem in domum sponsi, cum secundum communem hominum existimationem, in qua consistit illud detrimentum, præsumatur consummatio, & difficilius homines ducerent sponsam, postquam post matrimonium ratum traducta est in domum prioris sponsi, ac si ad illam non fuisset traducta, Sed contrà, quià iura nón considerarunt illud detrimentum quomodocunque, sed prout oritur ex osculo, vel ex copula respectiuè ad partem, vel totum, cæteroqui ex quacunque præsumptione secundum maiorem, vel minorem qualitatem eiusdem decreuissent aliquam maiorem, vel minorem acquisitionem illius sponsalitiæ largitatis, quod non est in facto. Cæterum difficilius quis duceret fæminam, quæ alteri fuerit desponsata, ac si non fuisset desponsata, nec tamen ex præcisa desponsatione, nisi fuerit dissoluta ex culpa alterius, acquirit illam largitatem.

Iura considerant præcisè detrimentum ex osculo, & copula.

Assertio III. Quantumvis vltra traductionem sponsæ in domum sponsi post contractum matrimonium per verba de præsenti intercesserint benedictiones Ecclesiæ non propterea sponsa acquirit sponsalitiam illam largitatem, si ante consummationem matrimonium dissoluatur ex obitu alterius sponsi naturali, vel ciuili per ingressum in Religionem, *Sanchez loc. cit.* in præcedenti assertione aduersus *Azabedo lib.* 5. *recop. tit.* 2. *l.* 4. *nu.* 23. 3 *Nec si interuenerint benedictiones Ecclesiæ.* Sanchez. Azabedo.

Ratio ex eisdem deducitur, ex quibus præcedens assertio; vbicunque enim post matrimonium ratum non est copula, non est completa conditio requisita à iure ad acquisitionem iocalium, cum illud non sit consummatum, nec sufficit præsumptio propter rationes superius adductas.

Assertio IV. Ex consummatione matrimonij rati sponsa acquirit integrè sponsalitiam largitatem, si à sponso sibi fuerit collata, & item sponsus integrè, si eadem fuerit sibi per sponsam tradita. Quoad primam partem omnes, quos viderim, consentiunt. Quoad secundam *Gutierez* 3. *part. q.* 44. *in fin. Matienzo lib.* 5. *recop. tit.* 2. *rub. glos.* 3. *num.* 3. *in fin. Sanchez de matrimon. lib.* 6. *disp.* 19. *num* 10. Intellige hanc assertionem in hypothesi, qua sponsus, vel sponsa de futuro contulerit sponsæ, vel sponso huiusmodi iocalia, secus autem, quando sponsus, vel sponsa de præsenti contulerit. Intellige item de iure communi, non autem de iure municipali aliquarum regionum, secundum quod etiam sponsis de præsenti permittitur huiusmodi donatio, & quamvis huiusmodi iura municipalia loquerentur solummodò de huiusmodi largitate concessa à sponso sponsæ intelligenda etiam esset de largitate colata à sponsa sponso.

4 *Per consummationem matrimonij acquiritur* Gutierez. Sanchez.

Ratio primæ partis deducitur *in c. is, qui fidem de sponsal.*, & vlterius ratione sic comprobatur, quià scilicet tunc intelligitur adimpleta conditio, quæ est tacitè adiecta huiusmodi sponsalitiæ largitati, nec aliquod aliud requiritur ex dispositione iuris; hocque etiam à contrario sensu deducitur ex ijs, quæ in præcedentibus assertionibus dicta sunt; si enim sponsa nō acquirit sponsalitiam largitatem, quando matrimonium consummatum non est, ergò quando consummatum est acquiret eandem.

Ratio inciens sponsam acquirere.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in d. l. si à sponso C. de donat,*

ante

ante nupt., vbi sic legitur *Quod si sponsa donationis titulo fuerit aliquid sponso largita, & ante nuptias hanc, vel illum mori contigerit ad donatricem sponsā, seu eius successores donatarum rerum dominium transferatur*, ergò, si contigerit mori post nuptias rerum donatarum dominium, nec ad eam, nec ad eius successores transibit; sed remanebit penes sponsum, seù maritum donatarium arg. à contrario sensu, quod in iure fortissimum est *l. 1. §. huius rei ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd.* Argumentum etiam validissimum ad hoc comprobandum desumitur ex textu *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt*, vbi cum dictum fuisset, quod donationes ante nuptias factæ à sponso sponsæ habeant veram rationem donationis, seù quod idem est præstent verum effectum donationis, qui est transferre dominium in donatarium completa conditione, sub qua intelliguntur factæ, posteà immediatè subditur. *Quæ similitèr obseruari oportet, si ex parte sponsæ in sponsum donatio facta sit*: particula etenim *similiter* efficit, quod dispositum in primo casu intelligatur etiam dispositum in secundo, & si in primo casu supposito complemento conditionis transfertur absolutè dominium in donatarium, & vtique irreuocabile, non est, cur etiam in secundo non transferatur.

Ratio cuius eam acquirere sponsum.

5 Dices, non currere paritatem inter sponsum donantem sponsæ sub respectu conditionis, eademq; adimpleta, ac de sponsa donante sponso sub eadem conditione, eaque purificata, quandoquidem in sponso præsumitur animus donandi, præcipuè cum accedat ratio talis præsumptionis; ipse etenim pudoris iniicit piaculum, quod in fœminis considerabile est; in sponsa autem non præsumitur talis animus donandi; tùm quià genus fœminarum auarissimum est *l. si stipulata §. si vxor ff. de donat. inter vir., & vxor. l. si ego ff. ad Senatus consul. Velleian.*, tùm quià ipsa non infert pudoris piaculum sponso, cum in ipso non sit considerabile. Sed contrà, quià in primis translatio dominij non præsumitur præcisè ex voluntate donantium, sed ex dispositione iuris, quod supposita purificatione talis tacitæ conditionis eiusdem dominij translationem absolutè firmat, adeoque non consideratur, an genus sit auarum, nec ne; vbi etenim ius disponit, non attenditur voluntas contrahentium. Deinde cum talis donatio sit ob causam supposito adimplemento eiusdem causæ non est hæsitandum de voluntate donantis.

Proponitur instantia, & dissoluitur.

Dixi, *intellige in hypothesi, qua sponsus, vel sponsa de futuro contulerit sponsæ, vel sponso huiusmodi iocalia*; in hoc etenim sensu præcisè verificantur iura disponentia de huiusmodi dominij translatione; *secus autem quando sponsus, vel sponsa de præsenti contulerit*. Ratio huius limitationis ex eo desumitur, quod inter virum, & vxorem de præsenti vetita est quæcunque donatio per textum *in l. 1. 2., & 3., & 4. ff. de donat. inter vir, & vxor., & in l. cum hic status ff. eod.* hocq; sentire videtur *Castrensis in l. vt in l. 4. C. de donat. ante nupt. Menochius de præsupt. lib. 3. præsumpt. 12. num. 2. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 7. num. 8. Ioannes Angelus Bossius tract. de dote c. 8. nu. 21.*, & nos etiam documus *tom. 4. sub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth. Prænot. 1. sect. 3. num. 21., & 22.*, Nec obesse potest, quod hæc donatio sit ob causam, quandoquidem constante matrimonio interdicta est quæcunque donatio quomodocunque inter virū, & vxorem, quantumvis respiciat causam matrimonij.

Inter maritum, & coniugem prohibentur donationes.

Castrensis. Menoch. Bossius.

Dixi, *intellige de iure communi*; non enim negauerim in aliquibus regionibus extare iura municipalia, secundum quæ disponitur inter sponsos de præsenti posse esse huiusmodi donationes, vt in Regno castellæ extare asserit *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 19. num. 9.* per textum *in l. 4. tit. 2. lib. 5. recop.* Quo iure municipali stante, quantumvis in eodem videatur solummodo disponi de sponsalitia largitate collata à sponso sponsæ, nihilominus ex paritate rationis videtur dispositio extendenda etiam ad collationem factam per sponsā sponso, quia lex corrigens in vno correlatiuorum censetur in altero corrigere, nisi sit in lege corrigente expressa exclusio alterius per textum *in l. fin. C. de indict. vid.*, & ratio, cur exprimatur correctio solummodo in collatione facta à sponso de præsenti sponsæ, ea est, quia iura id præcipuè exprimunt, quod in vsu frequentius est, nec propterea aliud correlatiuum, quod non ita frequens est, excludunt *Glos. in clem. vnica verb. præsidentes de rescriptis Rebuffus de nomin. q. 5. num. 3. Paralta l. Lucius 1. num. 21. ff. de leg. 2. Velascus contr. 8. nu. 2. tom. 1.*

In regno castella permittuntur donationes inter sponsos de præsenti.

Glosa. Rebuffus. Peralta.

PRÆNOTIO XI.

An in suppositione, qua donatio ante nuptias excedens indigeat insinuatione, eadem indigeat, si sit reciproca inter sponsos.

SVMMARIVM.

Si sponsalitiæ largitates excedentes indigerent insinuatione, eadem non indigerent, si esset reciproca. 1.

Æque procedit, siue huiusmodi donationes fiant pro eodem tempore, siue successiuè. 2.

Si vnus ex sponsis contulerit sponsalitiam largitatem

gitatem excedentem alter minorem exc dens quoad excessum indiget insinuatione. 3.

Ex dictis in precedentibus clare liquet, huiusmodi donationes quantumvis excedentes non indigere insinuatione: nunc vberioris doctrinæ gratia, & ad alias difficultates explanandas in alijs simplicibus donationibus examinandum assumimus, an supposita necessitate talis insinuationis, siuè in huiusmodi donationibus ante nuptias, siue in alijs simplicibus eadem requiratur, si donationes fuerint reciprocæ. Vlterius, an data suppositione, quod in donationibus reciprocis non requiratur huiusmodi insinuatio, requiratur saltem, quando vnus contulit largitatem excedentem, alter vero minorem dispofita in iuribus

1 Assertio I. In suppositione, quod etiam in sponsalitijs largitatibus excedentibus requireretur insinuatio, non requireretur tamen, quando huiusmodi largitates essent reciprocæ *Bartolus in l. Aquilius Regulus num. 3. ff. de donat. Socin. Iun. conf. 77. num. 152. lib. 2. Alexander conf. 113. num. 22. lib. 6. Iulius Clarus §. donatio q. 16. num. 6.*

Non indigent quando sunt reciproca. Bartolus. Socinus. Alexander Clarus.

Ratio ex eo desumitur, quia in donationibus simplicibus, quando sunt reciprocæ, non est necessaria huiusmodi insinuatio, ergo multo minus erit necessaria in donationibus ante nuptias, quando hæ sunt reciprocæ. Antecedens probatur, quia insinuatio tantum requiritur, quando donatio procedit ex mero motiuo liberalitatis respectu donantis, quia, vt benè notat *Iulius clarus loc. cit.* si donationes habeant aliam causam, quam liberalitatis, propriè donationes dici non possunt; sed quando sunt reciprocæ habent aliam causam, quam liberalitatis, vt per se patet, cum tendant ad remunerationē muneris recepti, ergo non indigent insinuatione. Consequentia primi argumenti probatur, quia donationes ante nuptias habent quid magis ex genere suo, quod excludit merum titulum liberalitatis, quam simplices donationes.

Insinuatio solum requiritur, quando donatio est ex mero motiuo liberalitatis.

Dices, hæc ad summum verificari, quando huiusmodi donationes fiunt æquè simul, & pro eodem tempore, quodamodo ex tacita conuentione, quia tunc habēt quodamodo rationem contractus, seū saltem debitæ mutuæ remunerationis, non autem quando fiunt successiuè saltem ex parte eius, qui primo contulit, quia tunc ille præsumitur contulisse libere, & gratuito sine vllo onere retributionis respectu alterius, adeoque illius collatio supponitur procedere ex mero motiuo liberalitatis. Sed contrà quia quantum-
2 vis prima sponsalitia largitas ab vno procedens sit sine onere retributionis respectu alterius, prout tamen ab altero ponitur retributio ex eadem causa huiusmodi donationes reciprocæ ad inuicem referūtur, adeoque ambæ induunt rationem donationum remuneratoriarum prout expresse habetur *in d. l. Aquilius regulus ff. de donat.*, & ita communiter tenetur, vt asserūt *Socinus Iun. conf. 94. n. 13. lib. 2. Didacus in c. cum in officijs post num. 10. de testam.* additque rationem *Iulius Clarus §. donatio q. 3. num. 1.* quia licet prima donatio fiat nullo iure cogente, non tamen negari potest, quin saltem naturali ratione, qui beneficium accepit benefacienti sit obligatus, atque hoc asserit esse maximi effectus, nam ex hoc sequitur, quod talis donatio non indigeat insinuatione. Hæc fermè ad verbum *idem Iulius Clarus loc. cit.*, vnde est quodamodo donatio antidoralis, quæ propterea secuta remuneratione compensatur.

Procedit siue fiant eodem tempore, siue successiuè. Socin. Iun. Didacus. Clarus.

Assertio II. In suppositione, qua vnus ex sponsis contulerit sponsalitiam largitatem excedentem, alter verò minorem ea, quæ in iure disponitur, sponsalitia largitas excedens quoad excessum indiget insinuatione. Procedit etiam hæc assertio in suppositione, qua sponsalitia largitas excedens indigeat insinuatione. Colligitur licet in diuersis terminis ad hunc tamen casum maximè conferentibus ex *Bartolo in l. si quis pro eo §. primo in fin. ff. de fideiuss. Decio in l. petens num. 7. C. de pactis Iulio Claro §. donatio q. 3. num. 3.* 3

Excedens indiget insinuatione quoad excessum. Bartolus. Decius. Clarus.

Ratio ex eo deducitur quia in tantum quando est reciproca donatio non requiritur insinuatio, in quantum vtraque supponitur remuneratoria, sed quando respectu vnius est excedens vtique quoad excessum non potest esse remuneratoria, sed habet præcisè rationem simplicis donationis, ergo illa donatio quoad illum excessum absque insinuatione non tenet. Confirmatur primo, quia donatio remuneratoria, vt valeat, requiritur, vt non excedat merita *Bartolus in d. l. si quis pro eo §. 1. in fin. ff. de fideiussor. alijque DD. allegati in assert.* quia, quando fit, debet esse par vtriusque, non dispar conditio. *Tiraquel in repet. l. si vnquam C. de reuoc. donat.*; in hac autem hypothesi esset excessus donationis ad merita, quandoquidem meritum alterius consisteret solum in eo, quod retribuit, quod non adæquat id, quod recipit, ergo &c. Vide quoad hoc Tiraquel mox allegatum.

Respectu excessus non est remuneratoria. Bartolus. Tiraquel.



PRÆ-

PRÆNOTIO XII.

An donata à consanguineis sponsi sponsæ ante nuptias eidem acquirantur post nuptias consummatas, & post obitum sponsi, & quid si fuerint donata à consanguineis sponsæ sponso.

SVMMARIVM.

Proponitur status controuersiæ, & explicatur. 1.

De iure communi donata à consanguineis sponsi sponsæ censentur donata contemplatione sponsi, donata verò à consanguineis sponsæ sponso, contemplatione sponsæ. 2.

Donata contemplatione sponsi post obitum ipsius transeunt ad ipsius hæredes, idem dic de donatis contemplatione sponsæ, quæ reuertuntur ad eiusdem hæredes. 3.

De iure municipali Mediolani, an, & quomodo eisdem acquiratur expressè decernitur. 4.

Donata à sponso, vel Patre sponsi cum expressione donationis censentur simpliciter donata tradita verò sine tali expressione censentur collata causa ornamenti. 5.

1 *Status controuersiæ expositus.* STatus controuersiæ hic est. Contraxerunt adinuicem sponsalia Fabius, & Berta seruatis omnibus iuris solemnitatibus cum promissione intra certum tempus de matrimonio ineundo. Rebus sic stantibus, & matrimonio nondum completo pendente adhuc termino ad illius complementum, nedum intercesserunt inter sponsos adinuicem sponsalitiæ largitates, sed etiam per consanguineos sponsi plurima pretio æstimabilia fuerunt collata sponsæ, & fortè etiam per consanguineos sponsæ eidem sponso. Successiuè vrgente tempore celebrationis contractus initum fuit inter eosdem matrimonium, & etiam consummatum. Posteà alter ipsorum obijt. Hic iam quæritur, an, si sponsus, seù maritus obierit, tradita per consanguineos eiusdem sponsæ eidem plenè fuerint acquisita, adeovt post obitum viri possit de illis liberè disponere, & è contra, si sponsa obierit tradita per consanguineos eiusdem sponso eidem plenè acquirantur, adeovt de illis sicuti ipsi placitum fuerit, possit disponere.

Carpanus. Carpanus *ad statut. Mediol. 291 num 81.* asserit hanc difficultatem in hoc Ducatu sublatam esse *per hoc statutum 291. per clausulam, si verò decesserit cum descendente*, per quod meo videri Carpanus idem dicendum esse statuit de huiusmodi donatis per consanguineos sponsi sponsæ eodem sponso decedente relicto descendente, quod dicitur in eodem statuto de donatis per eundem maritum vxori tempore celebrationis contractus decedente eodem marito relictis descendentibus. Nihilominus vt clarius hac in re procedamus.

Inspectiones circa titulum. Hæc difficultas examinari potest, vel attento iure communi, vel attento iure municipali huius Mediolanensis Ducatus. Rursus examinandum erit, an intelligantur translata ad eandem sponsam titulo expresso donationis, an translata nulla facta mentione donationis, & quid in hoc casu sit præsumendum.

2 *Quorumnam contemplatione intelliguntur donata. Vinius. Bartolus. Iason. Cagnolus. Clarus.* Assertio I. Attento iure communi donata à consanguineis ex parte viri sponsæ censentur donata contemplatione viri, donata verò à consanguineis vxoris censentur donata contemplatione eiusdem vxoris *Vinius in suis com. lib. 2 opin. 93. Bartolus in l. sed si plures §. in arrogato nu. 4. ff. de vulg. Iason in l. vt liberis num. 17. C. de collat. Cagnol. in l. Contractus num. 38. ff. de regul. iur. Iulius Clarus §. donatio quæst. 10. num. 2.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià affectio consanguineorum sponsi fertur in eundem sponsum directè, & in sponsam solummodo, prout refertur ad eundem sponsum, & in tantum fertur in ipsam, in quantum est sponsa illius, ergò, & donata, quæ procedunt ex eodem affectu, per eosdem consanguineos sponsi eidem sponsæ censentur donata contemplatione sponsi. Hoc argumentum viceuersa tendit etiam ad probandam secundam partem assertionis nempe donata per consanguineos sponsæ sponso censeri donata contemplatione eiusdem sponsæ.

3 *Donata à consanguineis sponsi transeunt ad ipsius hæredes.* Hinc inferes pro corrolario primò in ordine ad acquisitionem huiusmodi iocalium, siue collatorum per consanguineos sponsi sponsæ, siuè per consanguineos sponsæ sponso post dissolutum matrimonium ex obitu alterius idem iudicandum est, quod iudicatur de iisdem, quando immediatè sunt collata à sponso sponsæ, vel à sponsa sponso.

Baldus. Bartolus. Romanus Alexander Altiatus. Cagnolus. Inferes secundò, attento eodem iure communi donata sic à consanguineis sponsi sponsæ post obitum eiusdem sponsi non acquiri eidem sponsæ, sed restituenda esse hæredibus eiusdem viri per tradita per *Baldum in l. penult. §. serui ff. solut. matrim. Bartolus in l. ex annuo ff. de donat. inter virum, & vxor. Romanus cons. 172. num. 1. Alexander cons. 155. ad fin. vol. 7. Alexander in l. is, qui quadringenta §. dos legat. num. 5. ff. ad leg. falcid. Altiatus cons. 241. in princip. Cagnolus in l. contractus num. 44. cum seq. ff. de reg. iuris.*

4 Assertio II. Attento iure municipali Mediolani *in præcit. c. 291.* Si maritus decesserit sine descendente masculo, vel fæmina,

mina eiusdem matrimonij, vel alterius ex linea masculina vxor acquirit omnia eius causa parata, si ad domum mariti traducta fuerit, vel aliter ab eo cognita. Si verò decesserit cum descendente masculo, vel fæmina similitèr lucratur omnia eius causa parata exceptis nonnullis, prout expressè in eodem capite 291., si verò maritus decesserit relicta vxore, & nullo relicto descendente masculo, vel fæmina communi, sed solummodo relictis descendente, vel descendentibus masculo, vel fæmina masculis, vel fæminis ex alio matrimonio, seù alijs matrimonijs eiusdem mariti, tunc mulier ex exceptis lucratur, vsque ad summam tantum duarum partium ex tribus partibus, ad quam ascenderet summa eius dotis, vbi mulier ex alio matrimonio, vel matrimonijs descendentem non haberet, vbi verò descendentem, seù descendentes haberet ex alio matrimonio, eo casu mulier lucratur ex exceptuatis, vsque ad summam tantum duarum partium ex tribus partibus illius portionis, quam maritus lucratus fuisset ex ipsa dote, si vxor præmortua fuisset cũ descendente, vel descendentibus alterius matrimonij. Hæc omnia colligo ex eodem capite 291., quod quamvis loquatur de donatis per eundem maritum, seù sponsum vxori, seù sponsæ, extenditur tamen etiam ad donata per consanguineos eiusdem sponsi sponsæ. Quod sic

Dispositiones quoad hac de iure municipali Mediolani.

Probatur, quià ex superius dictis donata per consanguineos sponsi sponsæ censentur donata contemplatione eiusdem sponsi, & eidem acquiruntur, ac proinde ità se habent, ac si fuerint donata ab eodem sponso, ergò eodem modo sunt regulanda, quo reguntur donata per eundem sponsum, sed donata per eundem sponsum reguntur modo præscripto in assertione secundum illas distinctiones, & exceptiones, ergò &c.

5 Assertio III. Si sponsus, vel Pater sponsi aliquid miserit sponsæ, prout moris est, cum expressione donationis, tunc vtique censetur donatum, si verò simpliciter miserit nulla facta mentione donationis, & tunc in dubio censetur traditum causa ornamenti, non autem animo donandi *Angelus conf. 339. Cagnolus in l. contractus num. 35 ff. de reg. iur. Corneus conf. 65. in lit. A. lib. 3. Alexander conf. 115. num. 10. lib. 7. Iulius Clarus §. donatio quaest. 10. num. 1. in fin.*

In dubio censentur tradita causa ornamenti.

Angelus. Cagnolus. Corneus. Alexander Clarus.

Ratio primæ partis ex eo deducitur quià vbi constat de expressa voluntate donantis non est ab eadem deflectendum, cum nullum ius vetet, talem donationem; hic autem expressè constat de voluntate donandi, ergò &c.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià in dubio ex duplici fine, quem habere potest traditio, ob quem fiat, præsumendum est fieri ex fine, qui minus noxius, & grauis sit transferenti, cum semper præsumatur, quemcunque velle sibi minus nocumentum, ergò &c.

PRÆNOTIO XIII.

An donata à consanguineis sponsi sponsæ, & è contra, eiusdem iuribus, & oneribus subdantur, quibus subditur sponsalitia largitas.

SVMMARIVM.

Explicatur finis præsentis prænotionis. 1.
Sententia asserens habere rationem sponsalitiæ largitatis. 2.
Sententia negans præfertur. 3.
Non acquiruntur fæmina dimidiatè per osculum, nec integrè per copulam. Ibid.
Ex suppositione, quod post osculum, vel copulam sponsalia dissoluantur, vel ex culpa, vel sine culpa sponsi donata per consanguineos ad eosdem reuertuntur. 4.

EO tendit hæc disceptatio, vt inquiratur, an, si sponsa, cui intelligitur per consanguineos sponsi facta donatio osculum fuerit passa à sponso, vel fortè etiam copulam, & sponsus posteà resilierit à sponsalibus, acquirat eandem donationem, vel quoad totum, vel quoad partem respectiuè ad copulam, & osculum ad instar eorum, quæ per sponsalitiam largitatem sibi fuerant à sponso collata, & viceuersa, si sponsus, cui intelligitur per consanguineos sponsæ facta donatio, ex eisdem causis intelligatur acquirere eam donationem, quibus acquireret tradita per sponsalitiam largitatem ab eadem sponsa, si ex culpa ipsius dissoluerentur sponsalia. 1

Quo tendat huiusmodi disceptatio.

Ioannes Lupus *rub. de donat. §. 45. num. 19. Azabedo lib 5. recop. tit. 2. l. 4. num 17. Ioannes Garzia de coniug. acquestu num. 107.* sentiunt eodem modo regenda esse huiusmodi donata per consanguineos vtriusque respectiuè ad alterutrum, quo sibi inuicem donata per eosdem sponsos reguntur, adeo vt sponsa, quæ recepit huiusmodi donata per consanguineos sponsi eadem lucretur quoad medietatem per osculum, vel quoad totum per carnalem copulam, & sponsus, qui recepit à consanguineis sponsæ eadem acquirat, si ex culpa eiusdem sponsæ dissoluantur sponsalia. Rationem ex eo deducunt, quod superius dictum fuit, scilicet consanguineos sponsi donantes sponsæ præsumi donare contemplatione eiusdem sponsi, adeoque eidem sponso; ex eo autem, quod sponsus conscius illius donationis factæ per suos consanguineos 2

Lupus. Azabedo. Garzia.

Sententia asserens habere rationem sponsalitiæ largitatis.

guineos

guineos propriè sponsa annuat, nec eandem sibi acquiri expressè statuat videtur, & ipse donare sponsæ, adeoque proinde se habent illa donata, ac si fuerint donata ab ipso sponso sponsæ ante nuptias, sicque habent rationem sponsalitiæ largitatis. Nihilominus sit,

3 Assertio IIIa sic donata à consanguineis sponsi sponsæ non habent rationem sponsalitiæ largitatis, adeoque per sponsam non acquiruntur quoad medietatem per osculum, nec integrè per copulam carnalem; idem intellige de donatis per consanguineos sponsæ sponso, si ex culpa eiusdem sponsę dissoluantur sponsalia *Gutierz 2. pract. quæst. qu. 120. num. 10. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 430. concl. 3. Sanchez de matrimon. lib. 6. disput. 26. num. 22.*

Illa sic donata non acquiruntur per osculum, vel copulam.

Gutierez. Molina, Sanchez.

Ratio ex eo desumitur, quia gratis omnino confingitur illa donatio sponsi ex collatis sponsæ per consanguineos proprios, nisi animum expresserit donandi, ergo non est, cur habeant rationem sponsalitiæ largitatis. Antecedens probatur quia vbi non est expressio in dubio nunquam præsumitur donatio *l. cum de indebito ff. de probat. Menochius lib. 2. de arbitrar. centur. 1. cas. 88. Mascardus de probat. concl. 555. Baldus in l. cum te num. 2. C. de donat. ante nupt.*

In dubio non est donatio vbi non est expressio.

Menoch. Mascardus Baldus.

Dices, quod quamvis non supponantur donata ex voluntate præsumpta sponsi, supponantur tamen translata in eandem sponsam ex dispositione iuris *in d. l. cum veterum C. de donat. ante nup.* vbi præcipitur acquiri iocalia, quoad medietatē per osculum &c Sed contra, quia iura ad summū disponunt, quando sponsalitia largitas immediatè confertur per ipsum sponsum sponsæ, eo quia tunc supponunt ea ad hunc effectum ex mente collatoris fuisse collata; non autem, quando huiusmodi dona fuerunt collata per alios ab ipso sponso, quia iura non possunt præsumere, quod per eundem sponsum fuerint donata sponsæ, nec iura huiusmodi, cum quodammodo sint penalia ipsi sponso, sunt extendenda vltra quam eadem iura disponant.

Iura cum sint penalia non sunt extendenda.

Ex quibus habes, quid respondeas ad obiecta per aduersarios; non enim potest esse præsumptio, quod sit animus donandi respectu sponsi, adeoque, nec iura pro donatione præsumunt.

4 Assertio II. Ex suppositione, quod post osculum, vel copulam sponsalia dissoluantur, vel cum culpa, vel sine culpa sponsi donata per consanguineos eiusdem sposi sponsæ probabilius ad eosdem consanguineos reuertuntur, nec remanent apud eandem sponsam; idem dic de donatis per consanguineos sponsæ sponso, quotiescunque ex culpa eiusdem sponsæ sponsalia dissoluuntur.

Reuertuntur ad consanguineos donantes.

Ratio ex eo deduci potest, quia quod datur à consanguineis, vel alijs pro ipsis sponsis datur intuitu matrimonij ineundi, seu sub tacita conditione, si matrimoniū sequatur non minus, ac illud quod datur ab ipsis sponsis ante nuptias per textum *in l. cum veterum C. de donation. ante nupt. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 3 num. 5. Castillo l. 52. Tauri n. 8. Gomez Arias l. 50. Tauri n. 3.*, ergo conditione non purificata debent absolutè sic donata, seu tradita referri in ipsum donantem, seu conferentem; nec osculum, nec copula sponsi potest eisdem consanguineis officere, quandoquidem ex ipsis non oritur detrimentum sponsæ, ex quo illam acquisitionem ipsa possit exigere.

Lupus. Castillo. Gomez. Arias.

PRÆNOTIO XIV.

An vestes, & alia iocalia, quæ mittit sponsus sponsæ contineri censeantur sub sponsalitia largitate, eiusque oneribus.

SVMMARIVM.

Vestes pretiosa, quæ non inseruiunt ad quotidianum vsum, annuli, gemmæ, & monilia non veniunt sub sponsalitia largitate de iure communi, bene tamen vestes quotidianæ. 1.

Quænam veniant nomine vestium pretiosarum, & quid nomine quotidianarum. 2.

Vbi non constat de animo donandi in dubio vestes quotidianæ censentur donata, non sic pretiosa. 3.

Exponitur quid sentiendum de iure municipali Mediolani. 4.

HÆC difficultas potissimū procedit in ordine ad vestes, annulos, gemmas, monilia, & alia huiusmodi vsu nō consumptibilia. Rursus procedit, vel in ordine ad huiusmodi res, prout traduntur à sponso sponsæ ante nuptias, vel prout traduntur à marito vxori post nuptias. Tandem, vel spectato iure comuni, vel spectatis iuribus municipalibus peculiarium regionum.

Assertio I. Vestes pretiosæ, quæ non inseruiunt ad quotidianum vsum, annuli, gemmæ, & monilia, & alia huiusmodi attento iure communi non censentur venire sub sponsalitia largitate, secus autem de vestibus, quæ ad vsum quotidianum deseruiunt. *Imola in l. penult. §. 1. ff. sol. matrim. Cagnolus l. contractus num. 36. ff. de reg. iur. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 6. n. 5., & seqq. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 10. in init. Olanus concord. iuris lit. D. verb. donatio num. 72. Gama prima part. decis. 71. num. 1., & decis. 123. num. 1., & seq.*, 1

Quænam veniant sub sponsalitia largitate, & quænam non.

Imola. Cagnolus. Lupus. Clarus. Olanus. Gama.

Sanchez. *seq.*, & in specie præsentis difficultatis *Sanchez de matrim. lib. 6. disput. 25. nu. 28.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia huiusmodi vestes aliaque pretiosa non supponuntur collata animo donandi, sed animo vt inseruiāt ad vsum, vt ornatior ad se sponsa accedat, vt, vbi non est expressa mentio donationis, in dubio non supponitur animus donandi per allegata iura *in l. cum de indebito ff. de probation., & per DD. allegatos in præcedenti prænot. in probat. assert. 1. Bartolus in l. in his rebus §. 1. num. 2. ff. solut. matrim. Corneus cons. 81. in lit. L. lib. primo Bertrandus cons. 24. num. 8. lib. 1. in secunda part., & cons. 208. num. 2. lib. 2. in secunda part. Socin. Iun. cons. 134. num. 4. lib. 1. Alexander in l. siis, qui quadringenta §. dos legata num. 2. ff. ad leg. Falcid.* sponsalitia autem largitas non procedit, nisi quoad donata, sicque, quantumvis intercesserit osculum, vel copula, non propterea sponsa eadem acquiret, nec quoad medietatem, nec integre respectiuè ad osculum, & copulam *Molina tom. 2. de iustitia tract. 2. disp. 290. versic. quartū est dubium*, qui quantumvis à nobis dissentiat etiam quoad vestes ad vsum quotidianum deputatas, quoad pretiosas tamen, aliaque pretio magno æstimabilia non dissentit.

Non supponitur animus donandi. Bartolus, Corneus, Socin. Alexander

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quia, cum huiusmodi vestes sint ad quotidianum vsum deputatæ, sunt vsu maximè consumptibiles, adeoque censentur translatæ cum animo donandi; vnde etiam communiter DD. asserunt, quod, si per mortem mariti post nuptias dissoluatur matrimonium, & non constet de animo eiusdē mariti donandi, quoad huiusmodi vestes quotidianas censeatur facta donatio, sicque ipsæ veniunt sub nomine sponsalitiæ largitatis.

Vsu consumptibiles censentur donari.

2 Hic disputant DD. quænam vestes sint reputandæ pro preciosis, & quænam pro quotidianis. Communiter resolutio huius difficultatis remittitur arbitrio prudentis viri, qui attentis circumstantijs dignitatis sponsi, & sponsæ, & consuetudine loci determinet, *Imola in l. penult. §. seruis ff. solut. matrim. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 11. num. 11. Rolandus cons. 10. num. 17. lib. 1. Villalobos in comun. opin. lit. V. verb. vestes num. 48. Menochius de arbit. lib. 2. cent. 3. cas. 218. num. 5. Gutierez secundo pract. q. 19. num. 6.*; In specie autem debet considerare prudens arbiter quantitatem dotis; quo etenim pinguior est dos, eo honestius est sponsa tractanda *arg. l. 1. C. de impon. lucrat. descript. lib. 10. & l. id vestimentum ff. de pecul.* Deinde nobilitatem, & diuitias, adeo vt si sint nobiles, & diuites vestes sericæ annumerantur inter quotidianas si ignobiles, & pauperes inter pretiosas, non enim æquum est omnes æqualiter vestiri per textum *in l. 1. C. quæ res vend. non pos. Alexander. cons. 42. num. 4. vol. 5. Afflictus decis. 315. num. 14. Menochius de arbitr. lib. 2. cent. 3. cas. 218. num. 5. Barbosa l. quæ dotis 33. num. 73. ff. solut. matrim.* Porro considerare debet, quod, si vestes delatæ fuerint pro diuersis temporibus, puta pro hiemali, & æstiuo, & dignitas personæ vtrasque exigat, vtrasque censeri quotidianas *Salicetus in l. ficus in fin. C. de donat. inter vir., & vxor. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 11. num. 9.* Tandem, quantumvis vestes delatæ essent honorificæ considerare debet, an sine ipsis attenta conditione coniugum non posset sponsa sine dedecore in publicum progredi, & tunc debet computare inter quotidianas *Baldus in l. penult. §. seruis num. 3. ff. sol. matrim. Gutierez 2. pract. q. 19. n. 8. Barbosa in l. quæ dotis num. 73. ff. solut. matrim.*

Immola. Lupus. Rolandus. Villalobos Menoch. Gutierez.

Quænam debeat considerare arbiter in decernendo. Alexander Afflictus. Barbosa. Salicetus. Lupus. Baldus. Barbosa.

Assertio II. De iure comuni, vbi non constat de animo donandi respectu mariti in dubio vestes quotidianæ censentur donatæ, adeoque soluto matrimonio post obitum mariti fiunt vxoris, eiusque hæredum, cum donatio earundem morte fuerit confirmata; vestes verò pretiosæ, gemmæ, monilia, & his similia in dubio non censentur donata, sed tātum ad vsum accommodata, adeoque soluto matrimonio, vel ob obitum mariti, vel vxoris sunt restituenda marito, vel eius hæredibus *Bartolus in l. si vsusfructus num. vnico ff. ad leg. falcid., & in l. penult. §. seruis vxoris num. 3. ff solut. matrim. Alexander de Neuo c. fin. num 22. de donat. inter vir, & vxor. Menochius de arbitrar. lib. 3. cent. 3. casu 218. num. 2. Iulius Clar. lib. 4. recept. §. donatio qu. 10. versic. successiuè quæro, Mascardus de probat. concl. 564. num. 4.* 3

Quænam censeantur donata, & quænam non. Bartolus. Alexander de Neuo. Menoch. Clarus. Mascardus

Ratio primæ partis ex eo deducitur primò, quia maritus constante matrimonio tenetur expensas necessarias facere ad congruum statum propriæ vxoris, nec easdem potest repetere, vt colligitur *ex l. penult. ff. de impens.*, sed vestes quotidianæ sunt ex expensis necessarijs ad congruum statum eiusdem, ergo illas, nec illarum expensas poterit repetere. Secundò quia maritus tenetur suis sumptibus vxorem alere *l. si cum dotem §. fin autem ff. solut. matrimon.* ergo etiam tenetur vestes ad vsum quotidianum necessarias conferre quia nomine alimentorum veniunt vestes quotidianæ, & necessariæ *l. legatis ff de aliment., & cib. leg., l. verb. victus ff. de verb. signif.*

Vestes quotidianæ veniunt nomine alimentorum.

Dices, de alimentis rectè rationem procedere, non sic de vestibus, quandoquidem alimenta supponuntur consumpta, non sic vestes, quæ propterea, si perseuerant poterunt repeti. Sed contrà in primis, quia si maritus quid annuum præstet

stet vxori ad alimenta, statim efficitur vxoris, nec residuum potest à marito repeti per textum *in l. ex annuo 16. ff. de donat. inter vir., & vxor.*, ergò etiam, quantumvis vestes quotidianæ traditæ per maritum vxori perseuerent, non propterea poterunt repeti ab eodem marito. Deinde cum vestes quotidianæ ex genere suo sint vsu consumptibiles censentur ità conferri, vt non fuerit animus repetendi, si quid ex eis remanserit.

Ratio secundæ partis deducitur primò ex textu *in l. mortis suæ 54. ff. de donat. inter virum, & vxor.*, vbi dicitur, quod, si mulier res in dote æstimatas consentiente viro in vsu habeat, non propterea illi censeantur donatæ, ergò &c. Secundò ex textu *in l. hoc legatum 43. ff. de legat. 3.* vbi dicitur vestes paratas causa vxoris posse maritum eidem vxori legare, ergò non fuerunt à principio donatæ. Tertiò, quoad res pretiosas, & quæ continuo vsu non absumuntur in dubio non est præsumptio donationis *l. cum de indebito vers. qui enim soluit ff. de probat.*, vnde requiritur expressa mentio eiusdem *Baldus in l. cum te num 2. C. de donat. ante nupt.*, nec donatio potest præsumi quoties collatio potest esse ad alium finem *Mascardus de probat. concl. 555. nu 13.*

Non est præsumptio donationis.

5 Assertio III. De iure municipali huius Mediolanensis Ducatus vxor, si maritus decesserit sine descendente masculo, vel fæmina eiusdem matrimonij, lucratur omnia eius causa parata, si ad domum mariti traducta fuerit, vel aliter ab eodem cognita, & sub hac dispositione comprehenduntur omnia data vxori, tàm antequam vadat, quàm postquam iuerit ad maritum. Si verò maritus decesserit cum descendente masculo, vel fæmina eiusdem matrimonij tunc etiam vxor lucratur omnia eius causa parata exceptis veste nuptiali, perlis, annulo, texuto sponsalitijs, nec non gemmis, collanis aureis, iocalibus, & alijs omnibus monilibus, & vezetis, farmalijs, & ornamentis cuiuscunque generis, & recamis tàm perlarum, quàm auri, & argenti, lecto, alijsque paramentis, seù ornamentis eiusdem lecti; Si verò maritus decesserit sine descendente masculo, vel fæmina eiusdem matrimonij, sed relictis descendentibus masculo, vel fæmina alterius matrimonij eiusdem mariti, tunc vxor ex prædictis exceptis lucratur vsque ad summam tantum duarum partium ex tribus, ad quam ascenderet summa eius dotis, vbi mulier ex alio matrimonio, seù matrimonijs descendentem non haberet, si verò descendentem ex alio matrimonio haberet eo casu lucratur mulier excepta vsque ad summam tantum duarum partium ex tribus partibus illius portionis, quam maritus lucratus fuisset ex ipsa dote, vbi vxor præmortua fuisset cum descendente, vel descendentibus alterius matrimonij. Hæc omnia expressè colligo *ex c. 291. statutorum Mediolani*. Consule hac in re vberimè Carpanum ad præd. statut. Mediolani.

Expositio textus in iure municipali Mediolani.

Carpanus.

P R Æ N O T I O XV.

An tradita per Socerum Nurui sint computanda in legitima filij, qui cum eadem nupsit.

S V M M A R I V M.

Variæ considerationes circa titulum. 1.
Si socer contulerit huiusmodi vestes cum expresso animo donandi non sunt computanda in legitima filij. 2.
In dubio, an fuerit animus donandi, nec ne præsumitur pro donatione in quotidianis, non in pretiosis, adeoque ista sunt computanda in legitima, non illa. 3.
Legitima quoad vestes pretiosas computanda est secundum valorem pro tempore, quo sunt conferenda. 4.
Si socer contulerit cum animo donandi nurui non filio, non sunt computanda in legitima filij. 5.

EX superius dictis constat tradita per consanguineos sponsi sponsæ censeri tradita contemplatione eiusdem sponsi, adeoque ipsi acquiri; sed an tunc per eundem sponsum sint conferenda cum cæteris suis fratribus in legitima id est, quod modo controuertendum proponitur. Qua in re

Molina *tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 238., & tom. 2. disp. 430. in fin. Antonius Gomez l. 9. Tauri num. 15., & l. 12. num. 65. in fin.* absolutè, & indefinitè sustinent, siue vestes sint, siue alia iocalia per socerum nurui collata computanda esse per sponsum, cuius contemplatione collata sunt, in propria legitima, quinimmò, si vestes consumptæ, seù deterioratæ fuerint earum æstimationem esse computandam; ex quibus eruitur huiusmodi DD. sentire huiusmodi vestes siue fuerint ad quotidianum vsum deputatæ, siue pretiosæ non censeri donatas, cum sint computandæ. Nihilominus ad clariorem huius quæstionis dissolutionem.

Considerandum est, an fuerit in tali collatione præsumptio donationis, vbi de reali donatione non constat, an verò talis præsumptio non fuerit, pro quo recurrendum est ad ea, quæ antecedentèr dicta sunt circà distinctionem vestium pretiosarum, & aliarum ad vsum quotidianum deputatarum, seù pertinentium. Rursus, si fuerit præsumptio donationis considerandum erit, an fuerit animus soceri do- 1

Nonnulla inspicienda circa propositum titulum.

nandi nurui, & non filio, an verò nurui contemplatione filij. Tandem in suppositione, quod non sit præsumptio donandi considerandum est, an fuerit animus conferentis conferendi sub ea conditione, vt restituantur secundum valorem temporis, quo traditæ fuerunt ante vsum, an verò secundum valorem, quem habebunt pro tempore redhibitionis.

2 *Si fuerunt donata non sunt computanda.* Sanchez.

Assertio I. Si Socer vestes huiusmodi, siuè fuerint pretiosæ, siuè ad quotidianum vsum deputatæ, contulerit cum expresso animo donandi, tunc certè per sponsum non sunt computandæ in propria legitima *Sanchez lib. 6. de matrimon. disput. 25. num. 33.*

Non sunt amplius in bonis defuncti.

Ratio ex eo deducitur, quià legitima computanda est ex ijs bonis, quæ tempore obitus reperiuntur in bonis, & iuribus defuncti, sed huiusmodi vestes siuè fuerint quotidianæ, siuè pretiosæ, siuè alia iocalia pro tempore obitus soceri non sunt in bonis, & iuribus eiusdem, ergò non sunt computandæ, seù computanda in legitima portione filij, seù nepotis, cuius contemplatione fuerunt nurui collata. Minor probatur, quià per illam donationem, seù per animum illum expressum donandi à se abdicauit dominium illarum rerum, illudque transtulit, vel in Nurum, vel in Nepotem, ergò non remanent in bonis, seù iuribus eiusdem soceri pro tempore, pro quo obijt idem socer.

3 *Pretiosa nō censentur donata, benè tamen quotidiana.*

Assertio II. In dubio, an contulerit animo donandi, vel præcisè ad vsum iuxtà regulam in præcedentibus traditam præsumendum est contulisse præcisè ad vsum quoad pretiosas, quoad quotidianas verò cum animo donandi, adeoque illæ per sponsum sunt computandæ in propria legitima, non sic istæ *Bartolus in l. 1. §. nec castrense ff. de collat. bon. Baldus in l. omnimodò §. imputari num. 4. ff. de inoffic. testam. Salicetus in l. filia, cuius num. 29. C. famul. ercisc. Angelus §. fin. num. 9. instit. de societ. Siluester verb. donatio 2. q. 5. Gutierez 2. pract. q. 20. num. 11.*

Bartolus. Baldus. Salicetus. Angelus. Siluester. Gutierez.

Remanent in bonis soceri.

Ratio primæ partis ex eo desumitur, quià vestes illæ pretiosæ, aliaque iocalia pretio æstimabilia collata per socerum nurui adhuc remanent in bonis eiusdem soceri, & sub ipsius dominio, quià ex præcitatis iuribus, & allegatis DD. in dubio præsumuntur concessæ tantum ad vsum, & ad ornatum, ergò non est, cur pro tempore obitus eiusdem soceri non sint computanda in legitima eiusdem sponsi, seù nepotis respectu eiusdem soceri, cum legitima sit desumenda ex omnibus bonis, quæ per defunctum relinquuntur post eius obitum, quæque tunc aderant in bonis, seù sub dominio ipsius.

Ratio secundæ partis deducitur argumento à contrario, quià scilicet vestes illæ quotidianæ in dubio præsumuntur collatæ cum animo donandi, adeoque per plenam donationem, per quam immediatè transferuntur quoad dominium in eandem nurum, vel nepotem, cum tradita fuerint contemplatione eiusdem, ergò pro tempore obitus eiusdem soceri non sunt in bonis ipsius, adeoque ex ipsis non est computanda legitima, quæ solum confertur ex bonis, quæ reperiuntur in iuribus eiusdem soceri defuncti tempore obitus eiusdem.

4 *Aestimatio desumenda est pro tempore, quo sunt conferenda.* Bartolus. Rosella. Angelus. Nauarrus.

Assertio III. Vestium pretiosarum, quæ per socerum nurui collatæ sunt sine expresso animo donandi, computanda est legitima secundum valorem, quem habent pro tempore, quo conferendæ sunt, non pro tempore, quo fuerunt per eundem socerum collatæ *Bartolus in l. 1. §. nec castrense num. 9. ff. de collat. bon. Rosella verb. donatio 1. num. 37 Siluester verb. donatio 2. q. 5. Angelus verb. peculium num. 21. Nauarrus in summa c. 17. num. 166.*

Augmentum, & decrementum cedit domino.

Ratio ex eo deducitur, quià dominium vestium pretiosarum, quæ fuerunt per socerum collatæ nurui sine expresso animo donandi adhuc remanent sub dominio eiusdem soceri per superius allegata, & probata, ergò augmentum, & decrementum debet eidem socero cedere, siquidem regularitèr augmentum, & decrementum rei cedit domino rei; Neque obesse potest, si asseratur decrementum natum fuisse ex vsu rei, qui certè vsus cessit eidem nurui vtenti, & per consequens in vtilitatem eiusdem sponsi, & nepotis, qui saltem negatiuè factus est ditior ex illo vsu, quandoquidem non insumpsit, quod debuisset insumere in ornatu propriæ sponsæ; Non, inquam, obesse potest, quià, ex quo socer concessit ad vsum, videtur liberè cessisse decremento, quod prouenire posset ex vsu, nec vtilitas, quam inde percipit maritus, seù nepos, est compensandæ, quandoquidem eandem liberè contulit socer, qui propterea non potest exigere compensationem.

5 *Donata nurui, & non filio nō conferentur in legitima.* Sanchez.

Assertio IV. Si socer contulerit vestes pretiosas, aliaque eiusmodi iocalia Nurui cum expresso animo eidem donandi, non filio, non tenetur idem filius easdem, seù eadem conferre in legitima. *Sanchez lib. 6 de matrim. disp. 25. nu. 38.*

Ratio ex eo deducitur, quià illa iocalia sic collata, nec possunt dici esse in bonis eiusdem soceri tempore obitus eiusdem, nec propriè quoad dominium sunt apud eundem filium maritum nurus, ergò non est, cur per eundem filium sint computanda in legitima portione ipsius, quandoquidem solum tenetur ea conferre, quæ sunt in bonis defuncti tempore obitus ipsius, & in se ipsum transferuntur, Quod, si dixeris, quod ex illa donatione

facta

Illa vtilitas prouenit ex conditione filij

facta per socerum nurui ipsi filius efficiatur ditior, cum parcat expensis, quas cæteroqui facturus fuisset; statim impugnaberis quia illa vtilitas prouenit ex conditione propria, & ex tali matrimonio, qam propterea non debet compensare. Deindè hac in re considerandum est id, quod principaliter agitur, non id quod venit in consequentia; id autem, quod in hac hypothesi principaliter agitur est beneficium nurus, cui in consequentiam venit vtilitas filij, qui eximitur ab expensis in similibus vestibus conficiendis.

PRÆNOTIO XVI.

De Donationibus propter nuptias.

SVMMARIVM.

Discrimina inter donationes ante nuptias, & propter nuptias. 1.
Donatio propter nuptias quid propriè sit. 2.
De iure communi supposita dote donatio propter nuptias à marito facienda est. 3.
Modo contrario vsu hac donationis necessitas aboleta est. 4.
Si non esset vsu sublata ipso iure non constitueretur, sed esset constituenda constante matrimonio. 5.
Actio, qua peti potest constitui est conditio ex lege. 6.
Ad quem effectum constitueretur hac donatio. 7.
Donatio propter nuptias de iure communi est mutua in actu primo, non sic attenta consuetudine. 8.
Donatio propter nuptias, si fuerit constituta, habet priuilegia dotis, & quomodo. 9.
Donatio promissa deponi, & non deposita non obstat in petitione dotis. 10.

HActenus de donationibus ante nuptias; nunc de eisdem propter nuptias, quas tamen aliqui confundunt accipientes vtrasque pro eodem, inter quos *Antonius Gomez l. 50. Tauri num. 9.* prout refert *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 1. num. 1. versic. sponsalitia largitas est*, re tamen vera inter se differunt, cum donatio

1 ante nuptias sit, quæ fit inter sponsos de

Discrimina inter donationes ante nuptias, & propter nuptias.

futuro ob causam matrimonij ineundi donatio verò propter nuptias id est quod confertur à viro, vel ab alio loco ipsius in ordine ad onera matrimonij sustinenda ad similitudinem dotis, quæ viro confertur per vxorem §. *est, & aliud Instit. de donat. l. cum multa C. de donationib ante nupt*, quinimmò aliud est etiam discrimen, quod donata propter nuptias etiam post, consummationem redeunt ad ipsam donatricem, sicuti dos reuertitur ad sponsum *c. fin. de donat. inter virum, & vxor. Goz. ad. cons. 97.* donata verò ante nuptias consumato matrimonio remanent pænes donatarium.

Id, quod sub præsenti titulo examinabitur, erit primo, quæ nam verè, & propriè dicatur donatio propter nuptias. Secundo, an necessaria sit respectu mariti supposita receptione dotis. Tertio, an modo hæc donatio sit in vsu. Quartò, an præciso vsu in contrarium censeatur ipso iure constituta, an autem agendum sit, vt constituatur. Quinto, an dicatur mutua respectu habito ad dotem. Sexto, an huiusmodi donatio propter nuptias habeat priuilegia dotis. Septimo, an donatio propter nuptias promissa deponi, & non deposita obstet in petitione dotis.

Articuli examinandi sub hoc titulo.

Assertio I. Donatio propter nuptias nihil aliud est, quam collatio à viro, vel ab alio loco ipsius in ordine ad onera matrimonij subeunda, quam aliqui appellant augmentum dotis, quod est rediturum ad conferentem, seu hæredes ipsius. *Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 1. nu. 1. Craueta in cons. 185. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 11. in addit.* Non indiget hæc assertio probatione, cum ab omnibus admittatur.

2 *Quidditas donationis propter nuptias.*
Sanchez. Crauetta. Clarus.

Explicatur tamen per particularum discussionem. Dicitur *collatio facta à viro, vel alio loco ipsius* per quas particulas cōtra distinguitur à dote, quæ conferri debet à fœmina, vel ab alio loco ipsius. Dicitur *in ordine ad onera matrimonij subeunda*, per quas particulas contradistinguitur à donationibus ante nuptias, quæ sūt intuitu præcise matrimonij ineundi, & potius inseruit ad commodum recipientis, quam ad comunes vtilitates. Dicitur *quod est rediturum ad conferentem* ad differentiam etiam eiusdem donationis ante nuptias, hocque habetur *in l. 2. C. de bon. quælib., & ibi Baldus in vlt. notab.*

Assertio II. De iure communi supposita dote donatio propter nuptias à marito facienda est *Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 11. num. 1. Glosa in auth. res dicata C. de donat. ante nupt.*

Clarus. Glosa.

Expressè colligitur *ex d. auth. dos data C. de donat. ante nupt.* vbi sic legitur. *Dos data donationem propter nuptias meretur, præterea si pars mulieris dotem soluere, siue parata, cum ex aduerso recusatur, hoc mulier contestetur, eumq; si res mobilis signaculo imposito recondat, aut ingrediens iudicium hoc petat fieri, vt parti viri denuntietur, & sic nequaquam declinanda est donationis exactio*; vnde Glosa ibidem reijciens fundamentum illorum, qui asserebant solum importari per hunc textum, quod, si donatio propter nuptias facta fuerit, mulier debeat illam lucrari soluto matrimonio asserit textum iure intelligendum esse, quod, sicuti mulier constituit dotem, ita

Iura præscribentia donationem propter nuptias

&

& maritus debet donationem propter nuptias constituere, & sicuti dos ad mulierem soluto matrimonio redit, sic & donatio redit ad maritum.

4 *Consuetudine sublata est.* Glosa. Parisius. Canarius. Albanus. Clarus.

Assertio III. Hæc necessitas constituendi donationem propter nuptias supposita dote iam constituta modo contrario vsu sublata est *Glosa in auth. æqualitas in glos. fin. C. de pactis conuentis. Parisius cons. 95. num. 35. lib. 2 Canar. de continuat. in secunda part. qu. 6. Baldus in d auth. dos data nu. 1. in fin. C. de donat. ante nupt. Albanus cons. 12. num. 8. Iulius Clarus lib. 4. recept. qu. 11. num. 1.*

Experientia ipsa innotescit, secundum quam regularitèr dotes in matrimonijs constituuntur, nec tamen exiguntur donationes propter nuptias, vnde merito *Glos. in d. auth. æqualitas verb. pari C. de donat. ante nuptias asserit, sed cum hodie, vel nulla fiat donatio, vel alia forma, vel minor dices hanc auth. per consuetudinem tolli, aut eam loqui tunc tantum, quando pacta lucrorum fiunt, cæterum nulla etiam donatione facta dos constituta tenet*; atque per hanc glosam non solum dirimitur id, quod in præsenti auth. æqualitas asseritur, quod scilicet *æqualitas omnimodo seruanda sit in dote, & in donatione nuptiali*, sed etiam id, quod asserebatur in auth. dos data scilicet ex necessitate donationem ante nuptias constituendam esse.

5 *Non constituitur ipso iure, sed actione.*

Assertio IV. In hypothesi, qua necessitas donationis ante nuptias non esset per consuetudinem sublata, probabilius est, quod non intelligatur ipso iure constituta, sed quod detur actio constante matrimonio ad ipsam constituendam *Iulius Clarus lib. 4. recept §. donatio qu. 11. num. 2. Glos. in d auth. dos data in verbo exactio C de donat. ante nupt. Afflictus decis. 242. num. 1. Grammat. decis. 97. num. 4.* aduersus Azotum asserentem intelligi ipso iure constitutam æquiualentem doti.

Clarus. Glosa. Afflictus.

Meritum non essentialiter connexum est cũ præmio actuali.

Ratio deducitur, tum ex verbis textus *in d. auth. dos data*, tum ex interpretatione Glosæ in eodem textu; ex verbis quidem, quià ibi dicitur *dos data donationem propter nuptias meretur*; meritum autem est quidem essentialiter connexum cum habitudine ad premium, non autem ex genere suo cum actuali premio, adeovt eo ipso, quod est meritum intelligatur, & præmium, vt per se patet; ex interpretatione etiam Glosæ ibidem, quæ asserit, quod, si donatio ante nuptias non fuerit petita constitui constante matrimonio non possit posteà soluto matrimonio peti, ergò non est ipso iure constituta supposita dote. Consequentia tenet, quià, si ipso iure esset constituta, nec exigeretur peti constante matrimonio, nec eo dissoluto, cum ius ipsum suppleret defectum hominis petentis. Si autem hic inquiras, quanam actione pati possit, vt constituatur hæc donatio propter nuptias; statim respondebo *cum glosa in eadem auth. dos data C. de donat. ante nupt.* peti posse condictione ex hac lege. 6

Hic suboritur difficultas, cum vxor dissoluto matrimonio per superius notata non lucretur hanc donationem propter nuptias, cum redire debeat ad constituentem, & ex alio capite constante matrimonio fit sub plena administratione mariti constituentis, ad quemnam effectum intelligatur constitui? Respondet *Glosa in d. auth. dos data C. de donationib. ante nuptias* ad eum effectum constitui, vt dos per mulierem constituta tuta permaneat. Sed ex hoc capite modo cessat necessitas talis donationis, quandoquidem ex dispositione iuris modo prouisum est per tacitam hypothecam generalem in omnibus bonis mariti, vt alibi latè dictum est, & præcipuè *tom. 4. sub tit. contractus XI de pign., & hypoth. prænot. 5. per vniuersas fere sectiones*.

7 *Ad quem effectum constituatur hæc donatio propter nuptias*

Assertio V. Donatio propter nuptias de iure communi *d. auth. dos data, & auth. æqualitas C. de donat. ante nuptias* habito respectu ad dotem est mutua in actu primo, quatenus confert ius, vt peti possit constitui, non autem in actu secundo, quatenus intelligatur ipso iure constituta; attento vero vsu, & moderna consuetudine non est ex genere suo mutua, sed tantum ex suppositione, quod fuerit constituta, & quidem non secundum æqualitatem ex necessitate, sed secundum quandam habitudinem ex arbitrio, conferentis, vel ex pactis contrahentium. In hoc consentire existimo *Bocrium decis. 185 nu. 10.* 8 *Quomodo sit mutua, vel non mutua.*

Ratio in vniuersum ex eo deducitur, quià de iure *tal. auth.* est quidẽ, quod possit constituta dote compelli maritus ad constituendam donationem ante nuptias, nõ autem vt intelligatur ipso iure sine interpellatione constituta, ergò essentialiter in actu secundo non est mutua, sed quià potest compelli maritus ad constituendum erit quidem mutua quoad illud ius non quoad actualem donationem, cum hæc non sit ante constitutionem. Rursus stante vsu, & consuetudine quandoque constituitur, quandoque non, ergò prout est constituta ex arbitrio constituentis erit mutua, prout non est constituta nullum habebit cum ipsa dote habitudinem. Tandem, sicuti stante tali consuetudine potest constitui, & non constitui, ita potest vel in tali, vel in tali alia quantitate constitui, ergò habitudinem, si quam habet, non habet secundum æqualitatem ex genere suo, sed secundum quamdam proportionem ex arbitrio constituentis, vel ex pactis contrahentium.

Assertio VI. Donatio propter nuptias, 9

si

Habet priuilegia dotis, an quomodo. si fuerit constituta habet priuilegia dotis *Grammat. decis. 103, num. 97., & 123. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 11. in addit.* Intellige quoad priuilegium tacitæ hypothecæ, non autem quoad prælationem in ordine ad creditores mariti habentes tacitam hypothecam anteriorem. Ita quoad hypothecam *Coaruuias var. resol. lib. 1. cap. 7, num. 1. vers. eod. pact. Negusant. memb. 4. part. 2. num. 64. Petrus Barbosa ad l. 1. part. 3. num. 31 ff. solut. matrim. Amator Rodriquez de concur. credit. part. 1. art. 1. nu. 21.* quoad negationem prælationis *Baldus in l. assiduis in 4. proposit., & ibi Cinus ff. qui pot. in pign. hab. Ioannes Angelus Bossius de dot. c. 17. nu. 32. In vniuersum nos ipsi tom 4. sub tit Contractus XI. de pign., & hypoth. prænot. 5. sect. 3. nu. 24., & seqq.* Expressè colligitur *in l. vbi adhuc C. de iur. dot., & in l. assiduis ff. qui pot. in pign. hab., & in §. aliud quoque auth. de æqualit. dot.* Vide, quæ latè loc. cit. commendauimus; non enim hic vacat in his immorari.

Coaruuias. Negusantius. Petrus Barbos. Rodriqu.

10 Assertio VII. Donatio propter nuptias promissa deponi, & non deposita non obstat in petitione dotis ex eo, quod non fuerit adimpleta. Vide *Crauetam cons. 31, num. 15. vol. 6.*

PRÆNOTIO XVII.

Quid sint propriè arræ, quo pacto acquirantur, & ad quem finem dentur.

SVMMARIVM.

Arra quid propriè sint attento iure communi. 1.

Arra sponsaliorum nomine data non acquiruntur de iure communi, etiam si intercesserit osculum, si dissoluantur sponsalia per obitum alterius, si conferens non dederit causam dissolutionis. 2.

Sponsus, vel sponsa in legitima ætate constituti, vel venia ætatis impetrata, si receperit arras, & ex culpa alterius non sequatur matrimonium integrè eas acquirunt, si ex culpa propria dissoluatur acceptum reddunt, & soluunt vlterius simplum, num. 3.

Si verò fuerint minores, & receperint, & ipsorum culpa non sequatur matrimonium, reddunt tantum acceptum. Ibid.

Pater, vel mater, Auus, vel proauus recipientes arras pro filio, si dissoluatur matrimonium sine causa tenentur in duplum, item si ex causa, quam dignoscere potuerint, si verò ex causa, quam penitus ignorarint, tenentur solummodò ad acceptum restituendum. 4.

Tenentur siue defectus complementi prouenerit ex culpa filiorum, siue ex culpa eorumdem. 5.

Assignatur finis, ob quem de iure communi conferuntur arra. 6.

PLeraque de arrhis attigimus in præcedentibus, nunc de eisdem ex professo, & in particulari, prout præcipuè contradistinguuntur tùm à sponsalitia largitate, tùm à donationibus propter nuptias, quantumvis ab istis in Hispania, prout refert *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 27, num. 1.* non distinguantur, cum sumantur arræ pro donatione, quam facit sponsus sponsæ, vel maritus vxori in præmium dotis receptæ, vel nobilitatis &c. Hic igitur primò examinabitur, quid verè, & propriè sint arræ, quomodo, & quo iure acquirantur per sponsam, seù vxorem; & in ordine, ad quem finem concedantur; reliqua in subsequentibus prænotionibus. Sanchez.

1 Assertio I. Arræ nihil aliud sunt, quam ea, quæ traduntur per sponsos, vel per eorum parentes in signum, & argumentum sponsalium contractorum, & veluti pignus perficiendi contractum, seù contrahendi matrimonij promissi *Franciscus Molin. de ritu nupt. lib. 3. q. 2. num. 61. Gutierez de matrim. c 18. Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 35., & lib. 6. de matrimon. disp. 27, nu. 1.,* quamvis in Hispania pro diuerso sumi asseueret *Laiman. lib. 5. Theolog. mor. tract. 10. part. 1. c. 1. nu. 8. Ioannes Angelus Bossius de matrimonij contract. c. 11. num. 430.*

Explicatur natura arrarum. Franciscus Molinus. Gutierez. Sanchez. Laiman. Bossius.

Expressè colligitur *ex l. Arris l. fin. C. de sponsalib., & l. 1. ibi Arrarum nomine data C. si nuptia ex rescript.* Ex his patet, quomodo huiusmodi arræ contradistinguantur tum à donationibus ante nuptias, tum à donationibus propter nuptias; ab illis quidem, quià licet dentur intuitu matrimonij futuri, seù sub conditione implicita eiusdem, non tamen dantur, vt pignus, adeovt, si non contrahatur ex culpa recipientis debeant in duplum restitui, vt infra dicemus; ab istis verò, quià non dantur in premium dotis, seù nobilitatis &c. Hæc procedunt de iure communi; cæterum de iure hispano introductæ sunt arræ speciales, scilicet diuersæ ab arris, quæ sunt de iure communi, cum substituantur loco donationum propter nuptias, quæ de iure communi non sunt in vsu, sed per consuetudinem abrogatæ, & sic hodie non ex lege aliqua, sed iuxtà dispositionem, antiquioris iuris *l. si constante C. de donat. ante nupt.* (vbi expressè probatur, quod valet contractus dotis absque eo, quod ex parte mariti fiat donatio propter nuptias) ex libera voluntate contrahentium constituuntur huiusmodi donationes.

Discrimina arrarum à donationibus.

2 Assertio II. Arræ sponsaliorum nomine datæ non acquiruntur de iure communi, etiam si intercesserit osculum, si interea

Non amittuntur etiã post osculũ, si matrimonium non sequatur ex obitu.

Glosa.

reã sponsus, vel sponsa decesserit, nisi causam, vt nuptiæ non celebrarentur, defuncta persona iam præbuerit. Expresè colligitur *ex l. arris C. de sponsal., & arris*, nec incongruæ rationi hoc ius innititur, quandoquidem huiusmodi arræ sunt veluti pignora in ordine ad perficiedum contractum *Glosa in d. l. arrhis in princip. C. de sponsalib., & in l. vnica C. si rector prouintiæ verb. pignora* pignora autem in ordine ad contractum, seu in securitatem contractus non amittuntur, nisi ex aliqua culpa contrahentis, si contractus non sequatur, cũ amissio sit in pænã, pæna autẽ esse non potest, vbi non est culpa; culpa item non est, vbi contractus ex obitu dissoluitur, seu non perficitur, Dixi *etiam si intercesserit osculum*, quia osculum potius ordinatur ad perficiendum contractum, quam ad illum dissoluendum; arræ autem nõ amittuntur propter ea, quæ referuntur potius ad perfectionem contractus, in cuius securitatẽ ipsæ dantur, & iura quidem disponunt de amissione, & acquisitione respectiuè quoad medietatem per osculum in donationibus ante nuptias, non autem in arris, Dixi, *nisi causam, vt nuptiæ non celebrentur defuncta iam præbuerit* propter textum *in d. l. arris C. de sponsal., & arris* vbi expresè quoad hoc excipitur, nec sanè incongruè, quia tunc ratione præcedentis causæ dici possunt sponsalia dissoluta ex culpa ipsius.

Osculum ordinatur potius ad perficiendum cõtractum, quam dissoluendum.

3 Assertio III, Sponsus, vel sponsa in legitima ætate constitutus, vel constituta, vel minor venia ætatis impetrata, si arras receperit, & ex culpa alterius dissoluantur sponsalia, & non contrahatur matrimonium, easdem arras receptas integrè lucratur, si vero ex culpa propria dissoluantur, tenetur ad duplum, ad illud scilicet, quod recepit restituendum, & ad aliud tantundem; sponsus verò vel sponsa minor, seu in legitima ætate non constituta, siue fuerit virgo, siue vidua, siue per se, siue per tutores easdem receperit, si ex culpa sua defecerit tenetur tantummodo in id, quod accepit. Expresè colligitur *ex l. mulier C. de sponsal., & arris.*

Quomodo acquirant, & ammittant, siuè fuerint minores, siue maiores.

Ratio primæ partis, quod scilicet lucretur integrè, si ex culpa alterius dissoluantur sponsalia expresè colligitur ex generali regula, secundum quam arræ dantur in securitatem contractus, ne scilicet ex culpa alterius contractus dissoluatur, ea scilicet conditione, vt conferens illas amittat, si ipse resiliat, acquirat in duplũ, si recessus ex alterius culpa proueniat, ergo cum ex culpa conferentis in præsenti hypothesi matrimonium non sequatur recipiens integrè arras lucrabitur.

Deducitur ex generali regula arrarum.

Ratio secundæ partis, quod scilicet in duplum teneatur, si fuerit maior, & ex sua culpa defecerit ex eo deducitur, quia nihil deest, quo minus teneatur ad pænas iuris, non ætatis minoritas, cum in legitima ætate constitutus præsmmatur, vel si minor, veniam ætatis impetrasse, non defectus culpę, cum completa hæc fuerit per recessum.

Ratio tertiæ partis, quod scilicet teneatur tantum in simplum, si fuerit minor, & defecerit desumitur ex naturali quadam æquitate, secundum quam minores regulariter illæsi seruantur à pæna, vel in integrum restituuntur, vt notat *Glosa in d. l. mulier C. de sponsalib. in verb. quod accepit* Dixi, *siue fuerit virgo siue vidua* quia huiusmodi status virginitatis, seu viduitatis non inferunt pleniorem deliberationem, nec iudicium maturius. Dixi, *siue per tutorem, seu curatorem easdem receperit*, quia, qui per alium accepit, per se ipsum accepisse videtur *l. ita autem § gessisse ff. de administrat. tut.*

Minores seruantur illæsi à pæna & restituũtur.

Assertio IV. Pater, vel mater, item Auus, vel Proauus, si arras pro filia, nepte, seu proneptè receperint, vel pro filio, nepote, seu pro nepote, & sine causa matrimonium non contrahatur, hoc est sine causa legitima tenentur in duplum; si ex causa, quam dignoscere potuerint, & nihilominus receperint, item in duplum; si ex causa, cuius fuerint penitus ignorantes, nec præcognoscere potuerint tantum tenentur receptum reddere Colligitur expresè *ex d. l. mulier C. de sponsal., & arris.* 4

Quid tandem quando ascendentes receperint pro filijs.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quia ex quo intelliguntur in tali gradu constituti, in quo ex dispositione iuris reputantur pro ipsis filijs, & ex quo nomine ipsorum arras receperunt, videntur pro securitate contractus pro eisdem filijs stetisse, ergo si sine legitima causa contractus non perficiatur perinde erit, ac si ex eorum defectu complementum contractus non prouenerat, adeoque non erit, cur ad pænam dupli non teneantur.

Reputantur pro filijs.

Inquires, an hoc idem intelligendum sit, siue complementum contractus non sequatur ex culpa filiorum, pro quibus ipsi arras receperunt, siue ex culpa eiusdem Patris, Aui, & Proaui, quatenus contractum per filios vtique complendũ impediuerunt. Existimo, vtique teneri ad duplum, siue defectus complementi contractus prouenerit ex culpa filiorum immediatè, siuè ex culpa eiusdem Patris, Aui, seu Proaui. Ratio ex eo deducitur quia prout sunt in tali gradu constituti videntur plenam filiorum administrationem habere, & licet quoad ea, quæ pertinent ad matrimonium contrahendum, vel non contrahendum filij sint sui iuris, nec dependeant à voluntate parentum ex eo tamen, quod in tale matrimonium consenserint, & permiserint per parentes recipi 5

Tenentur siue ipsi fuerint in causa recessus, siue ply recesserint.

recipi arras videntur eorum voluntati quoad complementũ se subdidisse, adeoque parentes semper videntur obligari ad pænas iuris, nisi fecerint, quantum potuerint, vt complerentur, quiá tunc eximerentur. Vide, quæ infra dicentur prænot. 26.

Ratio secundæ partis, si scilicet impedimentum emerserit, quod sciuerit, seù scire potuerit Pater, vel Auus recipiens arras, ex eo deducitur, quod sibi imputare debet, quod receperit illas arras promittens futurum matrimonium, cum tamen sciret ex legitima causa non adimplendum: atque itá exptesse habet *Glosa in d. l. mulier C. de sponsalib., & arris*.

Ratio tandem tertiæ partis ex eo deducitur, quiá, si recipiens ignorabat impedimentum, ex quo contrahi non poterat matrimonium, perinde se habet, ac si matrimonium dissolueretur ex legitima causa sine aliqua culpa, ergò tunc sufficit, si contrahentes constituantur in integro, adeoque, quod restituat, quod recepit; non enim congruum est, quod ipse pænam subeat sine culpa restituendo duplum, nec conferens subeat pænam non recipiendo collatum. *Dissolueretur ex legitima causa*

6 Assertio V. De iure communi finis, ad quem conceduntur huiusmodi arræ est præcisa securitas contractus, ne scilicet sine legitima causa dissoluatur, & tantum acquiruntur, quando contractus ex culpa conferentis dissoluitur; De iure verò hispano, secundum quod conferuntur tanquam donationes propter nuptias, conferuntur tanquam in præmium contractus, seù pudicitiæ, nobilitatis, seù dotis, non simpliciter virginitatis amissæ. Prima pars est communis; secunda *Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 27. num. 4 Coaruuias cap. officij num. 4. de testam, & secundo variar. cap. 6. num. 7, Gutierez 2. pract. qu. 142. num. 2.* *Finis arrarum quinã sit, tàm de iure communi, quã de iure hispano.* Sanchez. Coaruuias Gutierez.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quiá de iure communi huiusmodi arræ, dantur tanquam pignora, vt *Glos. in d. l. arris C. de sponsal., & arris, & l. vnica C. si Rector prouinciæ*; pignora autem dantur, vel in securitatem debiti, vel in cautelam contractus perficiendi, ergò, & huiusmodi arræ dantur præcisè in securitatem contractus, & sicuti pignus satisfacto debito, vel completo contractu restituitur, itá, & huiusmodi arræ completo matrimonio sunt restituendæ, eoque ex culpa conferentis non completo amittuntur, & acquiruntur recipienti. Confirmatur *ex d. l. arris C. de sponsalibus*, vbi dicitur recipientem easdem teneri restituere, si sine culpa sponsalia dissoluantur, secus si cum culpa recipientis.

Ratio secundæ partis, quiá de iure hispano arræ substituuntur pro donationibus propter nuptias vt supra ex Sanchez retulimus, sed ex *auth. dos data, & auth. equalitas C. de donat. ante nupt.* huiusmodi donationes conferuntur propter dotem, & in compensationem dotis, adeovt dote exhibita posset compelli maritus ad conferendam huiusmodi donationem, licet *Azorus, & alij* asseruerint ipso iure constitui, ergò &c. Addidi vlterius in assertione in præmium pudicitiæ, seù nobilitatis tanquam per rationes subsequentes, non tanquam propter formales, & primarias. Azorus.

Ratio tertiæ partis ex eo desumitur, quod huiusmodi donationes propter nuptias validè, & efficaciter etiam conferuntur viduis etiam cognitis, vt talibus, ergò ex genere suo non conferuntur in præmium virginitatis,

PRÆNOTIO XVIII.

De aliquibus causis excusantibus à pæna dupli quoad arras, & lucro earundem ob non adimplementum contractus.

SVMMARIVM.

Si huiusmodi causa sufficientes fuerint cognita in celebratione contractus, & in traditione, vel receptione arrarum, & nihilominus cognitor tradiderit, vel illas receperit, eas perdit, vel restituit in duplum, si ex se ipso matrimonium non sequatur. 1.

Si huiusmodi causa fuerint tempore celebrationis contractus, & receptionis arrarum ignorata, recipiens, si ex talibus causis recesserit, non amittit duplum, si verò recesserit ille, qui talibus causis laborat, non recuperat traditum. 2.

Certum est ex quacunque causa necessaria prohibente celebrationem contractus eximi tam recipientem à pæna dupli, tam conferentem ab amissione eius, quod contulit pro arris, nisi alterius culpa inducta fuerit talis causa necessaria prohibens. Difficultas potissimum procedit de causa quidem secundum se sufficienti ad inducendam contractus dissolutionem, arbitrariè tamen, quatenus eadem non obstante possunt contrahentes validè, & efficaciter contrahere, seù perficere post contracta sponsalia matrimonium.

Textus *in d. l. mulier C. de sponsalib., & arris* habet hæc verba: *Quæ ita custodiri censemus, si non propter personam, vel conditionem, vel aliam causam legibus, vel generalibus constitucionibus interdictum futurum matrimonium constare prohibetur*: circa quæ verba consideratur primò per ly *personam* innui excusari à pæna dupli, vel ab amissione *Enumerantur causa, ex quibus potest dissolui sine amissione arrarum.*

sione arrarum, si persona, cum qua alter contraxit, fuerit turpis, meretricator, vel similis, & alter nobilis per textum *in l. lege ff. de rit. nupt.*, atque hæc est quidem causa sufficiens, non tamen necessaria, cum inter huiusmodi personas nullo iure obstante possit constitui matrimonium. Secundò per ly *conditionem* innui inæqualitatem, quatenus alter est filia v.gr. senatoris, alter libertus *vt d. l. lege C. de ritu nupt.*, vel alter catholicus, alter Iudæus, vel Hereticus *l. ne quis ff. de iudæis*, atque hæc vtique causa quoad primum exemplum est sufficiens, non necessaria, quoad secundum, & sufficiens, & necessaria non quidem de iure naturæ, sed stante iure Ecclesiastico. Tertiò per ly *aliam causam* innui, vel cognationem, vel mortem alterius; Quartò per ly *generalibus constitutionibus* innui illos, qui sacris canonibus prohibentur ad inuicem contrahere. Ex quibus habes aliqua in hoc textu comprehendi, quæ important causam sufficientem à non cōtrahendo, sed voluntariam, quatenus non obstante tali causa possunt valide contrahere, si velint, aliqua, quæ important, & causam sufficientem, & necessariam, quatenus, eadem obstante non possunt contrahere. Pro solutione

Causa alia necessaria, alia voluntaria.

Procedit de causis voluntarijs.

Aduerte, circa huiusmodi causas sufficientes, & non necessarias, sed voluntarias, vel ipsas fuisse cognitas à contrahentibus in celebratione contractus, vel pro tempore, quo contulerunt, vel receperunt arras, vel penitus inexcogitatas, & incognitas, quod certè valdè notandum est. Qua posita animaduersione sit

1 *Causa cognita antecedenter amittuntur arræ.*

Assertio I. Si huiusmodi causæ sufficientes, non tamen necessariò dissolutiuæ contractus, fuerint in celebratione contractus cognitæ, vel antequam conferrentur arræ, & nihilominus cognitor promiserit, & receperit arras, & posteà à contractu resiliat, tenetur ad duplum, & viceuersa, si alter recedat, ipse acquirit arras receptas. *Glosa in d. l. mulier verb. tantummodo reddi Cod. de sponsalibus, & arris.*

Glosa.

Ratio ex eo deducitur, quià ex eo, quod contrahens, & recipiens huiusmodi arras nouerit adesse illas causas sufficientes ad dissolutionem contractus, non tamen necessario dissolutiuas, & nihilominus contraxerit illasq; receperit, videtur expresè cessisse iuri suo in ordine ad dissolutionem contractus, illumque absolutè firmasse non obstante &c., ergò ratione earundem non poterit amplius recedere, & si recesserit tenebitur ad pœnam iuris, siquidem non eximitur ab onere contrahendi ex illa causa, cum iam illi cesserit; Ex quibus ex aduerso habes, quod si ille, qui laborat huiusmodi causis declinet à contractu per consequens amittat arras, quas contulit, quandoquidem contra conuenta resilit, declinat contra voluntatem alterius, qui potius habet ius resiliendi.

Expressè cessit iuri suo in ordine ad illas causas.

Ignorata causa recipiens non subditur pœnis iuris, si recedat.

Assertio II. Si huiusmodi causæ fuerint tempore celebrationis contractus, & receptionis arrarum ignoratæ recipiens huiusmodi arras, si ex talibus causis recesserit, non amittit duplum, si verò recesserit ille, qui talibus causis laborat, non recuperat id, quod dedit. Hunc existimo esse casum proprium *d. l. mulier C. de spons. & arris*, huncque expresè sustinet *Glosa ibid. d. verb. tantummodo.*

Glosa.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià ille, qui promisit, & recepit arras in securitatem contractus promisisse, & recepisse præsumendus est sub tacita conditione, si res fuerint, sicuti apparent, vel perseuerent in eodem esse, quo sunt pro tempore, quo promisit, & recepit, ergò rebus diuersimodè existentibus ab illo esse, quo apparent, vel deficientibus ab esse, in quo sunt, non intelligitur præstitisse consensum absolutè, adeoque impunè posse ab illis recedere, quià deficiente conditione, sub qua contraxit, contractus non subsistit, adeoque arra illi adiecta non potest illum confirmare; non enim potest esse arra ad securitatem contractus, vbi contractus deficientibus substantialibus in suo esse deficit. Confirmatur, quià, quantumvis contractus sponsalium fuerit iuramento confirmatus, si tamen posteà appareant causæ sufficientes ad illius dissolutionem, quæ antecedenter non apparebant, potest contrahens licitè, & impunè ab illo recedere, ergò etiam, quantumvis talis contractus fuerit arris receptis confirmatus, si tamen posteà appareant causæ sufficientes ad dissolutionem poterit, qui contraxit, & recepit ratione illarum impunè recedere.

Recedit sine culpa, adeoque impunè.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià, quando huiusmodi causæ sufficientes ad dissolutionem contractus inexistunt in altero ex contrahentibus, altero penitus ignorante ius dissoluendi contractum non est mutuum, sed se tenet ex parte innocentis, non ex parte eius, qui deficit per superius allegata, & probata, ergò, si noxius laborans qualitatibus sufficientibus ad dissolutionem contractus, non notis tempore celebrationis contractus, & receptionis arrarum alteri innocenti recedat altero non resiliente à contractu, vtique non recuperabit arras, quas erogauit in securitatem eiusdem contractus, nam licet vacillet ex parte alterius, si velit, ex parte tamen sui plenè subsistit.

Ius dissoluendi contractum in hoc casu nō est mutuū.

PRÆ-

PRÆNOTIO XIX.

An, si collata fuerit sponsalitia largitas simul cum arris ex osculo acquiratur medietas quoad vtrumque, & ex copula vtrumque integrè.

SVMMARIVM.

Si post contracta sponsalia, & collatam sponsalitiam largitatem simul cum arris interueniente osculo, vel copula sponsalia dissoluantur ex culpa sponsi conferentis lucratur sponsa dimidiatè, vel integrè respectiuè ad osculum, vel copulam sponsalitiam largitatem, & integrè arras, si verò dissoluantur ex casu, vel morte lucratur medietatem sponsalitiæ largitatis, nihil tamen arrarum. 1.

Si per sponsum collata fuerint arræ, & non sponsalitia largitas per osculum, vel copulam sponsa non acquirit arras, si sine causa non sequatur matrimonium. 2.

Soluuntur rationes contrariæ. 3.

PRoponit latè hanc difficultatem *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp.* 22. sub terminis iuris hispani, secundum quos huiusmodi arræ non dantur in securitatem contractus, sed vel in compensationem dotis, vt nos supra docuimus, vel in præmium virginitatis, vt *Ioannes Lupus rub. de donationib.* §. 12. *nu.* 1. *Gomez Arias l.* 49. *Tauri num.* 8., vel in præmium pudicitiæ, vel nobilitatis, vt alij, sicque, postquam excitasset varias difficultates (an scilicet, quando arræ interueniunt in matrimonio, & iocalia simul detur electio recipienti, vel ad arras, vel ad iocalia, & intra quātum tempus debeat fieri talis electio, an si electio non habuerit effectum, possit variare, an si donatio iocalium fuerit inualida, & morte confirmetur, vxor eam simul cum arris acquirat, an eligente vxore arras restituenda sit sponsalitia largitas eiusdem existimationis, cuius erat, quando donata filiæ, & his similia) tandem inquirit, an quando constantibus præcisè sponsalibus, & nondum contracto matrimonio data fuit simul sponsalitia largitas cum arris sponsa per osculum acquirat simul medietatem sponsalitiæ largitatis cum arris, an verò alterum tantum ex illis. Nos verò omissis ijs, quæ pertinent ad matrimonium ratum, vel consummatum, de quibus latè, dum de contractu matrimoniali, examinantes præcisè titulum secundum terminos iuris communis inquirimus, an contractis præcisè sponsalibus, si datæ fuerint arræ, simul cum sponsalitia largitate sponsæ per sponsum, & præstito osculo, vel habita copula fiat dissolutio sponsalium detur optio sponsæ, vel ad arras, vel ad medietatem sponsalitiæ largitatis comparatiuè ad osculum, vel ad totam respectiuè ad copulam, an verò ius habeat ad vtrumque nempe, & ad acquisitionem arrarum, & ad medietatem iocalium, vel ad totum respectiuè, vt suprà.

Variæ rationes dubitandi, quas excitat Sanchez in iure hispano.

In quo propriè consistat ratio dubitandi.

1 *Acquirit arras, si ex culpa conferentis nō sequatur matrimonium.*

Assertio. Si post contracta sponsalia, & collatam sponsalitiam largitatem simul cum arris interueniente osculo, vel copula sponsalia dissoluantur ex culpa sponsi conferentis lucratur sponsa dimediatè, vel integrè respectiuè sponsalitiam largitatem simul cum arris integrè, si verò dissoluantur ex casu, vel morte, vel alia ex causa sine culpa conferentis lucratur medietatem sponsalitiæ largitatis respectiuè, nihil tamen arrarum. In hanc assertionem propendere existimo *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp.* 22. *num.* 18. licet satis obscurè, nec apertè secundum omnes partes.

Sanchez.

Non difficilis probatio primæ partis assertionis attento diuerso fine, ex quo conceditur sponsalitia largitas, seù iocalia, & quo cōferuntur arræ; nā illa datur intuitu, & sub conditione implicita matrimonij ineundi, vel si sequatur, & acquiritur non solum, si per purificationem conditionis sequatur, seù ponatur in esse contractus, sed etiam propter ruborem, & verecundiam ob osculum, quod passa est sponsa, & damnum, quod inde sequitur, si non ponatur in esse per ea, quæ in præcedentibus latè docuimus; arræ verò conferuntur, vt pignus contractus perficiendi, seù in securitatem eiusdem contractus. Quo posito sic argumentor. In hac suppositione sponsa per osculum non solum passa est detrimentum pudoris, sed etiam patitur dissolutionem contractus aduersus fidem sibi datam non quomodocunque, sed sub onere amittendi arras respectu conferentis, easdemque acquirendi respectu sui, ergò non est, cur non debeat acquirere, tam sponsalitiam largitatem saltem quoad medietatem tanquam compensatiuam illius pudoris, in quo passa est detrimentum, quam arras ex conuentione in pœnam fidei sibi non seruatæ, quandoquidem vbi sunt diuersæ dispositiones tendentes ad diuersa, & dispositum quoad omnia est completum, non est, cur singula non debeant suum consequi effectum, cum singula sint meritoria compensationis, & vtique distinctæ. Confirmatur, quià possunt contrahentes adinuicem cōuenire, quod, si alter contra fidem datam à contractu declinet, & receperit arras, obligetur in pænam quadrupli per textū *in l. mulier C. de sponsalib. vt arris*, ergò à fortiori poterunt conuenire ex diuersis dispositionibus tendentibus ad diuersa, vt obli-

Ex diuersitate finis diuersa oritur dispositio.

obli-

obligantur ad disposita per vtrasque, sed ex eo, quod sponsus contulerit sponsalitiam largitatem, & simul arras supposito osculo, & recessu ex parte sui voluntario videtur consensisse ad vtramque, cum se accomodare debeat dispositioni iuris ergo &c. Confirmatur secundo, quia in hac hypothesi ea omnia interueniunt, quæ requiruntur ex dispositione iuris ad plenam acquisitionem arrarū, nempe voluntarius recessus à contractu respectu sponsi easdem conferentis, & ad medietatem sponsalitiæ largitatis nempè osculum, ex quo sponsa patitur piaculū pudoris, ergo non est, cur vtrumque non debeat acquirere.

Sunt omnia requisita, ad acquisitionem arrarum.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quod habetur *in l. arris C. de sponsalib., & arris*, vbi dissolutis sponsalibus ex morte alterius, arræ redeunt ad conferentem; & vlterius ratione sic euincitur, quia arræ dantur in pignus, & in securitatem matrimonij contrahendi, & amittuntur in pœnam fidei non seruatæ, seu contractus non adimpleti, sed in hac hypothesi nulla est culpa dissolutionis contractus respectu eius, qui contulit arras, quandoquidem supponuntur sponsalia dissolui ex casu fortuito, vel morte alterius, vel simili nihil ipso conferente ad huiusmodi causā, ergo non est, cur sit afficiendus illa pęna amissionis arrarum. Confirmatur quia arræ supponuntur conferri sub tacita conditione, vt amittantur, si ex culpa dissoluatur contractus, non amittantur, si sine culpa contractus euanuerint; non enim intelliguntur contrahentes se obligare ad id, quod non est sub eorum potestate; Neque ex eo, quod osculum intercesserit acquirit ius sponsa ad acquisitionem arrarum, quandoquidem nullibi in iure cautum est, quod ex oculo acquirantur arræ, nam textus *in l. si à sponso C. de donat. ante nupt.* solum loquitur de sponsalitia largitate, quam vult amitti secundum medietatem per osculum, nec est extendendus vltra disposita per ipsum, nempe ad arras, de quibus nullam facit mentionem. Deinde, si sponsa passa est osculum consecuta est medietatem sponsalitiæ largitatis, per quam illud detrimentū ex iuris dispositione compensatur, vnde ad aliud non videtur ius habere.

Arræ conferuntur sub tacita conditione, si matrimonium non sequatur ex culpa.

Hic immediatè consurgit difficultas, an, si per sponsum collatæ fuerint arræ, nullaque sponsalitia largitas sponsæ, & deinde interueniente osculo sponsalia sine culpa conferentis fuerint dissoluta, tunc sponsa acquirat medietatem arrarum. Affirmatiuè respondet *Gomez Arias l. 50. Tauri num. 29.*, qui etiam asserit, quod, si collatæ fuerint arræ simul cum sponsalitia largitate in ea hypothesi sit in optione eiusdem sponsæ, vel eligendi medietatem arrarum, vel medietatem sponsalitiæ largitatis, quæ omnia multis comprobare nititur rationibus, & primò, quia idem iuris est de toto quoad totum, ac partis quoad partem *l. quæ de tota in princip., & ibi Glosa, & Bartolus ff. de rei vendication.* ex quo asserit, quod sicuti post consummatum matrimonium sponsa potest eligere arras integras, vel sponsal itiam largitatem, si vtraque interuenerit, vel lucrari integras arras, si solæ interuenerint, ita post osculum possit, vel eligere medietatem arrarum, vel sponsalitiæ largitatis, si vtraque interuenerint, vel medietatem arrarum absolutè lucrari, si illæ solum intercesserint. Secundò, quia iura, siue communia, siue municipalia semper respiciunt fauorem sponsæ, quæ passa est piaculum pudoris in osculo, ergo præsumendum est, quod præconcesserint propter idem osculum electionem medietatis alterius, si arræ simul cum iocalibus intercesserint, vel absolutè medietatem arrarum, si illa non interuenerint, cæteroqui fœmina pateretur ruborem per osculum, & fraudata maneret. Tertio, quia per hoc laxarentur habenæ sponsis, vt collatis arris nullam conferrent sponsalitiam largitatem, ne ex osculo aliquid amittere tenerentur, si arræ integrè essent restituendæ non obstante, quod osculum intercesserit. Nihilominus

Ratio dubitandi excitata.

Sententia asserens arras acquiri.

Respondeo, quod sponsa in ea hypothesi, nec haberet optionem, vel ad medietatem sponsalitiæ largitatis, vel arrarum, si vtræque fuerint collatæ, sed ius eiusdem ex osculo restringatur ad sponsalitiam largitatem, nec consequatur arras, si illæ dumtaxat fuerint collatæ *Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 22. n. 18.* Ratio ex eo deducitur primo, quia huiusmodi arræ non conferuntur, nisi ad effectū, vt acquirantur per recipientem, si ex culpa conferentis non sequatur contractus, non acquirantur, si ille perficiatur, seu dissoluatur sine culpa eiusdem cōferentis per superius allegata, & probata; ex osculo autem, nec perficitur contractus, nec dissoluitur, ergo ex illo præcisè, si absque culpa ipsius contractus non dissoluatur, non acquiritur per recipientem illa arrarum medietas, nec confertur electio recipienti, si tàm arræ, quàm spōsalitia largitas fuerint collata, ad alterutrum, sed stare debet absolutè acquisitioni medietatis sponsalitiæ largitatis. Secundò, quia in iure communi *in l. si à sponso C. de donat. ante nupt.* solum statuitur de sponsalitia largitate, quod acquiratur per sponsam quoad medietatem per osculum, quod intercesserit, nullaque fit mentio arrarum, nec de illis aliquid disponitur, ergo non est, cur talis dispositio sit extendenda etiam in ordine ad arras,

Non est dispositū in iure quoad arras in hac hypothesi.

arras, cum de illis diuersa sit ratio, cum sint in ordine ad diuersum finem. Hæc procedunt de iure communi, secundum quod arræ dantur in securitatem contractus. Cæterum *Sanchez d. lib. 6. disp. 22. nu. 18. & seqq.* aduersus *Gomez Ariam loc. cit.* extendit etiam, vt procedat de iure hispano *in l. 52. Tauri* quem tu consule. Nobis etenim, qui de iure communi procedimus, parum negotij facescit, quod huiusmodi extensio locum habeat, vel non habeat.

3 Ad rationes, quæ ex aduerso per eundem Gomez Ariam afferebantur, nunc respondendum est, & primò ad primum dico, illud iuristicum axioma, quod iuris est de toto quoad totum, est etiam partis quoad partem verificari solummodo, quãdo est eadem ratio quoad dispositá, tàm pro toto, quàm pro partibus; non est autem eadem ratio dispositionis quoad sponsalitiam largitatem, ac quoad arras cum dentur ex diuerso fine. Deinde, vel loquimur de iure communi, vel de iure municipali hyspano; si loquamur de iure communi, toto cælo aberrat Gomez Arias loc. cit. asserens arras acquiri quoad totum per consummationem matrimonij, quandoquidem tunc est completus contractus, & huiusmodi arræ redeunt ad conferentem, cũ dentur solummodo, vt pignora in ordine ad perficiendum contractum, vnde si talis contractus perficiatur, iam cessat finis, ad quem datæ sunt, si non perficiatur ex culpa recipientis, tunc in duplum reddi debent per textum allegatum *in d. l. mulier C. de sponsalib., & arris*; si loquamur de iure municipali hyspano non acquiruntur absolutè, nisi post consummatum matrimonium, per osculum autem simplicitèr non consummatur, vt per se patet, adeoque non est, cur acquirantur per recipientem.

Sunt arræ in ordine ad diuersũ finem.

Ad secundum asserendum est, iura esse quidem fauorabilia sponsæ in ijs, in quibus disponunt, non ita tamen, vt sit extendenda vltra id, quod disponunt, maximè, si illud fuerit in ordine ad diuersum finem, & effectum, vt euenit in præsenti; & quamvis sint fauorabilia sponsæ, sunt tamen quodamodo noxia sponso, vnde ex hoc capite non sunt extendenda vltra expressè disposita; neque obstat piaculum pudoris, quod passa est sponsa per osculum, nam sibi debet imputare, quod sine sponsalitia largitate illud admiserit; & sicuti, si nec arræ, nec sponsalitia largitas fuisset sibi collata, deberet sibi imputare, quod illud osculum passa fuerit, nec posset quid exigere, ità, si sibi collatæ fuerint arræ, nec tamen sponsalitia largitas debet propriæ conditioni imputare, quod illud passa fuerit, non aliquid poterit exigere de arris, cum ad eũ effectũ datæ non fuerint, sed ad complementum contractus, & sicuti, si ex diuersa causa eadem sponsa esset debitrix erga sponsum de determinata summa non posset ob osculum aliquid de ea acquirere, & retinere, ità nec &c.

Non sunt extendenda vltra expressa.

Ad tertium dicendum est, cum nullo iure cogente conferantur arræ, & sponsalitia largitas, sed ex mera liberalitate conferentis, & donantis, nullum esse inconueniens, si dicatur illa via aperiri, cæteroqui essent excludenda sponsalia quotiescunque sponsalitia largitas non intercederet.

Arræ liberè conferuntur.

PRÆNOTIO XX.

An arræ constitui possint inito iam matrimonio.

SVMMARIVM.

Procedit titulus tàm de iure municipali hyspano, quàm communi, & in quo sensu. 1.

Si constante matrimonio iam rato, & non consummato sponsus contulerit sponsæ arras in ordine ad perficiendum per consummationem matrimonium de iure communi sponsa easdem non acquirit, si sponsus intra bimestre transierit ad Religionem, lucratur verò, si ex propria culpa sponsus non consummet, seu reddatur impotens ad consummandum. 2.

Stante etiam iure hyspano possunt constitui arræ etiam constante matrimonio. 3.

Titulus examinari potest, vel attento iure communi, vel attento Iure municipali hyspaniarum, secundum quod huiusmodi arræ substituuntur pro donationibus propter nuptias. Certè titulus quoad ius commune vix potest habere locum in præsenti suppositione; cum etenim arræ secundum hoc ius dentur præcisè in securitatem contractus perficiendi, vel vt pignora, per quæ conferens se obliget ad non recedendum à complemẽto contractus, vtique, si contractus iam est completus, non videntur arræ in ordine ad ipsum posse intercedere. Nihilominus, quia matrimonium, quantumvis initum, potest esse non consummatum, & sine culpa conferens potest non consummare per ingressum intra bimestre in Religionem, vel ex culpa per recessum in longinquas ragiones, vel alio modo, quo reddatur impotens ex culpa, ideo titulus in ordine ad hunc effectum non incongruè potest sibi locum vendicare in hac quæstione. Igitur res examinabitur tum in ordine ad ius commune, quam municipabile hyspanum. 1

In quo sensu possit habere locum ius commune

Assertio I. Si constante matrimonio iam rato, & non consummato sponsus 2

con-

Non amittit arras, si trāseat ad Religionem

contulerit sponsæ arras in ordine ad perficiendum per consummationem matrimonium de iure cōmuni, sponsa easdem non acquirit, si sponsus intra bimestre transierit ad Religionem, lucratur vero, si ex propria culpa sponsus non consummat, seu reddatur impotens ad consummandum.

Ratio esse potest in vniuersum, quia arræ non solum dari possunt ex partium conuentione ad securitatem contractus simpliciter, sed etiam ad securitatem complementi eiusdem, & qui contrahit, potest efficaciter non solum velle contractum, sed etiam pefectionem eiusdem, ergo si dentur in ordine ad complementum ipsius, quod vtique præstari potest posita substantia eiusdem contractus, spōsa lucrabitur easdem, si ex culpa conferentis eadem perfectio per consummationem non ponatur, non lucrabitur vero, si sine eiusdem culpa, vel ex iure sibi competente non ponat talem perfectionem, sed constante iam matrimonio, si sponsus intra bimestre conuolet ad Religionem, sine culpa, & iure sibi competente non consumat, si verò se reddat ex culpa impotentem, ex eadem culpa non consummat, ergò in prima hypothesi sponsa easdem arras non acquiret, lucrabitur verò in secunda. Subsumpta minor quoad primam partem probatur, nam quoad secundam non indiget probatione, nam sponsus contracto matrimonio per verba de præsenti, sicuti etiam sponsa ius habent intra bimestre non consummato matrimonio contrahendi matrimonium spirituale per ingressum, & professionem in Religione, quia, quandò contrahit, contrahit semper sub tacita conditione, nisi perfectiorem statum elegerit.

Non consumat ex iure sibi competente.

Dices, constante iam matrimonio per verba de præsenti non potuit sponsus conferre arras, nisi ad effectum quomodocunque consumandi illud, & per consequens etiam se obligandi ad non conuolandum ad Religionem, ergō, quantumvis ad Religionem commigrauerit, non propterea priuabitur iure ad illas arras redhibendas. Antecedens probatur, quià cum iam ex vi contractus esset obligatus ad consummandum, vtique per collationem illam arrarum videtur se obligare ad aliquid, ad quod non erat obligatus ex vi contractus, adeoque etiam ad non ingrediendam Religionem, per quem ingressum impediri poterat à congressu carnali cum sponsa. Sed contra negandum est absolutè antecedens; non etenim est aliqua repugnantia, quin ad id, ad quod iam erat obligatus ex vi contractus, præcisè voluerit etiam se obligare sub pæna amissionis pignoris; Cæterum stantibus etiam præcisè sponsalibus, nullaque cau-

Obligatus simpliciter potest etiam velle obligari sub pæna.

sa interueniente legitimæ dissolutionis tenetur sponsus ad contrahendum matrimonium, nec tamen obstat, quin etiam in securitatem eiusdem conferre possit pignus, & ad id, quod obligabatur simplicitèr, velit obligari sub pæna eiusdem pignoris amittendi; vnde non est præsumendum, quod per illam collationem arrarum se voluerit obligare ad non ingrediendam Religionem, nisi de hoc expressè actum fuerit.

Assertio II. Stante etiam iure hispano, secundum quod arræ succedunt loco donationis propter nuptias possunt constitui etiam constante matrimonio *Ioannes Lupus rub. de donat.* §.24. *nu.*2. *Valascus conf.* 4. *num.* 4. *tom.* 1. *Gutierez* 3. *pract. qu.* 43. *num.* 5. *Castillo l.* 50. *Tauri nu.* 6. *Couaruias* 4. *decret.* 2. *part. c.* 3. §. 7. *num.* 12. *Baezza de non melior. fil. cap.* 3. *num.* 12., *& seqq. Sanchez lib.* 6. *de matrimon. disp.* 28. *num.* 2. aduersus *Gregorium Lopez l.* 1. *verb. ex Espania tit.* 11. *part.* 4. 3

Constans matrimonio constituun.ur. Lupus. Valascus. Gutierez. Castillo. Sanchez.

Fortior ratio probationis præsentis assertionis erit dissolutio argumenti, quod ex aduerso præfertur ab eodem *Gregorio Lopez, & à Molina tom.* 2. *de iustitia tract.* 2. *disp.* 431. *vers. dubium est num arra, & vers. simili modo*. Asseruut igitur huiusmodi DD. necessario requiri *ex l.* 1., *&* 2. *tit.* 2. *lib.* 3. *fori*, quod datio arrarum, seù promissio præcedat matrimonium ad hoc, vt sit efficax, & valida, quandoquidem constante matrimonio donationes inter coniuges, nec de iure communi, nec municipali sunt validæ, cum sint à iure prohibitæ; Sed hæc ratio nullius omninò roboris est, quandoquidem iura hispana *in l.* 1. *in fin. tit.* 11. *p.* 4., *& l.* 87. *tit.* 18. *p.* 3. expresè statuunt donationes propter nuptias, quæ de eodem iure stant pro arris posse fieri, tum ante, tum post matrimonium; Secundò, quià etiam de iure communi donationes propter nuptias fieri possunt constante matrimonio per textum *in l. cum multa C. de donat. ante nupt.* Tertiò, quià huiusmodi donationes propter nuptias sunt in compensationem dotis *per auth. dos data, & auth. æqualitas C. de donat. ante nupt.*, sed æquè est dos, siuè ante, siuè post matrimonium iam initum, vt per se patet, ergò &c.

Lopez. Molina.

Donationes propter nuptias sunt in compensationem dotis.

Ratio secunda esse potest, quià remunerationes, seù donationes remuneratiuæ inter coniuges nullo iure discrepante esse possunt per ea, quæ suprà latè probauimus, & latè docet *Sanchez lib.* 6. *disp.* 6. *nu.* 1., sed arræ, quæ de iure hispano succedunt donationibus propter nuptias, habent vim donationis remuneratiuæ, quandoquidem, vel conferuntur in compensationem dotis, vel in præmium virginitatis, & pudicitiæ, vel pro nobilitate vxoris, ergò poterunt esse licitè, & validè inter con-

Donationes remuneratoriæ inter coniuges admittuntur.

coniuges, atque hoc argumento potissimum eliditur vis contrarij argumenti, cui innititur contraria sententia. Accedit, quod huiusmodi arræ, prout important donationes propter nuptias sunt in securitatem dotis receptæ in fauorem coniugis, quæ dotem illam erogauit, vt dicit *Glosa in d. auth. dos data C. de donat. ante nupt.*, non repugnat autem, quod id, quod datur in securitatem, detur post matrimonium initum, quinimmò, vt benè notat *Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio q. 11. n. 2.* huiusmodi donatio propter nuptias pati potest constitui constante matrimonio, quo posteà dissoluto pati non potest, vt constituatur.

Glosa.

Iulius Clarus.

PRÆNOTIO XXI.

An pupilli, minores possint arras constituere inconsultis tutoribus, & curatoribus, & absque decreto Iudicis.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa titulum. 1.
Siue de iure communi, siue de iure hispano arra consistentibus in immobilibus, seu mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt, nõ possunt constitui per pupillos, & minores inconsultis tutoribus, & curatoribus, & absque Iudicis decreto. 2.
Donationes propter nuptias etiam in immobilibus facta per minores tenent, si per quinquennium, ex quo ille factus est maior, non fuerint retractata. 3.
Arra, si consistant in mobilibus, quæ seruando seruari non possunt, possunt constitui sine decreto Iudicis accedente tutoris auctoritate. 4.
Soluuntur rationes contraria. 5.

OMissis ijs, quæ in genere dicta sunt de potestate pupillorum, & minorum contrahendi, vel non contrahendi in quocunque genere, vel ex defectu immaturæ deliberationis, seù imperfecti iudicij, vel ex interdicta bonorum administratione in ordine ad diuersos contractus, prout latè, dum *de empt., & vendit. de emphytheusi, & censibus, de permutationibus, de locato, & conducto, de pignore, & hypotheca, & alijs,* titulum restringimus in præsenti in constitutione arrarum, tùm in ordine ad ius commune, tùm in ordine ad ius hispanum, secundum quod arræ substituuntur loco donationum propter nuptias. Porrò considerandum est in hac controuersia, an bona, quæ conferuntur pro arris sint bona immobilia, an verò mobilia, & si mobilia, an ex ijs, quæ seruando seruari possunt, & sint pretiosa, an verò non pretiosa, quæque seruando seruari non possunt.

Ratio præcipuè difficultatis in eo consistit, quod arræ de iure communi collatæ à quocunq; nõ amittũtur, nisi ex culpa cõsentientis dissoluatur cõtractus, sicq; absolutè nõ trãsferũtur quoad dominiũ, sed tãtummodò conditionatè, si contractus non fuerit perfectus. Rursus huiusmodi arræ dantur in ordine ad contractum, circa quem pupillus, & minor sunt omninò independentes à voluntate tutorum, & curatorum, cum sint in ordine ad eundem sui omninò iuris; vnde videntur, quod sicuti sunt liberi quoad substantiam contractus, sint etiam liberi quoad ea omnia, quæ vel ex consuetudine, vel ex dispositione, vel saltem permissione iuris pertinent ad eundem contractum, vel antecedenter, vel concomitanter, vel subsequenter. Nihilominus sit 1

Exponuntur rationes dubitandi.

Assertio I. Siue de iure communi, siuè de municipali hispano, si arræ consistant in immobilibus, seù mobilibus pretiosis, quæ seruando seruari possunt, non possunt constitui per pupillos, & minores inconsultis tutoribus, & curatoribus, & absque Iudicis decreto. *Caldas in l. si curatorem verbo contractum fecisti num. 40. C. de in integ. restit. Suarez lib. 3. fori tit. 2. de las arras l. 1. num. 65. Barbosa l. si ante 6. num. 23. ff. solut. matrim. Sanchez lib. 6. de sponsal. disp. 38. num. 37.* 2

Requiritur consensus tutoris, & Iudicis decretum.

Caldas. Suarez. Barbosa. Sanchez.

Ratio quoad primam partem de iure communi ex eo deducitur, quià, quantumvis in rigore per constitutionem arrarum non constituatur absolutè alienatio ponitur tamen actus, ex quo potest sequi alienatio, quæ omnia eodem iure prohibentur inter personas alienare prohibitas *Ruinus cons. 145. num. 5. vol. 1. Tiraquel de retract. lignag §. 1. glos. 2. num. 52.*, vnde quoad bona Ecclesiastica, quæ alienari prohibentur, nisi seruatis certis iuris solemnitatibus non solum censetur prohibita alienatio formalis, & expressa, sed ea omnia, ex quibus prouenire potest alienatio, vt est in confesso apud omnes, sed respectu minorum, & pupillorum est prohibita quæcunque alienatio bonorum immobilium inconsultis tutoribus, & curatoribus, & absque decreto Iudicis per textum *in l. Iulianus ff. de contrah. empt., & vendit., & l. 1. §. impuberes ff. commodati ex l. non solum ex l. si minorum, ex l. si prædium, & ex l. si ad resoluendum C. de prædijs minor. Glosa §. nunc admonendi verb. nullam instit. quib. alien. licet Rolandus à Valle cons. 54. lib. 2. Octauius Simoncellus de decretis tit. 8. inspect. 2.*, ergò etiam sunt prohibita ea omnia ipsis inconsultis, quæ tendere possunt ad talem alienationem; huiusmodi autem est constitutio arrarum in talibus bonis, vt per se patet, ergò &c.

Prohibita alienari prohibentur etiam pignori subijci.

Glosa. Rolandus. Simoncellus.

Dices, cum sit in potestate ipsius pupilli, & minoris subterfugere pœnam iuris in

in amissione complendo contractum, quem promisit, non posse dici absolutè sistendo in iure communi, quod constituat actum, qui ex necessitate inducat alienationem, adeoque non esse, cur non possit constituere arras. Sed contrà, quià ex genere suo arræ sistendo in iure communi substituuntur loco pignorum *l. arris, l. mulier C. de sponsalibus, & arris*, ibique *Glosa, & in l. vnica C. si rector prouinciae*; pupilli autem, & minores sine auctoritate tutorum, & curatorum, & absque decreto Iudicis oppignorare nequeunt immobilia *l. Iulianus ff. de contrah. empt., & vendit., & in l. 1. §. impuberes ff. commodat.*, nec officit, quod ipsi possint subterfugere pænam iuris cõplendo contractum, quem promiserunt; non officit, inquam, quià ex genere suo oppignoratum subiacet periculo amissionis, & cum minores, & pupilli labilis iuditij sint, & immaturæ deliberationis facilè possunt à contractibus resilire, sicque subijcere alienationi, seù proximo periculo eiusdem propria immobilia. Deinde ex genere suo talis contractus est inter minores, & pupillos prohibitus, quod sufficit ad veritatem præsentis assertionis.

Oppignoratum ex genere suo subiacet periculo.

Ratio secundæ partis de iure municipali hispano ex eodem capite, quo præcedens pars in fortioribus terminis deducitur, quandoquidem ex eodem iure substituuntur loco donationum propter nuptias, quæ quoad dominium plenè acquiruntur, si matrimoniũ consummetur *Couarruuias 4. decret. 2. part. cap. 3. §. 7. num. 10., & c. officij de testam. num. 4.*, sed per contractum sponsalium, & collationis arrarum se obligauit ad contrahendum, & consummandum matrimonium, ergò obligatur, & easdem subijcit obligationi alienationis per consummationem matrimonij, ad quam se obligat. Confirmatur, quià de iure hispano arræ cedunt loco donationis propter nuptias, & vtrique liberæ, cum nullo iure vrgente fiant, sed per pupillos, & minores nequeunt validè fieri donationes sine auctoritate tutoris, vel curatoris, & sine decreto Iudicis *Baldus in l. 1. num. 6 C. si aduersus donat. Castrensis in l. 2. ad fin. eod. tit. Alexander cons. 125. num. 2. vers. quarto, & vlt. vol. 1. Menochius cons. 184. num. 14. vol. 2.* cum donationes sint dissipationes, & dilapidationes bonorum per textum *in l. certi iuris §. si filius, & ibi Glosa ff. de pactis Castrensis cons. 161. non est dubium in princip. vol. 2. Natta cons. 173. num. 1., & seqq. vol. 1.*

Donationes nequeunt fieri per minores sine auctoritate curatoris. Baldus. Alexander Menoch.

Dices, hæc procedere de minoribus, & pupillis quoad donationes simplices, non autem quoad donationes remuneratorias, quandòquidem istæ non indigent iuris solemnitatibus, quibus indigent simplices; nulli autem dubium, quin donationes proptèr nuptias, quibus arræ correspondent sint propriè, & verè remuneratoriæ. Sed contrà, quià vt benè notat *Menochius de arbitrar. lib. 2. cent. 2. cas. 171. num. 46., & 47.* quoad immobilia, nec etiam ex causa dotis, & proptèr nuptias minor, & pupillus possunt donare, & licet etiam ex causa remuneratoria liceat eisdem donare, hoc tamen semper intelligitur cum decreto Iudicis, *Romanus in l. si ante nuptias num. 4. ff. solut. matrim. Iason in l. ex hoc iure col. 15. tertio effectu num. 51. ff. de iust., & iur.*

Nec etiam ex causa dotis minor potest donare immobilia. Romanus. Iason.

Hic oritur difficultas, an huiusmodi constitutio arrarum facta per minorem, vel pupillum vllo vnquam tempore possit fieri valida, & obligare. Videtur prima fronte asserendum, quod nunquam possit conualidari, quià quod ab origine, & in sua radice non valet ex vulgatis iuribus non potest conualescere. Nihilominus asserendum est, quod huiusmodi arræ, seù donationes proptèr nuptias transacto quinquenio, postquam minor factus fuerit maior coualescat per textum *in l. si quandò C. si maior factus Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 24. Azebedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 2. nu. 12.*, & ratio est, quià per illum tractum temporis à die, qua donator talium arrarum peruenit ad maioritatem supponitur, quod nouum actum posuerit, ratione cuius nouus contractus constituatur, seù quasi de nouo ponatur in esse, & per hoc respondetur ad rationem, quæ ex aduerso afferebatur. 3

Valet arra, si non fuerint retractata intrà quinquennium à maioritate adepta. Gomez. Azebedo.

Assertio II. Arræ, si consistant in mobilibus, quæ seruando seruari non possunt, possũt licitè tribui per pupillos, & minores sine decreto Iudicis, nõ tamen sine tutoris, vel curatoris auctoritate *Suarez lib. 3. for. tit. 2. de las arras l. 1. nu. 65. Antonius Gomez l. 52. Tauri nu. 24. Barbosa l. si ante 6 ff. solut. matrim. n. 24.* 4

Constituuntur accedente tutore, vel curatore. Suarez. Gomez. Barbosa.

Ratio est in vniuersum, quià regulare est in omnibus ferè, vt pupilli, & minores ijs etiam contractibus translatiuis dominij contrahant accedente tutoris, vel curatoris auctoritate etiam sine decreto Iudicis, per quos immobilia non transferuntur, vt latè diximus, dum de emptione, & venditione, de permutationibus, de societatibus, de commodato, & deposito, de pignore, & hypotheca, & de transactionibus sub suis titulis, ergò etiam non est, cur non possint contrahere contractu innominato collationis arrarum, si hic consistat in mobilibus, quæ seruando seruari non possunt, cum præcipuè non transferatur absolutè dominium, sed tantummodò conditionatè, si scilicet cum culpa recesserit à contractu. Quod autem etiam in hac hypothesi requiratur tutoris, vel curatoris auctoritas colligitur expressè ex *l. si curatorem C. de in integrum restitut., &* ex

Auctoritas tutoris supplet defectum ætatis

ex l. 2. & l. mulier C. de iur. dot.

5 Ad rationes, quæ in principio afferebantur, quæque obstare videntur assertionibus positis, nunc respondendum est, & quidem ad primam ex dictis patet responsio, quamvis enim per traditionem arrarum non transferatur absolutè dominium, ponitur tamen actus, ex quo poni potest eiusdem dominij translatio, quod æquè in iure vetitum est, ac sit vetita immediata dominij concessio. Ad secundam asserendum est, quod quamuis minor, & pupillus in ordine ad ea, quæ spectant ad contractus matrimoniales secundum se, & directè sint sui iuris, nec dependeant à voluntate, & arbitrio tutorum, & curatorum, sicut, nec etiam parentum per ea, quæ superius dicta sunt, in ijs tamen, quæ pertinent ad bona fortunæ, seù ad contractus versantes circà huiusmodi bona, vtique ab eorum voluntate dependeant, nec possunt quidquam propria auctoritate peragere; nec obstet id, quod ibi afferebatur, quod scilicet, cui concessus est finis, sint etiam concessa ea, quæ pertinent ad eundem finem, vel vt media, vel vt coadiuuantia, vel vt consequentia; non obstat, inquam, quià ad summum hoc verificatur, quandò ea, quæ pertinent ad finem, sunt necessariò, vel ex natura talis finis, vel ex dispositione iuris cum eodem connexa, secus autem quando respectu eiusdem sunt libera, vt in præsenti hypothesi; nullo etenim iure compelluntur sponsi ad contribuendas huiusmodi arras. Cæterum si huiusmodi ratio subsisteret, & aliquid euinceret, euinceret etiam, quod, cum fæmina etiã sub potestate patris constituta in ordine ad contractus matrimoniales sit sui iuris, & independens à voluntate Patris posset etiam independenter ab eodem dotem sibi constituere, si valeret, quod, cui concessus est finis, sint etiam concessa ea, quæ pertinent ad talem finem.

Satisfit rationibus contrarijs.

PRÆNOTIO XXII.

An, si pupillus, & minor congruas, & moderatas arras promiserit, vel contulerit, obliget alterum sibi, si ex culpa recesserit.

SVMMARIVM.

Pupillus, & minor sine tutore, & curatore, quamuis non obligetur ciuiliter, obligatur naturaliter. 1.

Pupillus, & minor in sibi proficuis licet ciuiliter non obligetur obligat sibi alios. 2.

Pupillus, & minor, si contractus sibi fuerit vtilis sibi alterum obligat, ita vt si ille deficiat, possit conuenire pro duplo. 3.

Si pupillus, vel minor in collatione arrarum contrahat cum pupilla, vel minori in sui vtilitatem sine auctoritate tutorum ipsam sibi non obligat, si vero in vtilitatem vtriusque, & obligatur, & obligat. 4.

SVppono primo pupillum, ac minorem contrahentem sine tutoris, vel curatoris auctoritate, quamuis non obligetur ciuilitèr obligari tamen naturalitèr prout latè docent *Glosa in l. fin. verb. non tuebitur ff. de iure iurand. & in l. quod pupillus 41. verb. natura ff. de condit. indeb., & in l. pupillus 58. verbo nec quidem ff. de a?., & obligat., & in l. Marcellus 26. verb. obligat. ff. de fideius. & in l. impuberibus 13. verb. obligantur ff. de auctorit. tut., & curat. Bartolus l. 2. n. 1., & l. cum lex n. 7 ff. de fideius. Angelus Instit. de inutil. stipul. §. pupillus n. 3. Saliceius l. 1. n. 1, C. de inutil. stipul. Decius l. pupillus in fin. ff. de regul. iuris, Felinus c. quarto n. 1 de præsump. Caldas l. si curatorem verb. non ab similis n. 27. C. de in integ restit. Corduba in summa q. 155. Molina tom. 1. de iust tract. 2. disp. 124 vers. quamuis autem*, quod multis firmant rationibus, & primo, quià contractibus minorum, & pupillorum accedere possunt validè, & efficacitèr fideiussores per textum *in l. fin. ff. de iure iuran., & in l. si pupillus 40. ff. de recept. arbitr.*, sed validè, & efficacitèr non possent accedere nisi illi obligarentur saltem naturalitèr *l. cum lex 47. ff. de fideius. l. naturalitèr 13. ff. de condit. indeb.*, quod etiam latè nos alibi probauimus, Secundò, quià obligatio naturalis oritur ex consensu *l. stichum §. naturalis ff. de solut.*, in pupillo autem sicuti supponitur consensus sufficiens ad validè contrahenda sponsalia, ità supponitur consensus sufficiens ad illum obligandum naturalitèr etiam in alijs contractibus; vndè hic aduertendum est, quod ad obligandum pupillum in alijs contractibus etiam solum naturalitèr requiratur, vt sit pubertati proximus, & hoc proptèr præsumptionem, ne scilicet defectu ætatis careat plena intelligentia *Glosa in l. si pupillus in princip. verbò si pupillus ff. ad leg. falcid. Bartolus in l. 1. verb. non est obligatus C. de inutil. stipul. Paulus in l. 1. num. 6. ff. de nouat.* 1

Doctores asserentes obligari naturalitèr.

Contractibus pupillorum accedunt fideiussores.

Supposito iudicio sufficienti ad contrahendum.

Glosa. Bartolus.

Suppono secundò. Pupillum, & minorem quoad actiones ciuiles in ijs, quæ sibi proficua sunt, quantumvis ipse non obligetur efficacitèr alteri, alterum tamen sibi efficacitèr obligare per ea, quæ alibi fusè tradidimus, & habetur *in l. eo minus 14. C. de procurat.* vbi legitur, *vt minoribus ætas in damnis subueniret, & in prospere gestis non obesset*, quod idem expressius habetur. *Instit. de act. tut. Placuit meliorare quidam suam conditionem pupillum facere posse etiam sine tutoris auctoritate, deteriorem verò non alitèr, quam cum tutoris auctoritate; vndè in his causis ex quibus obligationes mu-* 2

In proficuis obligat, & non obligatur.

 tuæ

tiae, nascuntur, si auctoritas tutoris non interueniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, & in vicem pupilli non obligantur.

His ergò suppositis in præsenti prænotione inquirimus, an, si pupillus proximus pubertati, & minor, qui supponitur obligari naturaliter ex contractu collationis arrarum obligent alterum recipientem sibi ciuiliter, adeovt, si ex culpa deficiat à contractu possit conueniri ad soluendum duplum, prout decernitur *in l. mulier C. de sponsalibus, & arris.*

3 Assertio I. Si contractus sponsalium fuerit pupillo, & minori, vel ex conditione personæ, cum qua contraxit, vel ex pinguedine dotis, quam secum affert, vel ex alijs qualitatibus concomitantibus fauorabilis, vtique per collationem arrarum alterum sibi obligat, adeovt, si deficiat à promissione, & à contractu perficiendo ipsum possit conuenire pro duplo à iure statuto. Recole ea, quæ dicta sunt *tom. 1. sub tit. Contractus IV. de emphyt., & censib. pranot. 17. num. 24.*

Si contractus ibi fuerit vtilis potest conuenire pro duplo.

Fundamentum huius assertionis deducitur ex allegatis iuribus in secunda suppositione, & item ex eo, quod iura prohibentia contractus pupillis, & minoribus sine auctoritate tutorum, & curatorum voluerunt præcisè consulere eorum indemnitati, ne scilicet ob defectum ætatis, & maturæ deliberationis de facili decipiantur, ergò in ijs, quæ in ipsorum fauorem expresè cadunt non supponuntur resistere, sed potius assistere per textum *instit. de auctor. tutor. in princip., & ibi Glosa verb. non obligatur l. contra iuris, & ibi Glosa verb. concessum ff. de pactis*, nec incongruè, quià, quod minorum fauore introductum est in eorum detrimentum non debet vergere *l. non eo minus, & ibi Salicetus, & Iason. C. de Procurat.*

Iura consulentia immunitati pupillorum non obstant eorum commodo.

Dices, contractus præcipuè onerosi non possunt consistere sine mutua obligatione; si igitur pupilli, & minores alteri non obligantur efficacitèr, quomodo potest subsistere contractus? quomodo possunt alterum efficacitèr sibi obligare? Sed contra, quià ex eo, quod alterum obligauerit potest velle stare contractui, & velle, quod alter in eodem persistat ea adimplendo, ad quæ ipsum obligauit, vnde quod ipse non obligetur, hoc tantum dicit, quod eidem detur optio ad velle perseuerare, vel nolle, quæ optio non conceditur alteri obligato, qua ratione potest quoquo modo dici contractus claudicare, Deinde dici potest extare etiam obligationem ex parte pupillorum, & minorem non quidem ciuilem, sed naturalem, quod sufficit in contractibus eisdem proficuis.

Pupillo datur optio ad perseuerandum, vel nõ perseuerandum.

Fachineus. Dices secundò, *ex Fachineo controuer. iuris lib. 3. cap. 3.* in rebus immobilibus non posse pupillos contrahere eas distrahendo, quantumvis hoc vtile foret eisdem, quod probat per textum *in l. magis puto §. si æs alienum ff. de reb. eor.*, vbi sic legitur. *Si æs alienum non interueniat, tutores tamen allegant expedire hac prædia vendi, & alia comparari, vel certè istis carere videndum est, an Prætor eis debeat permittere, & magis est, ne possit*, ergò saltem quoad immobilia minores, & pupilli non poterunt arras construere, quantumvis hoc in ipsorum vtilitatem cederet. Sed contra allegatus textus procedit tantum, quando non expresè apparet vtilitas respectu alienantis, seù alienare intendentis, secus etiam auctore iudice non possent alienari, quod ex allegatis iuribus falsum est.

Procedit, quando nõ apparet vtilitas.

Assertio II. Si pupillus, seù minor per collationem arrarum contrahat cum pupilla, vel minori in sui vtilitatem sine auctoritate tutorum, seù curatorum vtriusque ipsam sibi non obligat, si verò contractus cedat in vtriusque vtilitatem, & obligatur, & obligat. Ità quoad primam partem *Iurisconsultus in l. Iulianus 13. § si quis à pupillo ff. de act. empt. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 38 num. 3. Lessius de iust. & iure lib. 2 cap. 17. dub. 8. num 60. vers. idem intelligendum.* Quoad secundam partem in simillibus terminis de contractu censuali *Rota Romana in vna Bononiensi Census 17. Maij 1608. Coram Marco Montio, & in alia Roman. census coram Manzanedo 22. Iunij 1611.* 4

In vtilitatem conferens obligat, & non obligatur, in vtilitatem vtriusque, & obligatur, & obligat.

Rota Romana.

Probatur prima pars, quià in iure contractus initus à pupillo, vel minore cum maiori dicitur claudicare, nonnisi, quià solum ex vna parte consurgit obligatio, ergò contractus per pupillum, seù minorem cum alio pupillo, seù minore initus nullo modo subsistet. Consequentia tenet, quià in tantum contractus per pupillum, seù minorem initus cum maiori claudicat in quantum ipse pupillus non potest obligari, sed etiam, quando initur cum alio minori ex eadem iuris dispositione hic non potest obligari, ergò nullo modo potest contractus currere cum ex neutra parte consurgat obligatio.

Vacillaret ex vtraque parte.

Secunda pars deducitur ex ijs, quæ latè dicta sunt *tom. 1. sub tit. Contractus IV. de emphyt., & censib. pranot. 17. nu. 16.*, quæ omnino vide; cum etenim ex hoc contractu vtriusque vtilitas præsupponatur resultare, non est, cur iura eidem derogent, cum solum consulant eorum indemnitati, & quod in eorum fauorem inductum est, non debet in eorum detrimentum deflecti.

PRÆ-

PRÆNOTIO XXIII.

An filius familias inconsulto Patre possit arras constituere.

SVMMARIVM.

In plerisque filius familias inconsulto Patre potest contrahere, & obligare se ciuiliter. 1.

Filius familias per bona castrensia, & quasi castrensia si fuerit pubes tàm de iure communi, quàm de municipali potest constituere arras inconsulto Patre. 2.

Filius familias quoad bona aduentitia, nec de iure communi, nec municipali Mediolani potest arras constituere inconsulto Patre. 3.

A fortiori, nec quoad bona profectitia. 4.

1 Pleraque sunt, in quibus filius familias potest inconsulto Patre contrahere, & se obligare ciuiliter, & naturaliter, vt expressè *in l. tàm ex cõtractibus ff. de iudiciis, & §. inutil. instit. de inutil. stipul. & l. filius familias ex omnibus 38. ff. de act. & oblig.* quamuis pupilli, & minores habentes tutorẽ, & curatorem sine illorũ auctoritate nõ possint contrahere, nec se obligare saltem ciuiliter per superius dicta. Si autem inquiras, cur non teneat ciuiliter contractus initus per pupillum sine curatore, teneat tamen initus per filium familias sine Patre respondet *Glosa § pupillus verb. Patre instit. de inutilib. stipul* hoc ex eo prouenire, quià Tutor datur in supplementum præsumpti immaturi iudicij, & non plenæ deliberationis; Pater autem ad corrigendum. Item plura sunt, in quibus filius familias impubes, ne autore quidem Patre potest contrahere *§. pupillus instit. de inutilib. stipul.*, impubes verò auctore tutore potest contrahere per superius dicta. Si autem hic etiam inquiras rationem tàlis diuersitatis respondet *Glos. in d. §. pupillus instit de inutil. stipul.* id ex eo prouenire, quià pupillus impubes habet tutorem obligatum, si male auctoritate vsus fuerit, non sic Patrem *l. cum oportet §. sub hac tamen vers. non autem hypothecam C. de bon., qua lib. l. fin. §. pupillus ff. de verb. oblig.*

Obligatur ciuiliter, & naturaliter

Tutor datur in supplementum ætatis, Pater ad correctionem.

Tutor obligatur pro administratione, non sic Pater.

Procedit de filio familias puberi.

Procedit titulus de filio familias puberi; de impuberi etenim ob præsumptionem immaturi iudicij, & non plenæ deliberationis eodem modo eidem intelligitur interdictus vsus contractuum, sicuti interdictus supponitur pupillis, & minoribus sine tutoribus, & curatoribus. Procedit item tàm in ordine ad ius commune, quam in ordine ad ius municipali *in c. 416. ad statuta Mediolanensia.* Procedit item tàm in ordine ad bona castrensia, & quasi castrensia, quàm in ordine ad aduẽtitia, & profectitia.

2 Assertio I. Filius familias per bona castrensia, & quasi castrensia, si sit pubes, potest constituere arras etiam Patre inconsulto siue de iure communi, siue de iure municipali *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 39. num. 11., & num. 7.* & deducitur ex omnibus iuribus supra allegatis.

In bonis castrensibus, & quasi validè constituit arras. Sanchez.

Ratio ex eo deducitur, quià nulla est repugnantia, nec ex causa immaturæ deliberationis, nec ex defectu dominij in rebus, nec ex aliquo iure prohibente, ergò non est, cur non possit easdem arras constituere. Antecedens quoad primam partem patet, quià supponitur in statu pubertatis, in quo secundum regularem cursum viget plena libertas, maturaque deliberatio; quoad secundam etiam euincitur, quià in ordine ad bona castrensia, & quasi castrensia filius familias est omninò sui iuris, & independens à Patre, cum in ordine ad illa non solum habeat dominium, sed etiam plenam administrationem; quoad tertiam etiam euincitur ex allegatis iuribus in principio prænotionis, nec est assignabile aliquod ius prohibens.

In ordine ad hac bona sunt sui iuris.

Dixi, *siue de iure ciuili, siue de iure municipali*; quamuis etenim *d. cap. 416. statut. Mediol.* disponat, quod contractus per filios familias initi, si illi fuerint sub potestate Patris nullius roboris sint, sed omninò inualidi; hoc tamen procedit de filijs familias, prout sunt sub patria potestate existẽtes; in ordine vero ad bona castrensia, seù quasi castrensia non dicuntur esse sub patria potestate, maximè, si fuerint puberes, quià sunt sui iuris absolutè, vnde in ordine ad illa bona possunt etiam cum parentibus contrahere, quià tunc non reputantur vt Pater, & filius, sed vt duo Reipublicæ ciues.

Ius municipale nõ prohibet quoad hæc bona.

3 Assertio II. Filius familias in ordine ad bona aduentitia non potest arras constituere, nec de iure communi, nec de iure municipali Ducatus Mediolanensis. Ità quoad primam partem *Antonius Gomez l. 6. Tauri nu. 14. Caldas in l. si curatorem verb. læsis num. 152. C. de in integ. restitution. Molina tom. 1. de iust. disp. 261. Sanchez lib. 6 de matrimon. disp. 39. nu. 7.* Quoad secundam *vniuersi scribentes in d. cap. 416. stat. Mediol., & præcipuè Carpanus ibid.*

Non potest quoad bona aduentitia. Caldas. Gomez. Molina. Sanchez. Carpanus.

Prima pars expressè colligitur *ex l. fin. §. filijs autem C. de bon., quæ lib.*, vbi sic legitur *Filijs autem familias in ijs dumtaxat casibus, in quibus vsusfructus apud parentes constitutus est, donec parentes viuunt, nec de eisdem rebus testari permittimus, nec citra voluntatem eorum, in quorum potestate sunt vlla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypotheca titulo dare, vel pignori assignare.*

Secunda pars expressè colligitur *ex eod. cap. 416. stat. Mediol.*, in quo prohibetur filijs familias quicunque contractus sine

 Patris

Ius municipale Mediolani irritat

Patris auctoritate sub interminatione nullitatis, quod quidem capit. 416. non solum comprehendit filios familias impuberes, sed etiam sexagenarios *Socin. sen. cons.* 23. *col.* 6. *num.* 10. *vol.* 4. *Lambert. tract. de statut. de alien. mulier glos.* 18. *num.* 2., & ad habentes quamcunque dignitatem per textum *in l.* 1. *ad fin. ff. ad Senat. Consul. Maced.* etiam si sint Clerici, & Sacerdotes *Brunus tract. super constit. in verb. filius vers. statutum dicit Alexander cons.* 210. *per totum vol.* 2. *Felinus cap. Ecclesia Sancta Maria nu.* 88. *de constit.*, nam nullus ordo, vel dignitas infrà Episcopalem liberat filium à patria potestate *Costa in suis dict. memorab. in verb. Sacerdotium vers. immo generaliut*, & in specie, seù terminis huius assertionis notat *Carpanus ad stat. Mediol. d. cap.* 416. *in verb. ex contractu vers. non videtur pariter*, quod filius familias cum ex vi præsentis statuti comprehendatur quæcunque minima obligatio, non possit etiam ex causa dotis contrahere, nec se obligare sine Patris auctoritate *Castrensis cons.* 465. *num.* 1. *vol.* 1. *Lambert. in suo tract. de dict. memor. glos.* 11. *num.* 2., & 3.

Socinus. Lambert.

Etiam si filij familias fuerint in dignitate.

Nec etiam in causa dotis.

Castrensis. Lambert.

4 Ex dictis patet in fortioribus terminis, non posse filium familias arras constituere quoad bona profectitia, quandoquidem quoad plenum ius hæc pertinent ad Patrem, non solum quoad dominium, sed etiam quoad plenam administrationem, adeoque de illis non potest filius disponere sine parabola Patris, vt *ex eod. statut.* 416.

PRÆNOTIO XXIV.

An in quacunque quantitate possint arræ constitui.

SVMMARIVM.

Sistendo in iure communi possunt in rigore in quacunque quantitate constitui. 1.

De æquitate tamen sunt restringendæ ad arbitrium prudentis. Ibid.

De iure Castella non possunt constitui, nisi quoad decimam bonorum partem constituentis. 2.

Dubitationes circa hoc ius Castella remissiuè. 3.

HÆC etiam difficultas potest examinari, vel inspecto iure communi, secundum quod arræ constituuntur, vt pignora, & in securitatem contractus perficiendi, ita vt, si non perficiatur ex parte conferentis, seù ex culpa ipsius integrè amittantur, si ex culpa recipientis in duplum acquirantur ab eodem conferente per textum *in d. l. mulier C. de sponsalib., & arris*, vel inspecto iure municipali hispano, secundum quod succedunt in locum donationum propter nuptias, & dantur, vel in compensationem dotis, vel in præmium virginitatis, seù pudicitiæ marito prostitutæ, vel pro nobilitate, & similibus. In ordine ad ius commune nullam legem inuenio in hoc disponentem. In ordine verò ad ius municipale in Regno castellæ adest textus *in l.* 1. *tit.* 2. *de las arras lib.* 3. *fori, & l.* 50. *Tauri, & l.* 2. *tit.* 2. *lib.* 5. *noua recopil. Castella*. Quamobrem sit

Secundum vtrumque ius examinatur tales.

1 Assertio I. Sistendo in iure communi possunt in quacunque quantitate arræ constitui. Est communis: ex quadam tamen æquitate debent esse moderatæ ad arbitrium prudentis viri attenta qualitate personarum, diuitiarum, nobilitatis &c.

De iure communi restrictiu.

Ratio primæ partis ex eo desumitur primò, quià de tali iure arræ ad alium effectum non constituuntur, nisi ad firmandum contractum, vt, si defectu conferentis non perficiatur, amittantur, si ex culpa recipientis in duplum restituantur, sed contrahentes possunt semper magis, vel magis firmare contractum, eidemque fortiora vincula injcere, quod ex dispositione iuris non prohibetur, ergò semper possunt maiores, vel maiores arras constituere, per quas contractus magis, & magis firmetur. Secundò, quià in alijs contractibus non restringitur ius conferendi arras in tali, vel tali quantitate, sed remittitur arbitrio contrahentium conferentis, si velit sub maiori, vel minori obligari, & recipientis, si velit plus, vel minus recipere, & se obligare ad maiorem, vel minorem quantitatem in causa recessus ex sui culpa, ergò non est, cur debeat restringi in hoc speciali contractu, cum iura de ipso nihil specialitèr disponant. Tertiò, quià quamvis ex dispositione iuris recipiens non obligetur, nisi in pœnam dupli, si ex ipsius culpa contractus non perficiatur, ex conuentione tamen partium potest in plus, & plus semper obligari per textum *in l. mulier C. de sponsalib., & arris*, ergò etiam ex libertate earundem partium poterunt arræ in plus, & plus semper constitui; si etenim reus potest in plus, & plus semper obligari, cur non poterit conferens plus, & plus conferre, ratione cuius recipiens ad plus, & plus semper obligetur?

Possunt contrahentes magis, & magis velle firmare.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià æquum non est, vt ingentem diuitiarum summam quis exponat periculo pro firmando contractu supra id, quod exigit idem contractus attenta qualitate personarum, & dotis, quinimmò per hoc laqueum sibi ingererent, & quodamodo adinuicem sibi necessitatem contrahendi, quod quodamodo redolet contra libertatem matrimonij, prout habetur *in d. l. mulier C. de sponsalibus, & arris* in ordine,

ad

Summa quantitas induceret quasi coactionem.

ad quod existimo eundem textum aboleuisse, ne ille, qui recepit arras teneatur solummodo vltra duplum, & ad quadruplum, nisi de hoc expressè actum fuerit. Hæc dixi de congruo.

2 *Ex iure Castella restringuntur ad decimam bonorū partem.* Villalobos. Azebedo. Gutier. Sanchez.

Assertio II. de iure Municipali Regni Castellæ arræ non possunt in quacunque quantitate constitui, sed solummodò quoad decimam partem bonorum constituentis *Villalobos in communi opin. lit. A verb. arra n. 251. Ant. Gabr. tom. 1. commun. lib. 1. verb. arra, Azabedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 1. num. 26. Gutier. de iuram. 1. part. cap. 14. nu. 13.*

Expressè habetur *in l. 1. tit. 2. de las arras lib. 3. for.*, hocque inductum asserit *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 29. n. 1.* ne mutuo se coniuges amore spolient.

3 Hic plures excitat controuersias Sanchez, quas prosequitur ab hac disp. 29. vsque ad disputationem 38. inquirens, an arræ vsque ad decimam bonorum constituentis partem restringantur ad bona præsentia dumtaxat, an verò ad futura, & possibilia extendantur, an restrictio illa ad decimam tantum partem sit intelligenda dumtaxat, quandò constituens

Rationes dubitandi circà hanc decimam bonorū partem.

habet hæredes necessarios, an etiam, quando illis caret, an hæc decima bonorum pars sit commensuranda ad bona constituentis detractis oneribus, & tributis, quæ ex bonis eiusdem soluuntur, an verò eisdem computatis, an attento valore officiorum vendibilium, quæ possidet, an verò eodem separato, an tertius promittens arras possit excedere decimam bonorum suorum partem, an si arras constituens maioratum possideat bona maioratus sint æstimanda, an in foro conscientiæ valida sit promissio arrarum vltrà decimam bonorum partem, an inualida sit arrarum constitutio vltrà decimam partem solum quoad excessum, an verò quoad omnia, an confirmetur iuramento, an minuat legitimam ascendentibus, vel descendentibus debitam, & his similia; Sed quià in primis hæc ad præsens institutum, secundum quod agere dumtaxat intendimus de ijs, quæ sunt de iure communi, vel de iure municipali huius Mediolanensis ditionis, non pertinent, & quià hæc ex professo secundum ius municipale hispanum ab eodem Sanchez discutiuntur ideò ad eundem vos remitto.



PRÆNOTIO XXV.

An in publica potestate constitutus perdat arras, quas pro matrimonio contrahendo dedit sponsæ renuenti.

SVMMARIVM.

Rationes dubitandi circa titulum. 1.

De iure ciuili fœmina, quæ contraxit cum constituto in publica potestate, potest resilire à matrimonio, & resiliendo acquirit arras, non sic de iure canonico. 2.

Hoc idem intellige, si contraxerit cum filijs, & comparticibus eiusdem publica in potestate constituti, si ille operam dederit. 3.

Nomine positi in publica potestate intelligitur, qui habet dignitatem cum iurisdictione. 4.

Ratio, ob quam de iure ciuili fœmina resiliens acquirit arras, est præsumpta coactio. 5.

De iure canonico, si fœmina resiliat, tenetur ad duplum. 6.

Finito officio, si fœmina voluerit eidem nubere vtique potest, & licitè, & validè. 7.

Fœmina in data hypothesi, si contrahat finito officio tenetur arras reddere. 8.

Si fœmina perseuerante officio volens consensit in sponsalia, & postea eodem finito nolit matrimonium contrahere, tenetur arras restituere; si verò fuit inuita ad sponsalia recedendo à matrimonio eas acquirit. 9.

Si finito officio fœmina voluerit contrahere matrimonium, & præses noluerit, illa integrè acquirit arras, 10.

EXcitatur hæc difficultas *in l. vnica C. Si rector Prouinciæ* vbi supposito casu, quod rector prouintiæ, vel proconsul, vel eorundem consiliarius contraxerit sponsalia cum fœmina, eique, vel eius parentibus, vel tutori, vel curatori contulerit arras, inquiritur non solum, an fœmina possit recedere à sponsalibus cum ipso contractis durante eius officio, sed etiam, an si recedat huiusmodi arras sibi ab eodem collatas acquirat, an verò teneatur reddere in duplum iuxta disposita *in l. mulier C. de sponsalib., & arris*, Vlterius, an si fœmina finito eorum officio velit contrahere vtique valide possit.

Sub hoc titulo plura discutientur primo, an re vera huiusmodi in publica potestate constitutus arras collatas amittat, quantumvis sine eius culpa sponsalia dissoluantur, & matrimonium non sequatur. Secundò, an hoc idem dicendum sit in ordine ad eius filios, Nepotes & propinquos, ac etiam participes, & quomodo. Tertiò quænam sit ratio huius dispositionis ex suppositione, quod arras illas collatas ammittat. Quarto, an fœmina post finitum officium possit cum illis libe- 1

Articuli examinandi.

rè

rè contrahere, & an in eo casu arras, quas receperat, teneatur restituere.

2 *Rector prouinciæ non obligat, & amittit arras.*

Assertio I. De iure ciuili fœmina, quæ contraxit cum Rectore Prouinciæ, vel alio in publica potestate constituto nedũ potest à sponsalibus, & à matrimonio contrahendo resilire, sed etiam resiliendo, si velit, acquirit arras ab eodem sibi collatas; non sic de iure canonico. Ita quoad primam partem *Glosa in d. l. vnica C. si Rector Prouinciæ* quoad secundam *Abbas super tit. de cognat. leg.* quam omnes sequuntur.

Glosa. Abbas.

Prima pars expressè colligitur ex textu *in d. l. vnica C. si rector prouinciæ*, vbi sic legitur. *Si quis in potestate publica positus &c. qui parentibus, aut tutoribus, aut curatoribus, aut ipsis, quæ matrimonium contractura sunt potest esse terribilis, arras sponsalitias dederit, iubemus, vt deinceps, siue parentes, siue eadem mutauerint voluntatem, non modo iuris laqueis liberentur, pœnaque statuta expertes sint, sed extrinsecus data pignora lucratiua habeat, si ea putent non esse reddenda.*

Secunda pars deducitur ex eo quod huiusmodi iura ciuilia sunt abolita per ius canonicum, vt refert, & testatur *Abbas in tit de cogn. leg. Glosa c. 1. 30. q. 3. Hostiensis in c. penult., & vlt. de secundis nuptijs*. Neque dicas, ius canonicum corrigere ad summum ius ciuile quoad ea, quæ pertinent ad substantiam sponsalium, & matrimonij, cum hæc potius sint iuris canonici, quam ciuilis, non quoad ea, quæ pertinent ad concomitantia, puta quoad dotem, arras, & sponsalitiam largitatem, cum hæc pertineant potius ad bona fortunæ, quæ subsunt potestati laicali, quam ad bona corporis per matrimonium, quæ ex alibi allegatis sunt iuris merè Ecclesiastici; contrà enim impugnaberis, quià huiusmodi arræ, & similia dantur in ordine ad matrimonium, quod, si de iure canonico reddatur illicitum, & iuri non consonum, concomitanter huiusmodi arræ redduntur inualidæ, vel amittuntur iuxtà eorundem iurium dispositionem, Cur autem amittantur de iure ciuili, cum dissolutio contractus ex eiusdem culpa nõ procedat, dicam infrà.

Ius canonicum quoad hoc abolet ciuile.

3 *Intelligo etiam de filijs, & compartieibus eiusdem.*

Assertio II. Non solum de iure ciuili constitutus in publica potestate non obligat fœminam ad secum contrahendum matrimonium, & amittit arras, si illa mutato consilio recedat, sed etiam eiusdem filij, Nepotes, participes, seù consiliarij, si contraxerint sponsalia datis arris, dummodo tamen idem in publica potestate eisdem operam dederit.

Colligitur expressè ex eodem textu *in l. vnica C. si Præses Prouinciæ* vbi sic legitur. *Quod, & ita latè patere volumus, vt non solum circa ea, & administrantes, sed etiam circa administrantium filios, nepotes, ac propinquos idest consiliarios, domesticosque locum habeat, quibus tamen administrator operam dederit*, vbi nota illud verbum *tamen*, quæ est particula restrictiua, seù exceptiua superiorum *l. pro herede §. quod autem ff. de acq. heredit. l. ita tamen ff. ad Trebell. l. vbi adhuc §. ita tamen C. de iur. dot. Ruinus conf. 1. nu. 22. lib. 4. Menochius conf. 146. num. 8. Vulpa de præposit., & aduerb. signif. sub hac dict. pag. 121. col. 1. Rota decis. 140. num. 4. p. 1. in posth. Farinacij.* Ex quibus deduces, quod, si ipse præses prouinciæ, vel in publica potestate constitutus operam non dederit, nec fœmina possit recedere à contractu, nec arras sibi collatas acquirere, quandoquidem hoc est speciale ius discordans ab alijs omnibus, quod propterea strictè interpretandum est, vt non egrediatur à verborum proprietate; Cum igitur solum disponat, quando Præses, seù in publica dignitate, seù potestate constitutus operam dedit, non est dispositio extendenda, quando ille operam non dedit.

Particula tamen est taxatiua. Ruinus. Menoch. Vulpa. Rota Rom.

Hic oritur difficultas, an nomine positi in publica potestate veniat ille, qui cum iurisdictione habet simul dignitatem, ratione cuius omnibus præfertur in illa Prouincia, an verò etiam ille, qui sine iurisdictione habet dignitatem. Sentio, eum dumtaxat venire, qui simul cum dignitate habet iurisdictionem, non qui dignitatem sine iurisdictione. Ratio est, quià ius huiusmodi vt pote exorbitans est strictè interpretandum vt suprà, vt non excedat verborum formam in sua stricta significatione; verba autem indicant potestatem, quæ potius importat iurisdictionem, quam dignitatem; deinde cum in eodem textu sumatur sub titulo administratoris, vtique sumitur sub ratione habentis iurisdictionem. Tandem hoc colligitur inspecto fine eiusdem iuris, qui est in ordine ad euertendum timorem respectu fœminæ, qui potius procedit à iurisdictione, quam à dignitate. 4

Debet habere iurisdictionem.

Assertio III. Ratio, ob quam ex dispositione iuris ciuilis amittuntur arræ, non solum est ob inualiditatem contractus, si fœmina voluerit, sed etiam ob præsumptam coactionem ratione potentiæ, vnde recessus quasi imputatur culpæ præsidis constituentis arras, & quodamodo in pœnam talis præsumptæ coactionis. 5

Ex præsumpta coactio.

Ratio ex eo deducitur, quià iura de aliqua re disponentia semper innituntur alicui rationi, seù iuri naturali, sed alia ratio non est assignabilis, cui innitatur ius illud tribuens fœminæ facultatem non perficiendi contractum, & acquirendi, si voluerit arras; non enim potest assignari resilientia à contractu per ipsum Præsidem, cum ipse supponatur velle contrahere; non nullitas eiusdem contractus ex parte

Non est assignabilis alia ratio. parte sui, quià ex hoc saltem sequeretur, quod fæmina non posset acquirere arras, quandoquidem ex contractu nullo nullum potest sequi ius, nullaque obligatio, seù actio, nec actiua, nec passiua. Debet igitur præsumi, quod ius disponens de illarum arrarum acquisitione innitatur illi præsumptioni coactionis, & quodamodo in pœnam eiusdem, vt deterreantur Præsides, & in publica potestate positi à sic contrahendo, & quodamodo compellendo, vt matrimonia, quantum fieri potest, sint libera iuxta exigentiam eorundem.

6 Hic oritur difficultas, an, secundum ius canonicum, secundum quod nulla habetur ratio illius implicitæ coactionis, nisi probetur, & secundum quod ex superius *Fæmina de iure canonico tenetur ad duplum.* dictis abrogantur iura ciuilia quoad hoc disponentia, fæmina, si resipiscat ab huiusmodi contractu etiam acquirat illas arras, an verò teneatur ad duplum. Sentio absolutè, re secundum se præcisè considerata, si ex propria libertate resiliat, teneri ad duplum. Ratio est, quià attento præcisè iure canonico huiusmodi contractus tenet, nec ex parte alicuius vacillat, ergò, si fæmina ex propria libertate resiliat altero permanente in contractu non erit, cur non teneatur ad pœnam dupli secundum dispositionem iuris *in l. mulier C. de sponsalib., & arris*, in tantum enim textus *in d. l. vnica C. si rector Prouinciæ* disponit de acquisitione arrarum in huiusmodi contractibus in fauorem fæminæ, in quantum innititur præsumptioni, quod ille cótractus sit nullus defectu plenæ libertatis in fæmina, & in pœnam ademptæ libertatis statuit illam arrarum amissionem respectu conferentis. Cum igitur secundum *In iure canonico non præsumitur coactio.* ius canonicum non præsumatur illa negatio plenæ libertatis, nisi probetur, per consequens in eodem, seù secundum idem debet contractus regulari ad normam contractus validi, de quo propterea militat dispositio *l. mulier C. de sponsal, & arris*. Verum tamen est, quod, si fæmina tunc resiliret à contractu allegads suspicionem mali exitus ex nimia potentia Præsidis, seù in potestate publica positi, & hæc non esset improbabilis, non esset rationabiliter damnanda in pœnam illam dupli, cum facilè à pœnis ex causis non improbabiliter absoluamur.

7 Assertio IV. Finito officio, si fæmina voluerit eidem nubere, vtique potest, & licitè, & validè.

Colligitur expressè ex dicto textu *in l. vnica C. si Rector Prouinciæ*, vbi sic legitur. *Impleri autem id postea matrimonium non vetamus, quod tempore potestatis ob eas personas, de quibus locuti sumus, arris fuerat obligatum, si sponsarum consensus accedat*; nec incon- *Tunc cessat præsumptio coactionis.* grua ratione hoc decernitur, quandoquidem tunc deficiente potestate in præside cessat quæcunque præsumptio coactionis.

Hic duplex potissimum insurgit ratio dubitandi. Prima, an si fæmina, quæ à Præside, vel à communicantibus cum ipso contractis sponsalibus arras recipit, & *Rationes varia dubitandi.* durante potestate noluit contrahere, in qua hypothesi diximus, si voluerit, arras acquirere, si postea finito officio statuat contrahere teneatur arras, quas receperat restituere, an verò, vt plenè acquisitas possit retinere. Secunda, an si Præses, vel communicantes cum ipso durante officio contractis sponsalibus arras contulerint, & fæmina durante eo officio noluerit contrahere, prout dispositum est *in d. l. vnica C. si Rector Prouinciæ* teneatur postea eo finito, si fæmina voluerit, ex vi prioris largitatis cum eadem contrahere, an verò ea volente possit ipse nolle.

Ad primam. Respondeo cum *Glosa in hac l. vnica verbo postea C. si Rector Prouinciæ* *Rector Prouinciæ potest sponsalia contrahere, sed nō ducere vxorem.* supponendo *ex l. si quis officium § fin. ff. de ritu nupt.* Rectorem Prouinciæ, quem regit posse sponsalia contrahere, sed non ducere vxorem perseuerante eodem officio per textum *in l. eos qui ff. eod. tit.*, & successiuè distinctione vtendo; vel enim fæmina, quæ ab eodem durante officio arras receperat consensit volens, & liberè in sponsalia cum eodem, vel cum participantibus cum illo, vel coacta, & quasi inuita, Iuxta vtrumque membrum distinctionis existimo eodem modo discurrendum esse, quo de cæteris arris datis, & perceptis inter personas habiles in ordine ad contrahendum matrimonium eo contracto, & completo, vnde si in alijs completo matrimonio sunt restituendæ, erunt etiam restituendæ in hac hypothesi, si retineri possunt durante matrimonio 8 in alijs, poterunt etiam in hoc retineri, de qua re dicemus infra. Ratio est, quià, ex quo posteà fæmina finito officio Præsidis, vel aliorum communicantium cum ipso liberè contraxit, vel contrahere voluit matrimonium, adimpleuit finem, ob quem datæ fuerint huiusmodi arræ, & quodamodo contrahendo reuocauit illam voluntatem, secundum quam durante officio erat *Contrahendo voluntatem retractauit.* secundum quid inuita, & facta est liberè volens; per illam autem retractationem voluntatis ius quodamodo deposuit, quod acquisierat ex hac *l. vnica C. si Rector Prouinciæ*, ergò perinde in hac hypothesi sentiendum est, ac in alijs matrimonijs in ordine ad arras, quæ liberè sunt constituta, cessante etenim officio nullum est ius prohibens inter has personas matrimonium, & arræ datæ sunt in ordine ad matrimonium contrahendum post finitum officium, cum ex dispositione huius iuris, *& l. eos, qui ff. de rit. nupt.* non possit contrahi eo durante.

Hic

Hic alia media suboritur difficultas, an, si contractis sponsalibus per Præsidem cum fæmina, & per eundem collatis arris perseuerante officio, eoque finito fæmina noluerit contrahere matrimonium, cum tamen antecedenter in proposito persliterit, teneatur arras restituere, an verò possit retinere. Eadem distinctione vtendum existimo, vel etenim liberè volens consensit in sponsalia, vel coactè contraxit; iuxtà primum tenetur arras restituere per textum *in d. l. si quis officium §. fin. ff. de ritu nupt.*, & per Glosam *in d. l. vnica verbo postea in fine C. si Rector Prouinciæ*; Iuxta secundum certè non tenetur reddere per hunc textum *in l. vnica C. si Rector Prouinciæ*.

9 *Si volens consensit sponsalibus restituit, secus si coacta.*

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià tunc ex propria causa à matrimonio contrahendo fæmina recedit nullo iure eidem suffragante, nec assistente eidem defficientia deliberati consensus, cũ supponatur liberè voluisse sponsalia, nec ius obsistit contractui, nisi perseuerante officio. Ratio secundæ partis, quià tunc acquirit huiusmodi arras, quasi in pœnam coactionis per disposita in hoc textu.

10 Ad secundam assero, quod, si fæmina finito officio voluerit posteà contrahere, & Præses, & alij communicantes cum ipso noluerint, acquirat eadem plenè easdem arras. Ratio est, quià durante officio non potest fæmina obligari ad contrahendum matrimonium obstante iure in *d. l. vnica C. si Rector Prouinciæ*, eoque finito eidem fæminæ liberum est contrahere, ergò, si finito officio ipsa voluerit contrahere, & præses, & commmunicantes cum ipso noluerint, non erit, cur eadem fæmina non acquirat integrè sponsalitias arras, cum præcipuè hoc ius sit in fauorem fæminæ, quæ alterum sibi obligat, non se alteri, si noluerit.

Nolente Præside contrahere sponsa acquirit arras,

PRÆNOTIO XXVI.

An arræ secuto matrimonio sint restituendæ, an verò fiant recipientis.

SVMMARIVM.

Sententia asserens subsecuto matrimonio arras acquiri recipienti, eiusque fundamentum. 1.

Completo matrimonio arra sunt restituenda conferenti. 2.

Ex conuentione partium potest id, quod datum est pro arris etiam completo matrimonio fieri recipientis. 3.

Facta suppositione, quod arra transeant completo contractu in donationem propter nuptias de iure communi restituenda sunt conferenti, non sic de iure hispano. 4.

Excitat hanc diffiultatem *Hostiensis in c. Gemma de sponsalib. ad finem*, & *ibi Henricus nu. 9.* vbi videntur concludere recipientem subsecuto matrimonio easdem sibi comparare, quod non alia ratione existimo, huiusmodi DD. asserere, nisi quià fortè arbitrantur id, quod datur in securitatem contractus duplicem quasi rationem ex voluntate contrahentium induere, alteram vt se habeant per modum pignoris ad effectum obligandi ad complementum contractus, adeo vt, si ex culpa recipientis non perficiatur reddatur duplum, si ex culpa conferentis non restituatur, sed plenè acquiratur recipienti, alteram, qua supposito complemento contractus cedat quodamodò in fauorem recipientis perindè, ac si esset donatio proptèr nuptias; non enim, quod datum est ad firmandum contractum eo firmato censetur desinere, Nihilominus sit 1

Hostiensis. Henricus.

Sententia asserens acquiri recipienti.

Assertio I. Spectata præcisè natura arrarum completo matrimonio ipsæ sunt restituendæ conferenti, nec vlla ratione fiunt recipientis. *Abbas in d. c. gemma. nu. 7. de sponsalibus*, & *ibi Alexander de Neuo n. 27. Præpositus num. 6. Angelus verb. sponsalia num 17. Siluester eod. verb. qu. 9. dict. 4. Couaruuias quarto decret. secunda part. c. 3. §. 7. n. 11. Ludouicus Lopez secunda part, instruct. de matrim. c. 36. ad fin.* 2

Restituuntur conferenti. Abbas. Alexander de Neuo. Præpositus. Angelus. Siluester. Coaruuias. Lopez.

Ratio ex ijs deducitur, quæ habentur *in d. l. arris*, & *l. mulier de sponsal.*, & *arris*, vbi huiusmodi arræ appellantur pignora, & signa in securitatem contractus; sed quæ dantur tanquã pignora, & signa in securitatem contractuum eisdem contractibus adimpletis transeunt pleno iure ad conferentem, vt videre est in pignoribus traditis in contractibus venditionis, quæ certè amitrit iniustè resiliens, & venditione celebrata recuperat, qui eadem tradidit, quod inductione fit euidens in alijs omnibus, nec ex dispositione iuris aliquid speciale statuitur circa huiusmodi arras, quæ traduntur pro matrimonio contrahendo, ergò paritate seruata cum cæteris omnibus huiusmodi arræ completo matrimonio erunt tradenti restituendæ.

Completo cõtractu pignora restituuntur.

Nec vim aliquam aduersus hic dicta conferre potest illa secunda ratio gratis omnino excogitata, quod scilicet arræ completo matrimonio transeant in donationem proptèr nuptias: quandòquidem, vt præfertur, omninò gratis, & sine iuris fundamento est excogitata non enim est inducta ex dispositione iuris, cum de hoc iure nullibi constet, nec ex partium conuentione, cum de eo iure nihil inter ipsos fuerit actum, vndè meritò dixi in assertione, *spectata præcisè natura arrarum*.

Completo matrimonio nõ transeunt in donationem propter nuptias.

Assertio II. Ex conuentione partium potest

potest id, quod datum est pro arris etiam subsecuto matrimonio fieri recipientis, & non redire ad conferentem. Est communis.

Ratio ex eo deducitur, quià nulla est repugnantia in iure, quin celebratis sponsalibus possint constitui donationes proptè nuptias, quinimmò de iure communi huiusmodi constitutio erat necessaria *per auth. dos data, & auth. æqualitas C. de donationib. ante nuptias*, modo tamen ex contraria consuetudine reducta est ad arbitrium ipsorum contrahentium, ergò nulla etiam erit repugnantia, quin id, quod principalitèr datum est pro arris in securitatem contractus, obligatione subsequenti, & contraria ex conuentione contrahentium subsecuto matrimonio cedat pro donationibus propter nuptias; sicuti enim liberum est contrahentibus quoad substantiam constituere, vel non constituere huiusmodi donationes, ità non potest non esse liberum eisdem constituere, vel in hac, vel in illa re, vel absolutè, vel conditionatè, & per consequens pro eisdem substituere vel rem omninò liberam, vel cadentem sub alia obligatione, cessante posteà tali obligatione in huiusmodi re; Neque ex eo, quod datæ fuerint arræ, sequitur, quod non possint constitui donationes proptèr nuptias; non sequitur, inquam, quià huiusmodi constitutiones fiunt in ordine ad diuersos fines, & effectus, & vna & eadem res, quæ ex vno fine obligata est, potest cessante fine, & priori obligatione cedere sub aliam obligationem ex diuerso fine, & ad diuersum effectum.

Quod datū est sub vno titulo potest eo completo transire in alium titulum.

4 Hic oritur difficultas, an facta tali conuentione, quod subsecuto matrimonio arræ cedant pro donationibus proptèr nuptias, si matrimonium re vera fuerit subsecutum, & posteà fuerit dissolutum ex obitu illius, qui constituerat huiusmodi arras, & donationes proptèr nuptias teneatur fæmina, quæ eas recepit, si transeat ad secundas nuptias, eas reseruare filijs prioris matrimonij, an verò possit de eisdem plenè disponere. Dirimenda hæc controuersia est, vel inspecto iure communi, vel municipali aliquarum regionum, secundum quod diuersæ sunt dispositiones in hoc genere, & partim ex superius dictis, dum de donationibus proptèr nuptias, partim ex infrà dicendis, dum de disquisitionibus ad hanc materiam pertinentibus, regenda res est, ad quæ vos remitto.

De iure communi sunt restituenda conferenti, non sic de iure hispano.

Maior difficultas est, quomodo in hac hypothesi possit subsistere huiusmodi donatio, cum tantum vim habere possit constante, seù iam contracto matrimonio, quandòquidem antecedentèr ad illud haberet præcisè vim arrarum; donationes autem inter coniuges constante matrimonio omni iure sunt prohibitæ per textus *in l. 1. 2. 3. & 4. ff. de donat. inter vir. & vxor. & in l. cum hic status ff. eod.* vndè nos etiam documus *tom. 4. sub tit. Contractu XI. de pign. & hypoth prænot. 5. sect. 3. n. 21.* quod augmentum dotis factum à marito ante matrimonium futuræ vxori ea adiecta conditione, vt tantum valeat talis collatio augmenti, quandò verè fuerit contractum matrimonium, non teneat, sed adhuc celebrato matrimonio possit reuocari, *Castrensis in l. 1. & in l. 4. de donat. ante nupt. Menochius de præsumption. lib. 3. præsumption. 12. num. 2. Sanchez lib. 6. disp. 7. num. 8. Ioannes Angelus Bossius de dot. c. 8. num. 21.* Sed hanc etiam difficultatem latè iam diluimus per ea, quæ superius dicta sunt, ad quæ propterea vos remitto. Vndè ad ea, quæ dicuntur de augmento dicendum est disparem esse rationem, quià illud supponitur omninò liberè factum, huiusmodi autem donationes proptèr nuptias supponuntur esse remuneratoriæ.

Donationes propter nuptias possunt fieri etiam constante matrimonio

Castrensis. Menochius Sanchez. Bossius.

PRÆNOTIO XXVII.

An possint esse arræ ex vtraque parte, & quid tunc sentiendum.

SVMMARIVM.

Exponitur status difficultatis. 1.
Possunt arræ reciprocè conferri. 2.
Si arræ fuerint æquales ex parte vtriusque vno iniustè recedente alter non solum recipit, quod tradidit, & vlterius simplum, sed etiam acquirit, quod sibi traditum est. 3.
Si arræ fuerint inæquales, & qui minorem contulit iniustè recedit, tenetur non solum perdere, quod contulit, sed etiam restituere, quod recepit, & vlterius simplum æquale ei, quod recepit. 4.

Sensus difficultatis hic est. Contractis adinuicem sponsalibus inter Meuiū, & Caiam contulit hic arras in summa centum aureorum eidem Caiæ, quæ vice versa pro arris contulit eidem Meuio ducentum nummos aureos præter dotem conuentam. Hic multiplex oritur articulus examinandus. Primus, an reciprocè arræ possint inter sponsos constitui. Secundus, an si quis ex illis iniustè resiliat restituat, quod recepit, & perdat, quod contulit. Tertius, cum arrarum constitutio sit inæqualis, an altero iniustè resiliente facienda sit restitutio præcisè recepti, cum amissione eius, quod contulit, an verò restitutio facienda sit ad æqualitatem supplendo id, quod deficit comparatiuè ad maiorem quantitatem arrarum per alterum collatarum. 1

Series facti in terminis particularibus.

Assertio I. Nulla est, in iure repugnantia, quin 2

Possunt arra esse reciproca. Dinus. Sanchez.

quin arræ per contrahentes possint reciprocè conferri *Dinus in l fin. C. de sponsalib. & arris Sanchez lib. 1. de sponsalib. disput. 36. num. 9.*, qui dum inquirit, quando vterque arras dedit, an, si alter iniustè resiliat perdar, quas recepit, & tradidit, & restituat, quas recepit, vtique supponit vtrumque posse conferre.

Ratio ex eo deducitur, quià in contractibus ex vtraque parte obligatorijs, & onerosis potest vterque securitatem sibi inquirere maiorem, & maiorem, & cum ius conferendi arras non sit potius pro vna, quam pro altera parte, non est, cur vterque non possit conferre, nec finis, ob quem huiusmodi arræ conceduntur, frustratur ex eo, quod vterque conferat, ergò non est, cur huiusmodi arræ non possint reciprocè conferri. Confirmatur primò, quià celebratis sponsalibus, & per vnum ex contrahentibus collatis arris potest alter ex interuallo, & successiuè arras conferre ad magis propriam, & alterius fidem confirmandam, ergò vterque æquè primò in celebratione contractus potest conferre. Consequentia tenet, quià perseuerante contractu, quod successiuè potest adijci, potest æquè primò apponi, cum contractus ex genere suo quoad adiecienda non exigat successionem. Antecedens probatur, quià, si vnus potest velle, seù potuit voluisse iustè firmare contractum in ordine ad alterius fidem, cur alter non poterit eundem firmare in ordine ad fidẽ illius. Confirmatur secundò, quià constitutis per vnum arris in celebratione contractus sponsalium possunt eædem per eundem magis, & magis augeri per ea, quæ superius notata sunt, & docent *Hostiensis in summa tit. de sponsalib. §. 1. nu. 2. Cardinal. cap. Gemma num. 2. de sponsalib. Baldus in l fin. num. 8. C. de sponsalib. Angelus l. Titia in princip. nu. 2. ff. de verb. oblig. Tabiena verb. sponsalia q. 8. nu. 9. in princip. Coaruuias quarto decret. secunda part. cap. 3. §. 7. nu. 9. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. cap. 36. ad fin.*, ergò etiam constitutis per alterum arris poterunt etiam per alterum constitui. Consequentia probatur, quià arræ non constituuntur potius in vnius fauorem, quam alterius, cum liberum sit vtrique constituere, ergò, si vnus potest semper, & semper augere, poterit alter constitutis per vnum arris pro se ipso in ea quantitate, qua voluerit altero consentiente constituere, nam per hoc, si alter recedat, potest non solum velle acquisitionem arrarum per alterum constitutarum, sed etiam ea, quæ per ipsum sunt tradita. Confirmatur tertiò. In cæteris cõtractibus constitutis etiam fideiussoribus possunt addi pignora pro eorum firmitate, vt est in confesso apud omnes, cum creditor possit velle omnibus modis fieri cautus, & tutus, ergò etiam in hoc contractu possunt pignora, & fideiussores adijci, ergò vltra pignora per alterum tradita per arras poterunt etiam tradi pignora per alterum; si enim vnus vltra pignora potest velle fideiussores, cur alter præter pignora sibi ab altero collata non poterit conferre etiam pignus, cum hoc cedat etiam in maiorem securitatem sui ipsius?

Potest vtraque pars velle magis, & magis fieri tuta.

Possunt arra magis, & magis augeri.

Possunt simul adijci fideiussores, & pignora.

Assertio II. Si arræ fuerint æquales ex parte vtriusque reo iniustè recedente alter non solum recipit, quod tradidit, & vlterius simplum, sed etiam acquirit, quod sibi traditum est; Ita aduersus *Dinum in d. l fin. C. de sponsalib., & arris, Sanchez lib. 1. de sponsalib. disp. 36. num. 9.* 3

Recuperat, quod tradidit, & simplum, & nil reddit.

Ratio ex eo deducitur, quià in hac suppositione duplex interuenit contractus, alter, quo alteri arras confert, alter, quo easdem recipit, ergò, si ipse iniustè resiliat à contractu intuitu contractus, quo ipse recepit arras, tenebitur easdem restituere cum simplo, ratione alterius contractus, quo ipse tradidit, non poterit datum repetere. Neque obesse potest, si asseratur, quod vbi aliter expressè actum non fuerit inter contrahentes pæna dupli quoad delinquentem non potest excedi per *d. l. fin. C. de sponsalib., & arris*: excederetur autem in hac hypothesi sine vlla expressa conuentione, si vltra id, quod contulit, & amittit, teneretur adhuc duplum conferre; Non, inquam, obesse potest, quià duplex ille contractus, de quo dicitur in instantia, exigit diuersam dispositionem, & ex illa diuersitate contractus, arguitur etiam diuersa intentio contrahentium ad quid amplius obligandi, quam ad pænam dupli; ad quid etenim vterque arras conferret, si ille, qui prius recepit, vel simul, recedendo non solum teneretur receptum restituere, sed etiam simplum? Certa illa mutua collatio non haberet maiorem effectum, vt per se patet, nec ad quid magis obligaret; si enim, qui recepit, & non tradidit iniustè recedendo teneretur restituere acceptum, & simul tradere simplum, & ille, qui recepit, & tradidit teneretur solummodo collatum perdere, & quod recipit restituere, perinde esset, ac si tantum recepisset, & per consequens alter innocens, qui ad finem maioris firmitatis contulit, solum illud acquireret, quod acquisiuisset, si non contulisset.

Esset ex vi duplicis contractus.

Ratio secundò ex eo deduci potest, quod supra dictum est in prima assertione, quià scilicet illa collatio arrarum, quam vnusquisque ex contrahentibus præstat, debet aliquid in ipsius vtilitatem operari distinctum à simplici receptione; ad quid enim conferret, si illa collatio, quam ipse præstat maius ius ipsi non tribueret?

Vtraque collatio debet aliquid distinctè operari.

Sed

Sed nullum effectum præstaret, si qui recepit, & iniustè resilit, teneretur tantum restituere, quod recepit, & amittere, quod tradidit, siquidem ad tantum etiam teneretur, si ille alter non tradidisset, quandoquidem deberet cum eo, quod recepit, restituere simplum, ergò &c.

4 *Reddit simplum ad aequalitatem eius, quod recepit.*

Assertio III. Si arræ fuerint inæquales, & qui minorem contulit iniustè resiliat à contractu, tenetur non solum perdere, quod contulit, sed etiam restituere, quod recepit, & vlterius simplum non simpliciter ad æqualitatem eius, quod contulit, sed ad æqualitatem eius, quod recepit. Est conclusio consequens ad superius dicta.

Ratio ex eo deducitur, quià ex genere suo, qui recepit arras ad firmitatem contractus, & iniustè resilit, tenetur ad pænam dupli scilicet ad receptum restituendum, & vlterius ad simplum æquale recepto, vlterius qui tradidit, & iniustè resilit amittit traditum; Sed in hac hypothesi ille, qui iniustè resilit, & recepit simul, & tradidit, ergò, quatenus recepit, tenetur acceptum reddere cum simplo ad æqualitatem eius, quod recepit, quatenus tradidit, tenetur receptum perdere. Fundamentum principale huius assertionis desumitur *ex d. l. mulier C. de sponsalib., & arris*, vbi, quantumvis contra receptorem delinquentem præscribatur præcisè pæna dupli, remittitur tamen arbitrio contrahentium, si ità conuenerit, ad augendam magis talem pænam vsque ad quadruplum; ex eo autem, quod vterque contrahens simul, vel successiuè contulerit arras, videtur vnusquisque voluisse alterius pænam augere, si iniustè resilierit, ad quid enim vterque conferre, si id tantum acquireret, ac si vnus tantum contulisset?

Possunt contrahentes augere pænā ad quadruplum.

Ex dictis inferes, quod, si ille, qui tradidit arras in minori quantitate, resiliat iniustè à contractu non solum teneatur acceptum restituere, & traditum non repetere, sed etiam simplum restituere æqualitèr non ad id, quod tradidit, sed ad id, quod recepit, vt patet ex mox dictis seruata proportione.

PRÆNOTIO XXVIII.

An Pater promittens alteri matrimonium filiæ, & tradens arras, easdem amittat, si filia nolit tali matrimonio assentiri.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ. 1.
Sententia asserens Patrem amittere arras, quantumvis fecerit, quod potuit. 2.
Pater, si fecerit, quantum potuit, eximitur à pæna iuris. 3.
Promittens factum alienum eximitur à pæna, si fecerit, quod potuit. 4.

1 Certum est ex superius dictis, nec filiū, nec filiam familias in ijs, quæ pertinent ad substantiam matrimonij, dependere ex necessitate, sed tantum ex quadam honestate à voluntate parentū, cum in ijs ex libertate sibi indita à natura sint absolutè sui iuris. Quamvis autem ità sint secundum se independentes, regularitèr tamen Parentes constituunt matrimonia, seù sponsalia pro filijs, à quibus filij non dissentiunt. Demus iam, quod Pater promiserit matrimonium filiæ cuidam sponso, cui, vel primo assenserit filia, & posteà dissentiat, vel nullo antecedenter præstito consensu, sed habita cognitione sponsionis factæ per Patrem immediatè dissentiat, & non obstantibus iteratis Patris suasionibus nunquam acquiescat. Demus insuper, quod Pater præstita sponsione nuptiarum filiæ cum tali sponso eidem contulerit arras in securitatem contractus; modo iam quæritur, an renuente filia executioni talis matrimonij per Patrem promissi idem Pater arras, quas contulerit, amittat.

Status difficultatis expositus.

2 Nonnulli apud *Sanchez lib. 1. de sponsalibus disp. 36. num. 12.* inter quos *Gregorius Lopez l. 84. tit. 12. part. 3. Iason, & Aretin. apud eundem* sustinent Patrem in ea hypothesi, quantumvis præstiterit, quod in se est pro complemento contractus promissi, absolutè arras amittere, vel ex eo, quod promittens factum alienum non eximatur à pæna, licet faciat, quod in se est, vel ex eo, quod facilis posset dari collatio in præiudicium sponsi promissarij, siquidem possent adinuicem conuenire Pater, & filia, vt eadem assereret Patrem fecisse, quantum potuit, cum tamen non fecerit. Nihilominus sit

Gregorius Lopez. Iason. Aretin. Fundamenta asserentiū Patrem amittere.

3 Assertio. Pater in ea hypothesi, si fecerit, quantum potuit ad effectum complendi contractum promissum, & filia renuerit complemento, eximitur à pæna arrarum, quas contulit, amittendarum. *Socin. Sen. cons. 3. num. 9. vol. 1. Bartolus in l. continuus § istud ff. de verb. oblig. Antonius cap. Gemma nu. 7 in fin. de sponsalib. Rosella verb. sponsalia nu. 7. Angelus eod. verb num. 14. Silvester ibid. quæst. 8. d. 1. Brunellus de sponsalib. concl. 16. nu. 6. Gutierez de iuram. 1. part. cap. 44. n. 3. Molina tom. 2. de iust. tract 2. disp. 167. vers. quod si is.*

Eximitur à pæna iuris.

Socin. Sen. Bartolus. Antonius. Rosella. Angelus. Siluester. Brunellus. Gutierez. Molina.

Ratio ex eo deduci potest, quià impossibilitas in facti obligatione excusat à quacunque pæna per textum *in l. fin. § idem iuris ff. ad l. Rhod. de iact., & in l. 2. ff. si quis caut.* sed in data hypothesi assertionis re vera est impossibilitas respectu Patris ad perficiendum contractum, quem ipse assumpsit in obligatione, quandoquidem

Impossibilitas excusat à pœna.

adimpletis ijs omnibus, quæ intra limites non coactionis præstare potuit, si fortiora remedia adigeret, adimeret libertatem ad matrimonium requisitam, ergò non est, cur non eximatur à pœna. Confirmatur, quia in ea hypothesi Pater, si præstiterit, quæ licitè potuit, eximitur à culpa non adimplementi contractus, nam promittendo semper præsumitur promisisse id, quod in se est, seù totum id, quod licitè potest ipse exibere, non enim præsumitur voluisse alterius libertatem absolutè obligare, cum hoc non sit in eius potestate, & per consequens, si fecit, quod licitè potuit, non est in culpa, ergò etiam eximitur à quacunq; pœna propter nõ adimplementũ eiusdem, cum non fiet pœna sine culpa.

Promisit, quod in se est.

Dices ex eo, quod Pater in promissione matrimonij filiæ contulerit arras, videtur innuisse promissario se habere in potestate libertatem filiæ in ordine ad hunc effectum, quam propterea, si non habuerit, est in culpa deceptionis, cui proinde subest illa pœna amissionis arrarum. Sed contra, dato etiam, quod pro tempore promissionis, & collationis arrarum habuerit in potestate libertatem filiæ, quatenus eadem filia eidem contulerit pro eo tempore consensum, non propterea sequitur, quod Pater subsit pœnæ amissionis arrarum, si illa postea à promissione, seù à cõsensu resilierit, dummodo ipse, quantum potuit, eandem remouere à dissensu conatus fuerit, quia ea, quæ pendent ab alterius arbitrio, non inferunt culpam respectu alterius promittentis. Quod, si instes, quod, si quis adiectus fuerit tanquam fideiussor in contractu, quem alter inijt, & hic posteà iniustè recesserit à contractu, adhuc fideiussor remaneat obligatus, adeoque etiam, quod in hac hypothesi, secundum quam Pater addidit arras in securitatem contractus, quem pro filia annuente inijt, remaneat quoad easdem obligatus, si posteà filia à contractu, cui prius annuit, iniustè resiliat, quandoquidem arræ æquiualent fideiussori; statim impugnaberis, quià dispar omninò est ratio de fideiussore, ac de appositione arrarũ, si loquamur de fideiussore adiecto spõsalibus. Ratio diuersitatis in eo cõsistit, quod fideiussor non obligatur ad aliquam pœnã, sed ad summum ad interesse *Hostiensis in summa tit de sponsalib.* §.1. *num.2 in fin. Alexander de Neuo cap. Gemma num.31. de sponsalibus*, sicque principali recedente ipse non remanet obligatus, nisi in subsidium ad idem interesse; collator autem arrarum obligatus ad amissionem ipsarum, quasi in pœnam, non ad id, quod pertinet ad interesse, & per consequens, si non fuerit in culpa non tenetur eandem subire. Deinde fideiussor accedit nomine principalis, & pro eo, ad quod principalis solummodo se obligat, collator autem arrarum obligat se nomine proprio, adeoque in primo casu fideiussoris recedente principali iniustè ipse fideiussor remanet obligatus in defectum ipsius, collator autem arrarum pro alio, cum se obliget nomine proprio, & per consequens solummodo pro eo, quod ipse potest, recedente altero, intuitu cuius arras contulit, si fecerit, quod potuit, ne ille recedat, non est, cur remanere debeat obligatus. Deinde etiam, si pro tempore promissionis, & collationis arrarum non habuerit in potestate libertatem filiæ, nihilominus non potest dici, quod deceperit, & per consequens in pœnam deceptionis illas arras amittat, quià, cum sit Pater, & regulariter filij, quamvis non ex necessitate, ex honestate tamen dependeant à voluntate parentum in ijs etiam, quæ pertinent ad matrimonium, videtur solum promisisse, secundum quod solent, & possunt præstare parentes, vnde dici non potest decepisse, si filia ex libertate sibi à natura indita à regulari cursu, secundum quum parentibus filij obediunt, recedat; adeoque non est, cur debeat subesse pœnæ, cum nulla culpa afficiatur.

Discrimen inter fideiussorem, & collatorem arrarum. Alexander de Neuo. Hostiensis.

Non potest dici, quod deceperit.

Dices secundò, cum sit Pater, qui filiæ matrimonium promisit, & contulit arras, videtur contulisse nomine eiusdem filiæ, ergò eadem recedente à contractu per se inito arras collatas non poterit recuperare. Sed contrà, quià cum contulerit pro matrimonio ineundo, si filia non consensit in matrimonium, neque videtur consensisse in collationem arrarũ, adeoq; nomine ipsius non intelliguntur collatæ. Deindè, quamvis etiam contulisset nomine filiæ, non contulisset tamen absolutè, sed sub conditione, si illa non renuerit complemento contractus, & non aliter, nec alio modo. Tandem gratis omninò dicitur, quod contulerit nomine filiæ quasi eadem sic petente, & exigente, vt per se patet, licet dici possit, quod contulerit intuitu filię, ex propria tamen libertate.

Non contulit absolutè, sed conditionatè.

4 Nunc ad ea, quæ ex aduerso dicebantur, respondendum est, & quidem ad primum, falsum est promittentem factum alienum obligari etiam ad pœnam, si effecerit, quantum sibi possibile fuit, vt promissum compleretur per ea, quæ docent *D. Thomas in 4. dist. 29. q. vnico art. 4. ad tertium*, *D. Bonauentura ibid. q.3. in fin. D. Antoninus 3. parte tit. 1. c.18. ante* §.1. *vers item qui contraxerunt, Sotus in 4. dist. 29 quæst.1. art 4. ad tertium, Corduba in summa q. 171. punct.* 1. *Coaruuias de pact. 2. part.* §.5. *n.1.*, nam sensus spondentis factum alienum est se facturum, & curaturum, vt alter, cuius factum promisit, adimpleat, quod si præstiterit per debitam, & congruam diligentiam, & per media iuri consona, nec alter velit

Promittens factum alienum non tenetur ad impossibile. D.Thomas D.Bonau. D.Anton. Sotus. Cordub. Coaruuias

velit adimplere, eximitur à quacunque culpa, cum adimpleuerit, quod promisit, adeoque non est, cur debeat pænæ subiacere.

Sanchez. Ad secundum respondet *Sanchez d. lib. 1. de sponsalib. disp. 36. n. 13. in fin.* in pænæ promissione locum habere posse eam collationem, de qua dicitur in obiectione. Deindè non est præsumenda illa collatio supposita præstatione arrarum, nisi probetur.

PRÆNOTIO XXIX.

An traditio arrarum sufficientèr probetur per solam confessionem recipientis.

SVMMARIVM.

Arra debent actualitèr, & in effectu tradi. 1.
Actualis traditio arrarum sufficientèr probatur per solam confessionem recipientis. 2.
Illa confessio non potest dici inter personas suspectas. 3.
Nec de re illicita. 4.

1 *Requiritur actualis traditio.* QVamuis aliqui docuerint non esse de necessitate arrarum, vt actualitèr tradantur, sed sufficere, si promittantur, vt *Glosa cap. accedens verb. libera de procurat. Ioannes Lupus rub. de donat. inter virum, & vxorem §. 2. nu. 2. in fin.* certius tamen est requiri actualem earundem traditionem, *Antonius c. gemma n. 8. de sponsalib., & ibi Cardin. n. 2. Ancharanus num. 10. Abbas n. 8. Bartolus l. Titia in princip. n. 6. ff. de verb. oblig. Baldus in l. fin. n. 7. C. de sponsalib. Tiraquel. de vtroque retract. lib. 2. §. 7. nu. 55. Brunellus de sponsalib. concl. 16. nu. 3. Couarruuias 4. decret. 1. part. c. 3. num. 7.*, quià iura loquuntur de receptione, *si arras acceperit*, quæ indicat actualem traditionem, vt per se patet. Retenta igitur pro nunc tali opinione necessitatis actualis traditionis procedimus ad inquirendum, an huiusmodi actualis traditio sufficientèr probetur per confessionem recipientis. (Antonius. Cardinalis. Ancharan. Abbas. Bartolus. &c.)

2 *Sola confessio recipientis sufficit.* Assertio. Actualis traditio arrarum sufficientèr probatur per solam confessionem recipientis, *Bartolus in l. Titia in princip. nu. 7. ff. de verb. obligat. Salicetus in l. fin. C. de sponsalib. num. 4. Couarruuias quarto decret. part. 2. c. 3. §. 7. num. 10. Antonius Cucus lib. 5. instit. maior. tit. 12. num. 206. Ludouicus Lopez secunda part. instruct. de matrim. c. 36. ad fin.* (Bartolus. Salicetus. Coaruuias. Cucus. Lopez.)


Ratio ex eo deducitur, quia cum ex genere suo arræ propriæ non constituantur, nisi per actualem traditionem non potest esse præsumptio, quod talis recipientis confessio facta fuerit sub spe futuræ numerationis, cum hoc sit præter rationem talis contractus, nec quod facta fuerit animo donandi, nam vbi agitur de eo, quod potest pænam inferre, non potest esse præsumptio donationis. Accedit, quod cum talis confessio sit noxia ipsi confitenti, non præsumitur facta sine receptione, nec æquè censeri potest, vt in casu; quo ipse recederet, vellet subesse restitutioni eius, quod non recepit, & solutioni simpli.

Neque obesse potest, si asseratur primo, quod cum illa confessio sit inter personas suspectas præsumatur ficta, & simulata, adeoque, quod non probet; Non, inquam obesse potest, quià non potest esse rationabilis suspicio, quod quis in contractu cum alio licito, & à iure permisso velit sibi imponere onus restitutionis eius, quod non recepit confitendo se recepisse, vndè quoad hoc non possunt dici personæ suspectæ. 3 *Cessat suspicio ex eo, quod contra se fateatur.*

Neque potest obesse secundò, si asseratur talem confessionem esse rei illicitæ; Non, inquam, obesse potest, quià iura non prohibent huiusmodi arrarum traditionem, adeoque nec confessionem receptionis, vnusquisque etenim licitè potest fateri id, quod re vera recepit, vndè optimè ait, *Couarruuias 4. decret. part. 2. c. 3. §. 7. num. 10.*, quod arræ, si tradantur permittuntur in hoc contractu, promissæ verò excluduntur, quod idem sentiunt *Bartolus, Angelus, Immola, & Paulus in d. l. Titia ff. de verb. obligat. Socin. cons. 3. vol. 1.* 4 *Non est de re illicita.* (Coaruuias. Bartolus. Angelus. Immola.)

Confirmari potest assertio, *& l. Publia §. fin. ff. depositi*, vbi dicitur, quod super hac traditione standū sit confessioni illius, qui asserit, se arras recepisse, interim dum contrarium probatur.

Multa congerit Ioannes Angelus Bossius de huiusmodi confessione in ordine ad dotem confessatam, hocque præstat *cap. 10.* per plurimas difficultates, quas ibi excitat; sed quià, vel est diuersa ratio in huiusmodi arrarum receptionis confessione, vel quià de tali dotis confessione erit alibi sermo vberrimus, ideò in præsenti ab ijs abstineo, vosque ad eundem pro nunc remitto.



DISQVI-

DISQVISITIONES I.

A prima ad decimam prænotionem inclusiuè.

§. I.

An facto chyrographo futurarum nuptiarum sub certis conditionibus dotis antapochæ de nihilo petendo noceant.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.
Melioratio facta præcisè cum meliorato nullo habito respectu ad aliam causam reuocabilis est. 2.
Non obstante illa antapocha illa melioratio irreuocabilis est, & exigi potest promissum. num. 3.
Illa melioratio respectu vxoris non est donatio gratuita, sed onerosa. 4.
Et habet vim contractus respectiuè ad eandem vxorem. 5.
Ille, cui facta est illa melioratio, non potest apponere conditionem noxiam vxori. 6.
Posita illa antapocha, si vxor præmoriatur sine filijs, non potest melioratus quid exigere. num. 7.
Illi meliorationi præmortua vxore sine filijs potest melioratus cedere. 8.

1 Disquisitio I. Titius Pater Caij, & trium aliorum filiorum, vel fortè etiam alius consanguineus eiusdem Caij ad effectum, vt Theophila eidem nuberet, vel fortè etiam meliorem dotem constitueret, constituit, vel absolutè constituere promisit maioratum in proprijs bonis in fauorem eiusdem Caij, vel meliorem ipsius facere conditionem per assignationem quorundam bonorum. Quo posito factum fuit chyrographum futurarum nuptiarum inter eundem Caium, & Theophilam interueniente etiam eodem Titio Patre, vel consanguineo, qui meliorationem constituerant, vel constituere absolutè promiserant, sed prius idem Caius confecit antapocham vulgo contrascripturam, qua se obligauit ad non exigendum aliquid, vel à Patre, vel à consanguineo de illo maioratu, vel melioratione. Hic orta fuit controuersia primò, an non obstante illa antapocha possit, vel idem Caius, vel Theophila eiusdem sponsa, vel vxor exigere illum maioratum, seù meliorationem, adeo vt, nec Pater, nec consanguineus possit excipere de illa antapocha; secundò item, an si mortua fuerit Theophila nullo relicto ex illo matrimonio hærede, necessario possit tunc Caius illam meliorationem exigere cessante vxoris, & filiorum præiudicio, an verò teneatur remissioni stare, quam fecit per illam antapocham.

Series facti exposita.

Varij articuli examinandi.

Asserunt cõmuniter DD., quod, quando illa melioratio, seù constitutio maioratus facta est præcisè cum ipso meliorato, seù donatario nullo habito respectu ad aliquam causam, ex qua alter ex vi illius obligetur, sine qua cæteroqui non se obligaret, vtique ex genere suo sit reuocabilis, quod in Regno Castellæ communiter admissum fatentur *Sanchez lib. 6. de matrimonio disput. 32. num. 1. Antonius Gomez l. 22. Tauri num. 17. Baeza de non melior. fil. cap. 21. num. 36. Molina lib. 4. de primog. c. 2. num. 16.*, & alij plures apud eundem Sanchez loc. cit., rationemque adducunt, quia, quando non est causa alterius per conuentionem cum ipso, vel promissionem eidem factam, ratione cuius ille alter contraxerit cæteroqui non contracturus, illa melioratio, seù constitutio maioratus non est pars contractus, adeoque non est, cur non sit reuocabilis, quæ, si vera sunt absolutè, à fortiori verificabuntur, quando melioratus, seù donatarius per antaphocam conuenerit de remissione eiusdem meliorationis, vt per se patet. Difficultas igitur procedit solummodo, quando illa melioratio, seù constitutio maioratus facta est in fauorem alterius contrahentium cum ipso meliorato, seù constituto in maioratu inito pacto, vel facta promissione illi alteri, ratione cuius contraxit. 2

Quando melioratio est in fauorem meliorati vtilitatem reuocabilis est.
Sanchez. Gomez. Baezza. Molina.

Procedit, quando melioratio facta est in fauorem alterius.

Respondeo primò. Non obstante illa antapocha, ratione cuius filius remittit, seù parentem, vel consanguineum liberũ ab obligatione reddit, illam meliorationem, seù constitutionem maioratus irreuocabilem esse, & posse filium, vel eius vxorem exigere conuentum, seù promissum *Baldus in l. si præses C. de donat. Tello l. 17. Tauri num. 72. Molina lib. 4. de primog. c. 2. num. 17. in fin. Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 32. num. 2., & seqq., & præcipuè num. 5. Alexander cons. 10. num. 4.* Colligitur expresse ex textu *in l. bona fidei 17. ff. de pecul.*, vbi sic legitur. *Ego autem arbitror non solum de peculio conueniri, sed, & si quid præterea dolo malo Patris capta, fraudataque est mulier*, multumque ad hoc fiuet assertum *Baldi in d. l. si præses C. de donationibus*, dum dicit. *Si mater æstimari bona faciat, vt inspicientes credant filios ditiores, & sic honorabilius ducant vxores, quamuis, & bona donata intelligantur filijs, ac pro dotis restitutione obligata manerent, quia dolus matris consensui æquiparatur*, quæ, si vera intelliguntur, quando mater præcisè per æstimationem tradit inspicienda ad præcitatum finem, à fortiori vera intelligenda sunt, quando Pater, vel consanguineus expresse conuenit, vel promissionem facit de 3

Illa antapocha non dimittit obligationem, quâ de melioratio est in fauorem alterius.
Baldus. Tello. Molina. Sanchez. Alexander.

Iura euincentia responsionem.

de illa melioratione, & augmento, vt filius congruentius nuberet.

Ratio horum omnium prima est, quià illa constitutio maioratus, seù meliorationis, seù promissio eiusdem cadit sub illo contractu matrimonij initi inter Caiū, & Theophilam per textum *in l. petent C. de pactis*; in tantum etenim Theophila eidem Caio nupsit, in quantum facta est illa constitutio, seù promissio absoluta eiusdem, ergò ex vi illius contractus Theophila ius acquisiuit ad illam meliorationem, seù constitutionem maioratus, iuri autem tertio quæsito non potest Caius per illam antapocham præiudicium aliquod inferre per textum *in l. id, quod nostrum ff. de reg. iuris*.

Ius iam intelligitur acquisitum vxori.

Ratio secunda est, quià dolus constituentis maioratum, seù meliorationem, quantum ad effectum obligandi ipsum versus alterum, qui habet causam in contractu, quique ignarus est illius doli, æquiparatur consensui per textum *in d. l. bonæ fidei 37. ff. de peculio Alexander cons. 10. nu. 4. Baldus in d. si præses C. de donat.*, nam dolus in præiudicium alterius nequit suffragari auctori per vulgatissima iura: consensus autem alteri obligatus non potest sine eius consensu validè reuocari, maximè, si cedat in ipsius præiudicium. Confirmatur, quià illa melioratio, seù constitutio maioratus habet vim quandam donationis, quæ respicit non solum vtilitatem filij donatarij, sed etiam fauorem vxoris, quæ eidem nubit intuitu illius meliorationis; respectu autem eiusdem vxoris non est merè gratuita, sed onerosa, cum ratione eiusdem assensum præbeat ad contractum, cæteroqui non præstitura, & fortè etiam pinguiorem erogat dotem, alioqui non erogatura, sed donationes onerosæ liberè reuocari nequeunt sine consensu eius, respectu cuius est onus, ergò &c. Confirmatur secundò, quià in hac hypothesi illa melioratio, seù constitutio maioratus habet vim contractus respectiuè ad fæminā, quæ intuitu illius nubit cum Caio, ratione cuius eadem fæmina init matrimonium, & dotem constituit, sed contractus perfectè initus est irrescindibilis, nisi interueniente mutuo vtriusque contrahentis consensu, ergò &c.

Dolus respectu dolosi æquiparatur consensui. Alexander. Baldus.

4 *Illa melioratio respectu vxoris non est donatio gratuita, sed onerosa.*

5 *Et respectu eiusdem habet vim contractus.*

Ratio tertia est, quià causa finalis talis meliorationis, seù augmenti est, vt Theophila nubat Caio, eidemque meliorem dotem constituat, ergò præstito illo effectu nuptiarum, & constitutionis melioris dotis non poterit annullari dissentiente fæmina, quæ est causa finalis talis meliorationis, seù augmenti. Hoc argumento vtitur *Tiraquel tract. cessante causa limit. 1. num. 52.* Confirmatur, quià donationes ex causa sunt ex genere suo irreuocabiles habita illa causa, sed in hac hypothesi illa causa habita est per matrimonium initum inter eandem Theophilam, & Caium, & constitutionem illius dotis, ergò, vtique illa donatio, seù melioratio non poterit reuocari; Neque obesse potest, si asseratur, quod illa constitutio meliorationis, seù maioratus fuerit ficta, adeoque, quod nullum valeat sortiri effectum; non, inquam, obesse potest, quià cum illa fictio alterum induxerit ad contrahendum cæteroqui non contracturum quoad effectū obligandi fictorem æquiualet vero, & reali consensui, cum fictio nequeat eidem suffragari in præiudicium verè consentientis, & contrahentis.

Vxor est causa finalis illius meliorationis. Tiraquel.

Donationes ex causa sunt irreuocabiles.

Illa fictio est alteri noxia, adeoq; fingentem obligat.

6

Ex hactenus dictis colligitur, quod sicuti Caius per illam antapocam non potest derogare iuri iam vxori acquisito per illam meliorationem, seù constitutionem maioratus, ità nec possit adijcere eidem meliorationi conditionem aliquam, per quam lædatur ius eiusdem vxoris per textum *in l. perfecta C. de donat., quæ sub modo l. filius C. de pactis*.

Nec potest apponi conditio noxia

7

Respondeo secundò, posita illa antapocha, secundum quam filius se obligauit patri, vel eius consanguineo de non petenda illa melioratione, seù constitutione maioratus, si Theophila præmortua fuerit, nec vllum filium, seù filiam superstitem ex illo matrimonio reliquerit, non potest Caius illam meliorationem exigere, nec constitutionem maioratus, sed tenetur stare remissioni, quam fecit per illam antapocham *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 32. nu. 6., & sub eod. num. vers. soluto autem matrimon.*

Præmortua vxore sine filijs antapocha destruit meliorationem Sanchez.

Ratio ex eo deducitur primò, quià ipse in illa melioratione, seù constitutione maioratus non acquisiuit ius, nisi intuitu vxoris, cui inijceretur præiudicium, si illa non sortiretur effectum, ergò cessante præiuditio vxoris nullum ius habet, quandòquidem eidem apparet illam meliorationem non factam fuisse animo donandi, nec donationem ipse acceptauit, quinimmò eidem expressè cessit per illam antapocham. Secundò dato etiam, quod ius aliquod acquisierit secundum se in illa melioratione, potest, quantum est ex se, eidem cedere, quando cessio illa non cedit in alterius præiudicium, cum de iuribus suis quisque sit moderator, & arbiter *l. in re mandata C. mandati*, sed mortua Teophila, nulloque superstite eiusdem filio, vel filia illa cessio in nullius præiudicium potest cedere, & vtique supponitur posita illa cessio per illam antepocham, ergo &c. Tertiò quià, si illa melioratio facta fuisset purè, & absolutè præmortua vxore, & filijs potest eidem cedere in fauorem Patris, vel fratrum suorum, ergò à fortiori, si facta fuerit sub illa conditione cessionis, & antapochæ de illa melioratione

Ius est acquisitum vxori, non melioratio.

8 *Etiam si esset pura, posset melioratus cedere, si cessio non cederet in alterius præiudicium.*

ratione non exigenda. Quartò, quià illa constitutio meliorationis non facta est ratione filij quomodocumque, sed eiusdē intuitu matrimonij cum Theophila ineundi ad effectum ipsam inducendi ad talem contractum, ergò ità fieri potuit, vt existente illo matrimonio subsisteret in fauorem eiusdem Theophilæ, & filiorum eius, dissoluto vero matrimonio per mortem eiusdem Theophilæ, & filiorum eius non subsisteret; hoc autem præstitum implicitè intelligitur ex eo, quod inter Patrem, vel consanguineum fuit conuentum de illa antapocha conficienda.

§. II.

An recipiens fictè patrimonium ad effectum sacrorum ordinum recipiendorum antapocha confecta illo non vtendi, & reddendi susceptis ordinibus teneatur non vti, & reddere.

SVMMARIVM.

Exponitur facti series, & rationes dubitandi. 1.
Concilium Trid. disponens patrimonium non posse dimitti non obtento beneficio. 2.
Grauiter peccat tàm fictè constituens, quàm fictè recipiens patrimonium cum illa antapocha. 3.
Constituens in illa hypothesi ratione illius antapocha post susceptos ordines potest reuocare. 4.
Episcopus in ea hypothesi non teneretur de proprijs alere sic promotum, & quare. 5.
Ordinatus hoc ficto patrimonio non contrahit suspensionem. 6.
Textus in c. neminem, & c. sanctorum dist. 70. *quoad pœnam suspensionis reuocatus est.* 7.
Pœna suspensionis in c. si quis ordinauerit de simonia *efficit solum ordinatum, quando conuenit cum Episcopo.* 8.
Concilium Trident. non innouauit, nisi pœnas contra promouentes sine titulo. 9.
Suspensio Sixti V. fuit reuocata à Clemen. 8. *num* 10.
Pius V. solum adiecit pœnam suspensionis contra Clericos Regulares Nouitios promotos sine titulo. 11.
Constitutio verè, & realitèr patrimonio, ea tamen adiecta conditione, vt constituens postquam fuerit promotus, illud restituat, non contrahitur suspensio, si ex illo fuerit ordinatus. 12.
Alienans patrimonium post susceptos ordines non incurrit suspensionem. 13.

1 DIsquisitio II. Ex occasione præcedentis disquisitionis præsens excitatur, quæ quamuis ad præsens institutum de sponsalibus non faciat, conferre tamen potest ad præcedentium enucleationem, & ex alio capite est secundum se scitu dignissima. Res ità se habet Titius ad effectum, vt ad sacros ordines promoueretur, conuenit cum Caio persona diuite, & præpotente, vt sibi in proprijs bonis immobilibus patrimonium constitueret per publicum instrumentum, & ne damnum aliquod inde pateretur Caius, in proprijs bonis constituit Titius antapocham, per quam se obligauit ad non vtendum illo patrimonio, quinimmo ad illud reddendum susceptis sacris ordinibus. Hic multiplex excitata est difficultas. Prima, an vterque peccauerit sic fictè contrahendo. Secunda, an Caius, postquam Titius sacros ordines suscepit, possit illam constitutionem patrimonij vigore illius antapochæ reuocare. Tertia, an, si fuerit validè reuocata, Titius suspensus remaneat ab exercitio ordinum susceptorum, si beneficium, vel aliud patrimonium non fuerit assecutus.

Factum in suis terminis expositum.

Difficultates examinandæ.

2 Concil. Trid. *Sess. 21. cap. 2. de reformat.* hæc expressè statuit, *Patrimonium, vel pensionem obtinentes illa deinceps sine licentia Episcopi, alienari, extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficientis sint adepti, vel aliunde habeant, unde viuere possint*; ex quibus clarè euincitur, quod renuntiatio patrimonij, ad cuius titulum quis initiatus est, sit nulla, nisi sit adeptus aliud beneficium, vel patrimonium sufficiens *Nauarrus lib. 1. consil. tit. 11. de temp. ordin. in prima edit. consil. 14, in secunda autem consil. 21 Manuel 2. tom. summa cap. 14. nu. 2., & 5. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 238. ad fin.*, & hinc etiam deducitur, quod, si Episcopus sine congruo beneficio, vel patrimonio quemque ad sacros ordines promouerit, teneatur alere, quem sic destitutum promouit *cap. 2. cap. Episcopus, cap. cum secundum Apostolum, & cap. tuis quæstionibus de præbendis*. Hinc ad quæsita

Non potest dimitti patrimonium sine beneficio. Nauarrus. Manuel. Molina.

3 Respondeo primò, grauiter peccare tàm fictè constituentem, quàm fictè recipientem illud patrimonium cum illa antapocha *Marchinus tract. 2. de ordinib. in particul. part. 6 de subdiacon. difficul. 5. num. 5. vers. cæterum quamuis ille, Corduba in summa qu. 32. Ludouicus Lopez part. 1. instruct. confess. cap. 45., & de contract. lib. 2. cap. 45.*

Peccatum graue est sic constituere, & recipere. Marchinus Corduba. Lopez.

Ratio ex eo deducitur, quià vterque operatur contra dispositionem legis Ecclesiasticæ statuentis sub grauibus pœnis, ne quis ordinetur ad sacros ordines sine congruo patrimonio, vel beneficio sufficienti, quæ certè lex est præceptiua, & obligans sub læthali, ergò non solum ille, qui fictione concepta sic ordinari intendit, sed etiam ille, qui conscius talis fictionis

Lex Ecclesiastica in hoc est præceptiua.

nis cooperatur illi fictioni, & promotioni grani culpæ subiacebit, quandoquidem cooperatur læsioni iuris Ecclesiastici.

4 *Constituens patrimoniũ in illa hypothesi post susceptos ordinees non potest reuocare.*

Ioannes della Crux. Auila. Ledesma. Sanchez. Marchinus

Respondeo secundò. Caium in illa hypothesi ratione illius conuentionis cum Titio, & antapochæ ab eo receptæ posse, post susceptos ordines patrimonium illud reuocare *Ioannes della Crux in suo directlor. conscient. part.2. tit. de sacrament. ord. dub.6. concl.2. Auila de censuris part.3. disp.5. dub.5. concl 5. Ledesma in summa tit. de sacram. ord. concl.5. difficult 6. Sanchez lib.6. de matrim. disp.22. num.8. Marchinus d. tract.2. de ordin. in part. part. 6. de subdiacon. difficult.5. vers. cæterum quamvis* aduersus *Nauarrum lib.1. consil. de tempor. ordin. cons.13. Henriquez lib. 13. cap.37. nu 2. Vgolin. de offic. Episcopi c.26. §.13. num.6. Rodriquez in summa part.2. c.15. num.3. Toletum lib.1. c.49. num.5. Bonacinam de sacram. disp.8. qu. unica punct.5. nu.20. Dianam moral. resol. part.2. tract.2. de sacrament. resol.184., & alios*, qui tamen ferè omnes procedunt in suppositione, quod validè facta fuerit assignatio tituli patrimonij, quamvis intercesserit pactum cum antapoca de non petendo quidquam ex eo, vel immediatè eodem reddendo post susceptos ordines, quià tunc illa resignatio, seù pactum de non petendo, vel reddendo redditur inualida, seù inualidum ex dispositione Concil. Trident., in quo nostræ assertioni in rigore non aduersantur, quæ sic.

Aduersantes procedunt, quando validè constitutum est patrimonium.

Probatur, quià ille, qui patrimonium cum tali fictione donauit verè, & realitèr à se non abdicauit illius dominium, nec transtulit in promouendum, ergò vtique illud patrimonium poterit absolutè recuperare, cum donatio fictitia sit reuocabilis, quinimmò irrita ex genere suo. Quod, si dicas, posse esse validam præsumptionem, quod conferens illud patrimonium validè, & efficaciter assignauit, & quod illa antapocha fuerit solummodo cum obligatione restituendi pro tempore, post susceptos ordines; quæ certa obligatio irrita est *ex Concil. Trident. sess.22. c.2. de reformat.* Ibi *nullatenus possit*, quod tollit potentiam alienandi, & impedit dominij acquisiti translationem, si, inquam, hoc dicas, statim impugnaberis, quià, ex quo eodem contextu facta fuit assignatio patrimonij, & conuentio de illa antapocha non est aliqua ratio præsumendi, quod fuerit translatum dominium cum pacto restituendi, sed quod facta fuerit apparentia translationis sine animo transferendi, adeoque &c. Deindè quidquid sit de illa præsumptione, quæ solum respicit forum externum, & iudiciale, in foro interno, in quo nudè attenditur veritas, certum est, quod illa assignatio sit ficta, & simulata.

Sic fictè constituens nõ transtulit à se dominium.

Non facta est translatio, sed apparentia translationis.

Dices; quantumvis præsumatur ficta melioratio, seù constitutio maioratus respectu filij iuxtè terminos præcedentis disquisitionis, ad effectum, vt Theophila eidem nuberet, & pinguiorem dotem constitueret; nihilominus irreuocabilis est, nec potest Pater eandem repetere per ea, quæ ibi dicta sunt, ergò etiam, quantumvis constitutio patrimonij fuerit ficta, & simulata ad effectum, vt donatarius posset promoueri ad sacros ordines, erit tamen irreuocabilis ab eodem constituente. Consequentia probatur, quià in tantum illa melioratio, seù constitutio maioratus intelligitur irreuocabilis, in quantum ius est acquisitum fæminæ eidem filio nubenti, & reuocatio caderet in ipsius maximũ detrimentum, sed etiam in hypothesi præsentis responsionis ius est acquisitum Episcopo promouenti, & reuocatio illius in maximum ipsius damnum cederet, quandoquidem ex proprijs teneretur sic promotum alere *ex c.2. c. Episcopus, & cap. cum secundum Apostolum, & c. tuis quæstionibus de præbendis*, ergò &c. Sed contra negãda est primò prima consequentia, & ad probationem asserendum est, illam reuocationem non cedere in Episcopi detrimentum, sicuti cederet reuocatio respectu fæminæ, quæ intuitu illius meliorationis, seù constitutionis maioratus nupsit Caio. Ratio est, quià cum Episcopus promouerit ad sacros ordines bona fide reuocato illo patrimonio per fictè constituentem non teneretur promotum de proprijs bonis alere, vt docent *Decius c. Episcopus num. 12. de præbend. Nauarrus lib. 1. cons. tit. 11. de tempor. ordin. in prima edit. cons.14., & 46. Glosa in cap. cum secundum Apostolum vers. successores de præben.*, vbi asserit, quod illa obligatio alendi sacerdotes promotos, vel sine beneficio, vel sine patrimonio sit pœna; pœna autem esse non potest, vbi non est delictum; delictũ autem non est, vbi viget bona fides. Adde, quod, si Episcopus quemquam ordinauerit cum vero, & legitimo patrimonio, & illud, vel ex culpa promoti, vel ex casu fortuito defecerit, non tenetur promotum de proprijs alere, quià promouens nullam culpam contraxit *Ioannes Andreas cap. tuis num. 5. de præbend., & ibi Antonius num.7. Cardin. num. 1. qu.4.*, ergò etiã, cum in hac hypothesi nullam culpam contraxerit, non subiacebit oneri alendi promotum.

Instantia à paritate desumpta, & soluta.

5 *Episcopus reuocato illo patrimonio non teneretur alere promotũ.*

Decius. Nauarrus. Glosa.

Ioannes Andræas. Antonius. Cardinalis

Respondeo tertiò, si fuerit ordinatus hoc patrimonio fictè donato nullam certè contrahit suspensionem *Sairus lib. 4. c. 14. n.16. Gutierez lib.2. pract. qu.65. nu 1. vers. nec opinio. Medina, Henriquez lib.13. c.37. Toletus lib.1. cap.49. nu.5. Ianuensis in praxi, Neapol. c.81. n.2. Nicolaus Garzias de benef. part.2. c.5. n.28 Gonzalez ad reg.8 Cancellariæ glos.5. §.10. n.22. Cenedo ad decret. collect.*

6 *Sic ordinatus non contraheret suspensionem.*

Sairus. Henriquez. Toletus. Ianuensis. Garzias.

Gonzalez. Cenedo. Barbosa. Homobon. Diana.

23 *n. 2. & 6. in fin. Barbosa de offic. Episcop. alleg. 20 n. 27. & in collect. ad d. c. cum secundum. Apostolum de prebend. n. 7. Homobonus de exam. Ecclesiast. part. 2. tract. 11. c. 10 q. 22. Antoninus Diana moral. resol. part. 1. tract. 16. Miscel. resol. 5. per totum*, aduersus *Suarez disp. 31. sect. 1. n. 3. Nauarrum in manual. c. 27. n. 158. Maiolum lib. 4. de irregul. c 13. in init. Pedrazam secunda part. summa c. 2. Metinam lib 1. summæ c. 11. §. 8. Manuelem 2. tom. summa c. 15. n. 1. quibus tanquam probabilius sentientibus asserit se assentiri Bonacina disp. 8. de sacramento ordinis q. vnica punct. 5. n 24. vtraq; opinio probabilis est.*

DD. aduersantes nostra responsioni.

Ratio ex eo deducitur, quià ille, qui promouetur sub titulo patrimonij fictè sibi collati perindè est, ac si promoueatur sine titulo absolutè, vt ex se manifestè apparet, sed qui promouetur ad ordines sacros sine titulo, quantumvis grauitèr peccet, quià facit contra iura præceptiua Ecclesiæ, nullam tamen contrahit suspensionem, ergò, nec &c. Minor probatur, quià nullum est assignabile ius indicens talem suspensionis pœnam respectu promoti sine titulo patrimonij, vel beneficij.

Perindè est, ac, si promoueretur sine titulo.

7 Dices primo, talem pœnam suspensionis indici *in c. neminem, & c. sanctorum dist. 70.* Sed contrà, quià quantumvis ibi fuerit in dicta talis pœna, fuit tamen reuocata ab *Innocentio III. in d. c. cum secundum, Apostolum de prabendis*, vbi solum fuit impositum onus ordinantibus ordinatos sine patrimonio alendi. Ibi. *Licet autem Prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes. Nos tamen benignius agere cupientes tandiù per ordinatores, vel eorum successores prouideri volumus ordinatis, donec per eos Ecclesiastica beneficia consequantur*, vbi nota in primis, quod pœnæ omnes sicuti olim ordinabantur in odium ordinantium, ità in præsenti aduersus eosdem referantur, dum obligantur ad promotis subministranda alimenta. Nota insuper illa verba *irritas esse voluerint, & inanes*, non posse intelligi de inanitate quoad substantiam, quatenus inualida esset ordinatio, nam hoc esse non potest, cum intelligantur posita omnia, quæ substantialitèr requiruntur ad validam collationem, quæ proptereà non potest irritari per Pontificum decreta, sed tantum quoad exercitium, & executionem, quæ certè habetur per suspensionem; cum igitur Pontifex hic mitius agens velit non esse irritas, & inanes, vtique tollit suspensionem, per quam prius erant irritæ quoad exercitium, & executionem.

cap. neminem, & c. sanctorum dist. 70. reuocatum est

Pœnæ sunt in odium ordinantium.

8 Dices secundo, hanc pœnam suspensionis indici *in c. si quis ordinauerit de simonia*, vbi sic legitur. *Si quis ordinauerit, vel ad ordinem præsentauerit aliquem promissionem, vel iuramentum ab eo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione, præsentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc à Sede Apostolica obtinere meruerit, nouerit se suspensum.* Sed contra, disposita in hoc capite comprehendunt solummodò ordinatum, & ordinantem, & præsentatorem, quandò tàm præsentator, quàm præsentatus ineunt pactum, vel iuramentum cum Episcopo de non petendo victum, alimenta, aut prouisionem, quæ proptereà non sunt extendenda, quandò nullum interuenit cum eodem Episcopo pactum, nec iuramentum, cum pœnalia sint, adeoque restringenda ad terminos formales dispositionis, non amplianda vltrà illos.

Pœna suspensionis in dicta in c. si quis ordinauerit de simonia, & solum quoad est commento cum Episcopo ordinante.

Dices tertio, huiusmodi pœnam congeri per *Concil. Trident. sess. 21. c. 1. de reformatione*, vbi omnes dispositiones pœnales antiquas innouauit aduersus promotos sine vllo titulo per illa verba *antiquorum canonum pœnas super his innouando*; in antiquis autem sacris canonibus pœna suspensionis aduersus sic promotos erat inflicta *in d. c. neminem, & c. sanctorum dist. 70.* Sed contrà quià Concil. Trident. per illa verba innouauit solummodò pœnas aduersus promouentes sine titulo contentas *in c. cum secundum Apostolum, & c. Episcopus de prabendis*, nec probabile est voluisse innouare etiam correctas, & abolitas sine expressa derogatione iurium corrigentium, & abolentium; Neque ex eo, quod dixerit, *antiquorum canonum* præsumendum est referri præcisè ad illos *in c. neminem, & c. sanctorum dist. 70.*, non, inquam, præsumendum est, quià quantumuis referatur solum *ad c. cum secundum Apostolum, & c. Episcopus de prabendis* optimè verificatur, quod referatur ad canones antiquos, cum illi respectu Concil. Trident. nuper editi sint reuera antiqui, cum inter Concil. Lateranense sub Alexandro III., & Concil. Trid. multum temporis intercesserit; nec gratis asseri hoc debet videri, quandòquidem Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. interpretum testante *Vinaldo in candelabro aureo part. 2. tit. de suspensione nu. 28. & Piasecio in praxi Episcopali part. 1. c. 1. art. 7. num. 5.*, quam etiam ex ore aliorum referunt *Marchinus, Diana, Bonacina loc. cit.* declarauit in dispositione Concil. Trid. non comprehendi *c. neminem, & c. sanctorum dist. 70.*, sed dumtaxat *d. d. c. cum secundum Apostolum, & c. Episcopus de prabend.*

9 *Concil. Trident. non innouauit pœnas iuris aduersus promouentes sine titulo.*

Euincitur declaratione Congregationis Sacra. Vinaldus. Piasecius.

Dices, tertio huiusmodi pœnam suspensionis aduersus ordinatos sine titulo expressè indici per Sixtum V. in bulla contra malè promotos. Sed contrà, quià huiusmodi constitutio Sixtina fuit à Clemente VIII. reducta ad terminos iuris communis, & ad dispositionem Concilij Trident., vt com-

10 *Clemens VIII. reuocauit suspensionem Sixti V.*

communitèr DD. testantur.

11 Dices tandem, huiusmodi pœnam impositam esse per Pium V. sanctæ, & felic. recordat. per bullam, quæ incipit *Romanus Pontifex*, vbi supponens Clericos sæculares sine titulo promotos esse suspensos eandem pœnam extendit ad Religiosos sacris initiatos ante professionem. Sed contra in primis, quià Pius V, in dicta bulla incipiente *Romanus Pontifex* nõ supponit Clericos sæculares promotos sine titulo esse suspensos, nec hanc suspensionem intelligit comprehendi in Concil. Trident., quod expressè colligitur ex ipsius verbis; postquam etenim suspensionem intulit aduersus Religiosos sacris initiatos sine titulo ante professionem, immediatè subdit, quod subesset alias pœnas à Trident. latas, ergò indicat clericos sæculares sine titulo promotos non esse affectos suspensione; ad quid etenim primo ferre sententiam suspensionis aduersus Religiosos sic promotos, & posteà eos subdere alijs pœnis à Trident. latis, si inter pœnas latas à Trident. esset etiam suspensio? certè suspensio contra Religiosos nouitios esset inanitèr lata, & suffecisset, quod Pontifex illos subdidisset pœnis Trident., si in illis etiam esset comprehensa suspensio? Deindè fuit specialior ratio, quæ mouere potuit Pontificem ad ferendam potius huiusmodi sententiam aduersus Religiosos Nouitios, quam aduersus Clericos sæculares, tùm ob maiorem facilitatem decipiendi, tùm quià supponuntur illi ingredi Religionem ex fine prauo, vt possint ordinari, & posteà egredi non ex fine in eadem perseuerandi, quem aditum iniquũ voluit Pontifex præcludere ad euitanda scandala.

Pius V. adiecit pœnam suspensionis contra Religiosos sacris initiatos sine titulo ante professionem.

Hic pro complemento eorum, quæ agitata fuerunt in hac disquisitione, duplex remanet difficultas dissoluenda: altera ex suppositione, altera simplicitèr, & absoluta. Prima est, an si promotus sine titulo, vel cum patrimonio ficto incurreret huiusmodi suspensionem, incurreret etiam eandem ille, qui fuit promotus cum vero titulo, cum constituens eidem patrimonium verè constituerit cum animo donandi, vel transferendi rem, quam subdit patrimonio, in constitutum ea adiecta conditione mutuo acceptata, vt postquam constitutus fuerit promotus ad sacros ordines eandem rem patrimonio subiectam constituenti remota quacunq; exceptione restituat. Secunda, an ille, qui habebat verum, & legitimum patrimonium, ad cuius titulum fuit ordinatus, si illud alienet incidat in suspensionem,

Duplex ratio dubitandi proponitur examinanda.

12 Ad primam absolutè dicendum est non incurrere suspensionem *Salzedo in sua pract. c. 18. Garzias p. 2. de beneficijs c. 5. n. 175.* vbi innumeros DD. consentientes refert. Moueor ex hoc capite ad hoc assertum; quià promotus ad ordines in hac suppositione verè, & realitèr est promotus cum vero, & legitimo titulo, ergò non est afficiendus illis pœnis, quibus secundũ hanc suppositionem subduntur promoti sine titulo, vel cum titulo fictitio, & somniato; neque dicas cum sic promotus ex vi conuentionis initæ inter ipsum, & eum, qui constituit patrimonium habeat onus immediatè patrimonium, restituendi post susceptionem sacrorum ordinum, non posse huiusmodi pœnas subterfugere ex suppositione, quod istæ afficerent promotos sine titulo, quandòquidem iura, quæ vetant huiusmodi promotionem sine titulo, vetant etiam, ne habens titulum ipsum alienet antequàm nouum beneficium acquirat, vel aliundè habeat, quo commodè ali possit; contra enim impugnaberis, quià ex suppositione, quod tempore promotionis habeat verum, & realem titulum patrimonij, non potest posteà illud alienare, quod, si de facto alienet irrita est alienatio sic disponente *Concil. Trident. sess. 22. c. 2. de reformat.* ibi *nullatenus possit* per quam particulam constituitur inabilis ad alienandum, & per consequens irrita est alienatio. Quod, si vrgeas, quod cum adiecta fuerit illa conditio eodem contextu, quo constitutum est patrimonium, videatur ex ipsa natura contractus ad implenda, adeoque, quod non possit impediri, quin adimpleat; contra adhuc impugnaberis, quià constituens patrimonium vel verè transtulit patrimonium in constitutum, vel non; si non transtulit sumus extra controuersiam, nam tunc ità se habet constitutus, ac si haberet solum titulum apparentèr, non verè & realitèr; si transtulit, iam non potest amplius reuocari sic disponente concilio, neque obstat, quod conditio illa fuerit adiecta eodem contextu, quo fuit constitutum patrimonium, nam cum non suspendat translationem patrimonij, refertur ad tempus post susceptionem ordinum, quo tempore iura irritant eandem conditionem, eiusque effectum.

Promotus cum vero titulo licet, cum onere restitutionis post promotionem non incurrit suspensionẽ. Salzedo. Garzias.

Non esset promotus sine titulo.

Illa conditio restitutionis post ordines irritatur.

13 Ad secundam absolutè dicendum est, sic alienantem nõ incurrere suspensionem, quantumvis grauitèr peccet. *Salzedo in sua pract. c. 18. Gutierez lib. 1. pract. qq q. 65. num. 11. Nauarrus in manual. c. 27. num 158. Marcellinus tract. 2. de ordin. in partic. part. 6. de Subdiacon. difficult. 8.* Ex duplici capite ad hoc assertum moueor, cum procedat absolutè sub nulla suppositione. Primò, quià promotus sine titulo, vel cum titulo ficto non incurrit suspensionem per supra allegata, & probata, ergò promotus cum titulo, si posteà illum alienet, eandem suspensionem non incurret. Consequentia probatur, quià currit eadem paritas i

Alienans patrimoniũ post susceptos ordines non incurrit suspensionẽ. Salzedo. Gutierez. Nauarrus. Marcellinus.

Iii 2 non

non enim aliud intendunt iura vetantia promotionem sine titulo, nisi quod promotus non careat congrua sustentatione; æquè autem careret, siuè promoueretur sine titulo, siuè promoueretur cum titulo, sed illum alienaret; si igitur non vetant sub suspensionis pœna, quandò promouetur sine titulo, nec videntur sub illa pœna prohibere, quandò promouetur cum titulo, sed illum alienat; tùm quià nullum est assignabile ius, quod vetet huiusmodi alienationem sub suspensionis pœna. Secundò, quià etiam, si alienaret vtique irrita esset alienatio ex dispositione Concil. Trident. iuxtà superius probata.

Non tenebit illa alienatio.

§. III.

An in quocunque genere personarum possint nuptiæ contrahi sine nuptialibus instrumentis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.

Exponitur textus in l. maximis decorati C. de nuptijs, *ex quo oritur præsens controuersia.* 2.

Nuptiæ etiam inter personas maximis dignitatibus decoratas sine nuptialibus instrumentis valida sunt, & filij ex eisdem progeniti sunt legitimi. 3.

Reuocata est illa dispositio per ius canonicum. 4.

1 DIsquisitio III. Ex præactis in præcedentibus præcipuè *pranot.* 1. *sub hoc tit. de sponsalib. II.* patet chyrographum nuptiale non esse de substantia contractus matrimonialis, nec ad eandem essentialiter præreuiri ex genere suo. Hoc stante persona quædam maximis decorata dignitatibus contrahere intendebat matrimonium cum Calidonia fœmina æquè nobili, quinimmò nullis de facto confectis instrumentis dotalibus, seù nuptialibus eandem duxit. Hic orta est controuersia, an huiusmodi nuptiæ sic initæ teneant, & an filij ex illis nuptijs progeniti sint legitimi.

Elucidatur status controuersiæ.

2 Occasionem tradit huius controuersiæ textus *in l. maximis decorati C. de nuptijs,* vbi Iustinianus Imperator hæc decernit. *Maximis decorati dignitatibus vsque ad illustres nonnisi dotalibus instrumentis conscriptis ritè contrahunt nuptias, licet ante contractas retineant,* vbi vnum præcipit, quod scilicet impostérum non contrahantur inter huiusmodi personas nuptiæ, nisi confectis, instrumentis nuptialibus, aliud remittit, quod scilicet, si ab initio sui imperij vsque ad tempus istius constitutionis nuptiæ fuerint celebratæ, vtique teneat; vlterius subdit *in d. l. maximis decorati* §. *hic itaque* quod ex nuptijs antecedenter ad hanc constitutionem initis sine instrumentis dotalibus liberi procreati sint legitimi, & succedant tàm intestati, quàm ex testamento, non solum, si fuerint procreati ante hanc constitutionem, sed etiam post, dummodo nuptiæ fuerint antecedenter celebratæ, ex quibus videtur concludi, quod, si nuptiæ fuerint celebratæ post editam, & promulgatam hanc constitutionem, & sint irritæ, & filij ex eisdem procreati sint illegitimi ex generali regula, quod inclusio vnius sit exclusio alterius, & quod exceptio in vno expresso firmet regulam in alio non expresso, & vbi est contraria dispositio, quod de vno affirmatur in vno casu, de alio debet negari in contrario casu.

Textus, vnde desumitur ratio dubitandi.

Duo dicit, alterû prohibet, alterum omnino firmat.

Aduerte, hanc eiusdem dispositionem, quodamodo aduersari iuri naturæ, secundum quod ad validitatem nuptiarum solum requiritur debitus, & proportionatus consensus inter personas secundum se habiles ad contrahendum, vnde hæc dispositio non potest afficere ea, quæ iuris naturalis sunt, quod etiam videtur in hac constitutione attigisse Imperator, dum statuit nuptias antecedenter contractas esse validas, & solummodò irritet sine tali solemnitate subsequēter ineundas; Quod, si dixeris ius naturæ non impedire, quominus per ius positiuum possint apponi conditiones ad ritè contrahendum, vt de facto contigit in Concil. Trident., quod apponit tanquam conditionem requisitam assistentiam Parochi, & testium, quæ de iure naturæ non erat necessaria; Si, inquam, hoc dixeris, statim impugnaberis, quià quoad validitatem, & inualiditatem contractus dispositiones nullo modo pertinere possunt postquam matrimonium à Christo Domino eleuatum est ad esse sacramenti ad forum laicale, sed dumtaxat ad supremum Ecclesiasticum, vnde quidquid apponitur per rationes ad substantiam contractus per potestatem laicalem semper erit irritum.

Dispositio talis iuris aduersatur iuri naturæ.

Potestas laicalis nõ extenditur ad matrimoniû post legẽ euangelicam.

Respondeo, huiusmodi nuptias etiam inter personas maximis dignitatibus decoratas initas sine dotalibus instrumentis, si tamen aliæ debitæ fuerint seruatæ conditiones, validas esse, & per consequens filios, vel filias ex eisdem progenitos, vel progenitas esse legitimas, & succedere, vel ab intestato, vel ex testamento. Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi ius *in l. maximis decorati* est per ius canonicum absolutè correctum, & reuocatum, quod ex eo colligitur, quod inter impedimenta dirimentia non enumerat huiusmodi defectum instrumentorum dotalium, & vniuersaliter solum requirit assistentiam Parochi, & testium ad euitandas fraudes respectu vniuscuiusque sine vlla prorsus 3

Validæ sunt non obstante tali dispositione in rei casibus.

Reuocata est illa dispositio per ius canonicum.

prorsus

prorsus exceptione; tum quià, vt supra innuebam, ius ciuile nullam habet potestatem addendi, vel immutandi quoad ea, quæ pertinent ad validitatem, vel inualiditatem nuptiarum, cum ex eo, quod hæc sint eleuata ad esse sacramenti, pertineant dumtaxat ad ius Ecclesiasticum. Neque dicas, in nuptijs duo considerari, & rationem scilicet contractus, & rationem sacramenti, sicque iura ciuilia non posse se ingerere in ijs, quæ sunt sacramenti, posse tamen se ingerere in ijs, quæ sunt contractus, cum hic connumeretur inter humana commertia; contra enim impugnaberis, quià totum esse contractus, & per consequens ea omnia, quæ pertinent ad substantiam eiusdem in sua origine sunt eleuata ad esse sacramenti, adeoque iura ciuilia nequeunt in eisdem se ingerere addendo aliquid, quod in sua origine non fuerit de substantia eiusdem; in sua autem origine, nec de iure naturæ, vt supra dicebamus, instrumentum dotale inter huiusmodi personas non erat de substantia contractus.

Omnia, quæ sunt contractus sunt leuata ad esse sacramenti.

§. IV.

An instrumentum dotale arguat efficaciter matrimonium, & an sine instrumento possit præsumi matrimonium.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Ex instrumento dotali, seù nuptiali confecto non sequitur initum esse matrimonium, si consensus non fuerit præstitus per verba de præsenti. 2.
Etiam nullis existentibus tabulis nuptialibus matrimonium subsistit, & probari potest vicinis, vel alijs scientibus. 3.

1 DIsquisitio IV. Inter Caium, & Meuiam instrumentum dotale conscriptum est, & diu cohabitarunt, seù etiam nuptiale ad probationem matrimonij, nec tamen matrimonium per verba de præsenti contractum est. Rursus initum est matrimonium per verba de præsenti inter Caium, & Flaminiam, & ex eodem procreati filij, non tamen confectæ tabulæ nuptiales. Hic dubitari contingit, an ex illo instrumento nuptiali arguatur matrimonium; secundò, an sine illis tabulis nuptialibus sufficienter euincatur matrimonium contractum.

Facti series in suis terminis.

2 Respondeo primò, ex instrumento dotali, seù nuptiali confecto non sequi initum esse matrimonium, si consensus non fuerit præstitus per verba de præsenti seruatis iuris solemnitatibus. Expressè colligitur ex textu *in l. neque sine nuptijs C. de nuptijs*, vbi sic legitur *Neque sine nuptijs instrumenta facta ad probationem matrimonij sunt idonea diuersum veritate continente*; & ratio ea est, quià matrimonium contrahitur per consensum expressum per verba de præsenti, nec aliter, nec alio modo, vnde ipso deficiente deficit forma substantialis contractus, nec quid efficere potest scriptura, nam plus valet, quod verè est gestum, quam quod scriptum est *l. illicitas §. veritas ff. de offic. Præsid.*, & per consequens id, quod gestum non est, quam quod gestum scribitur. Verum tamen est, quod existente instrumento nuptiali, in quo diceretur contractum esse matrimonium, si alter ex contrahentibus asseueraret matrimonium contractum esse, alter verò denegaret, in foro externo esset matrimonium præsumendum, donec aliter probaretur, quià præsumptio stat pro scriptura publica *l. cum precibus C. de probat.*, non tamen teneret in foro interno ob deficientiam formæ substantialis.

Ex instrumento dotali non arguitur initum esse matrimonium.

Plus valet quod gestum est, quam quod scriptum.

3 Respondeo secundò, etiam nullis existentibus tabulis nuptialibus matrimonium subsistit, & probari potest vicinis, vel alijs scientibus. Expresse colligitur *ex l. si vicinis C. de nupt.*, vbi sic legitur *Si vicinis, vel alijs scientibus uxorem liberorum procreandorum causa domi habuisti, & ex eo matrimonio filia suscepta est, quamvis neque nuptiales tabulæ, neque ad natam filiam pertinentes factæ sint, non ideò minus veritas matrimonij, aut susceptæ filiæ tuam habet potestatem*; quod etiam habetur *in d. l. neque sine nuptijs C. de nuptijs* per ea verba. *Cum omissa quoque scriptura cætera nuptiarum indicia non sint irrita*; Excipe tamen in casu, si fuerit actum, quod vt concubinam scilicet illam domi haberet per textum *in l. in concubinatu ff. de concub.* Cæterum, si scientibus vicinis, vel alijs contractum esse matrimonium in dubium verteretur posset per illos sufficienter probari in foro externo etiam nulla existente scriptura, & in foro interno sufficeret, quod eisdem contrahentibus constaret initum esse seruatis omnibus iuris solemnitatibus ad hoc necessarijs.

Subsistere potest sine tabulis, & probari vicinis, vel alijs scientibus.

§. V.

An creditor possit reuocare donata ante nuptias.

SVMMARIVM.

Factum expositum in suis terminis. 1.
Quas actiones intentare possint creditores. 2.
Si creditores agant hypothecaria, & probauerint anterioritatem reuocare possunt. 3.
Intellige, quantumuis habuerint solam tacitam hypothecam anteriorem. 4.

Dona-

Donationes ante nuptias non habent priuilegium prælationis. 5.
Si agant solummodò personali, quantumuis fuerint anteriores, non possunt reuocare. 6.
Possunt reuocare, si factæ fuerint in fraudem creditorum anteriorum. 7.

1 *Factum, in quo consistat*. Disquisitio V. Sponsus res aliquas ante nuptias sponsæ donauit, & deindè nuptiæ fuerunt seruatis debitis solemnitatibus celebratæ. Mox creditores eiusdem sponsi insurrexerunt contendentes res easdem sponsæ donatas è manibus sponsæ reuocare ad sibi in suis creditis satisfaciendum. Orta hic fuit controuersia, an validè, & efficacitèr huiusmodi creditores agerent aduersus eandem sponsam pro tali recuperatione.

2 *Actiones, quibus possunt agere creditores*. Videndum est, qua actione agere intendant huiusmodi creditores, an actione hypothecaria, an verò præcisè actione personali; item, an talis donatio ante nuptias facta fuerit simpliciter, an verò cum efficaci præsumptione, quod facta fuerit in fraudem creditorum.

3 *Hypothecaria reuocare possunt, si fuerint anteriores*. Glosa. Respondeo primo, si creditores agant hypothecaria, & probauerint suam hypothecam tempore præcessisse huiusmodi donationes vtique easdem possunt reuocare. *Glosa in l. de rebus 13. C. de donationib. ante nuptias*. Expresè colligitur ex eod. textu, vbi sic legitur, *De rebus in sponsam donationis gratia collatis creditores mariti facti, si non prius obligatas eas sibi probent eam conuenire minimè possunt*, ergò, si probauerint eas prius sibi esse obligatas, vtique conuenire eam poterunt; illa etenim particula. *Nisi*, est particula exceptiua, & in effectu aduersatur præcedentibus *l. actione, & ibi Bartolus, & Iason. C. de transact. reg. peccatum de reg. iur. in 6. Iason. l. 3. n. 11. ff. de offic. eius Alexander cons. 64. incip. circa præsentem in princip. lib. 4. Decius cons. 386. num. 2.*, & ita significat necessariò oppositum antecedentis, cui immediatè aduersatur, *Decius in l. 60. earum in secunda lect. num. 27. C. qui admissi, & in l. si quis in aliquo n. 2. C. de edendo, Alexander cons. 83. num. 3. vol. 1. Surdus de alimentis tit. 1. q. 104. nu. 7.*, nec incongrua ratione hæc decernuntur, quià hypotheca solum afficit bona, quæ tempore eiusdem fuerunt in bonis debitoris, ergò, vt agere possit creditor hypothecaria, debet probare huiusmodi bona non fuisse antecedenter ad propriam hypothecam collata sponsæ, cæteroqui succumbet.

Bartolus. Iason. Alexander Decius. Surdus.

4 Hic oritur difficultas, an ea, quæ hic dicuntur, intelligenda sunt solummodò, quandò creditores habent hypothecam expressam anteriorem ad talem donationem ante nuptias, an verò etiam, si habuerint solummodò tacitam in omnibus bonis eiusdem sponsi. Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod dictum fuit *tom. 4. de pign., & hypotheca, dum de dote*, nempè eam præferri cuicunque hypothecæ anteriori tacitæ, non tamen expressæ; donationes autem ante nuptias videntur idem priuilegium hypothecæ præferre, quod præfert dos ipsa. Nihilominus sentiendū est, quod, quantumvis creditores anteriores habuerint dumtaxat hypothecam tacitam, adhuc tamen donationes ante nuptias possunt reuocare. Ratio ea est, quià iura loquuntur de hypotheca indefinitè, dum asserūt creditores posse reuocare eusdem donationes ante nuptias, si fuerint priores tempore, nec donationes ante nuptias habent eadem priuilegia, quæ habet dos, quinimmò superius diximus, nec donationes proptèr nuptias, quantumvis habeat hypothecam, habere priuilegium prælationis. *Quantumuis fuerit solummodò tacita hypotheca anterior*, 5 *Donationes ante nuptias non habent priuilegium prælationis*.

6 *Si agant personali non possunt reuocare*. Respondeo secundò. Si creditores agunt solummodò personali, & simplici non possunt reuocare donationes ante nuptias, quantumvis fuerint anteriores. Est communis. Colligitur primo *ex ead. l. de rebus C. de donat. ante nupt.* vbi dicitur, *si non prius obligatas eas sibi probent*, ergò, si non fuerint prius eidem obligatæ, & & vtique per hypothecam non poterunt vxorem conuenire pro huiusmodi donationibus argumento iurium supra allegatorum. Secundò, quià sponsa in huiusmodi donationibus non computatur, vt hæres vniuersalis, sed vt successor, actione autem personali conueniuntur hæredes non singulares successores *l. fin. C. de hæred. & act. vend l. aris C. de donat. l. licet dos C. de iur. dot.*

7 *Possunt reuocare, si factæ fuerint in fraudem creditorum*. Respondeo tertiò. Si creditores agunt solummodò personali, & fuerint anteriores possunt reuocare donationes ante nuptias, si factæ fuerint in fraudem creditorum anteriorum. Colligitur expresè *ex l. 2. C. de reuocandis ijs, quæ in fraudem credit.* vbi etiam dos, quæ singularibus priuilegijs afficitur, reuocatur, si data fuerit in fraudem creditorum. Ibi. *Nisi bonis defuncti non sufficientibus in fraudem creditorum dotem constitutam probabitur*, item *ex l. fin. §. 1. ff. quando in fraudem credit.* vbi licet dicatur nō dari actionem in eum, in quem facta fuit alienatio, sed contra principalem debitorem, qui fraude alienauit; in hac tamen hypothesi locum non habet, cum non procedat talis alienatio ex causa onerosa, sed dumtaxat ex causa gratuita.

Hic latè disputant DD. quandonam præsumendum sit, quod huiusmodi donationes factæ fuerint in fraudem creditorum, & quandò non. De qua re vide *Mascardum de probat. concl. 825. num. 21. & seqq.*

§. VI.

§. VI.

An sponsus repetens iocalia, quando per ipsum non stetit, quominus matrimonium sequatur, teneatur probare data fuisse causa matrimonij, & an sponsa teneatur probare interuenisse osculum, vel copulam.

S V M M A R I V M.

Duo casus expositi, circa quos versari potest controuersia. 1.

Sponsus non tenetur probare, iocalia fuisse collata causa matrimonij, sed potest ea repetere, si sine culpa ipsius matrimonium non sequatur. 2.

In controuersia, vtrum intercesserit osculum, vel copula, onus probandi spectet ad sponsam asserentem, non ad sponsum negantem. num. 3.

1 Disquisitio VI. Post contracta sponsalia dona quædam Titius contulit Semproniæ sponsæ, & deinde sine ipsius culpa, & sponsalia dissoluta sunt, & matrimonium non fuit subsecutum. Rursus Fabius contulit Meuiæ sponsalitiam largitatem, & deindè sponsalia dissoluta sunt sine eiusdem Fabij culpa. Iuxta primum casum Titius vindicare contendebat dona collata Semproniæ ob generalem regulam sponsalitiæ largitatis, secundum quam iocalia collata in dissolutione contractus sine culpa conferentis repetuntur iuxta allegata iura, aduersus quem excipiebat Sempronia asserens, illa dona non esse collata titulo sponsalitiæ largitatis, sed liberæ, & absolutæ donationis, quæ propterea irreuocabilis est. Iuxtà secundum casum afferente Meuia pro tempore sponsalium inter ipsam, & Fabium intercessisse osculum, vel copulam, & Titio negante inquiritur, ad quemnam illorum incumbat onus probandi, vel osculum, seù copulam secutum, seù secutam fuisse, vel non intercessisse.

Duo casus controuersia expositi.

2 Respondeo primò ad primum, potiora esse iura Titij contendentis ad repetitionem, quam Semproniæ agentis ad retentionem. Ità expresse *Sanchez, lib. 6. de matrimon. disp. 18. num. 9. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 290.*

Sponsus nō tenetur probare data fuisse causa matrimonij

Sanchez. Molina.

Ratio ex eo deducitur, quià quantumuis de iure antiquo donatio inter sponsos reputaretur absoluta, & irreuocabilis per textum *in l. 1. vers. igitur ff. de donat., & l. 2., & l. si filia, & l. si sibi C. de donat. ante nuptias*, nisi esset expressio, quod illa conferretur intuitu matrimonij ineundi; de iure tamen nouo eo ipso, quod illa largitas collata est post inita sponsalia, intelligitur ex dispositione iuris collata intuitu eiusdem, prout habetur *in l. cum veterum C. de donat. ante nupt.*, sed quod confertur post sponsalia intuitu matrimonij ineundi, habet rationem propriè sponsalitiæ largitatis, & vtique reuocabilis est, si sine culpa conferentis matrimonium non sequatur, quandoquidem implicitè inest illa conditio, ergò &c.

Ex dispositione iuris intelligitur collata causa matrimonij.

Hinc sequitur, non incumbere onus probandi eidem sponso, quod intuitu eiusdem matrimonij ineundi contulerit illam largitatem, quandoquidem præsumptio iuris, & de iure stat pro ipso; vnde, si quid contenderet sponsa, onus probandi contrarium ad ipsam pertineret, quod nonnisi maxima cum difficultate posset efficere, nisi essent exteriora adminicula, quibus probaretur animus conferentis fuisse liberè, & absolutè donandi.

Onus probandi contrarium spectat ad sponsam.

3 Respondeo secundò ad secundum. Asserente sponsa osculum, vel copulam intercessisse, sponsoque negante ad effectum consequendi, vel medietatem, vel integram sponsalitiam largitatem respectiuè onus probandi pertineret ad eandē sponsam affirmantē *Ioannes Lupus l. 52. Tauri num. 12. Macienzo lib. 5. recopil. tit. 2. l. 4. glos. 4. num. 5. Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 18. nu. 9., & alij communitèr*, qua proptereà non probante sponsus absolutè absoluitur.

Onus probandi osculum intercessisse, spectat ad sponsam.

Lupus. Matienzo. Sanchez.

Ratio ex communi regula deducitur, secundum quam in dubijs, & in controuersijs onus dicenti, non neganti incumbit probandi, præcipuè, quià, cum agatur de lucro, & hoc sit fundamentum intentionis fœminæ lucrum intendentis, debet tale fundamentum probare *Ioannes Lupus l. 52. Tauri num. 12. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. l. 4. glos. 4. num. 5.*, ne sine causa acquirat. Verum tamen est, quod, si reuera osculum, vel copulam intercesserit in foro conscientiæ sponsus negans teneatur ad medietatem, vel ad integram sponsalitiam largitatem amittendam, quià secundum rei veritatem, & in tali foro interno intercesserit legitima causa amissionis.

Dicenti, nō neganti incūbit onus probandi.

Lupus. Matienzo.

§. VII.

An donatio sponsalitiæ largitatis teneat, quando sponsa nullam dotem attulit.

S V M M A R I V M.

Refertur status controuersia. 1.

Dictum Matienzo, ex quo oritur dubium, eiusque expositio. 2.

Etiam si nulla dos fuerit collata, collatio sponsalitia largitatis secundum se tenet. num. 3.

Stante

Stante statuto, quod sponsalitia largitas taxanda sit ad normam dotis, si hæc non fuerit collata, illa taxanda est, secundum quod attenta qualitate personarum esset dos conferenda. 4.

1 *Status controversiæ expositus.*

DIsquisitio VII. Contractis sponsalibus adinuicem inter Caium, & Meuiam nulla facta conuentione dotis, nec inducta obligatione de eadem cōstituenda Caius contulit Meuiæ sponsalitiam largitatem, & deindè conuento tempore contractum est matrimonium, in quo eadem Meuia nullam dotem contulit marito. Hinc orta est difficultas, an huiusmodi sponsalitia largitas in ea hypothesi teneret.

2 Matienzo.

Ratio, cui innititur præsens dubitatio.

Ratio dubitandi desumitur ex ijs, quæ docuit *Matienzo lib.5.recopil.tit.2.l.1.glos.6 in fine*, nempe sponsalitiam largitatem non posse excedere octauam dotis partem, sicque constituta videtur cum respectu ad sponsæ dotem, ergò vbi nulla dos constituta est, nec videtur posse subsistere sponsalia largitas. Accedit, quod conferens sponsalitiam largitatem non contulisset, si cognouisset nullam dotem sibi conferendam, nam, quantumvis conuentionem de ea non habuerit, potuit tamen sibi suadere, quod iuxta consuetudinem sibi congrua esset conferenda, & per consequens, si non fuerit collata, præsumendus est, quod non habuerit animum conferendi, & si contulerit, contulerit quasi conditionatè repetendi scilicet, si dos sibi non fuerit collata. Nihilominus

3 *Tenet etiā, si nulla dos fuerit constituta.* Auendano Azabedo, Sanchez.

Respondeo, quod etiam, si dos nulla fuerit collata, donatio sponsalitiæ largitatis secundum se teneat. *Auendano de exequend.mand. part.1. cap.15. num.2.vers.tertia conclusio, Azabedo lib.5.recop.tit.2.l.4.nu.15. Sanchez. de matrimon. lib. 6. disp.24. num.6. vers. sed verius est valere.* Ratio ex eo deducitur primò, quià gratis omninò confingitur, quod sponsalia largitas detur præcisè intuitu, seù sub respectu dotis conferendæ, quandoquidem dote collata potest sponsalitia largitas non conferri, & conferri, quantumvis illa non fuerit collata; Vbi etenim reperitur dispositum in iure, quod hæc conferatur intuitu dotis?

Sponsalitia largitas nō datur intuitu dotis.

Si dicatur ex eo arguitiuè deduci, quod taxanda sit ad proportionem dotis, vt inferebat *Matienzo loc. cit.*, in primis dicendum esset, hoc verificari solummodo in dispositione iuris municipalis hispani, quod taxam illam induxit, non iuris communis, quod circa hoc nihil disposuit. Deindè, quantumvis ius municipale hispanum de tali taxa disponat, non propterea infert, quod sine dote non possit constitui sponsalitia largitas, sed dumtaxat determinat, quando dos statuta est, ne excedatur, vt æquitatis limites obseruentur. Quid vetat, quominus conferri possit sponsalitia largitas, vel ad affectus donatariæ conciliandos, vel in ordine ad eius formositatem, nobilitatem, aliosque huiusmodi fines? Secundò ex eo deducitur, quod sponsalitia largitas procedit ex animo gratuito, non quidem quomodocunque, sed in ordine ad matrimonium ineundum, ergò ex genere suo non debet esse præcisè in ordine ad dotem, vel collatam, vel conferendam.

Illa taxa est solum modo de iure municipali hispano.


Si autem hic inquiras, quomodo in suppositione, quod ius municipale hispanum statuat, quod sponsalitia largitas taxanda sit per respectum ad dotem, nec tamen restrictiuè procedat, vt supra innuebamus, itavt non possit conferri, quando dos collata non est, quomodo, inquam, in tali suppositione, si non fuerit dos collata, sponsalitia largitas taxanda sit. Respondendum est, quod tunc attenta qualitate personarum, & eius, quæ confert, & eius, cui confertur taxanda sit ad proportionem dotis, quæ esset conferenda, seù ad arbitrium boni viri habita tali consideratione. Ratio ex eo deducitur, quià vbi aliquid pro norma statuitur, cætera omnia ad ipsum, vel ad illius exemplar saltem quoad proportionem confictum debent regulari, & tunc attenditur, non quod statutum est, sed quod esset statuendum; quantumvis igitur in ea hypothesi dos statuta non esset, sponsalitia largitas regulanda est non ad eam, quæ collata non est, sed esset conferenda attenta qualitate personarum; atque iuxtà hoc procedere deberet iudicium boni, & prudentis viri, quod in ea hypothesi requirit *Matienzo loc.cit.in fin.* Hæc procedunt attento iure municipali Hispaniæ, cæterum de iure communi non video, cur ad quamcunque quantitatem sponsalitia largitas non possit extendi, cum tale ius circa hoc nihil disponat, nec natura contractus aliquam exigat restrictionem.

4 *Quādo dos constituta non est, sponsalitia largitas taxāda est, secundum quod deberet esse.*

Matienzo. *De iure cōmuni potest esse ad quācunq; quantitatem.*

Ex dictis inferas, quod, si sponsus contulerit sponsæ sponsalitiam largitatem nulla ab eadem recepta dote eadem sponsa per osculum lucretur medietatem illius, & per copulam integrè; non etenim desinit esse sponsalitia largitas ex eo, quod desinat collatio dotis per mox allegata; vnde in reliquis omnibus hæc sponsalitia largitas regulanda est iuxta modum, quo regulariter eadem, quando etiam dos collata est.

Etiam sine dote sponsalitia largitas est talis, ac si dos esset constituta.



§. VIII.

§. VIII.

An vbi sponsalitia largitas taxata est à iure, si excedat, irritetur quoad totum.

SVMMARIVM.

Status controuersia expositus. 1.
Sponsalitia largitas in hypothesi illius taxationis irritatur solummodo quoad excessum, non quoad totum. 2.
Donationes excedentes sine insinuatione non sunt irrita quoad totum, maxime, si sint ex causa. 3.
Etiam arra, si excedant taxam, non sunt irrita quoad totum. 4.

1 DIsquisitio I. In Regno Castellæ v. gr. statutum est, ne sponsalitia largitas octauam dotis sponsæ partem excedat, vt expressè habetur *in l. 1. in fin. tit. 2. lib. 5. recopil.* Hoc supposito subditus tali Regno contraxit in eodem cum Liuia subdita, item eidem sponsalia acceptis, seu conuentis pro dote octo millibus aureis, eidemque contulit pro sponsalitia largitate iocalia valoris trium millium aureorum. Hic ortum fuit dissidium, an illa sponsalitia largitas excedens taxam à iure municipali statutam irrita esset quoad omnia, an verò dumtaxat quoad excessum supra taxam. Hæc difficultas, quæ excitatur in terminis taxæ Regni Castellæ extendi potest seruata proportione ad terminos cuiuscunque regionis, in qua per iura municipalia inducta fuerit aliqua taxa pro huiusmodi sponsalitia largitate.

Suppositio, secundum quam procedit titulus.

2 Respondeo in ea hypothesi sponsalitiam largitatem irritari solummodo quoad excessum, non autem quoad totum. *Ioannes Lupus l. 50. Tauri num. 11 Suarez l. 1. num. 10. vers. nota vlterius tit. 2. lib. 3. fori, Padilla auth. res, quæ num. 19. C. communia de leg. Matienzo lib. 5. recop. tit. 8. l. 3. glos. 7. num. 3. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 431. vers. illud est obseruandum.* Expressè colligitur responsio *ex l. sancimus 34. in init. C. de donat.* vbi sic legitur. *Si quid autem supra legitimam definitionem fuerit donatum hoc, quod superfluum est, tantummodo non valere,* vbi nota illam particulam, *tantummodo*, quæ restringit dispositum ad expressa nempe ad id, quod superfluum est; item *ex regula vtile 37. de reg. iuris in 6.*, vbi dicitur, quod *vtile per inutile non vitiatur*, ergò cum collatio sponsalitiæ largitatis quoad octauam dotis receptæ, vel promissæ partem vtilis, & valida sit ex dispositione iuris municipalis Regni Castellæ, non vitiabitur per illum excessum supra illam octauam dotis partem. Probatur vlterius ratione, quia illa sponsalitia largitas est quodammodo respectiua, & ex causa; confertur etenim intuitu matrimonij ineundi; donationes autem ex causa non irritantur, si excedāt causam ex toto, sed dumtaxat in eo, in quo superexcedunt causam, & ad normā eiusdem moderantur. Hinc facile erit respondere ad ea, quæ à nonnullis circūferuntur, nempè donationes excedentes, quæ indigent insinuatione, infirmari quoad totum, si absque eadem fuerint positæ; dic etenim hæc non subsistere, prout punctualis est textus *in d. l. sancimus in princip. C. de donationis*, cuius verba supra recitata sunt. Deinde dato etiam, quod in genere de donationibus subsisterent, fallunt tamen in donationibus ob causam, cuiusmodi est sponsalia largitas, *Bartolus in l. Aquilius regulus n. 3. ff. de donat. Socin. Iun. cons. 77. n. 152. lib. 2.* & licet generaliter donationes ob causam, quantumvis excedētes non indigeant insinuatione, sed secundum se validæ sint quoad totum, ex speciali tamen iuris dispositione quoad hanc sponsalitiam largitatem quoad totū, si sit superexcedens non tenet, sed restringitur quoad validitatem, ad normam, & quantitatem dotis vel collatæ, vel conferendæ.

Irritatur solummodo quoad excessum.
Lupus.
Suarez.
Padilla.
Matienzo.
Molina.

Particula taxatiua restringit disposita.

Illa sponsalitia largitas est respectiua, & ex causa.

3 *Donationes excedentes sine insinuatione non sunt irrita in toto.*

Bartolus.
Socin. Iun.

4 Hinc etiam deduces, quod vbi arræ ex dispositione iuris municipalis alicuius regionis taxatæ fuerunt ad determinatam quantitatem, puta ad decimam bonorum partem easdem constituentis, vt decretum est in Regno Castellæ, prout habetur *in l. 1. tit. 2. de las arras lib. 3. fori, & in l. 2. tit. 2. lib. 5. noua recop. Castella*, non possit excedi in earundem constitutione determinata quantitas, & si excedatur, non irritetur quoad totum, sed dumtaxat quoad eam partem, in qua est superexcessus, & euincitur eisdem penitus rationibus, quibus supra responsio fuit comprobata; nec potest dici, quod textus *in d. l. sancimus C. de donat.* non habeat locum quoad arras, quandoquidem procedit solum de donationibus, qui propterea non est extendendus ad causas onerosas, & correspectiuas, cuiusmodi est causa arrarum; Non, inquā, dici potest, quia ille textus ad eum solum finem refertur, vt euincat, quod, quando determinata quantitas est taxata in ordine ad aliquem effectum, si excedatur, infirmetur solum quoad excessum, non autem quoad quantitatem dispositam; quod si valet quoad donationes, non video, cur etiam valere non possit quoad collationē arrarum, cum vtrobique sit dispositum, quod taxa non excedatur. Cæterum & ego, video, quod diuerso iure sit dispositum de donationibus simplicitèr sumptis, & de constitutione arrarum, cum præcipuè illæ sint gratuitæ, istæ vero ex genere suo onerosæ, & correspectiuæ. Stat igitur solum paritas in hoc, quod sicuti donationes taxatæ à iure non possunt excedere, & tamen

Idem dicendum est de arris excedentibus.

Quomodo procedat textus in l. sancimus de donationibus in ordine ad arras.

tamen si excedunt, non infirmantur quoad totum, sed tantum quoad excessum, ità & constitutio arrarum à iure municipali taxata non possit esse superexcedens, & tamen si superexcedat non fit irrita quoad omnia, sed tantum quoad excessum, nec in hoc dignoscere valeo disparitatem.

§. IX.

An sponsalitia largitas possit valide excedere quantitatem taxatam à iure, quando confertur cum expresso pacto, vt nullo casu reuertatur ad donantem.

SVMMARIVM.

Varia suppositiones, & dubitatio ex illis procedens. 1.

Collatio sub illa conditione facta antecedenter ad sponsalia, quantumvis fuerit excedens, non irritatur etiam quoad excessum. 2.

Quantumvis illa collatio sub illo pacto, & conditione facta fuerit post contracta sponsalia, & fuerit excedens quantitatem à iure praescriptam nō propterea redditur inualida quoad excessum. 3.

1 Disquisitio IX. Suppono iterum, quòd per iura municipalia alicuius regionis taxata sit determinata quantitas sponsalitiæ largitatis, ita vt nequeat excedi, vt definitum est in allegatis iuribus municipalibus Regni Castellæ quoad octauam bonorum partem constituentis talem largitatem in ordine ad dotem. Insuper suppono, quod sponsus contractis legitimè sponsalibus dona plurima sponsæ contulerit excedentia secundum valorem quantitatem à iure præfinitam, ea tamen adiecta conditione, vt huiusmodi dona nullo vnquam casu reuertantur ad sponsum, qui ea contulit. Hic modo excitatur difficultas, an ea collatio sponsalitiæ largitatis, quantumvis excedentis quantitatem taxatam ratione conditionis appositæ teneat.

Varia supposita, & ratio tituli exposita.

Hanc difficultatem excitauit *Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 24. nu. 2.* secundum terminos tamen diuersos, nam supponit, quod talis collatio facta fuerit sub tali cōditione ante contracta sponsalia, & concludit talem collationem in ea hypothesi absolutè tenere eo, quod existimet eandem non venire propriè nomine sponsalitiæ largitatis, de qua iura loquuntur, nec propriè est donatio inter coniuges, cum coniugium adhuc contractum non sit, nec referatur ad tempus coniugij. Sed dubium nostrum excitatum est in terminis, secundum quos supponuntur iam inita sponsalia, in quibus maior videtur inesse ratio dubitandi, cum suppositis sponsalibus videatur id, quod confertur propriè habere rationem sponsalitiæ largitatis. Iuxtà vtrosque terminos satisfaciemus præsenti difficultati, & propterea

Sanchez.

In quo sensu procedat Sanchez.

Respondeo primò, si illa collatio sub illa conditione facta fuerit antecedenter ad sponsalia, quantumvis fuerit excedens quantitatem à iure præscriptam ad sponsalitiam largitatem, propriè, & in rigore non irritatur *Auendano de exeq. mand. part. 1. cap. 15. num. 1. Sanchez loco quo supra.* Ratio ex eo deducitur primò, quià sponsalitia largitas in rigore esse non potest, nisi inter sponsos, ergò, si conferatur ante contracta sponsalia proprè, & in rigore non est sponsalitia largitas, adeoque non est, cur subesse debeat iuribus sponsalitiæ largitatis; non enim congruū est, vt quod non est tale subsit oneribus adiectis ei, quod est tale. Secundò, quià de ratione sponsalitiæ largitatis est, vt, si sponsalia dissoluantur ex causa donatarij huiusmodi largitas referatur, seù reuertatur ad donantem per ea, quæ fusè superius fuerunt allegata, & probata, ergò, cum in terminis, de quibus procedit responsio, ex nullo casu possit collatio reuerti in donatorem non venit propriè appellatione sponsalitiæ largitatis, adeoque &c. 2

Sub illa conditione, si fuerit precedens sponsalia non irritatur quo ad excessū. Auedano. Sanchez.

Non est propriè sponsalitia largitas.

Dices primò, quod, quantumvis illa collatio facta fuerit ante sponsalia contracta potuerit tamen fieri cum ordine ad eadem contrahenda, vel fortè etiam cum expressa conditione eorundem, ratione cuius ordinis, & conditionis potest habere rationem sponsalitiæ largitatis. Sed contrà, quià per illam conuentionem, ratione cuius collatio redditur irreuocabilis, nec intelliguntur sponsalia contracta, nec inductum respectu donatarij onus ad illa contrahenda, si fuerit cum præciso ordine ad eadem contrahenda; quod, si supponas collationem factam fuisse cum expressa conuentione ad eadem sponsalia, tunc dicerem, quod, si eadem non contraxerit, non teneat sponsalitia largitas, quæ certè reuocabilis est, sed hoc est contra suppositionem responsionis, secundum quam est irreuocabilis ex quocunque casu.

Per illam collationē, nec contrahuntur sponsalia, nec inducitur onus ad illa contrahenda.

Dices secundò, quod ratione illius pacti, & conuentionis, quantumvis illa collatio prætergrediatur communes terminos sponsalitiæ largitatis, non tamen egrediatur à ratione formali illius, ea proportionali ratione, qua diximus *tom. 3. sub tit. Contractus 9. de commod., & Deposito pranot. 6. num. 2.* in terminis commodati, quod ex genere suo, si pereat, perit commodanti, & tamen eidem non obstat pactum, vt absolutè res commodata stet periculo

commodata stet periculo commodatarij ex quocunque euentu pereat, & quamvis ratione illius pacti prætergrediatur communes terminos commodati non propterea ab illius ratione formali egreditur; nam ità videtur de ratione formali sponsalitiæ largitatis, vt si ex causa donatarij non sequatur matrimonium, redeat ad cōferentem, sicuti est de ratione formali commodati, vt si ex aliquo euentu pereat, pereat commodanti. Sed contra, quià quotiescunque collatum irreuocabile est transit in naturam absolutæ donationis, & nomen tantum retinet sponsalitiæ largitatis, nec currit paritas de commodato cū onere assecurationis respectu commodatarij, quandoquidem res commodata ratione illius oneris non transit absolutè quoad dominium in eundem commodatarium, sed cum onere restitutionis, & illa qualitas assecurationis adiecta per pactum solum afficit assecurantem in casu, quo res perierit; cæterum quoad substantiam res illa est sub dominio commodantis, & habet omnia essentialiter requisita ad rationem commodati, à qua non extrahitur per illud pactum, quod afficit solum commodatarium, non rem ipsam. Diuerso autem modo se habet in illa collatione largitatis irreuocabili, cum irreuocabilitas destruat absolutè substantiam sponsalitiæ largitatis, eamque transferat in absolutam donationem, quæ in alio ad inuicem non distinguuntur, nisi in eo, quod, cum sponsalitia largitas sit in ordine ad matrimonium contrahendum, debet ex sua ratione esse talis, vt si matrimonium non contrahatur, nullam vim habeat, donatio autem, si fuerit absoluta, à nullo dependet, nisi à voluntate donantis, quod certè euenit in hac hypothesi, secundum quam illa collatio quocunque superueniente est irresolubilis.

Quotiescunque collatū irreuocabile est transit in naturam absolutæ donationis.

Non currit paritas de commodato cum onere assecurationis.

3 Respondeo secundò, quantumvis illa sponsalitia largitas cum tali pacto, & conuentione facta fuerit subsequenter ad sponsalia iam contracta, & excedat quantitatem à iure præscriptam, non propterea quoad excessum redditur inualida, nec irritatur. Consonat cum ijs, quæ dicta sunt *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsal. II. pranot. 3. assert. 1. num. 2.* per DD., & iura ibi allegatos, seu allegata; vbi diximus, quod intercedente tali pacto, vt nullo casu redeat ad donantem, acquiratur irreuocabilitèr donatario, quantumvis, nec osculum sequatur, nec copula intercedat, & ex culpa donatarij non sequatur matrimonium, prout etiam docent *Glosa §. est, & aliud verb. exequentur in fin. Instit. de donat. Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 2. Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 18. num. 1. vers. prima conclusio*, ex quibus omnibus clarè liquet per illud pactum collationem illam propriè extrahi à ratione formali sponsalitiæ largitatis, ergò propriè non subditur iuribus, quibus subditur eadem sponsalitia largitas, ergò, quantumvis hæc excedat, seù excesserit taxam à iure præscriptam, non propterea quoad excessum irritabitur. Consequentia tenet, quià disposita quoad sponsalitiam largitatem non sunt extendenda ad ea, quæ sunt extra rationem formalem eiusdem; Neque dicas, quod, quamvis non irritetur ratione dispositionis talis iuris municipalis præcipientis in genere sponsalitiæ largitatis non posse excedere taxam præfinitam, irritetur tamen ex dispositione alterius iuris, vel irritantis donationes inter coniuges, vel disponentis, non posse esse donationes excedentes, nisi fuerint insinuatæ; contra enim impugnaberis, nam quoad primum, quamvis ex dispositione iuris irritentur donationes inter coniuges constante iam matrimonio per ea, quæ alibi nos commendauimus, non tamen irritantur donationes inter sponsos de futuro nondum constituto matrimonio, vt etiam supra docuimus; quoad secundum verò, quamvis illud collatum excedat id, quod præfinitum est quoad sponsalitiam largitatem, non propterea supponimus, quod excedat id, quod potest venire sub nomine simplicis donationis absque insinuatione.

Non redditur inualida quoad excessum etiam si fuerit post contracta sponsalia.

Glosa. Gomez. Sanchez.

Extrahitur per illud pactum à ratione formali sponsalitiæ largitatis.

§. X.

An euicta dote diminuenda sit sponsalitia largitas.

SVMMARIVM.

Exponitur controuersia, & rationes dubitandi pro vtraque parte. 1.

Sententia asserens euicta dote, vel in toto, vel in parte, nec reuocandam, nec minuendam sponsalitiam largitatem. 2.

Consideratio accomoda ad præsens institutum. 3.

Euicta dote quoad totum, si sponsalitia largitas fuerit collata per ordinem ad eandem, potest quoad totum reuocari, si sine ordine ad illam, non potest; in dubio autem, quo ordine fuerit collata præsumendum est cum ordine ad dotem. 4.

Si dos fuerit collata, & posteà in parte euicta stante dispositione iuris municipalis, quod sponsalitia largitas nequeat excedere octauam dotis partem diminuenda est ad ratam diminutionis dotis. 5.

Satisfit rationi dubitandi. 6.

1 DIsquisitio X. Sistimus adhuc in terminis dispositionis legalis taxantis quantitatem sponsalitiæ largitatis, vel ad octauam dotis partem, vel ad quid simile,

Facti series in suis terminis exposita cum rationibus dubitandi.

Quo supposito supponimus etiam in sponsalibus celebratis inter Caium, & Meuiam, vel per eandem Meuiam promissam esse dotem, vel fortè etiam collatam viginti millium aureorum in tot bonis, quibus eadem Meuia potiebatur, & ad normam eiusdem promissionis, vel collationis per Caium constitutam esse sponsalitiam largitatem non excedentem octauā eiusdem dotis partem, vel aliud à iure præscriptum. Rebus sic stantibus ex aliquo iure sibi competente iudicium intentauit Antonius aduersus bona Meuiæ collata in dotem Caio, eademque bona, vel in toto, vel in parte euicit, & è manibus Caij vindicauit. Hic orta fuit controuersia, an sponsalitia largitas per Caium collata esset in totum reuocanda, si omnia bona fuerint euicta, vel in partem diminuenda, si aliqua tantum bona esset per Antonium à manibus Caij reuocata.

2 *Sententia asserens non esse reuocandam, nec minuendā.* Suarez. Gomez. Molina.

Contendunt *Suarez lib.3. fori tit.3. de las arras l.1. num.5. vers. tene etiam menti Antonius Gomez l.50. Tauri num.13. Molina tom. 2. de iustitia tract.2. disp. 431. §. illud est obseruandum*, nec absolutè sponsalitiam largitatem reuocandam esse quoad totum, si in totum res fuerit euicta, nec quoad partem, si in parte tantum dos fuerit per euictionem reuocata, eodem iure mouentur, quod habetur *in l. bonorum appellatione ff. de verb. oblig.* vbi sic legitur. *In bonis autem nostris computari sciendum est, non solum, quæ dominij nostri sunt, sed si bona fide à nobis possideantur*; dubium autem non est, quod

Bona erant sub dominio sponsæ conferentis dotem.

nedum bona fide illa bona in dotem collata possiderentur à sponsa pro tempore collationis, sed etiam sub ipsius dominio, cum euincens non haberet tunc in illis ius in re, sed dumtaxat ad rem. Si igitur tunc erat in bonis fœminæ conferentis dotem, non est, cur sponsalitia largitas ad eandem relata tenere non debeat, nec debet posteà deficere ex eo, quod bona dotalia deficiant, sicuti non debet cessare ex eo, quod eadem bona dotalia post collationem casu fortuito, & inopinato deficiant sine culpa sponsæ conferentis. Nihilominus pro solutione

3 *Dispar ratio, quandò constituta est dos, ac quandò non est constituta.*

Considerandum est, quod, quantumuis in præcedentibus dixerimus nulla adhuc constituta dote posse subsistere sponsalitiam largitatem, nihilominus in hypothesi, qua dos constituta esset, & postea euicta, maxima sit ratio dubitandi, an intuitu illius sit constituta eadem sponsalitia largitas, adeovt, si conferens cognouisset dotem euincendam, non contulisset, an verò adhuc eadem non constituta, compleuisset; nam quando contulit sine dote, vel promissa, vel conuenta, vel collata, certè tunc præsumitur, quod animo gratuito contulerit, cum alius titulus non intercesserit conferendi, quando autem præcessit constitutio dotis, tunc est vehemens præsumptio, quod intuitu eiusdem contulerit, cæteroqui non collaturus. Quibus positis, & consideratis

Respondeo primò; vbi dos, vel promissa, vel collata euicta fuerit in toto, tunc ex præsumpta voluntate conferentis sponsalitiam largitatem coniectandum esse, an sit absolutè restituenda, nec ne, si etenim contulerit relatiuè ad dotem, cæteroqui non collaturus, tunc certè euicta dote quoad totum, eandem sponsalitiam largitatem potest reuocare; si verò contulerit nullo habito respectu ad eandem, tunc nō poterit repetere; in dubio autem, vbi de tali voluntate non constet, præsumendum est pro voluntate conferendi in ordine ad dotem, adeoque eadem euicta poterit collator eandem repetere. Ità saltem implicitè sentire videtur *Sanchez lib.6. de matrimon. disp. 30. num. 3. & eod. lib. disp. 24. num. 6.* 4

Iuxtà sol. & animum conferentis sponsalitiā largitatem præsumendum est pro iure repetendi, vel non repetendi.

Sanchez.

Ratio primæ partis ex eo deduci potest, quod ex genere suo per superius probata sponsalitia largitas, vel potest esse respectiuè ad dotem ipsa scilicet collata, vel promissa, vel præscindendo ab eadem, si scilicet non fuerit constituta, quinimmo ex eo, quod ex genere suo non exigat essentialiter dotem potuit, & potest constitui eadem largitas, quamvis dos fuerit constituta, vel collata, vel cum animo ipsam transferendi absolutè nullo habito respectu ad eandem dotem, vel cum animo transferendi limitatè, & conditionatè respectiuè ad eandem dotem, nec aliter, nec alio modo, ergò in dissidio de animo transferendi absolutè, vel conditionatè ex præsumpta voluntate conferentis coniectandum est, cum vbi non constet de expressa ad præsumptam, & interpretatiuam voluntatem regularitèr recurratur. Quomodo autem sit coniectanda huiusmodi voluntas ad circumstantias recurrendum est; si etenim eximiæ, & superexcedentes concurrant qualitates in fœmina donataria, si maxima collator propensione in ipsam feratur, si consuetudo obtinuerit, vt nulla etiam præstita dote sponsalitia hæc largitas conferatur, & alia huiusmodi, tunc certè maximè insinuant ad inducendam credulitatem, quod adhuc fuisset collaturus, & de facto contulerit nullo habito respectu ad dotem.

Potuit ad utrumque finem conferri.

Circumstantia inducent ad præsumptionem pro donatione sine ordine ad dotem.

Ratio secundæ partis, si scilicet contulerit relatiuè ad dotem, cæteroqui non collaturus, possit eandem reuocare euicta eadem dote dummodò de tali voluntate relatiua ex coniecturis constet, ex eo euincitur, quod collatio non necessaria, sed libera, & voluntaria non habet vim, nisi ex animo vel expresso, vel interpretatiuo conferentis, ergò, si conferens animum solummodò habuerit conferendi

Rationes euincentes intentum, quandò est animus conferendi respectiuè ad dotem.

di relatiuè ad dotem, & non aliter, nec alio modo, & de tali animo saltèm interpretatiuè constet eadem dote vel non collata, vel si fuerit collata, posteà euicta, poterit sponsalitiam largitatem repetere, quià cessante causa, ob quam res concessa est, cessat concessio. Confirmatur, quià in hac suppositione illa collatio cum tali animo, vel reali, vel interpretatiuo est quasi conditionata conferendi scilicet irreuocabiliter, si dos fuerit tradita, & non euincatur, seù tradita in valida forma, reuocabiliter vero, si vel non fuerit tradita, vel si tradita, euincatur, ergò &c.

Ratio tertiæ partis, si scilicet contulerit nullo habito respectu ad dotem, & constet saltem interpretatiuè de animo conferendi sine tali ordine, sic euincitur, quià tunc ratio dotis nihil confert, in ordine ad talem sponsalitiam largitatem, siquidem æquè fuisset collata, siue constituta, & tradita fuisset dos, siue non, ergò sicuti, si non fuisset dos collata, adhuc sponsalitia largitas teneret, ità etiam, si fuerit collata, & posteà dos euicta, adhuc tenebit, quandoquidem ratio conferendi sponsalitiam largitatem non fuit dos collata.

Ratio, animi esse inventum, quandò non præsumitur respectiuè ad dotem.

Iuxtà hanc tertiam partem assertionis consurgit maxima ratio dubitandi, cum supponatur existere ius municipale taxans sponsalitiam largitatem ad normam collationis dotis, adeovt talem taxam nō possit excedere, quomodo tunc taxanda esset talis sponsalitia largitas, vt dignosci possit, an excedat, & prætergrediatur terminos iuris, an verò non excedat, sed contineatur intra terminos eiusdem iuris. Iuxtà prædicta decidenda res est; tunc etenim arbitrio prudentis viri attenta qualitate personarum reduci res debet ad quandam æquitatem, secundum quam consideretur dos non vt collata, sed vt esset congruè conferenda, & ad normam ipsius regulari debet sponsalitia largitas.

Ratio quartæ partis, quod scilicet in dubio de animo conferendi, vel absolutè, vel conditionatè, præsumendum sit pro animo conditionato, & respectiuo, ex eo deducitur, quod donationes in contractibus correspectiuis saltem secundum regularem normam non præsumuntur, nisi probentur, sed quando dos constituta est, illa collatio videtur ex se correspectiua, & relata ad eandem dotem, cum interueniente causa collationis ad eandem causam congruentius referatur, ergò præsumendum est, quod fuerit respectiua, non absoluta, sicque cessante causa dotis non est, cur non possit repeti.

In dubio præsumendum est pro respectu ad dotem.

5 Respondeo secundò. Si dos fuerit collata, & posteà in parte euicta stante dispositione iuris municipalis, quod sponsalitia largitas nequeat excedere octauam dotis partem, eadem sponsalitia largitas diminuenda est, ita vt reducatur ad octauam dotis partem, quæ remanet post euictionem *Gutierez 3. practic. q. 42. n. 12. Aiora de partit. prima part. c. 7. n. 22, & seqq. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 30. nu. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià iura municipalia disponentia, ne sponsalitia largitas excedat octauam dotis promissæ, vel collatæ partem, intelligenda sunt de vera dote collata, & promissa, secundum quod est, & transfertur in potestatem recipientis, non secundum quod apparet, & in eiusdem non reducitur potestatem, cum verba in potiori significatu sint accipienda *l. 1. ff. si ager vectig. verb. qui in perpetuum, & l. 3. §. hæc verba ff. de neg. gest.*, ergò, si dos in parte euincatur, & non remaneat sub potestate sponsi sponsalitia largitas erit reducenda ad normam dotis remanentis penes sponsam, non ad normam dotis euictæ. Confirmatur, quià, si sponsa fictè, & apparentèr promiserit magnam dotem, & posteà non contulerit, nisi modicam, cum aliam non possit erogare, sponsalitia largitas commensuranda est ad dotem verè collatam, non ad fictè promissam per textum iuris municipalis Regni Castellæ *in l. 1. tit. 2. lib. 5 recop. Auedan. de exeq. mand. part. 1. c. 15 n. 2. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. l. 1. glos. 6. num. 3. Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 24. n. 3.*, & alij plures, ergò etiam si magna dos fuerit vel promissa, vel collata, & posteà in parte fuerit euicta, sponsalitia largitas erit desumenda ad normam dotis euictæ, non collatæ; cum proindè fuerit, ac si illa dos fuerit collata tantum in illa parte, quæ remanet, non in ea, quæ fuit euicta, & respectu recipientis dotem parum refert, quod fuerit fictè magna promissa, & modica collata, & quod fuerit etiam magna collata, & posteà per euictionem reducta ad modicum.

Diminuenda est ad taxam diminutionis dotis.
Gutierez.
Aiora.
Sanchez.

Iura respiciunt dotem veram, non apparentem.

Auedan.
Matienzo.
Sanchez.

Perindè est, ac si illa dos fuerit collata tantùm pro parte.

Hæc, quæ hactenus diximus de sponsalitia largitate, proportionaliter intelligenda sunt de constitutione arrarum, in ordine ad quas est etiam statutum municipale in Regno Castellæ, quod nequeant excedere decimam bonorum partem eiusdem constituentis; si etenim constituens comparatiuè ad bona, quę tunc possidebat, constituerit arras non excedentes decimam partem bonorum ipsius, & posteà ex iusta causa bona eiusdem plurima fuerint euicta, tunc arræ reducendæ sunt ad normam bonorum, quæ remanent, non eorum, quæ fuerunt euicta; hocque rationes euincunt, quæ militant de sponsalitia largitate.

Idem intellige proportionalitèr de constitutione arrarum.

Ad ea, quæ ex aduerso superius afferebantur *ex l. bonorum appellatione ff. de verb. significat.* dicendum est in ea dici bona, quæ

bona

bona fide possidentur esse possidentis quoad eum effectum, vt possit se tueri per exceptionem in summarijssimo possessorio, non quatenus in rigore sint bona propria, & secundum absolutum dominium eiusdem, quatenus de illis possit pro sua libertate disponere, quod requiritur ad hoc, vt illa bona veniant in computatione decimæ partis, quam constituens potest erogare pro arris.

Soluitur obiectio supra proposita.

§. XI.

An subditus loci, in quo viget ius municipale, & taxatiuum sponsalitiæ largitatis, si nubat exteræ, eidemq; conferat excedentem validè, & irreuocabiliter conferat.

SVMMARIVM.

Dilucidatur factum in particulari. 1.

Sponsus regionis, in qua viget statutum taxatiuum sponsalitiæ largitatis, nubens extera, eique conferens sponsalitiam largitatem excedentem taxam propriæ regionis, potest excessum repetere. 2.

Sponsus forensis conferens sponsalitiam largitatem fœminæ existenti in loco, vbi est ius taxatiuum eiusdem, non potest excessum repetere, si illa fuerit excedens. 3.

1 DIsquisitio XI. Extante iure municipali in aliqua regione, vt sponsalitia largitas non excedat tantam determinatam dotis partem Titius ciuis in tali regione sponsalia contraxit cum Theodorica ciue alterius regionis, in qua illud ius non extat receptis ab eadem pro dote duodecim millibus aureorum, & viceuersa eidem contulit sponsalitiam largitatem excedentem comparatiuè ad illam dotem taxatam propriæ regionis. Orta hic fuit controuersia, an in ea hypothesi illa sponsalitia largitas sic excedens teneat, an verò sit irrita quoad excessum. Hæc difficultas excitari potest etiam in terminis, secundum quos sponsa esset ciuis regionis, in qua viget illud ius municipale taxatiuum, sponsus verò esset forensis, illique regioni non subditus.

Facti series exposita.

2 Respondeo primò, probabilius esse in ea hypothesi Titium conferentem illam sponsalitiam largitatem excedentem taxam in ordine ad dotem sibi à sponsa extera collatam posse excessum repetere. *Palaez de maior. prima part. qu. 58. num. 38. Azabedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 1. num. 28.* Ratio ex eo deducitur, quià statutum afficit personam sibi subditam, eiusque potissimum bona existentia in loco subdito, sed in ea hypothesi sponsus, & bona ipsius sunt subdita loco, in quo viget illud statutum, ergò, & ipse, & ipsius bona afficiuntur tali iure, & per consequens contra illius dispositionem sponsus non poterit excedere in quantitate taxata sponsalitiæ largitatis. Confirmatur, quià finis principalis illius iuris municipalis est, ne ipsius subditi ex nimio erga sponsam amore se supra modum suis bonis expolient; sed hæc ratio finalis æquè militat siue sponsa sit intra limites regionis, in qua viget tale ius municipale, siue extra, ergò dummodo sponsus fuerit subditus talis regionis non poterit excedere illam sponsalitiam largitatem taxatam à iure talis loci.

Potest excessum repetere.

Pelaez. Azabedo.

Statutum afficit personam sibi subditam, & bona eiusdem existentia in loco eiusdem statuti

Militat eadem ratio finalis statutaria, ac si sponsa esset in loco statuti.

Dices primò *ex c. illa dist. 12.* vnusquisque legibus, & consuetudinibus eorum, ad quos diuertit, accomodare se debet, quod etiam asserunt *Abbas cap. à nobis el. 1. de sent. excommun. num. 11. Landulphus, quem refert, & sequitur Cardin. Clem. 2. de celebrat. Missar. q. 5., & ibi Immola num. 3. Nauarrus cap. 13. num. 5., & cap. 23. num. 120. Maior in 4. dist. 15. qu. 3. col. 15. arg. 4. Ludouicus Lopez prima part. instruct. cap. 52. §. vnaquaque ciuitas,* ergò nubens extra territorium, in quo non viget ius municipale taxatiuum illius sponsalitiæ largitatis poterit absolutè se accomodans tali loco excedere talem taxam. Sed contra, quià allegata iura, & DD. intelligi dumtaxat debent in ijs quæ se habent per modum permanentis, quæque postquam peracta sunt irritari possunt, & reuocari, cuiusmodi est sponsalitia illa largitas, quæ postquam collata est, potest quoad excessum reddi irrita; vnde meritò asserit *Bartolus in l. quæsitum 76. §. fin. ff. de legat. 3.,* quod in permanentibus, *quæ casu absunt non dici abesse,* sicque nubens extra territorium, in quo in fine nuptiarum abest cum animo redeundi adhuc remanet suæ patriæ ciuis *arg. d. l. quæsitum §. fin. ff. de legat. 3.,* vbi expresè hoc colligitur.

Quomodo verificetur quod quisq; debeat se accomodare legibus loci, ad quem diuertit.

Abbas. Landulph. Cardinalis Nauarrus, Lopez.

Procedit quoad eas actiones, quæ se habent per modum transeuntis.

Bartolus,

Dices secundò, contractus absolutè initus censeri debet celebratus iuxta consuetudines, & statuta loci, in quo initur per textum *in l. quod, si nolit §. quià assidua ff. de ædil. edict. Bartolus in l. nemo est num. 5. ff. de duob. reis, Abbas cap. cum M. num. 5. de constit.,* ergò, si recepta dote collata fuerit sponsalitia largitas in loco, in quo non est imposita taxa, non erit, cur tenere non debeat, quantumvis fuerit excedens, cum ex vno capite habeat quodamodo vim contractus, & alio contractus conformari debeat loci, in quo celebratur consuetudini, & statuto. Sed contrà, quià à communi illa regula, quæ in antecedenti instantiæ exponitur est singularis exceptio quoad contractum dotis per textum *in l. exigere ff. de iudicijs,* vbi dicitur, quod non attendatur statutum loci, vbi contractus est initus, sed loci, in quo vir domicilium habet

Bartolus, Abbas.

Est singularis exceptio quoad contractum dotis.

Bartolus. Fulgosius. Iason.

habet *Bartolus in l. 1. num. 17., & ibi Fulgosius num. 18. Iason num. 60. C. de Summa Trinit.*, ex quo deduci potest, quod, cum sponsalitia largitas regulariter referatur ad dotem, eodemmet iure sit regulanda.

3 *Sponsus forensis conferens sponsalitiam largitatem excedentem sponsa subdita loco, ubi statutū viget validè confert.* Minchaca.

Respondeo secundò. Si sponsa fuerit subdita loci, in quo viget illud ius municipale, & sponsus forensis, & habens domicilium extra illud territorium, hicque contulerit sponsalitiam largitatem excedentem non irritatur collatio. Ità *Minchaca apud Pelaez de Maioratu prima part. qu. 58 num 64. aduersus eundem Pelaez, & Azabedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 1. num. 32.* Ratio ex eo deducitur primo, quià ius illud municipale præcipuè afficit conferentem, ne ex nimio amore erga sponsam suis destituatur diuitijs, ergò, si conferens non subdatur dispositioni illius iuris conferendo sponsalitiam largitatem superexcedentem non irritè conferet. Secundò iura municipalia suorum subditorum incolumitati consulere voluerunt, non in ipsorū odia dispositum retorquere, ergò non præsuponuntur irritare sponsalitiam largitatem, quando non vergit in damnum alicuius sui subditi, sed dumtaxat in illius commodum. Tertiò, quià ex prædictis contractus dotis attendendus est secundum normam loci non, in quo initus est, sed eius, in quo degit maritus per d. textum *in l. exigere ff. de iudicijs*, ergò, cum sponsalitia largitas commensuranda sit ad normam dotis attendi debet secundum morem regionis, in qua degit sponsus, non aliter.

Iura municipalia respiciunt incolumitatem subditorum, non forensium.

§. XII.

An, si sponsalitia largitas superexcedens firmetur iuramento, valeat quoad excessum.

SVMMARIVM.

Facti series exposita in suis terminis. 1.
Sententia Sanchez asserentis arras excedentes iuramento non firmari, bene tamen sponsalitiam largitatem. 2.
Per iuramentum sponsalitia largitas quoad excessum non firmatur. 3.
Dispar ratio inter donationes inter coniuges, & sponsalitiam largitatem excedentem. num. 4.

1 *Dilucidatur factum.*

DIsquisitio XII. Contractis sponsalibus inter Fabium, & Theophilam, in quorum conuentione Theophila, vel promisit, vel contulit pro dote dorem millia aureorum Fabius nō attenta quantitate dotis sponsalitiam erogauit largitatem excedentem taxam à iure statutam, eandemque largitatem iuramento confirmauit. Hic dubitatum fuit, an per illud iuramentum eadem firmaretur, & redderetur valida etiam quoad excessum.

Sanchez lib. 6 de matrimonio disp. 34., qui prius num. 2. loquens de constitutione arrarum docuerat easdem arras excedentes taxam à iure præscriptam iuramento non firmari, modo *sub num. 3. eiusdem disputationis*, docet sponsalitiam largitatem excedentem terminos à iure præscriptos verè, & efficaciter huiusmodi iuramento muniri. Rationem diuersitatis ex eo desumit, quod constitutio arrarum vltra taxam à iure præscriptam non solum est in damnum constituentis, sed etiam consanguineorum eiusdem, quibus conceditur proptereà ius repetendi excessum; contractus autem per iuramentum non potest firmari in præiudicium tertij per textum *in cap. quamvis pactum de pactis in 6., & cap. cum contingat in fin. de iure iuran. Couarruuias de pactis part. 2. §. 2. num. 8. Padilla auth. res, qua num. 29 C. communia de legatis*, collatio verò sponsalitiæ largitatis suprà taxam à iure statutam est solummodo in damnum conferentis, non consanguineorum, cum eisdem non concedatur ius repetendi excessum, adeoque cum illud iuramentum non sit in alicuius alterius præiudicium, vtique iuramento validè, & efficaciter firmatur. Nihilominus

2 Sanchez.

Sententia Sanchez distinguentis inter arras, & sponsalitiam largitatem.

Couarruuias Padilla.

Respondeo, per iuramentum adhuc sponsalitiam largitatem quoad excessum non firmari. *Couarruuias de pactis 2. part. §. 1. num. 8. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. l. 2. glos. 3. num. 7.*, qui quamvis loquantur de iuramento apposito in constitutione arrarū, ex rationibus tamen, quas ipsi adducunt conuincuntur idem intelligere de iuramento in collatione sponsalitiæ largitatis excedentis. Ratio ex eo deduci potest, quià lex municipalis præscribens talem taxationem, vltrà quam non teneat excessus, iustissima est, & tendens in bonum publicum, ne scilicet sponsi nimio inter se amore bonis vltra æquum destituantur, ergò per iuramentum speciale conferentium non potest infirmari, cæteroqui iura vniuersalia, & ius commune, vtilitatemque publicam respicientia possent per priuatas partium conuentiones pro arbitrio eli[...], quod rationi consonum non est: Neque obesse potest, si asseratur, quod vis iuramenti hoc habeat, vt faciat valere actum prohibitum lege ciuili etiam cum decreto irritanti, si non sit in præiudicium tertij per textum *in cap. quamvis pactum de pactis in sexto Gutierez de iuram. prima part. cap. 14. num. 5.*, cum igitur ille excessus sit solummodo contra leges ciuiles, non autem canonicas, nec naturales, vtique per iuramentum poterit validari; Non, inquam, obesse potest, quià in primis dici potest

3 *Excessus nō firmatur per iuramentum.* Coaruuias Matienzo.

Lex iusta est, & tendit ad bonum publicum.

Gutierez.

potest, quià in primis dici potest, quod illa collatio superexcedens sponsalitiæ largitatis sit etiam in præiudicium publicum, cui iura obuiare intenderunt, adeoque, quod nequeat iuramento firmari. Deinde, cum hic agatur de bonis præcisè fortunæ, quæ laicali subsunt potestati, vtique talis laicalis potestas non solum ius habet disponendi circa eadem annullando actiones particulares, easque eneruando, sed etiam se muniendi aduersus quodcunque, per quod diminui possit eius validitas, vnde bene notant *Couarruuias de pactis prima parte* §. 3. *num*. 7. *Gutierez in auth. sacramenta puberum num*. 46. *C. si aduersus vendit*, quod ius ciuile, quantumvis nihil possit disponere circa iuramentum iam præstitum, cum hoc pertineat ad forum Ecclesiasticum, possit tamen disponere, & impedire eiusdem obligationem, antequam præstetur; cæteroqui semper esset in potestate cuiusque particularis contrahentis eludendi quodcunque ius ciuile disponens circa temporalia addendo proprijs actionibus iuramentum, quod est rationi dissonum.

Est contra bonum publicum.

Couarruuias. Gutierez.

Ratio potest esse secundo ex ijs, quæ docuimus *tom*. 1. *sub tit. Contractus* 3. *de mutuo, & vsuris pranot*. 4. *nu*. 6., & 14. nempè disposita per Senatus Consultum Macedonianum *in l*. 1., *& seqq. ff*., *& C. ad Macedonianum*, *& Instit. quod cum eo, qui in aliena est potestate* §. *penult*. aduersus filios familias accipientes mutuas pecunias viuente Patre (vbi contractus declaratur irritus, & filius familias deobligatur ab onere restitutionis mutui accepti) vbi, inquam, ibi disposita non solum obligare in foro externo, sed etiam in interno animæ *Innocentius, Panormitanus in c. quià plerique de immunit. Eccles. n*. 26. *Antonius Gomez tom*. 2. *var. c*. 6. *n*. 2. *Bartolus in extrauag. ad reprimendum verb. denuntiationem nu*. 12., & quantumvis filij familias obligationem iuramento confirmauerint, non propterea obligantur, *Bartolus in d. extrauag. ad reprimendum eod. verb. denuntiationem*, *Panormitanus, in c. cum contingat nu*. 22. *de iure iuran*., ergò etiam disposita per iura municipalia aduersus conferentes sponsalitiam largitatem superexcedentem deobligabuntur quoad excessum non solum in foro externo, sed etiam in interno, quantumvis talem sponsalitiam largitatem iuramento confirmauerint; si enim ius ciuile in primo casu potens est ad infirmandam vim iuramenti, non video, cur etiam iura municipalia non possint idem iuramentum infirmare.

Argumentū desumptum ex paritate mutui facti filio familias. Innocent. Panormitanus. Gomez. Bartolus.

Dices, disparem esse rationem in prima hypothesi de mutuo iuramento firmato, ac in secunda de sponsalitia largitate excedente, & iurata; Disparitas autem in eo fundatur, quod mutuum acceptum est in præiudicium Patris ob metum molitionis eiusdem necis; sponsalitia autem largitas non cedit, nisi in damnum largientis. Sed contrà, quià quantumvis mutuum sit ob metum mortis in præiudicium parentum, & sponsalitia largitas non sit in præiudicium alicuius tertij particularis à largiente est tamen contra bonum publicum, ne ex propensione amoris nimij familiæ destituantur bonis temporalibus. Quod, si vrgeas, quod etiam donationes inter coniuges videantur esse ex eadem ratione contra bonum publicum, cum etiam per easdem ex propensione amoris facilè coniuges bonis suis sponsarentur, & tamen si istæ iuramento firmentur, tenent, & obligant *Bartolus in l. si quis pro con*. 17 *ff. de fideiuss. & l. Seius nu*. 7. *ff. ad leg falcid. Abbas cap. fin. de donat. inter vir., & vxor. n*. 9. *& c. cum contingat nu*. 30. *de iureiur. & ibi Immola num*. 89. Si, inquam, hæc vrgeas, statim occurram, quià quidquid sit de illa donatione inter coniuges iuramento firmata, de qua alibi erit sermo, quam tamen adhuc non subsistere docent *Baldus in l*. 1. *ff. de donat. inter vir., & vxor. & ibi, Bartolus, Salicetus, & Fulgosius, Cardinal. clem* 1. §. *porro num*. 10. *de iure iuran. Præpositus cap. fin. de donat. inter vir., & vxor. n* 6. *& ibi Henricus nu*. 6. *Alexander c. cum contingat n*. 198. *de iure iuran. hocque probabile asserit, Abbas in d. cap. fin. de donat. inter vir., & vxor. nu*. 6. adhuc dispar est ratio, quià iura irritantia donationes inter coniuges, non absolutè irritant, adeovt nulla vnquam ratione possint donata transire in donatarium, sed dumtaxat volunt esse reuocabiles donante in vita perseuerante, quod, si ille obierit, firmantur, vt est in confesso apud omnes, & sic non est mirum, quod etiam iuramento possint firmari; sponsalitia autem largitas excedens in sua radice extinguitur, nec alicubi decernitur, quod in morte largientis firmetur, adeoque &c. Ex quo vlterius aduersus Sanchez.

Instantia, eiusque solutio.

Argumentum ex paritate donationis inter coniuges. Bartolus. Abbas. Immola.

Asseritur donationes inter coniuges non firmari iuramento. Baldus. Bartolus. Præposit.

4 *Satisfit paritati adductæ donationis inter coniuges.*

Probatur responsio, quià in tantum arræ non possunt, si fuerint excedentes, iuramento firmari, in quantum cedunt in præiudicium tertij nempè consanguineorum constituentis, qui habent actionem ad illas repetendas, sed hoc idem militat in sponsalitia largitate excedente, ergò &c. Minor probatur, quià ex quo iura municipalia absolutè irritant illum excessum in sponsalitia largitate, nolunt iustè ipsam posse permanere apud recipientem, nec alicubi statuunt, quod fiat eiusdem post obitum conferentis, ergò consanguinei hæredes eiusdem post obitum poterunt illa tanquam iniustè collata repetere, cum hæredes succedant in omnibus iuribus defuncti.

Viget eadem ratio de arris, & de donationibus inter coniuges quoad hunc effectum.

Quæ hactenus dixi de sponsalitia largitate

tate excedente procedunt in suppositione, quod iura municipalia absolutè irritent eundem excessum, adeovt nullo vnquam tempore etiam intercedente morte constituentis possit fieri donatarij, quià tunc iuramentum vtpotè alteri noxium non potest illum excessum firmare, & esset directè contra iura respicientia nedum vtilitatem publicam, sed etiam aliorum priuatorum. Quod, si supponas non absolutè irritare, sed velle solummodò posse per constituentem, dum viuit, ad libitum reuocari, tunc idem dicendum esset, quod alibi dicetur de donationibus inter coniuges, & per hoc expresè conciliatur nostra opinio cum illa Sanchez, vt ex se patet.

Procedit in suppositione quod iura irritent spõsalitiam largitatem quod excessum.

§. XIII.

An in suppositione, quod sponsalitia largitas excedens absolutè irritetur soluto matrimonio per mortem alterius incumbat onus probandi vxori, vel eius hæredibus eandem non excedere taxam à iure præscriptam, an verò marito, vel eius hæredibus excedere.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersia, & exponitur. 1.
Sententia asserens pertinere ad vxorem probare non excedere, quandò ipsa possidet. num. 2.
Præfertur sententia asserens onus probandi, non excedere ad ipsum non pertinere. 3.
Actori, non reo incumbit onus probandi. 4.

1 DIsquisitio XIII. Contractis legitimè sponsalibus, & per sponsum collata sponsæ sponsalitia largitate virtute promissionis etiam contractum est matrimonium, nec tunc actum est, an illa sponsalitia largitas excederet terminos à iure præscriptos, an verò non excederet. Dissolutum est posteà matrimonium per obitum alterius coniugis, & tunc inter hæredes defuncti, & superstitem exortum est dissidium quoad illum excessum. Quæritur iam, cuinam incumbat onus probandi, an vxori, vel eius hæredibus, si ipsa est, quæ præmortua est, quod non excesserit, an verò marito, vel eius hæredibus, si ipse præmortuus fuerit, quod excesserit. Difficultas procedit dumtaxat in terminis, quibus sponsalitia largitas congrua, & non excedens fiat absolutè recipientis, adeovt post obitum conferentis non detur amplius ad illum regressus.

Facti series in suis terminis.

2 Nonnulli apud *Sanchez lib. 6. disp. 35. num. 3.* (quamuis loquantur in terminis arrarum excedentium, trahi tamen possunt ex paritate rationis ad sponsalitiam largitatem) asserunt, quod, quandò vxor, vel eius hæredes possident arras, (idem intellige de sponsalitia largitate,) & conueniuntur à viro, vel hæredibus eiusdem, tunc onus probandi non excedere, pertinere ad eandem vxorem, vel eius hæredes, si illa præmortua fuerit. Hancque opinionem tenent *Azabedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 2. nu. 19. Meres de maior. 1. part. q. 52. nu. 13. & 17.* licet rationem eiusdem nullam reddant. Nihilominus absolutè

Sustinentes quod quandò sponsalitia largitas, & arra possidentur ab vxore onus probãdi, quod nõ excedat ad ipsam pertinere. Azabedo. Meres.

Respondeo. Non incumbere vxori, vel eius hæredibus onus probandi sponsalitiam illam largitatem non excedere terminos à iure municipali præscriptos, sed marito, vel eius hæredibus probandi excessum, quibus non probantibus vxor, vel eius hæredes debent in sua possessione manuteneri. *Coaruuias 2. var. c. 6. num. 7. Gutierez 3. pract. q. 50. n. 4. & seqq. & de iuram. 1. part. c. 1. num. 23. Baeza de non melior. filiab. c. 36. n. 19. Sanchez lib. 10. de matrim. num. 4.* Ratio ex eo deducitur primo, quià vxori, eiusq; hæredibus non solum fauent præsumptiones, sed etiam continuata possessio; præsumptiones quidem, quià stante iure municipali determinante certam quantitatem, quæ non possit excedi, non est præsumendus excessus, nisi probetur, cum præsumptiones stent pro iure, ad cuius normam in dubio quicunque agere, vel egisse censendus est; continuata item possessio, quià inuerisimile omninò est, quod pro tanto illo tempore, pro quo vxor in possessione perseuerauit, non fuit cognitus ille excessus, quantumvis non fuerit reuocatus ex affectione mariti versus coniugem. Secundò ex generali regula, secundum quam actori, & dicenti in dubio incumbit onus probandi suam intentionem, non autem reo, & neganti. Tertiò ex alia regula generali, secundum quam dicitur, quod in dubio vnusquisque, etiam si fuerit fur, & latro, sit manutenendus in sua possessione, donec constet de furto, & de iure alterius. Quartò ex textu *in l. cum de legeff. de probation.* vbi dicitur, quod, si hæres deneget solutionem legatorum, eo quod asserat, non tot esse in bonis testatoris, quot sufficiant ad omnia onera per eundem hæredi imposita, atque vbi id contendat, detrahendam esse falcidiam, eidem incumbat onus probandi, quantumvis legatarij in hoc iudicio sint actores, & hoc non alia ratione, nisi quià intentio legatariorum est fundata in legato eisdem relicto, ergò etiam cum intentio vxoris sit fundata in sponsalitia largitate sibi concessa per maritum contendentibus hæredibus eiusdem de excessu supra taxam

3 *Onus probandi non pertinet ad vxorem.*

Coruuias. Gutierez. Baeza. Sanchez.

Fauet vxori cõtinuata possessio.

4 *Actori incumbit regulariter onus probandi.*

Etiam fur, & latro est in possessione manutenendus.

 xam

tam à iure statutam, eisdem debet incumbere onus probandi talem excessum, quibus propterea non probantibus vxor, vel eius hæredes erunt absoluendi ab onere iudicij.

Dices, cum regulariter sponsalitia largitas taxanda sit ad normam dotis per vxorem constitutæ, marito, vel hæredibus negantibus tantam dotem constitutam esse ab vxore, eadem probare debet tantam, & non minorem constituisse, ergò saltem indirectè eidem incumbit onus probandi sponsalitiam largitatem sibi concessam non excedere. Antecedens probatur ex generali regula supra allegata, quod dicenti, non neganti incumbat onus probandi. Sed contrà, quià non supponitur controuersia super dote, cum ad illam vxor non agat, vel quià iam restituta est, vel quià in bonis immobilibus consistit, quæ immediatè ad ipsam redeunt, & de ipsorum valore non constet, vel quià ipsa consentiente distracta sunt, nec amplius ad ipsa ius habet; vnde agentibus marito, vel eius hæredibus ad illum suppositum excessum sponsalitiæ largitatis, & vxore, vel eius hæredibus excipiente, vel excipientibus de non excessu non est, cur non incumbat onus agentibus probandi, & quantitatem dotis, & sponsalitiæ largitatis excedentis taxam pro eadem dote exemptis à tali onere excipientibus. Deinde potest esse controuersia solummodo, quod tanta, vel tanta sponsalitia largitas fuerit collata, & si fuerit tanta, quantam dicunt maritus, vel eius hæredes, excedat, si verò tanta, quantam dicit vxor, vel eius hæredes, non excedat; qua in hypothesi marito, vel eius hæredibus agenti, vel agentibus incumbit onus probandi quantitatem assertam excedentem, non vxori, vel eius hæredibus negantibus.

Non est controuersia super dotis quantitate.

§. XIV.

An alius à sponso possit conferre sponsalitiam largitatem excedentem quantitatem à iure taxatam.

SVMMARIVM.

Exponitur status controuersiæ. 1.

Considerationes circa factum. 2.

Si ius municipale præcisè statuerit, quod sponsalitia largitas inter sponsos non excedat determinatam summam, & per alium ab ipsis fuerit constituta in excessu, tenet etiam quoad excessum. 3.

Idem intellige, si ius municipale statuerit indefinitè, vt non excedatur talis quantitas. Ibid.

Intellige, siue ille, qui confert, fuerit extraneus, siue consanguineus. 4.

Si extraneus, vel consanguineus sponsi conferret sponsalitiam largitatem excedentem sponsæ eo animo, vt prius acquireretur sponso, & postea per eum transferretur sponsæ, vtique quoad excessum non teneret. 5.

Excipe in casu, quo ille extraneus, seù consanguineus sponsi ità conferret sponso, vt nollet eundem in alios vsus transferre, nisi in sponsam ob sponsalitiam largitatem. num. 6.

Quamuis collata per consanguineos sponsi sponsæ intelligantur collata contemplatione sponsi, non propterea, si excedant taxam, irritantur quoad excessum. 7.

Si extraneus, vel consanguineus contulerit sponsalitiam largitatem excedentem sponsæ non ex bonis proprijs, sed ex bonis sponsi non tenet quoad excessum. 8.

Si Pater sponsi contulerit illam sponsalitiam largitatem excedentem sponsæ, vtique tenet. 9.

Disquisitio XIV. Sistimus adhuc in suppositione, quod vigeat ius municipale taxans sponsalitiam largitatem, quæ nequeat excedi. Contractis iam sponsalibus in regione, vbi tale ius viget inter Meuium, & Caiam. Tertius quidam ab eisdem sponsalitiam contulit largitatem Caiæ, quę longè excedebat quantitatem à iure præscriptam. Orta hic fuit controuersia, an talis sponsalitia largitas excedens teneret, an verò saltem quoad excessum irritaretur. 1

Facti serie

Considerandum hic est, an ille tertius, qui dicitur contulisse illam sponsalitiam largitatem excedentem fuerit sponsi, seù mariti consanguineus, an verò omninò extraneus. Secundò, an ille tertius, siue fuerit extraneus, siue consanguineus contulerit illam sponsalitiam largitatem eo animo, & conditione, vt voluerit sponso, seù marito acquiri, & per eundem conferri sponsæ, & vxori, an verò eo animo, & intentione, vt immediatè per se ipsum ad eandem sponsam, seù vxorem transiret. Tertiò, an ille tertius contulerit illam sponsalitiam largitatem ex bonis proprijs, an verò ex bonis sponsi, & mariti. His sic consideratis 2

Variæ considerationes circa factū.

Respondeo primò, si ius municipale præcisè statuerit, quod sponsalitia largitas inter sponsos non excedat determinatam quantitatem, vel ad normam dotis, vel ad normam bonorum ipsam constituentis, & per tertium ab illis fuerit constituta in excessu, vtique tenet etiam quoad eundem excessum, si verò ius municipale indefinitè statuerit, quod sponsalitia largitas sit talis, vt non excedat talem quantitatem, & extraneus maiorem contulerit, etiam absolutè tenet. *Auedano de exeq. mandat. prima part. cap. 15. num. 1. Gutierez.* 3

Siue ius municipale statuerit determinatè, quod per sponsos non excedatur, siue indefinitè, quod non excedatur, tenet, si constituta sit per extraneum.

Auedano. Gutierez. Sanchez.

tierez de iuram. prima parte cap. 14 num. 12. Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 29. num. 18. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià lex, quæ afficit determinatè sponsos, maximè si sit discors à iure communi non extenditur extra eosdem sponsos, quià strictè est interpretanda, ergò, si ius municipale solum prohibeat inter sponsos sponsalitiam largitatem excedentem, vtique extra eosdem non debet extendi ad alios conferentes ipsam sponsalitiam largitatem. Confirmatur primò, quià lex prohibens, & irritans donationes inter coniuges de præsenti non prohibet, quin alij ab eisdem coniugibus possint coniugi conferre, quamvis conferant intuitu coniugij, ergò etiam lex prohibens sponsalitiam largitatem excedentem inter sponsos non est præsumenda prohibere eandem alijs ab eisdem sponsis, quantumvis fiat intuitu sponsalium. Confirmatur secundò, quià ideò lex prohibet inter sponsos sponsalitiam largitatem excedentem, quià est vehemens præsumptio, quod ex nimio amore, & propensione facilè adinuicem spolientur bonis in præiudicium familiæ, sed hæc ratio non militat, quando alij ab ipsis sponsis conferunt illam sponsalitiam largitatem, ergò &c.

Lex astringens determinatas personas nõ afficit alias ab ipsis.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià lex illa municipalis est exorbitans, & correctoria iuris communis, & naturalis, secundum quod vnusquisque potest gratuita donatione conferre ex proprijs bonis quodcunque voluerit, cuius rei signum manifestum est, quod vbi non viget tale ius, possunt, & ipsi sponsi conferre sponsalitiam largitatem in quacunque quantitate voluerint, ergò, cum sit exorbitans, & correctoria restringenda est, ne magis, quam par sit, aduersetur iuri communi *arg. l. si vero §. de viro ff. solut. matrim.*, ergò, quantumvis non exprimat, an solum comprehendat sponsos, an verò etiã alios ab ipsis, intelligenda est, prout tantum ipsos sponsos comprehendit. Confirmatur, quià in legibus correctorijs iuris communis id tantum comprehendi præsumendũ est, quod regularitèr, & vt plurimum euenit, non quod quandoque accidentalitèr, & præter consuetum contingit, sed regularitèr hæc sponsalitia largitas confertur inter ipsos sponsos, & non nisi raro, & contingenter ab alijs, ergò &c. Confirmatur secundò, quià non militat ratio finalis inter alios ab ipsis sponsis, ne scilicet ex nimio amore se mutuo spolient bonis, quæ militat inter ipsos sponsos, ergò &c.

Lex exorbitans, & correctoria est restringenda.

Lex correctoria attingit dumtaxat ea, quæ regulariter fiunt.

4 Respondeo secundò. Hæc, quæ dicta sunt in præcedenti assertione, æquè intelligenda sunt, siue ille, qui contulerit sponsalitiam illam largitatem fuerit extraneus, siue consanguineus sponsi, vel sponsæ *Matienzo lib. 5. recop. tit. 2 l. 1. glos. 6. num. 2. Gutierez de iuram. prima part. cap 14. nu. 12. Sanchez de matrimon. lib. 6. disp. 29. num. 18.* Ratio ex eo deducitur, quià, si quæ ratio specialis militaret pro consanguineis sponsi, vel sponsæ, potissimum ea esset, quià præsumeretur conferre contemplatione sponsi, vel sponsæ, cuius respectiuè est consanguineus; sed hæc ratio non obstat, ergò &c. Minor probatur, quià, quantumvis conferat contemplatione vnius, vel alterius propellente ad hoc quodamodo iure sanguinis, non tamen respectu illius est vehemens illa præsumptio, quod ex nimio affectu se expolient supra modum proprijs bonis, & sicuti interdictis donationibus inter coniuges non intelligitur interdicta donatio eisdem facta per consanguineum alterius, quamvis intelligatur facta contemplatione alterius coniugis, cuius est donator consanguineus, ità etiam interdicta sponsalitia largitate excedente non est intelligenda interdicta eadem facta à consanguineo alterius, quantumvis fuerit excedens, & intelligatur facta cõtemplatione alterius ex sponsis. Confirmatur, quià, quantumvis illa sponsalitia largitas excedens facta sit ab extraneo, intelligitur tamen facta contemplatione alterius ex sponsis, vel ex amicitia, vel ex aliquo alio titulo gratuito, & tamen non reijcitur, nec quoad excessum, ergò etiam &c.

Procedit, si ne cõferens fuerit extraneus, siue consanguineus.

Matienzo. Gutierez. Sanchez.

Non militat ratio inter consanguineos, quæ militat inter sponsos.

Respondeo tertiò. Si extraneus, vel consanguineus mariti, seù sponsi conferret illius vxori, vel sponsæ sponsalitiam largitatem excedentem eo animo, & conditione, vt vellet donationem illam acquiri marito quoad dominium, & per illum transferretur vxori, vtique sponsalitia illa largitas quoad excessum non teneret. *Sanchez de matrimon. lib 6. disp. 29. num 18. vers. similiter dicendum est*, idque in similibus sustinent *Bartolus in l. sed si plures §. in arrogato in fin. ff. de vulg. Iason in l. vt liberis C. de collat.* Ratio ex eo deducitur, quià in ea hypothesi illa sponsalitia largitas facta sponsæ, seù vxori propriè esset ab eodem sponso, cuius antecedenter ex dispositione, & animo donantis facta fuerunt bona donata, & si ipse sponsus, seù maritus ex bonis aliundè acquisitis conferret illam sponsalitiam largitatem excedentem, vtique validè conferret quoad excessum, ità, si conferat ex bonis antecedenter sibi donatis à consanguineo, vel extraneo, vtique inualidè conferre censendus est, quià parum ad hunc effectum referre potest, quod vel ab vno, vel ab altero, vel vno, vel altero titulo acquisierit.

5 *Non tenetur, si conferens vellet prius acquiri marito, & per ipsum tradi sponsæ.* Sanchez. Bartolus. Iason.

Illa sponsalitia largitas intelligeretur facta à sponso.

Excipe tamen in hypothesi, quã consanguineus, vel extraneus ità conferret, vt quamvis voluerit fieri quoad domi- 6

Exceptio ad præfatā regulam. nium ipſius ſponſi donatarij, decreuerit tamen in donatione, vt ſponſus donatarius non poſſet in alias cauſas transferre, niſi in ſponſam titulo ſponſalitiæ largitatis. Ratio exceptionis ea eſt, quià tunc non ipſe ſponſus cenſeretur conferre, ſed conſanguineus, vel extraneus per ipſum ſponſum, & tunc non militaret ratio finalis prohibitionis, ne ſcilicet ex nimio amore ſponſi priuarentur, & ſpoliarentur bonis, quià ſponſus tunc non præſtaret ex libera voluntate, ſed neceſſitate compellente ex diſpoſitione donantis.

7 *Collata per conſanguineos ſpōſi intelligūtur collata cōtemplatione ipſius.* Angelus. Cagnolus. Lupus. Rolandus. Roſella. Maſcardus. Clarus.

Hinc inferes, quod, quamvis ſuperius dixerimus, quod, quandò conſanguineus v. gr. ſponſi confert iocalia ſponſæ cenſeatur conferre contemplatione ſponſi ſibi conſanguinitate coniuncti, adeoque quoad dominium fieri ipſius ſponſi, prout etiam notarunt *Angelus inſtit. de act. §. fuerat num. 26, Cagnolus l. contractus num. 38. ff. de reg. iur. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 45, Rolandus conſ. 10. num. 10., & ſeq. vol. 1. Roſella verb. donatio 1. num. 39. Maſcardus de probat. concl. 364. num. 5., & ſeqq. Iulius Clarus lib. 4. recept. verb. donatio qu 10. verſ. ſed numquid ea*, nihilominus ob hoc non ſequatur, quod, ſi eadem iocalia, ſeù ſponſalitia largitas exceſſerint, ſeù exceſſerit taxam à iure præſcriptam reddantur inualida quoad exceſſum. Ratio eſt, quià, quamvis illa iocalia, ſeù ſponſalitia largitas vltimatò reſolui debeant in ſponſum, cuius contemplatione intelliguntur facta, tamen non conferuntur per ipſum ſponſum ſponſæ, ſed per conſanguineum eiuſdem ex bonis proprijs non ex illis ſponſi, nec per hoc ſponſus ipſe poteſt depauperari, quod eſt finis vltimatus legis prohibentis.

Non tamen irritantur, ſi excedant.

8 *Non tenet, ſi fuerit ex bonis ſponſi.* Lupus. Azabedo. Baeza. Sanchez.

Reſpondeo quartò. Si extraneus, vel conſanguineus contulerit ſponſalitiam largitatem excedentem ſponſæ non ex bonis proprijs, ſed ex bonis eiuſdem ſponſi, vtique non tenet quoad exceſſum *Ioannes Lupus l. 50. Tauri num. 5., & ibi Caſtillo nu. 4. verſ. ſed pone Azabedo lib. 5. recopil. tit. 2. l. 2. num. 29 Baeza de non melior filiab. cap. 11. nu. 13. Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 29. num. 18, verſ quod tamen intelligendum*. Ratio ex eo deducitur primò, quià vel huiuſmodi extraneus, vel conſanguineus contulit de ſcientia, & mandato ſponſi, vel eodem ignorante, ità tamen, vt habeat præſumptā voluntatem eiuſdem; ſi primo modo contulit, iam ex ſe patet nullam penitus eſſe illam collationem in exceſſu, nam perinde eſt, ac ſi ipſe ſponſus conferret, qui enim per alium facit per ſe ipſum facere videtur per textum *in reg. qui facit de reg. iuris in 6.*, & per conſequens, qui per ſe ipſum facere non poteſt, nec per alium facere poteſt *l. pupillus §. item ipſe verb. ſed & ſi per interpoſitam ff. de auct. tut.*, ſi ſecundo modo contulit, vel ipſe ſponſus aſſentitur poſteà collationi illi, & ſic perinde eſt, ac ſi ipſe conferret, ac proinde aduerſus ipſum militat ratio finalis legis prohibentis, ſicque eſt nulla collatio quoad exceſſum; ſi non aſſentitur, iam collatio eſt nulla, quià nemo poteſt rem alienam donare; vnde vel ipſe extraneus, ſeù conſanguineus teneretur æquiualens conferre, vel ſponſo, vel ſponſæ, ſicque collatio non eſſet ex bonis proprijs ſponſi contra ſuppoſitionem aſſertionis, vel ſi nihil teneretur conferre, iam prima collatio non teneret ratione alienitatis rei collatæ. Secundò, quià illa collatio ſponſalitiæ largitatis facta per extraneum, vel conſanguineum de bonis ſponſi facta ſupponitur in fraudem legis prohibentis, nam ille extraneus, ſeù conſanguineus cenſeretur perſona ſuppoſita nomine ſponſi, de cuius bonis confert; fraus autem aduerſus legem nequit eidem legi derogare.

In ea hypotheſi ſponſus faceret per alium, quod non facit per ſe ipſum.

Eſſet in fraudem legis.

9 *Sententia negans ſponſalitiā largitatem excedentem collatam à Patre ſponſi tenere.* Lupus. Baeza.

Hic immediatè oritur difficultas, an, ſi Pater ſponſi conferret ſponſalitiam largitatem ſponſæ, quæ excederet quantitatem à iure taxatam, illa ſponſalitia largitas teneret quoad exceſſum. Negatiuè reſpondent *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 24. num. 1. Baeza de non melior. filiab. c. 11. nu. 13.* ea potiſſimum moti ratione, quià cum bona Patris ſponſus ipſe eſſet habiturus, perinde eſſet, ac ſi ipſe donaret. Nihilominus non libenter acquieſcerem huic opinioni, quandoquidem in primis verum non eſt, quod bona Patris ſint bona filij, cum Pater ante obitum poſſet de illis ad libitum diſponere, nec filius aliud ius habet ad bona Patris, niſi ad ea, quæ inueniuntur poſt obitum eiuſdem, & quidem tantum quoad legitimam, ſi ità Pater diſpoſuerit, vnde ſicuti Pater potuit in alijs pro libertate diſponere etiam in præiudicium filij, non video, cur non potuerit validè diſponere quoad ſponſalitiam largitatem etiam excedentem. Deinde non præſumitur in Patre ſponſi illa exuberans affectio verſus ſponſam filij, quæ præſumitur inter eundem filium ſponſum, & ſponſam, ratione cuius poſſit præſumi illa facilis bonorum expoliatio, ad quam reſpexerunt iura prohibentia.

Sententia affirmans præfertur, & exponuntur rationes.



§. XV.

§. XV.

Quomodo taxanda sint bona maioratus, quæ contulit sponsa pro dote ad commensurandam sponsalitiam largitatem, ne excedat.

SVMMARIVM.

Proponitur status difficultatis. 1.

Sponsalitia largitas commensuranda est, non ad normam valoris bonorum maioratus, sed ad normam redditum. 2.

Quomodo taxanda sit determinata quantitas redditum successiuè exigendorum ex bonis maioratus ad effectum taxandi ad normam illius sponsalitiam largitatem respondetur remissiuè. 3.

1 DIsquisitio XV. Suppono primò, quod sponsa deferre possit titulo dotis marito, seù proprio sponso bona maioratus, quæ ipsa possidet, prout latè docet *Meres de maior. tertia part. q 9. num 15.*, nam licet eadem sponsa ea non possideat, nec possidere possit, nisi durante propria vita, cum posteà transire debeant ad vocatos, nihilominus pro tempore vitæ iustè, & legitimè possidet. Suppono secundò, quod sponsalitia largitas iure sic disponente in aliqua determinata regione excedere nequeat octauam partem bonorum dotalium. His iam sic suppositis Theodorica detulit in dotem Caio suo marito, seu sponso bona maioratus, quæ pro illo tempore possidebat, & viceuersa Caius eidem Theodoricæ contulit sponsalitiam largitatem, quæ, si compararetur ad valorem bonorum maioratus non excederet quantitatem taxatam à iure, nempe octauam eorundem bonorum dotalium, seù maioratus partem, si verò compararetur ad redditus, qui ex eisdem bonis maioratus regulariter percipiuntur, excederet. Orta hic fuit controuersia, an sponsalitia illa largitas teneret facta comparatione ad valorem bonorum maioratus, an verò nō teneret quoad excessum facta comparatione ad reditus, qui ex eisdem percipiuntur. Iam ex se patet, vnde oriatur ratio difficultatis, ex eo scilicet, an mensuranda sit sponsalitia largitas ad normam valoris bonorum maioratus, an verò ad normam redditum, qui ex eisdem percipiuntur; vlterius ex suppositione, quod mensuranda sit ad normam redditum, qui percipiuntur, quo modo facienda sit hæc computatio redditum, cum etenim eadem sponsa, quæ possidere dicitur maioratum, illiusque bona confert in dotem, non possit illa detinere, nisi ad propriam vitam, nec de illis possit disponere relinquit locum dubitandi, cum incertus sit vitæ illius exitus, ad quot annos illi reditus sint computandi, vt fiat æqua, & proportionata æstimatio.

Varia præsuppositiones circa quæsitum.

Proponitur status controuersiæ.

Articuli examinandi.

Respondeo primo. Sponsalitia largitas commensuranda est non ad normam valoris bonorum maioratus, sed ad normam redditum, qui ex illis percipiuntur, adeoque, si excedat octauam eorundem partem computatam, vt infra dicemus in sequenti responsione, erit irrita quoad excessum, quantumvis non excedat octauam bonorum partem eiusdem maioratus considerati secundum valorem, *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 25. n. 1. Molina tom. 2. de iustitia tract. 2. disp. 431. vers. circa hæc quæritur, Molinus lib. 1. de primogen. cap. 19. nu. 41. Valascus tom. 1. consil. 15. num. 21.*, qui quamuis loquantur in terminis diuersis constitutionis arrarum, quæ nequeunt excedere decimam bonorum partem constituentis, ex paritate tamen rationis seruata proportione reduci possunt etiam ad sensum nostræ responsionis, quam in terminis sustinent *Gutierez 2. pract. q. 17. nu. 7. Valascus cons. 16. n. 10. tom. 1. Sanchez de matrim lib. 6. disp. 31. n. 5.* Ratio ex eo deducitur, quia æstimatio bonorum dotalium desumenda est secundum eum valorem, secundum quem conferens potest transferre, & secundum quem recipiens acquirit, sed sponsa non potest bona maioratus conferre, nisi secundum rationem vsusfructus, secundum quam ex illo percipiuntur redditus, nec sub alia ratione sponsus potest acquirere, nam quoad dominium illa bona sunt alijs vocatis vinculata, nec potest sponsa de illo disponere, ergò &c. Minor probatur, nam quantumvis magna sit dissensio inter DD., an possessor maioratus habeat dominium bonorum illius, & communior opinio stet pro dominio possessoris, omnes tamen conueniunt, quod, cum nequeat illa bona alienare, sed reseruare teneatur vocatis, comparetur tamen quoad effectum potius vsufructuario, quam domino, ergò non potest transferre, nisi quoad vsumfructum, & si fortè etiam quoad dominium, quoad illud tamen transfert cum tali onere, vt recipiens de illo non possit gaudere, & quoad vtilitatem, si præscindas ab vsufructu, pro nihilo computatur. Cum igitur de dominio sponsus nihil vtilitatis percipiat, & solummodò fructibus gaudeat, qui veniunt appellatione bonorum per textum *in l. bonorum appellatio 49. ff. de verb. oblig*, hinc est, quod de eisdem fructibus in tali computatione, & æstimatione habenda est solummodò ratio, non de dominio, quod in ipsum non transit absolutè, sed tantum cum vinculo.

2 *Commensuranda est ad normam redditum, non valoris.*

Lupus, Molina, Molinus, Valascus.

Gutierez, Valascus, Sanchez.

Sponsa non potest transferre nisi secundum rationem vsusfructus

Possessor bonorum maioratus nequit illa alienare.

Fructus veniunt appellatione bonorum.

Respondeo secundo. Ad taxandam determinatam quantitatem redditum suc- 3

successiuè exigendorum ex bonis maioratus concessis in dotem ad vitam vxoris, cuius est ille maioratus, vt ex illa quantitate possit determinari sponsalitia largitas non excedens, non melior regula assignari potest, quam illa quæ assignata fuit *tom.1. sub tit. Contractus IV. de Emphit. & censib. prænot. 14. à num. 10. ad finem* pro pretio censuum vitalitiorum, vbi propria statuta regula cęteras omnes exclusimus. Quod autem eadem regula congruentius statuenda sit pro computatione huiusmodi redditu um, quæ statuitur pro censibus vitalitijs quoad eorum æstimationem docent, *Coaruuias 3. var. c. 9. n. 7. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 31. n. 3. & seqq.* Qualis autem sit illa regula, quæ congruentior statuitur pro censuum vitalitiorum pretio recole ex ijs, quæ diximus *d. tom. 1. sub allegato tit. & prænot.* non enim vacat eadem hic sine necessitate repetere.

Decernitur quomodo taxanda sit determinata quantitas redditu um ad taxandam sponsalitiam largitatem

Coaruuias. Sanchez.

§. XVI.

An, si pro sponsalitia largitate tradatur fundus excedens in valore taxam à iure statutam, teneat quoad totum.

SVMMARIVM.

Refertur status quæstionis. 1.
Illa sponsalitia largitas constituta in illo fundo excedente non est absolutè irrita negatiuè. 2.
Est tamen irrita quoad totum positiuè, hoc est quoad excessum. 3.
Optio in ea hypotesi debet dari sponsæ. 4.

1 D Isquisitio XVI. Constituta dote per Caiam in ordine ad matrimonium ineundum cum Francisco valoris decem millium aureorum eidem Franciscus contulit pro sponsalitia largitate fundum quendam, qui in valore excedebat taxam à iure statutam comparatiuè ad eandem dotem. Hic orta fuit controuersia, an sponsalitia illa largitas in illo fundo sic collata subsisteret quoad totum, an verò dumtaxat quoad partem proportionatam, vel in re, si fundus ille sit diuiduus, vel quoad valorem, si sit indiuiduus, an verò quoad nihil.

Status controuersiæ.

Fundus potest esse, vel diuiduus, vel indiuiduus.

2 Respondeo primo. Sponsalitia illa largitas in illo fundo constituta non est absolutè irrita negatiuè, quatenus neget totum. *Ioannes Lupus l. 10. Tauri num. 12. Azabedo lib. 5. recop. tit. 2. l. 2. n. 29. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 29. n. 16. vers. idem dicendum est.* Ratio ex eo deducitur, quià secundum se sponsalitia largitas non est prohibita, sed potius iuri conueniens, & quantumvis fuerit excedens ex genere suo non irritatur quoad totum, sed dumtaxat quoad excessum, ergò, quantumvis fundus ille collatus pro sponsalitia largitate fuerit excedens taxam à iure statutam, nō propterea irritabitur quoad totum. Neque obesse potest, si asseratur, quod, cum fundus ille iure sic disponente non possit pro sponsalitia largitate subsistere quoad totum suum esse, & cum sit indiuiduus non possit assignari pro parte irritetur absolutè pro toto, nam in iuribus negatiuis potius est attendenda natura negationis, quæ totum destruit, quam affirmationis; Non, inquam, obesse potest, quià ius illud non est simplicitèr negatiuum, sed dumtaxat quoad partem excedentem, & licet ille fundus in se sit indiuiduus, pati tamen potest diuisionem quoad æstimationem, quod sufficiens est pro præsenti assertione.

Non est irrita quoad totum. Lupus. Azabedo. Sanchez.

Ille fundus pati potest diuisionem quoad æstimationem.

Respondeo secundò. Quamuis illa sponsalitia largitas in illo fundo excedente constituta non sit irrita quoad totum negatiuè, est tamen irrita quoad totum positiuè, hoc est quoad excessum, non secundum quod correspondet taxæ à iure statutæ *Castillo l. 10. Tauri n. 8. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 29. num. 16.* Ratio deducitur ex ijs, quæ mox diximus, quià scilicet non obstat illa indiuisibilitas fundi, quià licet sit talis quoad se potest tamen esse diuisibilis quoad ęstimationem, ac proindè non est, cur ratione eiusdem æstimationis non possit subsistere; Neque obstare potest textus *in l. si sponsus paulò post principium vers. generalitèr tenendum, ff. de donat. intèr vir., & vxor.*, vbi dicitur vtile trahere ad se inutile, quandò ab ipso separari nequit, & vtrumq; valere; Non, inquam, obstare potest, quià textus procedit, quandò vtile non potest separari ab inutili, nec in corpore, nec quoad æstimationem, secus quandò quoad æstimationem, vt in hac hypothesi.

3 *Est irrita quoad excessum.*

Castillo. Sanchez.

Explicatur textus in l. si sponsus ff. de donat. inter virum, & vxor.

Hic oritur ratio dubitandi, an in ea hypothesi fundus ille, qui supponitur indiuiduus, remanere debeat penes sponsam refuso excessu in sponsum donantem, an verò redire debeat ad sponsum re fusa quantitate taxata à iure in sponsam donatariam, an verò quid sit in illa hypothesi peragendum. Sentiendum est optionem esse apud sponsam vel retinendi refuso excessu in sponsum, vel eidem restituendi accepta ab eodem quantitate à iure taxata, quod, si ille noluerit erit fundus ille vendendus, & vnicuique pro rata satisfaciendum. Ratio primæ partis, quod scilicet possit retinere ex eo deducitur, quià, ex quo sponsus fundum illum contulit pro sponsalitia largitate, videtur habuisse animum absolutè transferendi in donatariam, & in tantum donatio non tenet quoad totum, in quantum iura obsistunt, ergò ex præsumpta volun-

4

Optio congruentius assignatur sponsæ.

voluntate donantis remanere debet penes donatariam, nec iura eidem retentioni obsistunt, quandòquidem solum intendunt, ne excedatur quantitas taxata. Ratio quoad secundam partem ex eo euincitur, quià ex quo sponsus contulit illam sponsalitiam largitatem videtur se obligasse ad quantitatem à iure taxatam, ergò eodem agente ad excessum, & renuente sponsa retinere donatum cum onere illius excessus, poterit eidem restituere cum onere sibi conferendi legitimam quantitatem; quod, si ille adhuc noluerit illum fundum cum onere retribuendi talem quantitatem ad vtrique satisfaciendum congruentior ratio nequit assignari, quam, si vendatur, & vtrique ex pretio satisfiat; nemo etenim ex illis potest esse inuitus ad talem distractionem, cum nemo velit rem illam cum illo onere retribuendi excessum, vel conferendi legitimam quantitatem detinere.

Neutro nolente fundum vendi congruentius debet.

§. XVII.

An fideiussor accedens pro sponsalitia largitate promissa excedente, quomodocunq; accedat, obligetur etiam pro excessu.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in casu particulari. 1.
Si accesserit pracisè, vt fideiussor non obligatur ad illum excessum: 2.
Obligatur tamen quoad quantitatem, pro qua obligatur principalis. 3.
Etiam si se obligauerit principalitèr, & in solidum vt fideiussor, secus si vt principalis correus debendi. 4.

1 *Facti series exposita.*

DIsquisitio XVII. Acceperat Caius à Theodorica sponsa in dotem, seù titulo dotis decem mille nummos aureos, & viceuersa eidem promiserat pro sponsalitia largitate summam excedentem quantitatem à iure præscriptam, pro qua summa adiectus fuit Theodoricus obligans se ad illam conferendam, quoties cunque idem Caius conuento tempore, & loco illam non conferret. Adueniente tempore collationis summam excedentem denegabat Caius excipiens de iure obsistente, & irritante excessum supra summam ab eodem taxatam. Orta hic fuit controuersia, an Theodorica pro illo excessu agere posset aduersus adiectum.

Ratio dubitandi ex ijs desumitur, quæ supra dicebantur, nempe alium à sponsis posse valide conferre sponsalitiam largitatem excedentem, nec inficiari ex excessu. Cum igitur ille, qui fuit adiectus, sit alius ab ipsis sponsis, non est, cur sponsalitia largitas ab eodem promissa, quantumvis excedens, non debeat tenere; Neque potest dici, quod etiam respectu eiusdem in ordine ad illum excessum inficietur, quandoquidem, cum haberet regressum ad bona sponsi pro solutione eiusdem excessus, perinde esset, si soluisset ex bonis sponsi. Procedit difficultas in suppositione, quod sponsalitia largitas possit subsistere, quantumvis solummodo fuerit promissa. Pro solutione

Rationes dubitandi circa factū.

Aduerte Theodoricum potuisse pro solutione illius sponsalitiæ largitatis excedentis adijci, vel vt fideiussor præcisè, quatenus se obligauit accessoriè ad principalem in defectum scilicet solutionis per ipsum principalem non præstitæ, vel principalitèr, & in solidum, qua ratione est potius correus debendi obligatus æquè primò cum principali debitore pro solido, quam fideiussor, quinimmò est solummodo talis per quandam analogiam, quatenus scilicet obligatur ex causa principalis, non tamen præcisè accessoriè ad ipsum.

Quomodo ille fideiussor potuerit adijci illi promissioni.

2 *Fideiussor præcisè talis non obligatur ad illum excessum. Sanchez. Lessius. Coarruuias*

Respondeo primò. Si accesserit præcisè, vt fideiussor propriè non obligatur ad illum excessum *Sanchez de matrimonio lib. 6. disp. 29. Lessius lib. 2. de iustitia cap. 28. dub. 1. num. 4. Coaruuias cap. quamvis pactum secunda part. §. 6. num. 3.* Ratio ex eo deducitur, quià ipse principalis promissor non obligatur quoad totam summam, ergò, neque fideiussor poterit obligari quoad eandem. Consequentia, quià non potest simplicitèr subsistere obligatio fideiussoria sine obligatione principali, in qua fundatur per textum *in l. 1., & 2. ff. de fideiussor.* nec incongrua sanè ratione hoc decernitur, quandoquidem accessorium non potest esse sine principali, sicuti accidens nō potest esse sine suo subiecto, ergò, neque potest esse obligatio fideiussoria pro parte, pro qua non est principalis *arg. l. qua de tota ff. de pact.* Confirmatur expressè *ex §. fideiussores instit. de fideius.*, vbi sic habetur. *Fideiussores ita obligari non possunt, vt plus debeant, quam debeat is, pro quo obligantur.* Item *ex l. græcè §. illud commune ff. de fideius.* vbi sic legitur *Illud commune est vniuersis, qui pro alijs obligantur, quod si fuerint in deteriorem causam adhibiti, placuit etiam omninò non obligari.*

Non subsistit obligatio fideiussoria sine principali.

Hic oritur difficultas, an saltem in ea hypothesi fideiussor obligetur pro ea quātitate, pro qua potuit obligari, & de facto obligatur principalis. Ratio dubitandi desumitur ex textu *in l. si decem 54. in princip. ff. locat.*, vbi dispositio concepta sub maiori summa non verificatur in minori. Nihilominus absolutè sentiendum est in ea hypothesi fideiussorem obligari pro ea parte in subsidium, pro qua primordialitèr

3 *Obligatur pro quantitate, pro qua obligatur principalis.*

Baldus. Piccardus. Seraphin. Riccius.

tèr obligatur principalis *Baldus conf.* 307. *vers. in contrarium lib.* 1. *Piccardus ad §. praeterea num.* 8. *instit. de inutilib. stipul. Seraphinus decis.* 267. *num.* 4. *Aloysius Riccius in collect. decis.* 1635., *& nos ipsi tom.* 4. *sub tit. Contractus XII. de fideius., & assecur. Disq.* 2. §. 5. *num.* 2. Ratio ex eo deducitur, quià in mandato maioris summae continetur, & minor *l.* 1. §. *si stipulanti ff. de verb. oblig. c.* 1. *de arbitris lib.* 6. Neque obesse potest textus, qui afferebatur in ratione dubitandi *in l. si decem ff. locati*, quià vt bene notant *Bartolus in d. l.* 1. §. *si stipulanti ff. de verb. oblig. Antonius Gomez tom.* 2. *var. vbi de contract. cap.* 9. *num.* 4. *Emanuel Costa lib.* 1. *lect. cap.* 2. *num.* 1. textus ille verificatur solummodo in causis onerosis respectu petentis, non autem in fauorabilibus eidem, & lucratiuis, vt euenit in hac hypothesi.

In mandato maioris summa continetur minor.

Bartolus. Gomez. Costa.

4 *Etiam si se obligauerit principaliter, & in solidum, secus, si vt principalis correus debendi.*

Respondeo secundò. Si accesserit obligando se principaliter, & in solidum pro tota summa promissa probabilius adhuc est, si sistamus in praecisis terminis fideiussoris, non teneri ad illum excessum, secus si se constituerit, vt principalem correum debendi. Ratio primae partis ex eo deducitur, quià ex eo, quod se obligauerit principaliter, & in solidum, quamvis excesserit communissimos, & regulares terminos fideiussionis, non tamen egressus est à natura, & substantia eiusdem, quod ex eo euincitur, quod debitor principalis remanet obligatus, & si fideiussor pro ipso soluerit, ipse semper tenetur rependere solutum, sicque semper verificatur, quod ipsius obligatio accessoria sit, & subsidialis saltem in ordine ad ipsum debitorem, licet in ordine ad creditorem, & Iudicem possit excuti non excusso principali debitore, sicque solummodo variatur modus solutionis per textum *in l. cum reus ff. de fideius., & l. fideiussor §. fin., & l. si plures §. praetereà, & l. si contendat ff. eodem*, ergò, cum principalis debitor in hac hypothesi iure ipsum eximente ab onere excessus non obligetur ad eundem excessum, neque ad eundem obligandus erit fideiussor, si se principalitèr obligauit cum eodem; tùm, quià solum intelligitur se obligasse principalitèr ad id, ad quod obligatur principalis, in cuius fauorem accessit; tum quià, si ipse conueniretur pro toto promisso, ipsumque solueret, haberet regressum contra principalem, sicque semper verificaretur, quod de bonis eiusdem principalis soluta esset illa sponsalitia largitas excedens, quod est contra ius irritans illum excessum; atque per hoc soluitur id, quod in ratione dubitandi in principio afferebatur, non enim esset, qui solueret alius ab ipso sponso, quià solueret quodamodo de bonis eiusdem, cum ad illa haberet regressum.

Semper ipsius obligatio subsidialis est, & accessoria.

In quo consistat illa obligatio principaliter, & in solidum.

Dices primò, si fideiussor accesserit principalitèr, & in solidum pro principali sine vlla limitatione, & restrictione pro eo, quod ille debet, & principalis per exceptionem competentiae, seù priuilegij sibi competentis de non soluendo, nisi quod commodè potest, ne egeat, se eximat ab onere soluendi integrum debitum non propterea ab eodem onere eximitur ipse fideiussor, sed tenetur ad solidum *Hypolitus in rub. ff. de fideius. num.* 173. *Petrus de Vbald. in tract. de duob. frat. part.* 15. *princip. num.* 4. *Cagnolus in l. Diuus ff. reg. iur. Alciatus in l. non potest* 117. *num.* 3. *ff. de verb. signif.*, quod nos etiam docuimus *tom III. sub tit. Contractus VII. pranot.* 10. *num.* 2., *& tom IV. sub tit. Contractus XII. Disq.* 1. §. 13. *num.* 3., hocque expressè colligitur ex textu *in l. verum in princip. ff. pro socio in l. & si fideiussor ff. de re iudic., & in l. exceptione* 7. *ff. de except.*, ergò etiam, si accesserit principaliter pro sponso promittente sponsalitiam largitatem excedentem, atque hic per exceptionem iuris sibi competentis de non soluendo excessu se exemerit ab onere eiusdem excessus, non propterea ab eodem onere eximetur fideiussor, qui principalitèr, & in solidum se obligauit. Sed contrà, quià, si in ea hypothesi fideiussor principalitèr obligatus tanquam defensor principalis debitoris exciperet, & in persona eiusdē, talis exceptio eidē prodesset, prout docuimus *eod. tom.* 4 *sub tit Cōtractus XII. Disq I.* §. 13. *num* 4. per textum *in l. verum in princip. ff. pro socio*, vbi sic legitur, *Sed, si hic fideiussor tanquam defensor socij iudicium susceperit proderit sibi*; quinimmò hoc idem eueniret, si conuentus exciperet nomine proprio, & in sua persona remissiuè tamen ad priuilegium debitoris, hocque, si non sub formalitate priuilegij sibi competentis, saltem sub ratione, quod ad hoc implicitè solum se obligauit per ea, quae docuimus *tom.* 3. *sub tit. Contractus VII. de socies, pranot* 10. *assert.* 2. *num.* 4. *vers. dices quando debitor, & tom.* 4. *sub tit Contractus XII. de fideius., & assecur Disq. I.* §. 8. *vers. respondeo* 3., *&* §. 13. *num.* 4. Deinde quidquid sit de hoc priuilegio competentiae in ordine ad fideiussorem respectu debitoris, qui gaudet tali priuilegio dispar omninò est ratio in ordine ad ea, quae hic dicuntur, quandoquidem per illud priuilegium competentiae non extinguitur onus debitoris quoad totum, sed quodammodo sopitur, quousque deuenerit ad pinguiorem fortunam per ea, quae alibi diximus, adeoque mirum non est, quod perseuerante obligatione principali quoad totum perseueret etiam fideiussoria, & subsidiaria; per ius verò municipale obligatio principalis quoad excessum in hac hypothesi absolutè irritatur, adeoque non est, cur deficiente in sua origine principali obligatione, non debeat quoque desinere, & accessoria. Dices

Oppositio de exceptione competentia.

Hypolitus. Vbaldus. Cagnolus. Alciatus.

Fideiussor principaliter obligatus potest excipere, vt defensor principalis.

Dispar ratio de exceptione competentia assignatur.

Dices secundò: ex eo, quod fideiussor se obligauerit principalitèr, & in solidum pro sponso in fauorem sponsæ potest primò ipse conueniri, antequam conueniatur sponsus principalis debitor, & quidem pro omni eo, quod promisit, ergò tenebitur solidum persoluere, quià tunc ipse conuenitur, vt principalis debitor. Sed contra, quià ex eo, quod ipse possit prius conueniri, solum sequitur, quod varietur modus solutionis, non autem maior ponitur obligatio, quam sit ex natura contractus stante illa dispositione iuris municipalis; vndè fideiussor primo conuentus potest excipere de insubsistentia obligationis principalis quoad excessum, & per consequens etiam de non existentia propriæ, vel vt defensor principalis aduersus quem haberet regressum, vel in persona propria modo, quo supra &c.

Variatur solummodo modus solutionis, non ponitur maior obligatio.

Confirmari potest eadem secunda pars ex ijs, quæ diximus *tom. 4. sub tit. Contractus XII. de fideiuss., & assecur. Disq. 1. §. 5. num. 3.* nempè in suppositione, quod fideiussor in plus fideiusserit, ac fuerit rogatus, non obligari, nec obligare nisi pro summa rogata per textum *in l. rogatus ff. mandati*, vbi sic legitur. *Si in maiorem, Iulianus verius putat, quod à plerisque responsum est, eum, qui in maiorem summam, quam rogatus erat, fideiussisset, hactenus mandati actionem habere, quatenus rogatus esset*, hocque expressè etiam in ordine ad onus fideiussoris quoad excessum, respectu cuius non teneatur, docent, *Glosa in d. l. rogatus in verb. si in minorem ff. mandati*, *Molina de iustit. disp. 139. vers. dixi supra*, nec incongrua sanè ratione, quandòquidem non potest subsistere actio, & obligatio fideiussoria sine obligatione principali, in qua fundatur per textum *in l. cum lex ff. de fideiuss.*, non subsistit autem in hac hypothesi obligatio principalis, quandòquidem de illo excessu hic non rogauit, ergò, quantumvis in præsenti hypothesi pro illo excessu fuerit rogatus, cum tamen ille quoad principalem ex dispositione iuris non teneat, non obligabitur tamen ad illum. Consequentia probatur primo, quià, quod non fuerit rogatus, & quod fuerit rogatus ad id, ad quod rogans non poterat obligari, nec obligare, quoad effectum paria sunt. Secundò, quià etiam in hoc nō potest esse obligatio accessoria, & subsidiaria sine principali, & primordiali, ergò &c.

Fideiussor ad plus se obligans, ac fuerit rogatus non obligatur, nisi pro summa rogata. Glosa. Molina.

Paritas euincens intentum.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià se obligando principalitèr iuxtà modum expositum constituitur potius expromissor, & principalis reus debendi, quam simplicitèr fideiussor *Filliutius tract. 38. cap. 8. num. 150.* per textum *in l. quamvis §. si conuenerit ff. de fideiussor.*, & in ea hypothesi ipsius obligatio sumitur independenter ab obligatione principalis, & solum cum illa accidentalitèr coniungitur, ergò tunc obligabitur quoad totum promissum, cum tunc computetur tanquam extraneus in persona propria constituens illam sponsalitiam largitatem excedentem; extraneus autem ex supra allegatis, & probatis non subditur illi legi irritanti excessum quoad sponsalitiam largitatem, nec in hoc casu talis expromissor, seù principalis reus debendi habebit regressum ad bona sponsi, qui simul illam quantitatem promiserat. Hoc totum potest comprobari exemplo, quod adducit *Nauarrus cap. cum dicatis 12. quæst. 1. in antiqua edit. num. 74. vers. sexto, in noua num. 47. vers. sexto* de eo, qui accedit pro Religioso, qui si accesserit tanquam fideiussor simplicitèr ad nihil penitus obligatur, cum Religiosus, nec ciuiliter, nec naturaliter possit obligari; non subsistente autem obligatione principali, nec ciuiliter, nec naturalitèr non potest accedere fideiussor, si verò accesserit non accessoriè tanquam fideiussor, sed tanquam principalis, casu, quo superior Religiosi obligationem ratam non habeat, & tunc verè obligatur; atque hoc exemplo ad firmandam nostram assertionem vtitur *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 29. in fin.*

Constituitur expromissor. Filliutius.

Tunc computatur, vt extraneus in persona propria promittens. Nauarrus. *Exemplo euincitur.* Sanchez.

§. XVIII.

An sponsalitia largitas quoad excessum inualida tantum sit in foro externo, an verò etiam in foro conscientiæ.

SVMMARIVM.

Refertur status controuersia. 1.
Sententia asserens non reddi inualidam in foro interno animæ quoad excessum. 2.
Arguitur Sanchez inconsequentia. 3.
Etiam in foro conscientia illa sponsalitia largitas quoad excessum non tenet, nec potest sponsa eam detinere. 4.
Soluuntur rationes opposita sententia. 5.

Disquisitio XVIII. Per sponsum collata est sponsalitia largitas excedens sponsæ. Hanc in foro externo non tenere quoad excessum latè supra tàm in prænotionibus, quàm in præcedentibus paragraphis probatum est, vbi est ius municipale irritans. Modo controuersia est, an sicuti ille excessus non tenet in foro externo, ità nec teneat in interno, adeovt sponsa etiam in conscientia teneatur illum excessum restituere. 1

Factum expositum in suis terminis.

Corduba *in summa qu. 124. in fine Henriquez lib. 11. de matrim. cap. 20. num. 4. Ludouicus Lopez lib. 1. instruct. cap. 173. & lib. 2. de*

 cõ-

Asserentes in foro interno animæ non reddi inualidum.

Corduba. Henriquez. Lopez. Manuel. Padilla.

contract. cap. 42. in initio, Manuel primo tom. summæ secunda edit. cap. 97. num. 3. Padilla auth. res, quæ num. 23. C. communia de legat. existimant non inualidari quoad forum internum animæ, ea ducti ratione, quià sic passim practicatur, & solum ille excessus repetitur per actiones ciuiles, nec confessores inijciunt scrupulum fæminis recipientibus, & retinentibus illam sponsalitiam largitatem quoad excessum.

3 Sanchez, qui docuerat *sub lib. 6. de matrimonio disp. 34. num. 3.* sponsalitiam largitatem excedentem, si fuerit iuramento firmata, tenere eo quià illa collatio non est contra bonos mores naturales, sed dumtaxat ciuiles; modo *eodem lib. disp. 33. num. 2.* docet in foro conscientiæ illum excessum sponsalitiæ largitatis non tenere eo quià huiusmodi leges irritantes excessum in vtroque foro receptæ sunt. Sed pace tanti viri non percipio vim consequentiæ, seù quomodo consequenter res se habeant. Si etenim illa collatio, vt modo asserit, est irrita in foro conscientiæ, ergò est contra bonos mores naturales, nedum contra ciuiles aduersus ea, quæ expressè dixit *dicta disp. 34. num. 3.* Consequentia tenet, quià actiones ciuiles sunt præcisè in ordine ad ea, quæ sunt contra bonos mores ciuiles, & vt tales præcisè sunt, non afficiunt ea, quæ sunt fori conscientiæ, ergò, cum illa collatio excedens non teneat etiam in foro conscientiæ decentio illius erit contra bonos naturales, quandoquidem est contra ius etiam conscientiæ, & si collatio illa est contra bonos naturales, vt tenetur fateri idem Sanchez, quo modo iuramentum potest illam firmare? Certè iuramentum non potest esse fulcimentum eorum, quæ sunt contra conscientiam, & contra bonos mores naturales. Quamobrem ex hoc magis firmantur ea, quæ nos supra diximus, scilicet hanc sponsalitiam largitatem excedentem in rigore non firmari iuramento; & sic

Sanchez nō videtur sibi constans.

Constitutio illius excessus est contra bonos mores naturales.

4 Respondeo ad quæsitum etiam quoad forum conscientiæ illam sponsalitiam largitatem quoad excessum irritam esse, nec posse sponsam illam retinere *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 33. nu. 2.*, & consonat cum his, quæ superius nos diximus. Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi lex irritans secundum se iustissima est, & procedit à legitima potestate habente iurisdictionem in ordine ad suos subditos condendi huiusmodi leges, ergò non est, cur controuenientes non debeant obligari in foro etiam conscientiæ. Consequentia patet, quià leges iustæ, & procedentes ab habente legitimam auctoritatem, & iurisdictionem, & ordinatæ ad publicam vtilitatem obligant in vtroque foro, vt docent communiter DD. scribentes in materia de legibus, nec incongrua ratione, quià subditi etiam in foro conscientiæ tenetur legibus superiorum obedire in ijs, quæ iusta sunt.

Etiam quoad forum conscientiæ est irrita. Sanchez.

Lex irritans iustissima est, & procedit ab habente legitimā potestatem.

Ad ea, quæ ex Corduba, alijsque DD. 5
supra allegatis afferebantur dicendum est, ea procedere dumtaxat quoad meliorationem causa dotis factam per parentes in fauorem filiæ, quæ certis in regionibus non tenet, & docet *Baeza de non melior. filiab. cap. 20. num. 1., & seqq.* irrita esse ex dispositione iuris municipalis in huiusmodi regionibus; quæ iura municipalia asserunt præallegati DD. non obligare in foro conscientiæ, quià huiusmodi iura non sunt ita recepta, vt obligent in conscientia, sed tantum, vt detur actio in foro externo ad repetendum. Hæc autem non militant quoad sponsalitiam largitatem excedentem, quià vbi leges irritant, ità supponuntur receptæ, vt absolutè obligent, adeoque in vtroque foro; Nec obesse potest id, quod dicitur scilicet confessores scrupulum non inijcere ità conferentibus, & recipientibus, nec restituentibus; Non, inquam, obesse potest, quià in primis non constat, quod confessores huiusmodi scrupulos non inijciant; Deinde erit, quià, vbi non inijciunt, huiusmodi leges non fuerint receptæ absolutè.

Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. Baeza.

§. XIX.

An filius familias possit inconsulto Patre sponsalitiam largitatem promittere.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in suis terminis. 1.
Ex bonis castrensibus, seù quasi castrensibus potest promittere sponsalitiam largitatem, siue peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum, siue non peruenerit, si illa sit necessaria, secus si voluntaria, & ad talem ætatem non peruenerit. 2.
Ex bonis aduentitijs, & profectitijs non potest inconsulto Patre promittere. 3.
Intellige quoad bona aduentitia, si nondum peruenerit ad ætatem, qua ei permittatur contrahere. Ibid.

Disquisitio XIX. Contractis sponsalibus inter Caium existentem sub 1
patria potestate, & Meuiam, quæ eidem Caio promisit, vel contulit dotem decem millium aureorum, cum Caius nihil haberet, quod actu conferret pro sponsalitia largitate, promisit pro eadem mille aureos inconsulto omninò Patre. Hic orta fuit controuersia, an promissio illius sponsalitiæ largitatis inconsulto Patre subsisteret. Similis difficultas excitata, &

Facti series expositio.

& discussa fuit superius, dum de constitutione arrarum, an scilicet per filios familias possent promitti Patre penitus ignorante. Recolite ea, quæ dicta sunt *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsal. II. pranot. 22. per totum*.

2 *Ex bonis castrensibus, & quasi castrensibus potest, si peruenerit ad legitimam ætatem.*

Respondeo primò, ex bonis castrensibus, seù quasi castrensibus, si quæ habet, potest promittere sponsalitiam largitatem, hocque, siue peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum, siue non peruenerit, si sponsalitia largitas fuerit necessaria non solum quoad substantiam, sed etiam quoad quantitatem, si verò fuerit omninò voluntaria non potest, si nondum peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum. Pro intelligentia responsionis aduerte, olim fuisse præscriptum, vt supra prænotauimus, vt sponsæ dotem conferenti certa, & proportionata quantitas sponsalitiæ largitatis erogaretur, quod modo etiam vigere in aliquibus regionibus referunt plurimi Doctores, & proinde diximus, *si fuerit necessaria quoad substantiam, & quantitatem*. In hanc responsionem expressè propendet *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 39. nu. 7., & 11.* (Sanchez.)

In ordine ad hac bona est sui iuris.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià in ordine ad bona castrensia, & quasi castrensia filius familias est sui omninò iuris, nec computatur, vt filiusfamilias, sed absolutè, vt dominus independenter à voluntate Patris, ergò, vbi aliud non obsistat, poterit de illis promittere sponsalitiam largitatem.

Dummodo tamen sit necessaria talis sponsalitia largitas.

Ratio secundæ partis, quod scilicet possit promittere etiam, si non peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum, si fuerit necessaria, tàm quoad substantiam, quàm ad quantitatem ex eo deducitur, quià illa promissio non redditur irrita, nec ex defectu dominij, nec ex non plena deliberatione ad contrahendum, ergò &c. Antecedens quoad primam partem patet ex supradictis, quià scilicet huiusmodi bona sunt sub pleno, & perfecto dominio eiusdem filij familias: quoad secundam sic euincitur, quià in huiusmodi dispositionibus non requiritur plena deliberatio, cum non possit filius familias sibi præiudicare, cum ius ipsum regulet huiusmodi operationes, & sicuti, si interueniret cum ipso Pater, non posset non constitui talis sponsalitia largitas, & quoad substantiam, & quoad quantitatem, ità &c.

Secus si sit voluntaria, & non peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià, quantumvis in ordine ad talia bona plenum habeant ius, & possessionem, nihilominus ex præsumptione immaturæ deliberationis, à iure ipsis interdicitur plena administratio, & dispositio eorundem, ne scilicet in ipsorum administratione, & dispositione sibi præiudicent, ergò, si voluntariè, antequam deuenerint ad tempus à iure requisitum ad contrahendum, contulerint, vel promiserint iure sic disponente erit irrita collatio, & promissio.

3 *Ex bonis aduentitijs, & profectitijs non potest promittere.* (Gomez. Caldas. Molina.)

Respondeo secundò, in fortioribus terminis non potest filius familias promittere inconsulto Patre sponsalitiam largitatem de bonis aduentitijs, & profectitijs *Antonius Gomez l. 6. Tauri num. 14. Caldas in l. si curatorem verb. læsis num. 152. C. de in integ. restit. Molina tom. 1. de iustit. disp. 261.* Intellige in ordine ad bona aduentitia, si nondum deuenerit ad ætatem, qua ei permittatur contrahere, secus, si ei non interdicatur contractus ex præsumpto defectu maturæ, & plenæ deliberationis.

Dummodo quoad bona aduentitia non peruenerit ad legitimam ætatem.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, si in tali minori ætate ei interdicitur collatio sponsalitiæ largitatis, vel eiusdem promissio in bonis castrensibus, & quasi castrensibus, quorum habet plenum dominium, & vtilitatem, ergò multo magis eidem interdicetur quoad bona aduentitia, quorum licet habeat dominium, non tamen habet vsumfructum, & vtilitatem viuente ipsius Patre.

Promittere, vt transeant post obitum Patris.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià filius familias etiam viuente Patre in bonis aduentitijs habet plenum dominiū, & proprietatem, licet non vsumfructum, vnde pater non potest de eis pro libertate disponere, sed integra tenetur conseruare eidem filio; rursus idem filius familias defectu ætatis non prohibetur quoad illa contrahere, ergò, vtique poterit illa conferre, & promittere non quidem, vt transeant pro tempore, quo Pater viuit in sponsam donatariam, sed post obitum eiusdem Patris. Consequentia probatur, quià, nec prohibetur conferre, nec promittere ratione immaturæ deliberationis ob ætatem, vt supponitur, non ratione defectus dominij, quià hoc apud ipsum manet, & ad ipsum habet plenum ius, intuitu cuius pater non potest de illo disponere transferendo, seu distrahendo in alios; nec ratione vsusfructus Patris, quià de illo non disponit viuente Patre, sed eidem liberū relinquit, ergò &c.

Instantia aduersus responsionem, eiusque solutio.

Neque obesse potest textus *in l. fin. §. filijs autem ff. de bonis, quæ lib.*, vbi sic legitur. *Filijs autem familias in ijs dumtaxat casibus, in quibus vsusfructus apud parentes constitutus est, donec parentes viuunt, nec de eisdem rebus testari permittimus, nec citrà voluntatem eorum, in quorum potestate sunt vlla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypotheca titulo dare, vel pignori assignare*, quem textum nos adduximus ad probandum easdem filios familias in eisdem bonis aduentitijs viuentibus parentibus non posse constituere arras, *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. pranot. 13. assert. 2. num. 3.* Non in-

inquam, obesse potest, quià ea procedunt, quando de præsenti ea subijciuntur, vel pignori, vel hypothecæ, vel per testamentum transferuntur, vel alio quovis modo alienantur, secus autẽ, quando ità fit dispositio, vt locum non habeat viuente Patre, apud quem est vsusfructus, sed post eius obitum solummodo incipiat vim habere, adeout, si filius ipse præmoriatur patri, cesset omninò promissiò, seù collatio promissa; Neque in hoc currit paritas quoad huiusmodi bona de sponsalitia largitate, ac de constitutione arrarum, quandoquidem de natura istarum est, vt non teneant, nisi actu conferantur, vel saltem de præsenti obligentur, quod non militat quoad sponsalitiam largitatem. Hæc dixi insistendo ratione purè naturali, iuxtà quam hanc nostram responsionem firmat etiam *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 39. num. 11., & 12.* Cæterum respiciendo ius ciuile positiuum *in d. l. fin. §. filijs autem ff. de bon., qua lib.* tutiorem existimo partem oppositam, quod scilicet in ijs bonis, nec possit viuente patre arras constituere, nec sponsalitiam largitatem.

Non currit paritas de constitutione arrarũ, & de sponsalitia largitate.

Sanchez.

Ratio tandem tertiæ partis, quoad bona profectitia ex eo deducitur, quià in ordine ad eadem, nec habet dominium, nec vsumfructum, nec aliquam dispositionem viuente patre, & sicuti in bonis paternis non potest viuente eodem Patre, nec arras constituere, nec sponsalitiam largitatem, eò quià ad illa nullum ius habet, ità nec in illis bonis profectitijs.

Bona profectitia non sunt sub potestate filij.

DISQVISITIONES II.

In reliquas omnes de sponsalibus II. prænotiones.

§. I.

An, & quomodo donatio propter nuptias, & arræ, prout sumuntur apud Hispanos, differant.

SVMMARIVM.

Proponitur status controuersia. 1.
Arra iuxta morem hispanum, & donatio propter nuptias differunt ratione finis. 2.
Differunt etiam adinuicem quoad effectum, & quomodo. 3.
Arra dissoluto matrimonio remanent penes vxorem, donata propter nuptias reuertuntur ad maritum. 4.

1 Disquisitio I. Arræ de iure communi dantur præcisè in securitatem contractus matrimonialis promissi per sponsalia; modo tamen apud Hispanos vsus inualuit, vt non sumantur arræ pro eo, quod traditur in signum matrimonij contrahendi, sed pro donationibus factis sponsæ per sponsũ, vel in remunerationé pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis, vnde nonnulli asserunt, inter quos *Castillo l. 50. Tauri n. 6. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 24. in init. Suarez lib. 3. fori tit. 2. de las arras l. 1. nu. 2. Olanus concord. lit. D. verbo donatio num. 71.*, quod huiusmodi arrę successerint loco donationis propter nuptias, quæ asseruntur contrario vsu abolitæ, vt testatur *Glos. auth. aequali tas in fin. C. de pactis conuent. Baldus aut. dos data C. de donat. propter nupt.* Hic iam controuertendum occurrit, an huiusmodi arræ sic sũptæ iuxtà hispanos omninò cõueniant cum donationibus propter nuptias, prout sumuntur in iure communi, an verò differant, & in quonam.

Dilucidatio facti.

Castillo. Lupus. Suarez. Olanus.

Glosa. Baldus.

Respondeo primò differre in ratione finis, ad quem dantur. Ratio ex eo desumitur, quià arræ sumptæ iuxta hispanos conferuntur in remunerationem, & præmium virginitatis. *Baldus in l. res vxoris C. de donat. inter vir, & vxorem in fin. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 12. num. 1. Gomez Arias l. 49. Tauri num. 8. Padilla auth. res quæ num. 31. C. communia de legat. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7. num. 12.*, vel in compensationem nobilitatis mulieris *Gutierez 2. pract. q. 18. num. 4.*, vel in compensationem dotis *Valascus cons. 17. num. 6. tom. 1.*, vel ad sustinendam vidualem vitam, in qua vxor præsumitur fore, vt permaneat *Idem Valascus cons. 2. n. 4.*; donationes verò propter nuptias sunt in ordine ad onera matrimonij sustinenda, cum conferantur ad similitudinem dotis, nam sicuti per vxorem confertur marito dos ad eum finem onerum sustinendorum, ita per maritum in ordine ad ea onera vxori conferebantur, seu conferuntur huiusmodi donationes, quæ propterea dicuntur dos *§. est, & aliud. instit. de donat. l. cum multa C. de donat. ante nupt.*, seu etiam augmentum dotis.

2 *Differunt ratione finis.*

Baldus. Lupus. Gomez. Padilla. Coaruuias. Valascus.

Respondeo secundò differre etiam adinuicem quoad effectum. Ratio ex eo deducitur, quià arræ iuxtà morem hispanum sumptæ dissoluto matrimonio remanent absolutè apud vxorem *Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 12. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 1. num. 1. vers. donatio propter nuptias*, & est in confesso apud omnes scribentes quoad ius hispanum circa nuptias, nec incongrua ratione hoc statuitur, quandoquidem cum dentur in præmium virginitatis amissæ, vel nobilitatis non est, cur matrimonio consummato non debeat vxor eas plenè acquirere; donationes verò propter nuptias dissoluto matrimonio redeunt ad donantem *Sanchez de matrim. lib.*

3 *Differunt etiã quoad effectum.*

Gomez. Sanchez.

4 Sanchez.

Crauetta. Clarus

lib. 6. disp. 1. *nu.* 1. *Crauetta cons.* 185. *Clarus lib. 4. recept.* §. *donatio quæst.* 11. *in addit.* hocque expressè habetur *in c. fin. de donat. inter vir, & vxor*, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem, vt supra innuebamus, huiusmodi donationes fiunt ad similitudinem dotis, & ad eundem finem, & effectum, nam sicuti per vxorem dos confertur marito, ita donationes propter nuptias per maritum conferuntur vxori, & vtraque conferuntur in ordine ad onera matrimonij sustinenda, vnde iure merito diximus *sub hoc eodem titulo Contractus XIV. De sponsal.* 11. *prænot.* 16. *assert.* 6. *num.* 9. quòd huiusmodi donationes habeant eadem priuilegia, quam habet dos ipsa, prout docent etiam *Grammaticus decis.* 103. *num* 97., *&* 123. *Iulius Clarus lib. 4. recept.* §. *donatio qu.* 11. *in addit. Couaruuias var. resol. lib.* 1. *cap.* 7. *nu.* 1. *vers. eod. pacto*, *Petrus Barbosa ad l.* 1. *part.* 3. *num.* 31. *ff. solut. matrimon.* Sicuti igitur soluto matrimonio dos pleno iure reuertitur ad vxorem conferentem cum cesset finis onerum matrimonialium sustinendorum, ita non est, cur eodem dissoluto huiusmodi donationes ante nuptias redire non debeant ad maritum conferentem, cum etiam in hac hypothesi cesset idem finis eorundem onerum sustinendorum.

Arra remanent penes vxorem, donata propter nuptias reuertitur ad maritū.

Grammaticus. Iulius Clarus. Coaruuias. Petrus Barbosa.

§. II.

An valeat donatio, qua maritus constante matrimonio constituit dotem vxori, vel etiam ante contractum matrimonium.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Dos constituta per maritum vxori constante matrimonio non tenet. 2.
Dos constituta per maritum vxori ea adiecta conditione, vt non valeat, nisi constituto matrimonio regulariter non tenet. 3.
Limita in casu, quo fœmina esset longè nobilis, & iuuenis, & maritus ignobilis, & senex. 4.
Item si virginem seductam violauerit, & postea eam duxerit. 5.
Constituta ante matrimonium, vt pro eo tempore valeat, sed differatur quoad executionem tenet. 6.

1 *Explicatur titulus in casu particulari.*

DIsquisitio II. Constituto iam matrimonio, vel forte etiam ante ipsum in tractatu eiusdem ineundi inter Theodoricum, & Caiam idem Theodoricus constituit eidem Caiæ dotem ea adiecta conditione, si matrimonium non fuerit initum, eadem dos referatur ad tempus matrimonij iam constituti, & non aliter: Orta hic fuit, an illa dotis constitutio facta à Theodorico in fauorem Caiæ teneat,

Respondeo primò, si dos illa fuerit constituta per maritum vxori constante iam matrimonio regulariter non tenet *Alexander de Neuo c. & si necesse est nu.* 2. *de donat. inter virum, & vxor. Bartolomeus Socin. l.* 1. *num.* 70. *ff. solut. matrim. Ioannes Lupus rub. de donat.* §. 30. *num.* 1. *Siluester verb. Dos q.* 6. *Sanchez lib.* 6. *de matrim. disp.* 7. *num.* 2. Ratio ex ijs deducitur, quæ dicebamus *tom.* 4. *sub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth. prænot.* 5. *sect.* 3. *num.* 21. nempe augmentum dotis factum per maritum vxori constante iam matrimonio absolutè non tenere, nec obligare augentem maritum per textum *in l.* 1, 2., 3., *&* 4. *ff. de donat. inter virum, & vxorem*, *& l. cum hic status ff. eod.* ergò multo minus poterit tenere constitutio dotis facta per eundem maritum vxori constante iam matrimonio, quià militat eadem ratio prohibitionis. Confirmatur, quià donationes inter virum, & vxorem constante iam matrimonio sunt absolutè prohibitæ, & irritæ per textum *in c. fin. de donation. inter vir., & vxor., & l.* 1., 2., *&* 3., *ff. eod. tit.* ergò, & intelligitur prohibita, & irrita constitutio eiusdem dotis factæ per maritum vxori constante iam matrimonio. Consequentia probatur, quià constituere dotem est donare *l. fin.* §. *si à socero ff. quæ in fraudem credit.*

2 *Dos per maritum cōstituta vxori regulariter non tenet.*

Alexander de Neuo. Socinus. Lupus. Siluester. Sanchez.

Donationes inter virū, & vxorem constante matrimonio non tenent.

Constituere dotem est donare.

Dices potest vxor constante iam matrimonio augere propriam dotem, quod certè redundat in vtilitatem mariti per textum *in l. constante, & l. fin. vers. quarè enim C. de donat. ante nupt.* quinimmò, si fuerit indotata, potest post matrimonium initum ex bonis, quæ successiuè eidem aduenerunt, dotem sibi constituere, & tradere marito §. *est, & aliud vers., & primis quidem Instit. de donat.* ergò, si vxor constante iam matrimonio potest constituere augmentum dotis, vel dotem ipsam, cū antecedentèr esset indotata, cum hoc sit species donationis, etiam maritus constante eodem matrimonio eidem poterit conferre; æque etenim donatio post nuptias est prohibita vxori, ac marito: si igitur illi nō repugnat dotem cōstituere, nec isti repugnabit. Sed contra neganda est absolutè consequentia, quià mulier, vel augens dotem, vel eandem à radice constituens, sibi auget, & constituit, non marito, cum quoad proprietatem ipsi pertineat, & eodem matrimonio dissoluto redire debeat pleno iure ad ipsam vxorem; maritus autem constituens dotem non sibi constituit, sed vxori, quæ propterea dissoluto matrimonio ad ipsum constituentem non debet redire, sed remanere

Cur possit vxor constāte matrimonio augere sibi dotem, nō maritus eidem.

Baldus. Lupus. Mantica. manere apud vxorem dotatam *Baldus nouellus de dote 7. part. priuileg. 8. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 53. nu. 1., & seqq. Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 22. num. 2.*, & si maritus durante matrimonio consequatur aliquam vtilitatem ex illa dote constituta post matrimonium per vxorem, vel ex augmento dotis non propterea debet censeri aliquid recipere titulo donationis, quia hoc accidentaliter consequitur ad eiusdem dotis constitutionem, & spectat ad onera matrimonij sustinenda. Deinde illa vtilitas, quam percipit maritus ex constitutione dotis factæ per mulierem post contractum matrimonium est quodamodo in remunerationem beneficij, quod eadem mulier percepit ab eodem marito, qui eandem indotatam recepit.

3 *Dos constituta ante matrimonium, & solummodò relata ad tempus eiusdem non tenet.* Præpositus. Socinus. Siluester.

Respondeo secundo, si dos fuerit constituta per maritum ante contractum matrimonium ea adiecta conditione, vt referatur ad tempus matrimonij initi, & nullo modo valeat antecedenter adhuc absolutè non tenet. *Præpositus c. & si necessu nu. 1. de donat. inter vir. & vxorem, Bartolomæus Socin. l. 1. n. 70. ff. solut. matrim. Siluester verb. Dos quæst. 6.*, & nos etiam docuimus *tom. 4. sub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth prænot. 5. sect. 3. num 21.* Ratio ex eo deducitur, quia, si illa constitutio dotis per maritum vxori facta esset constante iam matrimonio absolutè non teneret per allegata in præcedenti responsione, ergò etiam, si fieret ante contractum matrimonium ea adiecta conditione, vt non teneret, nisi post contractum, vtrique non teneret. Consequentia probatur, quia cum quicunque actus initus sub conditione de futuro, non obliget nisi purificata conditione, & cum post purificatam ex dispositione iuris non teneat ille actus, perindè est, ac, si fuerit initus pro tempore, pro quo eodem iure obstante idem actus non potest esse validus *l. in tempus ff. de hered. instit., & l. eum, qui ff. de iurisd. omnium Iud. Tiraquel de iure constituti part. 3. limit. 2. n. 3. & seqq. Costa in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib. & posth. part. 2. n. 172.*

Actus initus sub conditione de futuro, non obligat nisi purificata conditione.

Tiraquel. Costa.

4

Limitanda tamen est hæc responsio in aliquibus casibus, & primo in hypothesi, qua maritus constante matrimonio constitueret dotem vxori excedenti ipsum longè in nobilitate, vel ex eo, quod ipsa sit iuuencula, & ipse senex, quidquid ex aduerso dixerint *Crotus rub. solut. matrim. nu. 62. Aimon consil. 51.* Alij restringunt hanc limitationem, quandò ante matrimonium maritus constituerit hanc dotem cum conditione, vt tantummodò teneat, quandò matrimonium fuerit initum, secus, si constituerit post iam contractum matrimonium, rationemque adducunt sitam in eo, quod qui constituit ex prædictis causis ante initum matrimonium constituit ex causa remuneratoria necessaria, quandò verò constituit post contractum matrimonium constituit ex causa omninò voluntaria, atque ita sentiunt *Bartolomæus Socin. l. 1 nu. 73. ff. solut. matrim. Parisius consil. 86. n. 46 lib. 3.* Alij restringunt, vt valeat, quandò etiam post constitutum matrimonium constitueret cum expressione conferendi animo remuneratorio ex prædictis causis, secus, si sine tali animo, quinimmò asserunt, quod, si neque talem animum expresserit, neque excluserit præsumendum sit pro negatione talis animi remunerandi, adeoque, quod non teneat illa constitutio. Nihilominus absolutè, & sine restrictione sustinent *Glosa l. si voluntate vers petendis C. de dot. promiss. Bartolus in l. si diuortio n. 4. ff. de verb. obligat. Baldus in l. 1. in fin. C. de donat. ante nupt.*, & ex Theologis *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 189. vers. tertius, si fiat Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 41.*, & alij innumeri maximè ex Iuristis apud *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 7. n. 4.* Ratio huius limitationis ex eo deduci potest, quia ex genere suo illa qualitas nobilitatis excedentis, vel iuuentutis respectu ignobilis, vel notabiliter minus nobilis, & respectu senis est digna remuneratione, & secundum se eandem exigit, siuè ante matrimonium per modum antidoralis obligationis, siuè post per modum debitæ compensationis, ergò, si per maritum vel minus nobilem, vel senem constituatur dos fœminæ excedentis in nobilitate, vel iuuenis semper præsumendum est, quod fiat titulo donationis remuneratiuæ, & compensatoriæ; donatio autem remuneratoria inter maritum, & coniugem constante de meritis respectu remunerati non prohibetur, nec redditur irrita per textum *in l quod autem § si vir. ff. de donat. inter vir. & vxor. Abbas c. fin. n. 7. de donat. inter vir., & vxor. Tiraquel. l. si vnquam verbo donatione largitas C. de reuoc. donat. n 19. Tabiena verb. donatio 3. in initio, Menochius de arbitrar. lib. 2. cas. 132. n. 4.*

Limitatio, quandò fœmina esset nob. lior. Crotus. Aimon.

Limitatio limitationis nonnullorū. Socinus. Parisius.

Hæc restrictio limitationis rejicitur. Glosa. Bartolus. Baldus. Molina. Lopez. Sanchez.

Esset donatio remuneratoria. Abbas. Tiraquel. Tabiena. Menochius.

5 Secundò in hypothesi, qua quis virginem seductam violauerit, & postea ea in vxorem ducta ipsi dotem constituerit, *Ioannes Lupus rub. de donat §. 30. n. 3. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 7. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quia, quamuis iura statuant aduersus violatorem virginis sub disiuncto, vt vel illam ducat, vel dotet, nihilominus, si vtrúmque sequatur præsumitur etiam, quod eadem dotatio sit in compensationem iniuriæ virgini illatæ, ergò &c. Alios plures casus, in quibus constitutio dotis per maritum facta vxori post contractum matrimonium tenet refert *Sanchez loc. cit à nu. 6. ad finem*, quem tu consule.

Si virginem seductam violauerit, & postea duxerit. Lupus. Sanchez.

6

Respondeo tertiò. Si constitutio dotis facta fuerit per maritum ante contractum matri-

Tenet, ſi reſtituatur, vt teneat de præſenti, ſed executio differatur. Tuſcus. Sanchez. Alexander de Neuo. Sylueſter. Baeza.

matrimonium ſub ea ratione, vt quoad ſubſtantiam vim habeat abſolutè à principio eiuſdem conſtitutionis, licet non debeat ſortiri executionem, niſi purificata conditione matrimonij iam celebrati, vtique tenet *Tuſcus lib. 6., lit. P. concl.* 88 *num.* 3. & in hoc ſenſu exiſtimo procedere, *Sanchez lib. 6. de matrimon. diſp. 7. nu. 2. verſ. ſi tamen, Alexandrũ de Neuo in cap. & ſi neceſſe num. 2. de donat. inter vir. & vxor, Sylueſtrum verbo Dos q. 6. Baezam de non melior. filiab. c. 16. nu. 40.* Ratio ex eo deducitur, quià nullum ius vetat, quin inter ſponſum, & ſponſam ante contractum matrimonium per verba de præſenti poſſint intercedere donationes, aliaque fieri, quæ prohibentur inter coniuges actu, ſed illa dotis conſtitutio per ſponſum in fauorem ſponſę ante contractum matrimonium, ità vt vim habeat tempore conſtitutionis eiuſdem quoad ſubſtantiam licet quoad executionem differatur ad tempus conſtituti matrimonij, propriè vim habet donationis, & vtique ante matrimonium, ergò &c. atque adhoc faceret poteſt textus *in l. 1. C. de donat. ante nupt.*

§. III.

An teneat conſtitutio dotis facta per maritum diuitijs præpotentem cònſtante matrimonio vxori ipſum longè excedenti in nobilitate.

SVMMARIVM.

Status difficultatis expoſitus. 1.
Conſiderabilia circa factum. 2.
Illa dotis conſtitutio venit nomine donationis remuneratoriæ, & in iure ſubſiſtit. 3.
Satisfit rationibus dubitandi aliundè deſumptis. 4.

1 *Refertur ſtatus controuerſiæ.*

DIſquiſitio III. Contraxerat ſponſalia quidam de populo diuitijs præpotens cum Caia fœmina valdè nobili nulla per hanc dote conſtituta, & ſucceſſiuè inter eoſdem initum eſt etiam matrimonium per verba de præſenti nulla etiam habita ratione ad dotem. Conſtante iam matrimonio maritus diues conſtituit propriæ vxori nobili dotem ex proprijs bonis, & in determinatis fundis aſſignauit. Hic orta eſt controuerſia, an hac in hypotheſi illa dotis conſtitutio teneret.

2 *Nonnulla ruminanda ex ſuperius dictis.*

Plura circà hanc comparationem viri diuitijs præpotentis ad mulierem nobilitate excedentem diximus dum de cauſis diſſolutionis ſponſalium, & præcipuè *ſub hoc eodem tit. Contractus XIV. de ſponſal. II. prænot. 1.*, vbi innuimus non videri cauſam ſufficientem diſſolutionis ſponſalium, ſi vir diues eadem contraxerit cum fœmina paupere non cognita ipſius paupertate, ſi tamen hæc excederet longè eundem in nobilitate, quià tunc videretur quodamodo fieri compenſatio, quæ tamen ſecundum diuerſas rationes ibi reſtrinximus, & modificauimus, ad quæ vos remitto. Nunc difficultas eſt, an per illum exceſſum diuitiarum in vno comparatiuè ad exceſſum nobilitatis in alio talis fiat coæquatio, vt ſi conſtituatur dos per maritum in fauorem vxoris illa non veniat ſub nomine donationis remuneratoriæ, ac proinde non teneat.

3 *Eſt remuneratoria, & in iure ſubſiſtit.* Lupus. Sanchez.

Reſpondeo etiam in dote hypotheſi illam dotis conſtitutionem venire nomine donationis remuneratoriæ, ac proindè in iure ſubſiſtere *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 32. nu. 9. Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 7. num. 4. verſic. ſed dubitabis.* Ratio ex eo deducitur, quià per illam diuitiarum qualitatem exiſtentem in marito non ſufficienter compenſatur nobilitas ſuperexcedens exiſtens in muliere, ergò adhuc illa dotis conſtitutio facta per maritum diuitjs præpotentem venire poteſt nomine donationis remuneratoriæ, & compenſatiuæ. Conſequentia patet, quià vbi adeſt titulus, qui ſufficienter nõ compenſetur per qualitatem in altero exiſtentem, ille dignus eſt remuneratione, & quidquid confertur intuitu illius cenſendum eſt conferri ſub eo intuitu remuneratoriæ compenſationis. Antecedens verò probatur, quià quantumvis maritus diuitijs affluat ratione illius matrimonij vxor conſtituitur deterioris conditionis, & ſi illa dos non conſtitueretur, illa deterior conditio incompenſata maneret, nam, ſi maritus eidem præmoreretur, ipſa iam de facili alteri æque nobili non poſſet nubere ex eo, quod antecedenter fuerit nupta ignobili, ſicque id, in quo facta fuit deterior incompenſatum maneret. Confirmatur, quià ſecundum communem hominum conceptum pluris habetur nobilitas, quam diuitiæ, & prudentes homines plura effondunt ad nobilitatis titulum conſequendum, quam ad lucra, cum diuitiæ nobilitati, non diuitijs nobilitas debeat obſequi, & licet plerique in diuitijs nobilitatem conſtituant, ſecundũ ſe tamen res ita non ſe habet, ergò, ſi maritus diuitjs affluens conſtituat vxori nobilitate excedenti etiam conſtante matrimonio dotem conſtituere titulo remuneratoriæ donationis cenſendus eſt, adeoque eandem tenere.

Mulier conſtituitur deterioris conditionis per illas nuptias.

Pluris habetur nobilitas, quam diuitiæ.

4 Neque obeſſe poſſunt ea, quæ diximus loco allegato, quod ſcilicet ſponſus diuitijs præpotens, qui matrimonium promiſit fœminæ nobili, ſed pauperi eiuſdem paupertate ignorata, non poſſit eadem poſteà cognita à ſponſalibus regulariter recedere, adeoque etiam, quod in præſenti

fenti hypothesi non possit dotem illam constante matrimonio constituere; quandoquidem ratio, propter quam dicitur in priori casu non posse recedere à sponsalibus, ea est, quià ibi supponitur facta compensatio diuitiarum in vno per nobilitatem in altero, resque redactæ ad æqualitatem, ergò, si facta est compensatio, & æqualitas, non remanet amplius locus donationi remuneratoriæ, & per consequens non poterit subsistere constitutio dotis, quæ inter coniuges esse non potest per maritum, nisi titulo remunerationis. Non, inquam, obesse possunt, quià in primis ea, quæ dicta sunt restricta fuerunt in hypothesi, qua sponsus non ita esset diuitijs inhians, vt præsumeretur pluris facere diuitias, quam nobilitatem, & secundum quod regulariter fit secundum communem existimationem, secundum quam æquè, quinimmo pluris habetur nobilitas, quam diuitiæ. Deinde quidquid sit de hoc non eadem currit paritas in illo casu, ac in isto, quandoquidem ex parte mariti supponitur sufficiens compensatio, nam, si præmoriatur vxor ipsius conditio potius augetur, quam diminuatur; ex eo etenim, quod nupserit fœminæ nobili, videtur in statu constitutus, vt facilius possit nubere alteri nobili, si verò præmoriatur maritus, & vxori non esset dos constituta, vtique illa esset in deteriori statu constituta, nam ex eo, quod fuerit viro ignobili nupta, non posset facile æquali nubere, nisi per dotem compensaretur illa deterioratio, in qua fuit constituta.

Argumentum ex adverso desumptum, illudq; solutum.

§. IV.

An illa dos sic per maritum constituta vxori nobili haberet priuilegia dotis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Ratio dubitandi exposita. 2.
Doctores negantes priuilegium huiusmodi doti, eorumque rationes. 3.
Præfertur sententia tribuens priuilegium doti sic per maritum constitutæ. 4.
Soluuntur rationes oppositæ. 5.

1 Disquisitio IV. Iuxtà terminos præcedentis disquisitionis vir ille de populo diuitijs præpotens constituit propriæ vxori nobili constante iam matrimonio congruam dotem, quam tenere asseruimus. Præmortuo iam marito, qui iam inceperat à diuitijs deficere, creditores plures, qui vel habebant tacitam hypothecam præcedentem, vel forrè etiam erant simplicitèr chyrographarij aduersus hæreditatem agebant ad sua credita consequenda, aduersus quos excipiebat vxor de sua dote sibi per maritum constituta, eiusque priuilegijs. Suppono, quod dos fuerit constituta pro tempore, pro quo maritus erat diuitijs affluens, & non ità ære alieno grauatus, vt illam commodè non potuerit constituere, & propterea quod hoc non fecerit in fraudem, & præiudicium creditorum. Hic iam quæritur, an vxor quoad illam dotem sic sibi per maritum constitutam habeat à iure illa dotis priuilegia ad exclusionem creditorum, quæ regularitèr competunt dotibus.

In quo consistat status præstantis difficultatis.

Ratio dubitandi ex ijs potissimum consurgit, quæ dicta sunt *tom.4. sub tit. Contractus XI. de pignor., & hypotheca praenot.5. sect. 3. assert.1. num.20., & seqq.*, nempe augmentum dotis per maritum, seù per sponsum constitutum in fauorem sponsæ, seù vxoris habere priuilegia dotis, prout docent *Negusantius de pignor. memb.4. part. secunda num.46. Mantica de tacit. lib.11. tit. 19. nu.13. Ioannes Angelus Bossius tract. de dote cap. 17. §.3. num.31. Angelus in auth. de aequal. dot. §.1. Cancerius variar. resol. tom.6. cap.9. num.4.*, ergò etiam constitutio dotis facta per eundem maritum diuitem vxori nobili non est, cur talia priuilegia tacitæ hypothecæ non debeat sortiri, quandoquidem ipsum augmentum habet rationem partis ratione dotis, prout docet *Salicetus in l. vlt. §. si igitur C. de donat. ante nuptias Augustinus Barbosa ad l. etiam num. 2., & 3. C. de iure dotium*, ea autem, quæ competunt parti non est, cur nequeant competere toti in eodem genere. Neque obesse potest, si asseratur ea, quæ dicuntur de augmento dotis, procedere dumtaxat, quando constitutum est ante nuptias, non autem, quando post easdem constitutum est, non, inquam, obesse potest, quià, quod augmentum dotis per maritum constitutum in fauorem vxoris post nuptias contractas non habeat illud priuilegium non est, quod eidem, vt augmento per maritū constituto non possit illud competere, sed quià regularitèr post nuptias illud augmentum non tenet, prout docent *Castrensis in l.1., & in l.4. C. de donat. ante nupt. Menochius de praesump.12. num.2. Bossius tract. de dote cap.8. num.21.* per textum *in l. 1., 2., 3., & 4. C. de donat. ante vir., & vxor., & l. cum hic status ff. eod.* Cæterum, si casus contingeret, in quo post nuptias posset constitui, non esset, cur talibus priuilegijs non gauderet, cum esset propriè pars dotis, quæ regitur ad normam totius §. *aliud quoque auth. §. de aequal. dot. l. vlt. vers. si igitur C. de donat. ante nupt., & l. vbi adhuc C. de iur. dot.* Cum igitur in nostra hypothesi per maritum etiam constante matrimonio possit illa dos constitui iuxtà superius allegata, & probata in fauorem vxoris non

2 *In quo consistat ratio dubitandi.*

Negusantius. Mantica. Bossius. Angelus. Cancerius.

Salicetus. Barbosa.

Augmentum dotis post nuptias factum à marito vxori non tenet. Castrensis. Menochius. Bossius.

non video, cur eidem non possint competere priuilegia dotis; non etenim ei obstat hoc, quod fuerit à marito constituta, sicuti non obstat in ordine ad hæc priuilegia, quod augmentum fuerit ab eodem constitutum.

Accedit, quod dos vxoris collata marito non solum sortitur priuilegia, quando constituta est per eandem vxorem, vel per Patrem eiusdem, sed etiam, quando constituta est, & collata eidem marito per tertiam personam extraneam per textum *in l. unica §. & vt plenius C. de vxor. actio.*, ergò etiam sortiri habet huiusmodi priuilegia, quando constituta est per eundem maritum in fauorem propriæ vxoris, quandoquidem perinde est, ac si maritus eidem vxori conferret illam quantitatem vel titulo compensationis, vel alio quocunque titulo, quod fieri posse probauimus, & deinde illam iam in vxorem plenè translatam, reciperet in dotem.

Constitutio dotis per extraneum habet priuilegia dotis.

3 *Sententia negans tale priuilegium huiusmodi doti.* Coaruuias Lopez. Sanchez.

Ex aduerso *Coaruuias quarto decret. secunda part. cap. 3. §. 3. num. 4. Ludouicus Lopez secunda parte instruct. de matrim. cap. 41.*, quibus asseritur *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 7. num 5.* asserunt huiusmodi dotem sic per maritum constitutam in fauorem vxoris non gaudere priuilegijs dotis, eaque ratione mouentur, quià, quamvis communitèr dos appelletur, non est tamen propriè dos, cum non detur per vxorem marito in ordine ad onera matrimonij sustinenda, sed per maritum vxori in ordine ad compensationem nobilitatis, vel alicuius alterius qualitatis in vxore propria existentis. Quid igitur in hac controuersia concludendum?

4 *Probabilius competunt hæc priuilegia doti sic constitutæ.* Coaruuias Negusantius. Petrus Barbosa. Amator Rodriquez

Respondeo, probabilius esse etiam huiusmodi dotem sic per maritum constitutam constante matrimonio in fauorem vxoris nobilis habere priuilegia propria dotis. In hanc assertionem licet sub diuersis terminis propendent *Coaruuias var. resol. lib 1. cap. 7. num 1. vers. eodem pact. Negusantius memb. 4 part. 2. num 64. Petrus Barbosa ad l. 1. part. 3. nu. 31 ff. solut. matrim. Amator Rodriquez de concur. credit. part. 1. art. 1. num. 21.* Ratio multiplex huius responsionis esse potest. Prima, quià, si maritus conferret titulo compensationis alicuius oneris certam pecuniæ quantitatem propriæ vxori, & subinde post translatum dominium in eandem illam quantitatem reciperet titulo dotis, certè eadem dos sic constituta ex illis bonis per vxorem acquisitis à marito acquireret omnia dotis priuilegia, quandoquidem ex vno capite non repugnat, quin dos post matrimonium possit per mulierem constitui, & ex alio ex eo, quod constituatur post matrimonium non desinit habere priuilegia eidem ex dispositione iuris competentia; rursus quod acquiratur, vel ab vno, vel ab altero illa quantitas, dummodo ex iusto titulo acquiratur parum refert in ordine ad constitutionem dotis, quæ non exigit constitui potius in vna re taliter acquisita, quem in alia aliter adepta, ergò etiam eadem priuilegia habebit, si titulo remunerationis constituatur per maritum constante adhuc matrimonio in fauorem eiusdem vxoris. Consequentia probatur, quià illa dotis constitutio facta per maritum vxori perinde se habet, ac si idem maritus conferret titulo remunerationis vxori illam quantitatem, quam in dotem constituit, & deinde eandem ab eadem reciperet titulo dotis.

Vxor absolutè reciperet, & virtualiter conferret.

Secunda ratio esse potest, quià illa constitutio dotis facta per maritum vxori quodamodo in compensationem nobilitatis potissimum est ex superius dictis, ne eadem vxor, si ipse maritus præmoriatur, facta quodamodo deterioris conditionis ob nuptias contractas cum ignobili, innupta maneret, cum de facili æquali non posset nubere, sed propter hanc eandem rationem iura disposuerunt de tacita hypotheca in fauorem dotium, ergò non est, cur illa dos sic constituta non debeat habere huiusmodi priuilegium tacitæ hypothecæ.

Iura disponunt de tacita hypotheca, ne vxor innupta remaneat.

Tertia ratio ex ijs deducitur, quæ docuimus *tom. 4. sub tit. Contractu XI. de pignore, & hypotheca praenot. 5. sect. 3. assert. 2. nu. 24.*, nempe priuilegium tacitæ hypothecæ competere mulieri pro donatione sibi facta à marito propter nuptias per tex. ū *in l. vbi adhuc C. de iur. dot. & in l. assiduis ff. qui pot. in pign. habeantur, & in §. aliud quoque auth. de æqualit. dot.*, ergò non est, cur tale priuilegium tacitæ hypothecæ eidem etiam non debeat competere pro donatione remuneratoria dotis sibi constitutæ per maritum; illa etenim donatio propter nuptias transit quodamodò in augmentum dotis, si igitur hoc augmentum, quod est pars dotis, quantumvis fuerit per maritum collata, gaudet huiusmodi priuilegio tacitæ hypothecæ, cur eodem gaudere non debet, & ipsa dos, quantumvis fuerit à marito titulo remunerationis constituta. Certè, & eadem donatio propter nuptias est in remunerationem dotis, cur etiam remuneratio nobilitatis non debet eodem priuilegio gaudere?

Tacita hypotheca competit etiam donationi propter nuptias.

Ad ea, quæ ex aduerso afferebantur ex Coaruuia, Lopez, & Sanchez dicendum est, incongruè dici, illam non esse propriè dotem; quantumvis enim, prout præcisè confertur à marito titulo remunerationis non habeat hoc priuilegium, habet tamen tale priuilegium, prout ab eodem recipitur titulo dotis; vnde illa constitutio duplicem quodamodo habet respectum, alterum, prout à marito confer-

5 *Satisfit rationibus oppositis.*

Nnn tur,

Asserentes in foro interno animæ non reddi inualidum.

Corduba. Henriquez Lopez. Manuel. Padilla.

contract. cap. 42. in initio, Manuel primo tom. summæ secunda edit. cap. 97. num. 3. Padilla auth. res, quæ num. 23. C. communia de legat. existimant non inualidari quoad forum internum animæ, ea ducti ratione, quià sic passim practicatur, & solum ille excessus repetitur per actiones ciuiles, nec confessores inijciunt scrupulum fæminis recipientibus, & retinentibus illam sponsalitiam largitatem quoad excessum.

3 Sanchez, qui docuerat *sub lib. 6. de matrimonio disp. 34. num. 3.* sponsalitiam largitatem excedentem, si fuerit iuramento firmata, tenere eo quià illa collatio non est contra bonos mores naturales, sed dumtaxat ciuiles; modo *eodem lib. disp. 33. num. 2.* docet in foro conscientiæ illum excessum sponsalitiæ largitatis non tenere eo quià huiusmodi leges irritantes excessum in vtroque foro receptæ sunt. Sed pace tanti viri non percipio vim consequentiæ, seù quomodo consequenter res se habeant. Si etenim illa collatio, vt modo asserit, est irrita in foro conscientiæ, ergò est contra bonos mores naturales, nedum contra ciuiles aduersus ea, quæ expressè dixit *dicta disp. 34. num. 3.* Consequentia tenet, quià actiones ciuiles sunt præcisè in ordine ad ea, quæ sunt contra bonos mores ciuiles, & vt tales præcisè sunt, non afficiunt ea, quæ sunt fori conscientiæ, ergò, cum illa collatio excedens non teneat etiam in foro conscientiæ decentio illius erit contra bonos naturales, quandoquidem est contra ius etiam conscientiæ, & si collatio illa est contra bonos naturales, vt tenetur fateri idem Sanchez, quo modo iuramentum potest illam firmare? Certè iuramentum non potest esse fulcimentum eorum, quæ sunt contra conscientiam, & contra bonos mores naturales. Quamobrem ex hoc magis firmantur ea, quæ nos supra diximus, scilicet hanc sponsalitiam largitatem excedentem in rigore non firmari iuramento; & sic

Sanchez nō videtur sibi constans.

Constitutio illius excessus est contra bonos mores naturales.

4 Respondeo ad quæsitum etiam quoad forum conscientiæ illam sponsalitiam largitatem quoad excessum irritam esse, nec posse sponsam illam retinere *Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 33. nu. 2.*, & consonat cum his, quæ superius nos diximus. Ratio ex eo deducitur, quià huiusmodi lex irritans secundum se iustissima est, & procedit à legitima potestate habente iurisdictionem in ordine ad suos subditos condendi huiusmodi leges, ergò non est, cur contrauenientes non debeant obligari in foro etiam conscientiæ. Consequentia patet, quià leges iustæ, & procedentes ab habente legitimam auctoritatem, & iurisdictionem, & ordinatæ ad publicam vtilitatem obligant in vtroque foro, vt docent communiter DD. scribentes in materia de legibus, nec incongrua ratione, quià subditi etiam in foro conscientiæ tenetur legibus superiorum obedire in ijs, quæ iusta sunt.

Etiam quoad forum conscientiæ est irrita. Sanchez.

Lex irritans iustissima est, & procedit ab habente legitimã potestatem.

Ad ea, quæ ex Corduba, alijsque DD. supra allegatis afferebantur dicendum est, ea procedere dumtaxat quoad meliorationem causa dotis factam per parentes in fauorem filiæ, quæ certis in regionibus non tenet, & docet *Baeza de non melior. filiab. cap. 20. num. 1., & seqq.* irrita esse ex dispositione iuris municipalis in huiusmodi regionibus; quæ iura municipalia asserunt præallegati DD. non obligare in foro conscientiæ, quià huiusmodi iura non sunt ità recepta, vt obligent in conscientia, sed tantum, vt detur actio in foro externo ad repetendum. Hæc autem non militant quoad sponsalitiam largitatem excedentem, quià vbi leges irritant, ità supponuntur receptæ, vt absolutè obligent, adeoque in vtroque foro; Nec obesse potest id, quod dicitur scilicet confessores scrupulum non inijcere ità conferentibus, & recipientibus, nec restituentibus; Non, inquam, obesse potest, quià in primis non constat, quod confessores huiusmodi scrupulos non inijciant; Deinde erit, quià, vbi non inijciunt, huiusmodi leges non fuerint receptæ absolutè. 5

Soluuntur rationes oppositæ sententiæ. Baeza.

§. XIX.

An filius familias possit inconsulto Patre sponsalitiam largitatem promittere.

SVMMARIVM.

Exponitur factum in suis terminis. 1.

Ex bonis castrensibus, seù quasi castrensibus potest promittere sponsalitiam largitatem, siue peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum, siue non peruenerit, si illa sit necessaria, secus si voluntaria, & ad talem ætatem non peruenerit. 2.

Ex bonis aduentitijs, & profectitijs non potest inconsulto Patre promittere. 3.

Intellige quoad bona aduentitia, si nondum peruenerit ad ætatem, qua ei permittatur contrahere, Ibid.

Disquisitio XIX. Contractis sponsalibus inter Caium existentem sub patria potestate, & Meuiam, quæ eidem Caio promisit, vel contulit dotem decem millium aureorum, cum Caius nihil haberet, quod actu conferret pro sponsalitia largitate, promisit pro eadem mille aureos inconsulto omninò Patre. Hic orta fuit controuersia, an promissio illius sponsalitiæ largitatis inconsulto Patre subsisteret. Similis difficultas excitata, & 1

Facti series expositio.

& discussa fuit superius, dum de constitutione arrarum, an scilicet per filios familias possent promitti Patre penitus ignorante. Recolite ea, quæ dicta sunt *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. de sponsal. II. prænot. 22. per totum*.

2 *Ex bonis castrensibus, & quasi castrensibus potest, si peruenerit ad legitimam ætatem.*

Respondeo primò, ex bonis castrensibus, seu quasi castrensibus, si quæ habet, potest promittere sponsalitiam largitatem, hocque, siue peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum, siue non peruenerit, si sponsalitia largitas fuerit necessaria non solum quoad substantiam, sed etiam quoad quantitatem, si verò fuerit omninò voluntaria non potest, si nondum peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum. Pro intelligentia responsionis aduerte, olim fuisse præscriptum, vt supra prænotauimus, vt sponsæ dotem conferenti certa, & proportionata quantitas sponsalitiæ largitatis erogaretur, quod modo etiam vigere in aliquibus regionibus referunt plurimi Doctores, & proinde diximus, *si fuerit necessaria quoad substantiam, & quantitatem*. In hanc responsionem expressè propendet *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 39. nu. 7., & 11.* *Sanchez.*

In ordine ad hæc bona est sui iuris.

Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià in ordine ad bona castrensia, & quasi castrensia filius familias est sui omninò iuris, nec computatur, vt filiusfamilias, sed absolutè, vt dominus independenter à voluntate Patris, ergò, vbi aliud non obsistat, poterit de illis promittere sponsalitiam largitatem.

Dummodo tamen sit necessaria talis sponsalitia largitas.

Ratio secundæ partis, quod scilicet possit promittere etiam, si non peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum, si fuerit necessaria, tàm quoad substantiam, quàm ad quantitatem ex eo deducitur, quià illa promissio non redditur irrita, nec ex defectu dominij, nec ex non plena deliberatione ad contrahendum, ergò &c. Antecedens quoad primam partem patet ex supradictis, quià scilicet huiusmodi bona sunt sub pleno, & perfecto dominio eiusdem filij familias; quoad secundam sic euincitur, quià in huiusmodi dispositionibus non requiritur plena deliberatio, cum non possit filius familias sibi præiudicare, cum ius ipsum regulet huiusmodi operationes, & sicuti, si interueniret cum ipso Pater, non posset non constitui talis sponsalitia largitas, & quoad substantiam, & quoad quantitatem, ità &c.

Secus si sit volũtaria, & non peruenerit ad legitimam ætatem ad contrahendum.

Ratio tertiæ partis ex eo deducitur, quià, quantumvis in ordine ad talia bona plenum habeant ius, & possessionem, nihilominus ex præsumptione immaturæ deliberationis, à iure ipsis interdicitur plena administratio, & dispositio eorundem, ne scilicet in ipsorum administratione, & dispositione sibi præiudicent, ergò, si voluntariè, antequam deuenerint ad tempus à iure requisitum ad contrahendum, contulerint, vel promisserint iure sic disponente erit irrita collatio, & promissio.

3 *Ex bonis aduẽtitijs, & profectitijs non potest promittere.*

Respondeo secundò, in fortioribus terminis non potest filius familias promittere inconsulto Patre sponsalitiam largitatem de bonis aduentitijs, & profectitijs *Antonius Gomez l. 6. Tauri num. 14. Caldas in l. si curatorem verb. læsis num. 152. C. de in integ. restit. Molina tom. 1. de iustit. disp. 261.* Intellige in ordine ad bona aduentitia, si nondum deuenerit ad ætatem, qua ei permittatur contrahere, secus, si ei non interdicatur contractus ex præsumpto defectu maturæ, & plenæ deliberationis. Ratio primæ partis ex eo deducitur, quià, si in tali minori ætate ei interdicitur collatio sponsalitiæ largitatis, vel eiusdem promissio in bonis castrensibus, & quasi castrensibus, quorum habet plenum dominium, & vtilitatem, ergò multo magis eidem interdicetur quoad bona aduentitia, quorum licet habeat dominium, non tamen habet vsumfructum, & vtilitatem viuente ipsius Patre. *Gomez. Caldas. Molina.*

Dummodo quoad bona aduentitia non peruenerit ad legitimam ætatem.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià filius familias etiam viuente Patre in bonis aduentitijs habet plenum dominiũ, & proprietatem, licet non vsumfructum, vnde pater non potest de eis pro libertate disponere, sed integra tenetur conseruare eidem filio; rursus idem filius familias defectu ætatis non prohibetur quoad illa contrahere, ergò, vtique poterit illa conferre, & promittere non quidem, vt transeant pro tempore, quo Pater viuit in sponsam donatariam, sed post obitum eiusdem Patris. Consequentia probatur, quià, nec prohibetur conferre, nec promittere ratione immaturæ deliberationis ob ætatem, vt supponitur, non ratione defectus dominij, quià hoc apud ipsum manet, & ad ipsum habet plenum ius, intuitu cuius pater non potest de illo disponere transferendo, seu distrahendo in alios; nec ratione vsusfructus Patris, quià de illo non disponit viuente Patre, sed eidem liberũ relinquit, ergò &c. Neque obesse potest textus *in l. fin. §. filijs autem ff. de bonis, quæ lib.*, vbi sic legitur. *Filijs autem familias in ijs dumtaxat casibus, in quibus vsusfructus apud parentes constitutus est, donec parentes viuunt, nec de eisdem rebus testari permittimus, nec citrà voluntatem eorum, in quorum potestate sunt vlla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare, vel pignori assignare*, quem textum nos adduximus ad probandum easdem filios familias in eisdem bonis aduentitijs viuentibus parentibus non posse constituere arras, *sub hoc eod. tit. Contractus XIV. prænot. 13. assert. 2. num. 3.* Non, in-

Promittere, vt trãseant post obitum Patris.

Instantia aduersus responsionẽ eiusque solutio.

inquam, obesse potest, quià ea procedunt, quando de præsenti ea subijciuntur, vel pignori, vel hypothecæ, vel per testamentum transferuntur, vel alio quovis modo alienantur, secus autē, quandò ità fit dispositio, vt locum non habeat viuente Patre, apud quem est vsusfructus, sed post eius obitum solummodo incipiat vim habere, adeout, si filius ipse præmoriatur patri, cesset omninò promissiō, seū collatio promissa; Neque in hoc currit paritas quoad huiusmodi bona de sponsalitia largitate, ac de constitutione arrarum, quandoquidem de natura istarum est, vt non teneant, nisi actu conferantur, vel saltem de præsenti obligentur, quod non militat quoad sponsalitiam largitatem. Hæc dixi insistendo ratione purè naturali, iuxtà quam hanc nostram responsionem firmat etiam *Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 39. num. 11., & 12.* Cæterum respiciendo ius ciuile positiuum *in d. l. fin. §. filijs autem ff. de bon., quæ lib.* tutiorem existimo partem oppositam, quod scilicet in ijs bonis, nec possit viuente patre arras constituere, nec sponsalitiam largitatem.

Non currit paritas de constitutione arrarū, & de sponsalitia largitate.

Sanchez.

Ratio tandem tertiæ partis, quoad bona profectitia ex eo deducitur, quià in ordine ad eadem, nec habet dominium, nec vsumfructum, nec aliquam dispositionem viuente patre, & sicuti in bonis paternis non potest viuente eodem Patre, nec arras constituere, nec sponsalitiam largitatem, eo quià ad illa nullum ius habet; ità nec in illis bonis profectitijs.

Bona profectitia non sunt sub potestate filij.

DISQVISITIONES II.

In reliquas omnes de sponsalibus II. prænotiones.

§. I.

An, & quomodo donatio propter nuptias, & arræ, prout sumuntur apud Hispanos, differant.

SVMMARIVM.

Proponitur status controuersia. 1.
Arra iuxta morem hispanum, & donatio propter nuptias differunt ratione finis. 2.
Differunt etiam adinuicem quoad effectum, & quomodo. 3.
Arra dissoluto matrimonio remanent penes vxorem, donata propter nuptias reuertuntur ad maritum. 4.

1 DIsquisitio I. Arræ de iure communi dantur præcisè in securitatem contractus matrimonialis promissi per sponsalia; modo tamen apud Hispanos vsus inualuit, vt non sumantur arræ pro eo, quod traditur in signum matrimonij contrahendi, sed pro donationibus factis sponsæ per sponsū, vel in remunerationē pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis, vnde nonnulli asserunt, inter quos *Castillo l. 50. Tauri n. 6. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 24. in init. Suarez lib. 3. fori tit. 2. de las arras l. 1. nū. 2. Olanus concord. lit. D. verbo donatio num. 71.*, quod huiusmodi arrę successerint loco donationis propter nuptias, quæ asseruntur contrario vsu abolitæ, vt testatur *Glos. auth. æquali tas in fin. C. de pactis conuent. Baldus aut. dos data C. de donat. propter nupt.* Hic iam controuertendum occurrit, an huiusmodi arræ sic sūptæ iuxtà hispanos omninò cōueniant cum donationibus propter nuptias, prout sumuntur in iure communi, an verò differant, & in quonam.

Dilucidatio facti.

Castillo. Lupus. Suarez. Olanus.

Glosa. Baldus.

2 Respondeo primò differre in ratione finis, ad quem dantur. Ratio ex eo desumitur, quià arræ sumptæ iuxta hispanos conferuntur in remunerationem, & præmium virginitatis. *Baldus in l. res vxoris C. de donat. inter vir, & vxorem in fin. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 12. num. 1. Gomez Arias l. 49. Tauri num. 8. Padilla auth. res quæ num. 31. C. communia de legat. Coaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 7. num. 12.*, vel in compensationem nobilitatis mulieris *Gutierez 2. pract. q. 18. num. 4.*, vel in compensationem dotis *Valascus conf. 17. num. 6. tom. 1.*, vel ad sustinendam vidualem vitam, in qua vxor præsumitur fore, vt permaneat *Idem Valascus conf. 2. n. 4.*; donationes verò propter nuptias sunt in ordine ad onera matrimonij sustinenda, cum conferantur ad similitudinem dotis, nam sicuti per vxorem confertur marito dos ad eum finem onerum sustinendorum, ita per maritum in ordine ad ea onera vxori conferebantur, seu conferuntur huiusmodi donationes, quæ propterea dicuntur dos *§. est, & aliud. instit. de donat. l. cum multa C. de donat. ante nupt.*, seu etiam augmentum dotis.

Differunt ratione finis.

Baldus. Lupus. Gomez. Padilla. Coaruuias. Valascus.

3 Respondeo secundò differre etiam adinuicem quoad effectum. Ratio ex eo deducitur, quià arræ iuxtà morem hispanum sumptæ dissoluto matrimonio remanent absolutè apud vxorem *Antonius Gomez l. 52. Tauri num. 12. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 1. num. 1. vers. donatio propter nuptias*, & est in confesso apud omnes scribentes quoad ius hispanum circa nuptias, nec incongrua ratione hoc statuitur, quandoquidem cum dentur in præmium virginitatis amissæ, vel nobilitatis non est, cur matrimonio consummato non debeat vxor eas plenè acquirere; 4 donationes verò propter nuptias dissoluto matrimonio redeunt ad donantem *Sanchez de matrim. lib.*

Differunt etiā quoad effectum.

Gomez. Sanchez.

Sanchez.

Gratianus. Clarus

lib. 6. disp. 1. nu. 1. Gratian. cons. 185. Clarus lib. 4. recept. §. donatio quaest. 11. in addit. hocque expressè habetur in c. fin. de donat. inter vir, & vxor, nec incongrua ratione hoc decernitur, quandoquidem, vt supra innuebamus, huiusmodi donationes fiunt ad similitudinem dotis, & ad eundem finem, & effectum, nam sicuti per vxorem dos confertur marito, ita donationes propter nuptias per maritum conferuntur vxori, & vtraque conferuntur in ordine ad onera matrimonij sustinenda, vnde iure meritò diximus sub hoc eodem titulo Contractus XIV. De sponsal. 11. pranot. 16. assert. 6. num. 9. quod huiusmodi donationes habeant eadem priuilegia, quam habet dos ipsa, prout docent etiam Grămaticus decis. 103. num 97., & 123. Iulius Clarus lib. 4. recept. §. donatio qu. 11. in addit. Coaruuias var. resol. lib. 1. cap. 7. nu. 1. vers. eod. pacto. Petrus Barbosa ad l. 1. part. 3. num. 31. ff. solut. matrimon. Sicuti igitur soluto matrimonio dos pleno iure reuertitur ad vxorem conferentem cum cesset finis onerum matrimonialium sustinendorum, ita non est, cur eodem dissoluto huiusmodi donationes ante nuptias redire non debeant ad maritum conferentem, cum etiam in hac hypothesi cesset idem finis eorundem onerum sustinendorum.

Arra remanent penes vxorem, donata propter nuptias reuertuntur ad maritũ.

Grammaticus. Iulius Clarus. Coaruuias. Petrus, Barbosa.

§. II.

An valeat donatio, qua maritus constante matrimonio constituit dotem vxori, vel etiam ante contractum matrimonium.

SVMMARIVM.

Status controuersia exponitur. 1.
Dos constituta per maritum vxori constante matrimonio non tenet. 2.
Dos constituta per maritum vxori ea adiecta conditione, vt non valeat, nisi constituto matrimonio regulariter non tenet. 3.
Limita in casu, quo fœmina esset longè nobilis, & iuuenis, & maritus ignobilis, & senex. 4.
Item si virginem seductam violauerit, & postea eam duxerit. 5.
Constituta ante matrimonium, vt pro eo tempore valeat, sed differatur quoad executionem tenet. 6.

1 Explicatur titulus in casu particulari.

DIsquisitio II. Constituto iam matrimonio, vel forte etiam ante ipsum in tractatu eiusdem ineundi inter Theodoricum, & Caiam idem Theodoricus constituit eidem Caiæ dotem ea adiecta conditione, si matrimonium non fuerit initum, eadem dos referatur ad tempus matrimonij iam constituti, & non aliter. Orta hic fuit, an illa dotis constitutio facta à Theodorico in fauorem Caiæ teneat,

Respondeo primò, si dos illa fuerit constituta per maritum vxori constante iam matrimonio regulariter non tenet Alexander de Neuo c. & si necesse est nu. 2. de donat. inter virum, & vxor. Bartolomæus Socin. l. 1. num. 70. ff. solut. matrim. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 30. num. 1. Siluester verb. Dos q. 6. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 7. num. 2. Ratio ex ijs deducitur, quæ dicebamus tom. 4. sub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth. pranot. 5. sect. 3. num. 21. nempe augmentum dotis factum per maritum vxori constante iam matrimonio absolutè non tenere, nec obligare augentem maritum per textum in l. 1, 2., 3.; & 4. ff. de donat. inter virum, & vxorem, & l. cum hic status ff. eod. ergò multo minus poterit tenere constitutio dotis facta per eundem maritum vxori constante iam matrimonio, quià militat eadem ratio prohibitionis. Confirmatur, quià donationes inter virum, & vxorem constante iam matrimonio sunt absolutè prohibitæ, & irritæ per textum in c. fin. de donation. inter vir., & vxor., & l. 1., 2., & 3., ff. eod. tit. ergò, & intelligitur prohibita, & irrita constitutio eiusdem dotis factæ per maritum vxori constante iam matrimonio. Consequentia probatur, quià constituere dotem est donare l. fin. §. si à socero ff. quæ in fraudem credit.

2 Dos per maritum constituta vxori regulariter non tenet. Alexander de Neuo. Socinus. Lupus. Siluester. Sanchez.

Donationes inter virũ, & vxorem constante matrimonio non tenent.

Constituere dotem est donare.

Dices potest vxor constante iam matrimonio augere propriam dotem, quod certè redundat in vtilitatem mariti per textum in l. constante, & l. fin. vers. quarè enim C. de donat. ante nupt. quinimmò, si fuerit indotata, potest post matrimonium initum ex bonis, quæ successiuè eidem aduenerunt, dotem sibi constituere, & tradere marito §. est, & aliud vers., & primis quidem Instit. de donat. ergò, si vxor constante iam matrimonio potest constituere augmentum dotis, vel dotem ipsam, cũ antecedentèr esset indotata, cum hoc sit species donationis, etiam maritus constante eodem matrimonio eidem poterit conferre; æque etenim donatio post nuptias est prohibita vxori, ac marito: si igitur illi nõ repugnat dotem cõstituere, nec isti repugnabit. Sed contra neganda est absolute consequentia, quià mulier, vel augens dotem, vel eandem à radice constituens, sibi auget, & constituit, non marito, cum quoad proprietatem ipsi pertineat, & eodem matrimonio dissoluto redire debeat pleno iure ad ipsam vxorem; maritus autem constituens dotem non sibi constituit, sed vxori, quæ propterea dissoluto matrimonio ad ipsum constituentem non debet redire, sed remanere

Cur possit vxor constãte matrimonio augere sibi dotem, nõ maritus eidem.

Baldus. Lupus. Mantica.

manere apud vxorem dotatam *Baldus nouellus de dote 7. part. priuileg. 8. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 53. nu. 1., & seqq. Mantica de coniect. vltim. volunt. lib. 11. tit. 22. num. 2.*, & si maritus durante matrimonio consequatur aliquam vtilitatem ex illa dote constituta post matrimonium per vxorem, vel ex augmento dotis non propterea debet censeri aliquid recipere titulo donationis, quià hoc accidentaliter consequitur ad eiusdem dotis constitutionem, & spectat ad onera matrimonij sustinenda. Deinde illa vtilitas, quam percipit maritus ex constitutione dotis factæ per mulierem post contractum matrimonium est quodamodo in remunerationem beneficij, quod eadem mulier percepit ab eodem marito, qui eandem indotatam recepit.

3 *Dos constituta ante matrimonium, & solummodò relata ad tempus eiusdem non tenet.* Præpositus. Socinus. Siluester.

Respondeo secundo, si dos fuerit constituta per maritum ante contractum matrimonium ea adiecta conditione, vt referatur ad tempus matrimonij initi, & nullo modo valeat antecedentèr adhuc absolutè non tenet. *Præpositus c. & si necessu nu. 1. de donat. inter vir. & vxorem, Bartolomæus Socin. l. 1. n. 70. ff. solut. matrim. Siluester verb. Dos quæst. 6.*, & nos etiam docuimus *tom. 4. sub tit. Contractus XI. de pign., & hypoth. prænot. 5. sect. 3. num. 21.* Ratio ex eo deducitur, quià, si illa constitutio dotis per maritum vxori facta esset constante iam matrimonio absolutè non teneret per allegata in præcedenti responsione, ergò etiam, si fieret ante contractum matrimonium ea adiecta conditione, vt non teneret, nisi post contractum, vtique non teneret. Consequentia probatur, quià cum quicunque actus initus sub conditione de futuro, non obliget nisi purificata conditione, & cum post purificatam ex dispositione iuris non teneat ille actus, perindè est, ac, si fuerit initus pro tempore, pro quo eodem iure obstante idem actus non potest esse validus *l. in tempus ff. de hæred. instit.*, & *l. cum, qui ff. de iurisd. omnium Iud. Tiraquel de iure constituti part. 3. limit. 2. n. 3. & seqq. Costa in l. Gallus §. & quid si tantum ff. de lib. & posth. part. 2. n. 172.*

Actus initus sub conditione de futuro, non obligat nisi purificata conditione. Tiraquel. Costa.

4 Limitanda tamen est hæc responsio in aliquibus casibus, & primo in hypothesi, qua maritus constante matrimonio constitueret dotem vxori excedenti ipsum longè in nobilitate, vel ex eo, quod ipsa sit iuuencula, & ipse senex, quidquid ex aduerso dixerint *Crotus rub. solut. matrim. nu. 62. Aimon consil. 51.* Alij restringunt hanc limitationem, quandò ante matrimonium maritus constituerit hanc dotem cum conditione, vt tantummodò teneat, quandò matrimonium fuerit initum, secùs, si constituerit post iam contractum matrimonium, rationemque adducunt sitam in eo, quod qui constituit ex prædictis causis ante initum matrimonium constituit ex causa remuneratoria necessaria, quandò verò constituit post contractum matrimonium constituit ex causa omninò voluntaria, atque ita sentiunt *Bartolomæus Socin. l. 1 nu. 73. ff. solut. matrim. Parisius consil. 86. n. 46 lib. 3.* Alij restringunt, vt valeat, quandò etiam post constitutum matrimonium constitueret cum expressione conferendi animo remuneratorio ex prædictis causis, secus, si sine tali animo, quinimmò asserunt, quod, si neque talem animum expresserit, neque excluserit præsumendum sit pro negatione talis animi remunerandi, adeoque, quod non teneat illa constitutio. Nihilominus absolutè, & sine restrictione sustinent *Glosa l. si voluntate vers. petendis C. de dot. promis. Bartolus in l. si diuortio n. 4. ff. de verb. obligat. Baldus in l. 1. in fin. C. de donat. ante nupt.*, & ex Theologis *Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 189. vers. tertius, si fiat Ludouicus Lopez 2. part. instruct. de matrim. c. 41.*, & alij innumeri maximè ex Iuristis apud *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 7. n. 4.* Ratio huius limitationis ex eo deduci potest, quià ex genere suo illa qualitas nobilitatis excedentis vel iuuentutis respectu ignobilis, vel notabilitèr minus nobilis, & respectu senis est digna remuneratione, & secundum se eandem exigit, siuè ante matrimonium per modum antidoralis obligationis, siuè post per modum debitæ compensationis, ergò, si per maritum vel minus nobilem, vel senem constituatur dos fœminæ excedentis in nobilitate, vel iuuenis semper præsumendum est, quod fiat titulo donationis remuneratiuæ, & compensatoriæ; donatio autem remuneratoria inter maritum, & coniugem constante de meritis respectu remunerati non prohibetur, nec redditur irrita per textum *in l quod autem § si vir. ff. de donat. inter vir. & vxor. Abbas c. fin. n. 7. de donat. inter vir., & vxor. Tiraquel. l. si vnquam verbo donatione largitus C. de reuoc. donat. n. 19. Tabiena verb. donatio 3. in initio, Menochius de arbitrar. lib. 2. cas. 132. n. 4.*

Limitatio, quandò fœmina esset nobilior. Crotus. Aimon.

Limitatio limitationis nonnullorũ. Socinus. Parisius.

Hæc restrictio limitationis reijcitur. Glosa. Bartolus. Baldus. Molina. Lopez. Sanchez.

Esset donatio remuneratoria. Abbas. Tiraquel. Tabiena. Menochius.

5 *Si virginem seductam violauerit, & postea duxerit.* Lupus. Sanchez.

Secundò in hypothesi, qua quis virginem seductam violauerit, & posteà ea in vxorem ducta ipsi dotem constituerit, *Ioannes Lupus rub. de donat §. 30. n. 3. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 7. n. 6.* Ratio ex eo deducitur, quià, quamuis iura statuant aduersus violatorem virginis sub disiunctò, vt vel illam ducat, vel dotet, nihilominus, si vtrúmque sequatur præsumitur etiam, quod eadem dotatio sit in compensationem iniuriæ virgini illatæ, ergò &c. Alios plures casus, in quibus constitutio dotis per maritum facta vxori post contractum matrimonium tenet refert *Sanchez loc. cit. à nu. 6. ad finem*, quem tu consule.

6 Respondeo tertiò. Si constitutio dotis facta fuerit per maritum ante contractum matri-

Tenet, si existimatur, vt teneat de præsenti, sed executio differatur. Tuscus. Sanchez. Alexander de Neuo. Siluester. Baeza.

matrimonium sub ea ratione, vt quoad substantiam vim habeat absolutè à principio eiusdem constitutionis, licet non debeat sortiri executionem, nisi purificata conditione matrimonij iam celebrati, vtique tenet *Tuscus lib. 6. lit. P. concl. 88 num. 3.* & in hoc sensu existimo procedere, *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 7. nu. 2. vers. si tamen, Alexandrũ de Neuo in cap. & si necesse num. 2. de donat. inter vir. & vxor. Siluestrum verbo Dos q. 6. Baezam de non melior. filiab. c. 16. nu. 40.* Ratio ex eo deducitur, quià nullum ius vetat, quin inter sponsum, & sponsam ante contractum matrimonium per verba de præsenti possint intercedere donationes, aliaque fieri, quæ prohibentur inter coniuges actu, sed illa dotis constitutio per sponsum in fauorem sponsę ante contractum matrimonium, ità vt vim habeat tempore constitutionis eiusdem quoad substantiam licet quoad executionem differatur ad tempus constituti matrimonij, propriè vim habet donationis, & vtique ante matrimonium, ergò &c. atque adhoc facere potest textus *in l. 1. C. de donat. ante nupt.*

§. III.

An teneat constitutio dotis facta per maritum diuitijs præpotentem constante matrimonio vxori ipsum longè excedenti in nobilitate.

SVMMARIVM.

Status difficultatis expositus. 1.
Considerabilia circà factum. 2.
Illa dotis constitutio venit nomine donationis remuneratoriæ, & in iure subsistit. 3.
Satisfit rationibus dubitandi aliundè desumptis. 4.

1 *Refertur factes controuersiæ.*

DIsquisitio III. Contraxerat sponsalia quidam de populo diuitijs præpotens cum Caia fœmina valdè nobili nulla per hanc dote constituta, & successiuè inter eosdem initum est etiam matrimonium per verba de præsenti nulla etiam habita ratione ad dotem. Constante iam matrimonio maritus diues constituit propriæ vxori nobili dotem ex proprijs bonis, & in determinatis fundis assignauit. Hic orta est controuersia, an hac in hypothesi illa dotis constitutio teneret.

2 *Nonnulla ruminanda ex superius dictis.*

Plura circà hanc comparationem viri diuitijs præpotentis ad mulierem nobilitate excedentem diximus dum de causis dissolutionis sponsalium, & præcipuè *sub hoc eodem tit. Contractus XIV. de sponsal. II. prænot. 1.*, vbi innuimus non videri causam sufficientem dissolutionis sponsalium, si vir diues eadem contraxerit cum fœmina paupere non cognita ipsius paupertate, si tamen hæc excederet longè eundem in nobilitate, quià tunc videretur quodamodo fieri compensatio, quæ tamen secundum diuersas rationes ibi restrinximus, & modificauimus, ad quæ vos remitto. Nunc difficultas est, an per illum excessum diuitiarum in vno comparatiuè ad excessum nobilitatis in alio talis fiat coæquatio, vt si constituatur dos per maritum in fauorem vxoris illa non veniat sub nomine donationis remuneratoriæ, ac proinde non teneat.

3 *Est remuneratio, & in iure subsistit.* Lupus. Sanchez.

Respondeo etiam in dote hypothesi illam dotis constitutionem venire nomine donationis remuneratoriæ, ac proindè in iure subsistere *Ioannes Lupus rub. de donat. §. 32. nu. 9. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 7. num. 4. versic. sed dubitabis.* Ratio ex eo deducitur, quià per illam diuitiarum qualitatem existentem in marito non sufficienter compensatur nobilitas superexcedens existens in muliere, ergò adhuc illa dotis constitutio facta per maritum diuitijs præpotentem venire potest nomine donationis remuneratoriæ, & compensatiuæ. Consequentia patet, quià vbi adest titulus, qui sufficienter nõ compensetur per qualitatem in altero existentem, ille dignus est remuneratione, & quidquid confertur intuitu illius censendum est conferri sub eo intuitu remuneratoriæ compensationis. Antecedens verò probatur, quià quantumvis maritus diuitijs affluat ratione illius matrimonij vxor constituitur deterioris conditionis, & si illa dos non constitueretur, illa deterior conditio incompensata maneret, nam, si maritus eidem præmoreretur, ipsa iam de facili alteri æque nobili non posset nubere ex eo, quod antecedenter fuerit nupta ignobili, sicque id, in quo facta fuit deterior incompensatum maneret. Confirmatur, quià secundum communem hominum conceptum pluris habetur nobilitas, quam diuitiæ, & prudentes homines plura effondunt ad nobilitatis titulum consequendum, quam ad lucra, cum diuitiæ nobilitati, non diuitijs nobilitas debeat obsequi, & licet plerique in diuitijs nobilitatem constituant, sec undũ se tamen res ita non se habet, ergò, si maritus diuitijs affluens constituat vxori nobilitate excedenti etiàm constante matrimonio dotem constituere titulo remuneratorię donationis censendus est, adeoque eandem tenere.

Mulier constituitur deterioris conditionis per illas nuptias.

Pluris habetur nobilitas, quam diuitiæ.

4 Neque obesse possunt ea, quæ diximus loco allegato, quod scilicet sponsus diuitijs præpotens, qui matrimonium promisit fœminæ nobili, sed pauperi eiusdem paupertate ignorata, non possit eadem posteà cognita à sponsalibus regulariter recedere, adeoque etiam, quod in præ-

senti

senti hypothesi non possit dotem illam constante matrimonio constituere; quandoquidem ratio, propter quam dicitur in priori casu non posse recedere à sponsalibus, ea est, quià ibi supponitur facta compensatio diuitiarum in vno per nobilitatem in altero, resque redactæ ad æqualitatem, ergò, si facta est compensatio, & æqualitas, non remanet amplius locus donationi remuneratoriæ, & per consequens non poterit subsistere constitutio dotis, quæ inter coniuges esse non potest per maritum, nisi titulo remunerationis. Non, inquam, obesse possunt, quià in primis ea, quæ dicta sunt restricta fuerunt in hypothesi, qua sponsus non ita esset diuitijs inhians, vt præsumeretur pluris facere diuitias, quam nobilitatem, & secundum quod regulariter fit secundum communem existimationem, secundum quam æquè, quinimmo pluris habetur nobilitas, quam diuitiæ. Deinde quidquid sit de hoc non eadem currit paritas in illo casu, ac in isto, quandoquidem ex parte mariti supponitur sufficiens compensatio, nam, si præmoriatur vxor ipsius conditio potius augetur, quam diminuatur; ex eo etenim, quod nupserit fœminæ nobili, videtur in statu constitutus, vt facilius possit nubere alteri nobili, si verò præmoriatur maritus, & vxori non esset dos constituta, vtique illa esset in deteriori statu constituta, nam ex eo, quod fuerit viro ignobili nupta, non posset facile æquali nubere, nisi per dotem compensaretur illa deterioratio, in qua fuit constituta.

Argumentum ex aduerso desumptum, illudq; solutum.

§. IV.

An illa dos sic per maritum constituta vxori nobili haberet priuilegia dotis.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Ratio dubitandi exposita. 2.
Doctores negantes priuilegium huiusmodi doti, eorumque rationes. 3.
Præfertur sententia tribuens priuilegium doti sic per maritum constitutæ. 4.
Soluuntur rationes oppositæ. 5.

1 DIsquisitio IV. Iuxtà terminos præcedentis disquisitionis vir ille de populo diuitijs præpotens constituit propriæ vxori nobili constante iam matrimonio congruam dotem, quam tenere asseruimus. Præmortuo iam marito, qui iam inceperat à diuitijs deficere, creditores plures, qui vel habebant tacitam hypothecam præcedentem, vel fortè etiam erant simplicitèr chyrographarij aduersus hæreditatem agebant ad sua credita consequenda, aduersus quos excipiebat vxor de sua dote sibi per maritum constituta, eiusque priuilegijs. Suppono, quod dos fuerit constituta pro tempore, pro quo maritus erat diuitijs affluens, & non ità ære alieno grauatus, vt illam commodè non potuerit constituere, & propterea quod hoc non fecerit in fraudem, & præiudicium creditorum. Hic iam quæritur, an vxor quoad illam dotem sic sibi per maritum constitutam habeat à iure illa dotis priuilegia ad exclusionem creditorum, quæ regularitèr competunt dotibus.

In quo consistat status præsentis difficultatis.

2 Ratio dubitandi ex ijs potissimum consurgit, quæ dicta sunt *tom.4. sub tit. Contractus XI. de pignor., & hypotheca prænot.5. sect. 3. assert.1. num.20., & seqq.*, nempe augmentum dotis per maritum, seù per sponsum constitutum in fauorem sponsæ, seù vxoris habere priuilegia dotis, prout docent *Negusantius de pignor. memb.4. part. secunda num.46. Mantica de tacit. lib.11. tit.19. nu.13. Ioannes Angelus Bossius tract. de dote cap.17. §.3. num.31. Angelus in auth. de æqual. dot. §.1. Cancerius variar. resol. tom.6. cap.9. num.4.*, ergò etiam constitutio dotis facta per eundem maritum diuitem vxori nobili non est, cur talia priuilegia tacitæ hypothecæ non debeat sortiri, quandoquidem ipsum augmentum habet rationem partis ratione dotis, prout docet *Salicetus in l. vlt. §. si igitur C. de donat. ante nuptias Augustinus Barbosa ad l. etiam num.2., & 3. C. de iure dotium*, ea autem, quæ competunt parti non est, cur nequeant competere toti in eodem genere. Neque obesse potest, si asseratur ea, quæ dicuntur de augmento dotis, procedere dumtaxat, quando constitutum est ante nuptias, non autem, quando post easdem constitutum est, non, inquam, obesse potest, quià, quod augmentum dotis per maritum constitutum in fauorem vxoris post nuptias contractas non habeat illud priuilegium non est, quod eidem, vt augmento per maritū constituto non possit illud competere, sed quià regularitèr post nuptias illud augmentum non tenet, prout docent *Castrensis in l.1., & in l.4. C. de donat. ante nupt. Menochius de præsump.12. num.2. Bossius tract. de dote cap.8. num.21.* per textum *in l.1., 2., 3., & 4. C. de donat. ante vir., & vxor., & l. cum hic status ff. eod.* Cæterum, si casus contingeret, in quo post nuptias posset constitui, non esset, cur talibus priuilegijs non gauderet, cum esset propriè pars dotis, quæ regitur ad normam totius §. *aliud quoque auth. §. de æqual. dot. l. vlt. vers. si igitur C. de donat. ante nupt. & l. vbi adhuc C. de iur. dot.* Cum igitur in nostra hypothesi per maritum etiam constante matrimonio possit illa dos constitui iuxtà superius allegata, & probata in fauorem vxoris non

In quo consistat ratio dubitandi.

Negusantius. Mantica. Bossius. Angelus. Cancerius.

Salicetus. Barbosa.

Augmentum dotis post nuptias factum à marito vxori non tenet. Castrensis. Menochius. Bossius.

non video, cur eidem non possint competere priuilegia dotis; non etenim ei obstat hoc, quod fuerit à marito constituta, sicuti non obstat in ordine ad hæc priuilegia, quod augmentum fuerit ab eodem constitutum.

Accedit, quod dos vxoris collata marito non solum sortitur priuilegia, quando constituta est per eandem vxorem, vel per Patrem eiusdem, sed etiam, quando constituta est, & collata eidem marito per tertiam personam extraneam per textum *in l. vnica §. & vt plenius C. de vxor. actio.*, ergò etiam sortiri habet huiusmodi priuilegia, quando constituta est per eundem maritum in fauorem propriæ vxoris, quandoquidem perinde est, ac si maritus eidem vxori conferret illam quantitatem vel titulo compensationis, vel alio quocunque titulo, quod fieri posse probauimus, & deinde illam iam in vxorem plenè translatam, reciperet in dotem.

Constitutio dotis per extraneum habet priuilegia dotis.

3 Ex aduerso *Couaruuias quarto decret. secunda part cap.3. §.3. num.4. Ludouicus Lopez secunda parte instruct. de matrim cap.41.*, quibus asseritur *Sanchez lib.6. de matrim. disp.7. num* 5. asserunt huiusmodi dotem sic per maritum constitutam in fauorem vxoris non gaudere priuilegijs dotis, eaque ratione mouentur, quià, quamuis communiter dos appelletur, non est tamen propriè dos, cum non detur per vxorem marito in ordine ad onera matrimonij sustinenda, sed per maritum vxori in ordine ad compensationem nobilitatis, vel alicuius alterius qualitatis in vxore propria existentis. Quid igitur in hac controuersia concludendum?

Sententia negans tale priuilegium huiusmodi doti. Couaruuias Lopez, Sanchez.

4 Respondeo, probabilius esse etiam huiusmodi dotem sic per maritum constitutam constante matrimonio in fauorem vxoris nobilis habere priuilegia propria dotis. In hanc assertionem licet sub diuersis terminis propendent *Couaruuias var. resol. lib 1. cap.7. num 1. vers. eodem pact. Negusantius memb.4 part.2. num 64. Petrus Barbosa ad l.1. part.3. nu.31 ff. solut. matrim. Amator Rodriquez de concur. credit. part.1. art.1. num.* 21. Ratio multiplex huius responsionis esse potest. Prima, quià, si maritus conferret titulo compensationis alicuius oneris certam pecuniæ quantitatem propriæ vxori, & subinde post translatum dominium in eandem illam quantitatem reciperet titulo dotis, certè eadem dos sic constituta ex illis bonis per vxorem acquisitis à marito acquireret omnia dotis priuilegia, quandoquidem ex vno capite non repugnat, quin dos post matrimonium possit per mulierem constitui, & ex alio ex eo, quod constituatur post matrimonium non desinit habere priuilegia eidem ex dispositione iuris competentia; rursus quod acquiratur, vel ab vno, vel ab altero illa quantitas, dummodo ex iusto titulo acquiratur parum refert in ordine ad constitutionem dotis, quæ non exigit constitui potius in vna re taliter acquisita, quam in alia aliter adepta, ergò etiam eadem priuilegia habebit, si titulo remunerationis constituatur per maritum constante adhuc matrimonio in fauorem eiusdem vxoris. Consequentia probatur, quià illa dotis constitutio facta per maritum vxori perinde se habet, ac si idem maritus conferret titulo remunerationis vxori illam quantitatem, quam in dotem constituit, & deinde eandem ab eadem reciperet titulo dotis.

Probabilius competunt hæc priuilegia doti sic constituta. Couaruuias Negusantius, Petrus Barbosa, Amator Rodriquez

pure, absolutè recepta, & virtualiter confertur.

Secunda ratio esse potest, quià illa constitutio dotis facta per maritum vxori quodamodo in compensationem nobilitatis potissimum est: ex superius dictis, ne eadem vxor, si ipse maritus præmoriatur, facta quodamodo deterioris conditionis ob nuptias contractas cum ignobili, innupta maneret, cum de facili æquali non posset nubere, sed propter hanc eandem rationem iura disposuerunt de tacita hypotheca in fauorem dotium, ergò non est, cur illa dos sic constituta non debeat habere huiusmodi priuilegium tacitæ hypothecæ.

Iura disposuerunt de tacita hypotheca, ne vxor innupta remaneat.

Tertia ratio ex ijs deducitur, quæ docuimus *tom. 4. sub tit. Contractu XI. de pignore, & hypotheca præno. 5. sect. 3. assert. 2. nu.* 24, nempe priuilegium tacitæ hypothecæ competere mulieri pro donatione sibi facta à marito propter nuptias per tex. *in l. vbi adhuc C. de iur. dot. & in l. assiduis ff. qui pot. in pign. habeantur, & in §. aliud quoque auth. de æqualit. dot.*, ergò non est, cur tale priuilegium tacitæ hypothecæ eidem etiam non debeat competere pro donatione remuneratoria dotis sibi constitutæ per maritum; illa etenim donatio propter nuptias transit quodamodò in augmentum dotis, si igitur hoc augmentum, quod est pars dotis, quantumuis fuerit per maritum collata, gaudet huiusmodi priuilegio tacitæ hypothecæ, cur eodem gaudere non debet, & ipsa dos, quantumuis fuerit à marito titulo remunerationis constituta. Certè, & eadem donatio propter nuptias est in remunerationem dotis, cur etiam remuneratio nobilitatis non debet eodem priuilegio gaudere?

Tacita hypotheca competit etiam donationi propter nuptias.

Ad ea, quæ ex aduerso afferebantur ex Couaruuia, Lopez, & Sanchez dicendum est, incongruè dici, illam non esse propriè dotem; quantumuis enim, prout præcisè confertur à marito titulo remunerationis non habeat hoc priuilegium, habet tamen tale priuilegium, prout ab eodem recipitur titulo dotis; vnde illa constitutio duplicem quodamodo habet respectum, alterum, prout à marito confer- 5

Satisfit rationibus oppositis.

tur, & sub hac præcisè consideratione non habet ius hypothecæ, alterum, prout ab eodem recipitur titulo dotis, & sub hac consideratione non est, cur tali priuilegio non debeat gaudere; Neque obesse potest id, quod subditur, quod scilicet solummodo dos illa sit propriè dos, & habeat priuilegia dotis, quæ marito per vxorem confertur in ordine ad onera matrimonij sustinenda; Non, inquam, obesse potest, quia in primis priuilegium est, ne mulier post nuptias indotata, & innupta remaneat, atque hic est finis præcipuus iuris constituentis hypothecam, qui etiã finis militat etiam in præsenti hypothesi, cum vxor illa ratione deteriorationis status ob nuptias cum ignobili sine dote non posset æquali sine difficultate nubere. Deinde etiam illa dos sic per maritum constituta oneribus matrimonij inseruiret, cum remaneret apud eundem maritũ, nec posset ab vxore constante matrimonio repeti.

Finis præcipuus dotis, & hypothecæ.

§. V.

An illa dos sic per maritum constituta haberet priuilegium prælationis.

SVMMARIVM.

Disquisitionis status elucidatur. 1.
Prima ratio dubitandi. 2.
Exponitur textus in l. assiduis ff. qui pot. in pign. hab. *pro secunda ratione dubitandi.* 3.
Competit tale ius prælationis quoad talem dotem aduersus creditores habentes tacitam hypothecam in bonis mariti. 4.
Soluuntur rationes oppositæ. 5.

1 *Facti series exposita.*

DIsquisitio V. Contracto matrimonio illo, de quo in præcedentibus disquisitionibus, personæ ignobilis, sed diuitijs præpotentis cum vxore nobili quidem, sed paupere, & per eundem maritum titulo remuneratorio vt supra constituta eidem vxori congrua dote idem maritus postquam à bonis cæpit desinere, mortuus est relicta adhuc superstite vxore sic per eum dotata. Creditores plures habentes tacitam hypothecam anteriorem in bonis eiusdem defuncti concurrebant ad bona hæreditatis, vt in proprijs creditis satisfierent, aduersus quos excipiebat vxor de sua hypotheca priuilegiata ratione dotis propriæ. Hic orta fuit controuersia, an eidem vxori ratione talis dotis competeret priuilegium prælationis aduersus alios creditores anteriores, non quidem habentes hypothecam expressam, quia, vt alibi diximus, hoc non competit doti etiam in toto rigore acceptæ, sed habentes dumtaxat anteriorem tacitam.

Ex duplici capite oriri potest ratio dubitandi circa præsens quæsitum. Primò ex eo, quod bona antecedentèr obligata ex vi prioris hypothecæ generalis in fauorem creditorum præcedentium non videntur posse, seù potuisse in eorum præiudicium validè alteri obligari, & à fortiori, nec eadem tradi, vt posteà ex ijs consurgat in alijs omnibus bonis hypotheca tacita generalis, sicuti obligarentur, si in eisdem constitueretur in fauorem vxoris dos per maritum, quæ non solum haberet tacitam hypothecam, sed etiam ius prælationis aduersus alios omnes creditores habentes in ijsdem bonis tacitam hypothecam generalem. 2 *Prima ratio dubitandi.*

Secundò ex textu *in l. assiduis ff. qui potiores in pign. habeantur*, vbi sic legitur. *Hac autem tantum ad dotem sancimus, non autem ad ante nuptias donationem, quam sua tempora seruare disposuimus, & habere inter creditores sui temporis ordinem, non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur, curamus;* si enim id, quod confertur per maritum vxori titulo donationis propter nuptias non consequitur tale priuilegium prælationis non obstante, quod detur in compensationem dotis, & hoc non alia ratione, nisi quiã spectat ad lucrum, cui iura non intendunt priuilegium conferre in damnum creditorum anteriorum, vt ex allegato textu expresè euincitur, non video, cur etiam dos per maritum constituta, quæ etiam in tantum validè confertur, in quantum est in remunerationem nobilitatis vxoris, & cedit quodamodo in lucrum eiusdem vxoris, cum non fuerit ex bonis eiusdem, sed ex bonis mariti, non debeat non consequi illud priuilegium. Nihilominus his non obstantibus 3 *Secunda ratio dubitandi.* *Iura non conferunt priuilegium lucro.*

Respondeo, etiam in ordine ad talem dotem competere eidem vxori ius prælationis in ordine ad alios creditores anteriores habentes tacitam hypothecam in bonis mariti. Consentire videntur in hoc quotquot sustinent mulieri quoad suam dotem competere in bonis mariti tacitam hypothecam cum iure prælationis. Potissima ratio huius responsionis erit reijcere rationes, quæ ex aduerso opponuntur, & referuntur in rationibus dubitandi superius adductis. Quamobrem sic efformo argumentum. Iuri prælationis in ordine ad dotem sic constitutam, nec obstat obligatio præcedens in fauorem aliorum creditorum, nec illa dispositio iuris in textu *in d. l. assiduis ff. qui potior. in pign. habeantur*, ergò &c. Antecedens quoad primam partem probatur, quiã etiam, quandò dos constituitur per vxorem 4 *Competit priuilegium prælationis aduersus creditores habentes tacitam hypothecam* 5

Paritèr rationibus dubitandi, & simul responso occurritur.

rem marito bona ipsius intelliguntur tacitè obligata prioribus creditoribus, & tamen non obstante illa anterioritate tacitæ obligationis mulier quoad suam dotem illis præfertur, vt est in confesso apud omnes, & nos latè docuimus *tom. 4. sub tit. Contract. XI. de pignor. & hypotheca pranot. 5. per omnes ferè sectiones*, ergò illa obligatio præcedens non obstat iuri prælationis competenti vxori; Neque dicas, hæc subsistere, quandò per ipsam vxorem dos conferatur, quià tunc ageretur de damno eiusdem, non autem, quandò dos per maritum confertur vxori, quià tunc ageretur dumtaxat de ipsius lucro, cui iura non fauent; contrà enim impugnaberis, quià, cum illa dos intelligatur collata per maritum vxori in compensationem quodamodò nobilitatis violatæ per tales nuptias cum ignobili, non pertinet ad eandem præcisè tanquam lucrum, sed quomodo tanquam debitum, vndè ipsius amissio conferret procul dubio ad damnum, cum deteriorata quodamodò nobilitate compelleretur, vel innupta manere, vel nubere cum inæquali, & in diuitijs, & in nobilitate; cum igitur in allegato textu dicatur. *Non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur, curamus* vtique in hac dispositione videtur comprehendi huiusmodi dos sic constituta, nam amissio maximè vergeret in damnum ipsius; Neque vlterius vrgeas, hæc bona sic per maritum in dotem constituta in fauorem vxoris videri alienata in fraudem, & præiudicium creditorum, cum maritus nihil receperit, & nihilominus illa contulerit; contrà enim adhuc impugnaberis, quià in primis supponitur contulisse pro tempore, pro quo validè poterat conferre sine eorum præiudicio, cum tot haberet in bonis, vt præscindendo à tali dote constituta posset omnibus ad abundantiam satisfacere, & sicuti, si tunc ex proprijs bonis contulisset dotem propriæ filiæ non haberent creditores anteriores habentes tacitam hypothecam ius ad illam repetendam, quià iam esset affecta tacita hypotheca dotis priuilegiata, ita etiam &c. Deindè non potest dici, quod maritus nihil receperit, cum ex qualitate personæ nobilis, cui nupsit, multum receperit in præiudicium eiusdem personæ proptèr rationes superius allegatas.

Cederet ex professo in damnum eorum.

Dices, dos præcisè confessata non habet priuilegium tacitæ hypothecæ, nec ius prælationis in bonis mariti per ea, quæ latè diximus *tom. 4. sub tit. Contractus XI. de pign. & hypoth. pranot. 5. sect. 1. num. 7.* Sed in præsenti hypothesi hæc dos per maritum constituta perindè esset, ac si esset præcisè confessata, cum re vera nihil receperit, ergò &c. Sed contrà, quià hæc dos non potest dici præcisè confessata, nam licet nihil formalitèr receperit, seù fuerit sine formali, & actuali numeratione, recepit tamen æquiualentèr, quatenus substituta est loco dotis illa maior nobilitas, quæ certè secundum se est pretio æstimabilis, & per ipsam ipse decus consecutus est, & vxor deteriorationem.

Non esset dos præcisè confessata.

Antecedens quoad secundam partem etiã euincitur nam ius disponit solùmodò, ne ea, quę lucri sunt respectu vxoris, habeãt ius prælationis non autem ne illud habeant ea, quæ cederent damno eiusdem vxoris - Ibi- *Non enim pro lucro fouemus mulieres, sed ne damnum patiantur, suisque rebus defraudentur, curamus*, sed in præsenti hypothesi vxor quoad illam dotem per maritum sic constitutam damnum pateretur, si non haberet ius prælationis per ea, quæ suprà diximus, ergò &c. Deindè dispar omninò est ratio de donationibus proptèr nuptias, & de dote illa sic per maritum constituta in remunerationem nobilitatis; nam illa datur præcisè in compensationem dotis receptæ, quæ sicuti mortuo marito redit ad vxorem, quæ consequitur totum, quod contulit, ita ne etiam in aliquo deficiat, est, quod quoad illam debeat habere ius prælationis; hæc autem data supponitur in remunerationem nobilitatis; quæ per mortem mariti non reparatur, cum aliud non recipiat in compensationem illius, nisi dotem sibi per maritum constitutam, adeoque &c.

Dispar ratio de donatione proptèr nuptias, & de illa dote.

Hæc, quæ hucusque diximus in hac disquisitione, procedunt speculatiuè, cæterum in praxi tutam existimo opinionem contrariam, cui vnusquisque rationabilitèr potest tàm in consulendo, quàm in iudicando adhærere.

§. VI.

An dos constituta per virum vxori minuat legitimam debitam ascendentibus; vel descendentibus.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ exponitur. 1.

Dos constituta ante matrimonium minuit legitimam debitam ascendentibus, vel descendentibus. 2.

Etiam, si fuerit constituta eodem matrimonio constante, si fuerit, & pacto ob aliquam causam, & quomodo. 3.

Etiam, si fuerit solo titulo remunerationis nobilitatis &c. 4.

1 DIsquisitio VI. Iuxtà terminos præcedentium disquisitionum Titius persona ignobilis, sed diuitijs præpotens constituit Caiæ vxori suæ valdè nobilitate excedenti dotem congruam. Deindè mortuo marito ipsius ascendentes, vel descendentes agebant ad legitimam sibi vel iure naturæ, vel ex dispositione iuris positiui competentem. Excitata hic fuit controuersia, an illa dos sic per maritum in fauorem vxoris constituta minuat legitimam eisdem ascendentibus, adeovt sit deducenda ex toto hæreditatis cumulo, an verò non minuat, sed deducenda sit solummodò de ea parte, de qua potest vir liberè disponere in præiudicium eorundem ascendentium, vel descendentium.

Dilucidatur factum in suis terminis.

Hæc controuersia examinari potest secundum duplicem sensum: vel etenim maritus ante contractum matrimonium, cum ipse esset ignobilis, vel senex constituit eandem dotem fœminæ nobili, vel iuuenculæ, vel eandem eidem constituit constante iam matrimonio. Rursus, si constituit constante iam matrimonio vel post nuptias, vel constituit ex aliqua conuentione, seù pacto intercedente legitima causa vel litis sedandæ, vel alicuius alterius iustæ, seù saltem probabilis rationis, vel ex motiuo præcisè donationis remuneratoriæ, vel nobilitatis vxoris, vel eiusdem iuuentutis. Quibus rectè perpensis

Duplex sensus, secundum quem potest examinari titulus

2 Respondeo primo. Si maritus ignobilis, vel senex constituerit propriè vxori nobili, vel iuueni ex proprijs bonis dotem congruam ante contractum matrimonium, vtique ex illa dote minuitur legitima debita ascendentibus, vel descendentibus, cum extrahenda sit ex toto cumulo hæreditatis, *Auedano de exeq. mandat. 2. part. c. 29. n. 14. vers. quarto infero. Couaruuias 4. decret. 2. part. c. 3. §. 3. n. 3. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 50. n. 35. Azebedo lib. 5. recop. tit. 1. l. 4. nu. 1. Sanchez lib. 6. de matrimonio disp. 8. num. 2.* Ratio ex eo deduci potest, quià illa constitutio dotis facta per maritum ignobilem vel senem fœminæ nobili, vel iuueni procedit ex causa onerosa, & est debita ex titulo iustitiæ, ergò ipsa extrahenda est ex toto cumulo hæreditatis, antequam deducatur legitima debita ascendentibus, vel descendentibus. Antecedens probatur, quià illa constitutio dotis ideò confertur, vt fœmina longè in nobilitate excedens, vel iuuenis nubat eidem ignobili, vel seni, cæteroqui cum ipsa non contractura, sicque constituitur contractus innominatus, & onerosus, *do vt facias*, ergò prouenit ex causa onerosa, & postquam constituta est, debita ex onere iustitiæ. Consequentia item primi argumenti probatur, quià legitima ascendentibus, vel descendentibus debita semper intelligitur deducto ære alieno ex bonis decedentis; cum igitur illa dos vtpotè debita onere iustitię ex contractu oneroso, vtique prius ipsa deducenda est, antequam extrahatur legitima;

Illa dos sic constituta ante contractum matrimonium extrahenda est ex toto cumulo hæreditatis, & minuit legitimam.

Auedano. Coaruuias. Lupus. Azabedo. Sanchez.

Procedit ex causa onerosa, & ex titulo iustitiæ debita.

3 Respondeo secundò. Si illa dos fuerit constituta per maritum ignobilem, vel senem vxori nobili, & iuueni post contractas nuptias ex aliqua conuentione, & pacto intercedente aliqua legitima causa vel litis sedendæ, vel alterius iustæ, vel saltem probabilis rationis vtique minuit legitimam ascendentibus, vel descendentibus debitam, & est extrahenda ex toto cumulo hæreditatis *Sanchez lib. 6. de matrimon. disp. 8. num. 5. in fin.* Ratio ex eo deducitur, quià tunc est quodamodo transactio, & contractus ex vtraque parte onerosus, intuitu cuius illa dos constituitur; ideo enim maritus confert, & determinat illam dotem vxori, vt ipse, vel alter iuribus suis cedat in ordine ad illam litem, vel causam iustam, seu saltem probabilem, de qua dicitur in responsione, ergò vt potè æs alienum est extrahendum à toto corpore hæreditatis, antequam deducatur legitima ascendentibus, vel descendentibus debita.

Etiam post nuptias interueniente pacto ex causa.

Sanchez.

Esset quasi transactio

4 Respondeo tertiò. Etiam, si illa dos fuerit constituta per maritum ignobilem, & senem etiam post contractum matrimonium in fauorem vxoris nobilis, & iuuenis ex solo titulo remunerationis nobilitatis, & iuuentutis eiusdem vxoris adhuc minuit legitimam debitam ascendentibus, vel descendentibus, atque extrahenda est ex toto cumulo hæreditatis. Est expressè aduersus *Sanchez d. lib. 6. de matrimon. disp. 8. nu. 2.* asserentem hanc dotationem sic conceptam procedere ex causa voluntaria, quamvis sit remuneratoria; donatio autem remuneratoria, quandò non est debita ex iustitiæ lege, non minuit legitimam. Hæc ille. Sed contrà

Etiam, si fuerit constituta ex solo titulo remunerationis nobilitatis.

Probatur responsio primo, quià talis dotatio remuneratoria non potest dici propriè donatio, nec mera liberalitas *l. Aquilius Regulus ff. de donat. Socin. Iun. cons. 94 num. 13. lib. 2. Didacus eiusm in officijs post num. 10. de testam.* nam licet fiat nullo iure cogente, non tamen negari potest, quia saltem naturali ratione, qui beneficium accepit benefacienti sit obligatus, & si conferatur ex tali obligatione antidorali, vtique est irreuocabilis, vndè etiam fit, vt quantumvis donationes simplices inter patrem, & filium non teneant, teneant tamen, & sint irreuocabiles inter eosdem *Glosa in l. si donatio in glos. 1. C. de collat.* quam glosam maximè commendat *Decius ind. l. si donatione num. 10. & Rimimaldus cons. 240. num. 3.*, si sint remuneratoriæ, ergò postquam facta est intelligitur aliqua

Donatio remuneratoria non est mera liberalitas.

Socin. Iun. Didacus.

Glosa. Decius. Riminald.

aliqua

aliqua saltem ratione naturali debita, sicque etiam computatur, vt æs alienum adeoque prius ipsa detrahenda est ex toto cumulo hæreditatis.

Legitima desumitur solum ex bonis liberis eius, cui alter succedit in legitima. Sanchez.

Secundò, quià legitima desumenda est solummodò ex bonis, quę libera remanent post obitum eius, ex cuius bonis debetur, vt est in confesso apud omnes, sed respectiuè ad illam dotem sic per maritum constitutam in fauorem vxoris bona illa non remanent libera, cum sint legitimè vinculata in fauorem eiusdem vxoris, vt fatetur ipse *Sanchez hoc eod. lib. 6. disp. 7. n. 4.*, quem tamen nescio, qua consequentia loquatur, dum hic indefinitè loquens asserat dotis constitutionem etiam constante matrimonio factam tenere ratione remunerationis ob nobilitatem vxoris non obstante, quod antecedentèr retulerit opinionem *Bartolomai Socin. l. 1. n. 73. ff. solut. matrim. Maynerij l. in ambiguis pro dote nu. 62. ff. de reg. iur. Parisij cons. 86. n. 46. lib. 3.* asserentium constante iam matrimonio etiam ex causa nobilitatis vxoris excedentis non posse maritum eidem constituere dotem, quià illa dotatio remunenatoria est ex causa voluntaria; sequenti *verò disp. 8. n. 2.* asserat, quod, si post contractum matrimonium dos per maritum fuerit constituta in fauorem vxoris ex causa remunerationis nobilitatis, vel iuuentutis non sit extrahenda ex toto cumulo hæreditatis, & non minuat legitimam ascendentibus, vel descendentibus debitam, eo quià procedat ex causa voluntaria; si enim non obstante, quod procedat ex causa voluntaria, tenet in fauorem vxoris, & irreuocabilis est, quià est remuneratoria, ergò constituit absolutè creditum in fauorem vxoris, & per consequens est æs alienum, ergò ex eodem extrahi non debet legitima ascendentium, vel descendentium. Deindè, si maritus ex quacunque alia causa voluntaria transferret in alios ab vxore res aliquas titulo translatiuo dominij vtique legitima ascendentium, vel descendentium non deberet ex eis extrahi, eo quià iam illa bona sunt aliena, & legitima debet esse ex illis bonis, quæ sunt, & remanent libera post obitum eius, cui in legitima ascendens, vel descendens succedit, nec ius legitimæ potest impedire, quin dominus possit viuens de proprijs bonis disponere ex quacunque causa voluerit, & sicuti, si prodigeret non posset ascendens, vel descendens nisi succedere quoad legitimam in bonis, quæ remanent, ita &c.

Socinus. Maynerius. Parisius.

Illa d... remuneratoria tenet, & irreuocabilis est.

Tertiò, quià, si maritus constitueret vxori donationem propter nuptias, quamuis talis donatio esset ex causa voluntaria, cum hanc conferret nullo iure cogente, quià tamen est remuneratoria, vtique tenet, & respectu ascendentium, vel descendentium non esset computanda in legitima, vt omnes fatentur, & hoc non alia ratione, nisi quià iam absolutè facta est vxoris ex titulo remuneratiuo, & per consequens est æs alienum, ergò etiam, si constante matrimonio ex causa remuneratiua nobilitatis, vel iuuentutis constituerit dotem vxori, vtique illa non erit computanda in legitima, sed prius erit extrahenda ex toto cumulo hæreditatis, antequam deducatur legitima. Consequentia probatur, quià vtraque procedit ex causa voluntaria, cum fiat nullo iure cogente; Neque obstat, quod illa fiat ante nuptias; hæc autem nonnisi post nuptias; non obstat, inquam, quià etiam donatio propter nuptias potest constitui post easdem, sicuti dos potest constitui post matrimonium; tum quià, quod illa facta fuerit antecedentèr, hæc subsequentèr, non refert ad præsens institutum, quandoquidem huiusmodi dotatio ex illa causa remuneratoria potest fieri ex superius probatis etiam post nuptias, nec potest dici, quod illa, cum fiat ante matrimonium, fiat ex causa onerosa, quatenus intercedat contractus innominatus *Do, vt des*, hæc autem non nisi ex causa voluntaria, cum nec ius ad hanc cogat, nec conuentio vxoris; non, inquam, dici potest, quià in illa etiam donatione propter nuptias nulla supponitur facta conuentio, nec de præsenti aliquod ius ad hoc obligat, vt vidimus in præcedentibus.

Euincitur ex paritate donationis propter nuptias.

§. VII.

An mulier sic dotata causa remunerationis per maritum constante matrimonio teneatur illa bona dotalia reseruare filijs eiusdem matrimonij.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Sententia asserens non teneri reseruare, si fuerit constituta ante matrimonium, secus si post illud. 2.
Siue fuerit constituta ante matrimonium, siue post illud tenetur ad ratam conferre cum filijs prioris matrimonij, & posterioris. 3.

1 *Declaratur titulus in casu particulari.*

Disquisitio VII. Constituta fuerat dos constante iam matrimonio per maritum ignobilem, vel senem iuxtà terminos præcedentium disquisitionum mulieri nobili, vel iuuenculæ. Defuncto postea marito fœmina illa nobilis, seu iuuenis, quæ primò eidem nupserat, & ab eodem receperat illam dotem ad secundas nuptias conuolauit relictis prioris mariti duobus, vel tribus filijs. Ex secundo

do marito progenuit alios filios. Hic excitata fuit controuersia, an hæc mulier teneretur dotem illam, quam receperat à primo marito reseruare filijs prioris matrimonij, vel ad ratam, vel pro toto, an verò possit absolutè ad secundos referre.

2 *Sententia negans reseruare, si fuerit constituta post matrimonium, secus si ante.* Ripa. Lupus. Coaruuias. Perez. Azabedo.

Ripa *in l. fæmina nu. 35. C. de secund. nupt. Ioannes Lupus rub. de donat. §. 50. num. 35. Coaruuias quarto decret. secunda part. 13. §. 3. num. 3. Perez lib. 5. ordinam. tit. 2. l. 1. Azabedo lib. 5. recop. tit. 1. l. 4. num. 1.* existimant, si fuerit constituta ante matrimonium, vt fæmina nobilis nuberet marito ignobili, vel seni, non teneri mulierem reseruare filijs prioris matrimonij, eo quià illam acquisiuit per contractum innominatum *do, vt facias*, & titulo oneroso, qui per consequens videntur tenere, quod, si fuerit constituta post contractum matrimonium nullo pacto præcedente teneatur illam filijs eiusdem primi matrimonij reseruare, quià constitutam asserunt ex causa omninò voluntaria. Nihilominus

3 *Tenetur conferre ad ratam cum filijs prioris matrimonij, & posterioris.*

Respondeo, quod siue constituta fuerit ante matrimonium, siue post illud teneatur ad ratam conferre cum filijs prioris matrimonij, & posterioris. Ratio ex eo deducitur quoad primam partem, quando constituta est ante primũ matrimoniũ per maritum ignobilem, & senem, quià quantumvis fuerit per mulierem acquisita, titulo, & contractu oneroso intelligitur tamen collata, vt inseruiret oneribus matrimonij, quandiu illud subsisteret, & post pleno iure transiret ad vxorem ea ratione, qua mortuo marito transeunt ad vxores dotes per easdem collatæ: quod autem fuerit collata eo animo, vt inseruiret oneribus matrimonij, ex eo deducitur,

Collata est, vt inseruiret oneribus matrimonij.

quod maritus bona illa assignata in dotem apud se detinuerit, & plenè quoad vsum, & redditus administrarit in commune cõmodum vtriusque, nec poterat vxor bona illa durante matrimonio à manibus mariti reuocare, quod autem marito defuncto pleno iure transeant illa bona ad eandem vxorem, sicuti transeunt cæteræ dotes per vxores collatæ ex eo euincitur, quià illa dos intelligitur constituta, ne vxor deterior facta ex illis nuptijs cum ignobili innupta maneret, dum esset sine dote, & cũ macula propriæ nobilitatis, ergò, quià data est, vt inseruiret oneribus prioris matrimonij plenè, & propriè habet rationem dotis, quæ proinde iuxtà naturam, & proprietatem eiusdem reseruari debet quoad dominium, & proprietatem ad ratam filijs prioris matrimonij, ergò ex alio capite, quià pleno iure defuncto priori marito transit ad eandem vxorem, si hæc

à quo bona materna æquè succedunt.

transierit ad secunda vota, tanquam bona materna collata pro dote erit proportionaliter distribuenda inter filios posterioris matrimonij, quià quoad bona dotalia, & materna filij vtriusque matrimonij ex eadem æquè succedunt; Neque obstare potest, si asseratur, quod illa bona fuerint acquisita à priori marito, adeoque, quod adæquatè reseruari debeant filijs eiusdem; Non, inquam, obstare potest, quià vt asserunt ipsi aduersarij, cum acquisita fuerit per eandem vxorem titulo oneroso, vtique fuit pleno iure ab eadem acquisita, & sicuti, si eadem vxor per alios contractus onerosos plurima bona à marito acquisiuisset, quæ deinde eidem in dotem contulisset, posset defuncto marito eadem transferre ad secundum, modo ad ratam reseruaret ipsa defuncta pro filijs eiusdem prioris mariti, ita si eadem contractu oneroso prostituendo quodamodo suam nobilitatem per nuptias cum ignobili acquisierit bona, quæ contulerit eidem marito pro dote, poterit eodem defuncto à bonis hæreditatis auocare, eaque ad secundum maritum transfere distribuenda postea in ipsius vxoris obitu inter filios vtriusque matrimonij.

Fuerint bona illa acquisita titulo oneroso.

Ratio quoad secundam partem, quando scilicet dos illa per maritum ignobilem constituta est constante iam matrimonio ex causa remuneratoria ex eo deducitur, quià, præterquamquod in primis non collata est ex mera liberalitate, & simplici donatione, sed ex causa meritoria, adhuc absolutè quoad dominiũ translata est in vxorem, licet quoad administrationem remaneat penes maritum, quandiu ille vixerit transferenda postea plenè in eandem, si ille præmortuus fuerit, vt fatetur Sanchez, quamvis huic nostræ responsioni quoad hoc dissentiat, ergò perindè est, ac si ex alio titulo fuerit per maritum translata in vxorem, & per ipsam postea tradita marito titulo dotis; sed dos per vxorem tradita marito eodem defuncto est restituenda vxori, quæ secum illam transfert transiens ad secunda vota, hæcque est eadem vxore defuncta distribuenda ad ratam inter filios vtriusque matrimonij, ergò &c.

4 *Ac si à marito pleno iure ex titulo oneroso essent bona illa translata in vxorem, & per ipsam tradita marito titulo dotis.*

§. VIII.

An mulier, quæ dotata fuit per maritum ignobilem, si non transeat ad secunda vota, possit disponere de illa dote meliorando conditionem alicuius ex filijs primi matrimonij.

SVMMARIVM.

Status controuersia expositus. 1.
Vnde desumatur ratio dubitandi. 2.
De iure communi mater potest disponere mortuo

suo marito de bonis dotalibus reseruata legitima filijs. 3.
Potest meliorare conditionem alterius ex filijs seruata alijs legitima. 4.
De iure municipali Mediolani de bonis, quæ remanent, non potest pro arbitrio disponere, nec facere meliorem conditionem alterius ex filijs. 5.

1 *Factum ex positum in suis terminis.* DIsquisitio VIII. Persistimus in terminis præcedentium disquisitionū, secundum quos maritus ignobilis constituit in fauorem vxoris nobilis dotem et ā constante matrimonio. Defuncto iam marito, atque ex eodem relictis pluribus filijs eadem vxor dotem sibi per maritum præmortuum constitutam de bonis hæreditatis recepit, nec propterea transiuit ad secunda vota. Cum iam eadem vxor esset constituta in extremis contendebat disponere de bonis suis, vel distrahendo eadem bona dotalia, seù quoad totum, seù quoad partem in alias causas, vel meliorando partem alterius ex filijs, qui superstites fuerunt post mortem mariti, qui constituerat illam dotem. Hic orta fuit controuersia, an posset taliter de illis bonis dotalibus disponere.

2 *Exponitur textus in l. fœminæ C. de secundis nuptijs & simul ratio dubitandi.* Ratio potissimum dubitandi consurgit ex textu *in l. fæmina 1. C. de secundis nupt.*, vbi dicitur, quod vbi vxor aliquid à marito acceperit siue donatione inter viuos, siue vltima voluntate, si posteà transierit ad secundas nuptias, integrè illud reseruare debeat filijs prioris matrimonij, & etiā adducitur ratio, quià statim, ac transit ad secundas nuptias amittit dominium bonorum, quæ acceperat à primo marito, quod transfertur in filios eiusdem, ipsāq; solum retinet vsumfructum, quod etiam colligitur *auth. ex testamento C. de secundis nupt., & auth. in donatione C. de eod. tit.*, vnde fit, quod teneatur eadem vxor æqualiter inter filios eiusdem primi matrimonij diuidere, nec possit aliculus ex illis meliorem conditionem constituere *auth. lucrum C. eod. tit.*, vbi sic legitur *Lucrum hoc æqualiter inter liberos lege distribuitur, nec arbitrio parentis permittitur.* Pro solutione

3 *De iure cōmuni mater potest disponere de bonis dotalibus, & quomodo.* Aduerte, sistendo in iure cōmuni vxorem quoad sua bona dotalia, quantumvis habuerit filios superstites posse de illis disponere etiam per testamentum dummodo eisdem filijs reseruetur legitima, & per consequens eadem seruata non videtur, cur in excessu super illam non possit meliorare conditionem potius vnius ex filijs, quam alterius. Quoad ius tamen municipale huius Mediolanensis Ducatus. videtur teneri æqualitatem inter filios seruare *ad cap. 305. statutorum Mediolanensium*, & ibi *Carpanus num.* 18. per DD. & iura per ipsum ibi allegatos, seù allegata, quod statutum etiam in aliquibus alijs regionibus viget. His suppositis

Respondeo primo. De iure communi vxor illa, quæ non transiuit ad secunda vota seruata legitima filijs potest de excessu super illam validè disponere, & etiā meliorem facere conditionem alterius ex filijs. Difficultas procedit potissimum quoad illam particulam, *seruata legitima filijs*, ex eo etenim, quod vxor illam dotem acquisierit non titulo simplicis donationis, & gratuitæ liberalitatis, sed titulo remuneratorio, & compensatiuo nobilitatis non videtur comprehendi in illa dispositione *l. fæmina C. de secundis nupt.*, adeoque posse de tota illa dote liberè disponere *Antonius Gabriel. tom. 3 commun. lib. 3. tit. de secundis nupt. concl. 1. n. 39.* Nihilominus — 4 *Potest meliorare conditionem alterius ex filijs.* — Gabriel.

Probatur responsio, quià, quantumvis illa dos proueniat à marito, & irreuocabilitèr quoad ius, & dominium eidem acquiratur, vt docent *Glosa in l. si voluntate C. de dot. promiss. Tiraquel. de nobilitate cap. 18. num. 19. Couaruuias de sponsalib. part. 2. cap. 3. §. 3. num. 2. Rogerius de dote §. 5. num. 3. Hondedeus cons. 48. num. 16. & seqq. lib. 1. Surdus decis. 166. n. 22. cons. 164. n. 45. Mantica de tacit. & ambig. lib. 11. tit. 20. n. 24. & lib. 21 tit. 4. n. 17 & seqq.* nihilominus dicitur per eandem mulierem virtualitèr, & breui manu tradi marito, qui illam constituit, sicque gaudere priuilegio dotis, vt suprà nos probauimus, & docet *Ioannes Angelus Bossius de dote c. 7. nu 40. Neuizanus cons. 45. num. 13.* prout autem confertur marito per eandem mulierem, quantumvis virtualitèr tantum ad sustinenda onera matrimonij, habet omnia, quæ sunt de iure, & natura dotis, adeoque, & debetur saltem quoad legitimam filijs primi matrimonij iuxtà naturam cæterarum dotium, quæ per mulieres conferuntur maritis. Confirmatur, quià, quantumvis illa dos intelligatur per maritum ignobilem mulieri nobili in remunerationem, & compensationem quodamodò nobilitatis nō intelligitur tamen absolutè constituta sine vllo onere, sed intuitu matrimonij, respectu cuius inseruiret, vt dos ad sustinenda onera eiusdem, & licet hoc non sit expressum in constitutione eiusdem, in dubio tamen supponitur pro animo constituendi dotem cum omnibus oneribus eiusdem, cum præsumendum sit voluisse fauere matrimonio, & etiam filijs ex eodem consequentibus; donationes etenim ita semper accipiuntur, vt sint, quantum fieri possit, minus onerosæ donanti; seù remuneranti, ergò cum habeat veram, & propriam rationem dotis etiam pro illo matrimonio erit ad normam veræ dotis distribuenda inter filios eiusdem matrimonij perindè, ac, si esset dos per eandem mulierem collata. — Glosa. Tiraquel. Couaruuias. Rogerius. Hondedeus. Surdus. Mantica. Bossius. *Dos illa per maritum sic constituta non transgreditur rationē dotis.*

5 Respondeo secundo. De iure municipali

Statutum Mediolani vetat meliorem facere conditionem alterius ex filijs. Carpanus. Baldus. Decius. Socin. Sen. Tiraquel. Felinus. Bursatus. Socin. Sen.

pali Mediolani *in d. c. 305.* ex bonis illis dotalibus, quæ remanent non potest vxor per testamentum pro libertate disponere, nec meliorem facere conditionem alterius ex filijs. *Carpanus ad statut. Mediol. d. c. 305. n. 18.*, quod ius municipale se conformare dispositioni iuris communis hortantis parentes ad seruandam æqualitatem inter filios docet, *Baldus l. 1. nu. 1. C. de pactis*, *Decius cons. 184. in princip. & cons. 319. ad fin. Socin. Sen. cons. 93. ad fin. vol. 1. Tiraquel. de primog. q. 4. n. 8. & 9. Fellerius in consilit. Regn. rub. de magistro iustitiario in princip. num. 2. Bursatus cons. 164. num. 21. & cons. 123. nu. 35. vol. 2.* Ratio ex eo deducitur, quià tale ius municipale obligat ad seruandam æqualitatem inter filios; nec incongruæ rationi tale ius innititur, quandòquidem parentes plus vni conferendo, quam alteri pariunt inuidiam, & liuorem inter eosdem filios *Socin. Sen. cons. 4. nu. 6. vol. 1.* Neque arbitrandum est, huiusmodi statutum comprehendere solummodò Patrem quoad dispositionem bonorum suorum, non autem matrem quoad dispositionem bonorum dotalium; Non, inquam, arbitrandum est, quandòquidem nomine ascendentis veniunt tàm masculi, quàm fœminæ, vt in his terminus loquitur *Carpanus ad d. statut. Mediol. d. c. 305. Cast. cons. 91. num. 4. vers. quare vol. 2.*

Carpanus.

§. IX.

An, si vxor dotata à marito iuxtà casus præcedentium disquisitionũ, eo defuncto transeat ad secunda vota sine vlla expressione dotis intelligatur ipso iure trãsferre in dotem id, quod à primo marito acceperat.

SVMMARIVM.

Pacti series in suis terminis. 1.

Ex eo, quod secundò nupserit ignobili, non arguitur, quod in eundem non transtulerit dotem, quam receperat à primo marito. 2.

De iure communi præsumendum est dotem, quam receperat à primo marito transferre in secundum, si nulla dotis facta sit conuentio. 3.

Non obstante statuto Mediolani, quod non sit dos, nec intelligatur esse nisi expressè constiterit, vel appareat dos à primo marito constituta, intelligitur repetita secundo. num. 4.

1 *Expositio casus.*

DIsquisitio IX. Mortuo primo marito ignobili, qui etiam constante matrimonio constituerat dotem vxori nobili, hæc transiuit ad secundas nuptias nulla facta conuentione, vel expressione dotis. Orta hic fuit controuersia, an sit supponenda transijsse sine dote, an verò transtulisse illam dotem, quæ sibi constituta fuerat à primo marito. Pro solutione

Nonnullæ inspectiones habendæ sunt circà propositum titulum, & primò, an si primo nupserat viro ignobili, cum ipsa esset nobilis, etiam nubenda secundo eundem duxerit ignobilem; secundo res examinanda est, vel attento præcisè iure communi, an attento etiam iure municipali Mediolani in c. 455. com. 1. disponente, quod non sit, neque intelligatur dos, nisi expressè constiterit, vel appareat, & quidam legitimè. *Nonnullæ inspectiones circa titulũ*

Respondeo primo. Ex eo præcisè, quod secundo nupserit ignobili non efficacitèr arguitur, quandò nulla facta est conuentio, vel expressio, quod in eundem, non transtulerit dotem, quam à priori marito acceperat. Ratio ex eo deducitur, quià non est præsumptio, quod illæ posteriores nuptiæ per maritum ignobilem contrahantur eo animo, vt fiat quodamodò compensatio propriarum diuitiarum cum nobilitate precisè illius fœminæ, cum qua nubit; quandòquidem duæ concurrunt qualitates, quæ non videntur exigere illam compensationem; prima est, quod illa mulier per præcedens matrimonium contractum cum persona ignobili facta est deterior, & talis, vt de facili non possit nubere cum persona alia nobili, nisi quodamodò per excessum diuitiarum supleatur defectus nobilitatis amissæ; secunda, quià iam corrupta supponitur, & quoad communem hominum existimationem habetur minoris fœmina corrupta, & vidua, quam virgo, & non viciata. Cum igitur in illa fœmina nõ vigeat amplius illa ratio nobilitatis, quæ respectu prioris mariti vigebat, & ex alio capite non sit illa qualitas virginitatis, quam homines cuiuscunque generis, & conditionis respiciunt, non est præsumendum, quod voluerit fieri compensatio sine dote illius nobilitatis cum diuitijs viri, cum quo fœmina illa deteriorata, & corrupta nubit, quandòquidem ratione deteriorationis, & virginitatis amissæ non exigit compensationem. Accedit, quod illa constitutio dotis facta per priorem maritum ignobilem fœminæ nobili intelligitur implicitè facta eo intuitu, & intentione, ne deterior facta non possit nubere, ergò, quià sublata intelligitur illa prærogatiua nobilitatis existentis in vxore, ergò ratione eiusdem non est amplius requirenda compensatio.

2 *Non arguitur, quod non transtulerit ex eo, quod secundo nupserit ignobili.*

Non est præsumptio compensationis nobilitatis cum diuitijs.

Fœmina illa facta est deterioris conditionis.

Respondeo secundò. De iure communi præsumendum est dotem, quam acceperat in remunerationem nobilitatis à primo marito transtulisse in secundum, quatumvis de illa nullam expressam mentionem

3 *De iure communi præsumitur, quod eandem dotem contulerit secundò.*

tionem

tionem habuerit in celebratione secundi matrimonij *Baldus Novellus de dote part. 6. privil. 71. n. 1. & 2. Campeggius de dote part. 1. q. 39. Rolandus à Valle de lucro dotis q. 75. n. 1. ad septimum, Phanutius eod. tract. glos. 10. nu. 21. Couarruuias pract. qq. c. 28. nu. 1. vers. tertiò, Ioannes Angelus Bossius de dote c. 8. n. 122. & c. 2. n. 68. vbi innumeros pro hac opinione allegat aduersus Corneum cons. 254. num. 13. vol. 1.* volentem omnia iura, si quæ pro hac opinione adducantur, intelligi debere non in ordine ad secundas nuptias, sed dumtaxat in ordine ad primas cum eodem marito, quatenus scilicet intelligatur cum eodem primo factum diuortium, & posteà cum eodem reintegratum, tunc etenim dos, quæ eidem primo data fuerat ante diuortium, intelligatur repetita facta reintegratione, non aliter, nec alio modo. Nihilominus

Baldus. Camp. 23. Rolandus. Coaruuias. Bossius.

Probatur responsio *ex l. dotem 30. ff. de iure dot.* vbi sic legitur: *Dotem, quæ in primum matrimonium data est non aliter conuerti in posterius matrimonium dicendum est, quam cum agitur, dum hoc agi semper interpretamur, nisi probetur aliud conuenisse*, item ex *l. Diuus eod. tit. & l. cum maritus §. Titius ff. de pactis dotalib. & in l. penult. §. vxor ff. solut. matrim. & in l. post diuortium ff. de iure dot.*

Iura conuincentia intentum.

Dices primò, hæc omnia iura allegata procedere dumtaxat de dote per eandem vxorem constituta, & tradita priori marito, non verò de dote per eundem priorem maritum constituta in fauorem vxoris, quià illa intelligitur constituta secundum vires, & qualitatem eiusdem vxoris, hæc autem ad arbitrium constituentis, & illa iam taxata est ex arbitrio eiusdem feminæ, hæc autem ex dispositione prioris viri. Sed contra, quià quomodocunque, seù à quocunque dos constituta sit, dummodò sit quoad dominium translata in vxorem, nisi aliud actum sit, intelligitur repetita in secundo matrimonio, nec mutatur natura dotis ex diuersitate personarum, quæ illam constituunt.

Non officit, quod dos fuerit tradita per vxorem, vel per maritũ constituta.

3 Dices secundò, allegata iura prout ex Corneo prætendebatur, intelligi dumtaxat de matrimonio quodamodò soluto per diuortium, & posteà reintegrato cum eodem marito, non autem de secundo matrimonio inito cum alio marito, nec dispositionem iurium extendendam esse de casu ad casum. Sed contrà, quià dispositio *in d. l. dotem 30. ff. de iure dotium*, expresè loquitur de secundò matrimonio, quod satis est ad nostrum intentum; Neque obesse potest, si dicatur, prædictam *l. dotem*, quodamodò reuocari, seù restringi per textum immediatè subsequentem: Non, inquam, obesse potest, quià per legem subsequentem solum dicitur, quod dispositio solum intelligatur, quandò diuortium verè fuerit subsecutum, & sic primum matrimonium solutum iuxtà legum ciuilium permissionem, non autem quandò solummodò est causa diuortij, non autem actuale diuortium. Cæterum, cum supponatur in eisdem iuribus iuxtà leges ciuiles fieri posse diuortium etiam quoad vinculi solutionem soluto illo matrimonio per diuortium, & posteà reintegrato perindè esset, ac si nouum, & secundum matrimonium esset initum, adeoque non est, cur si in illa reintegratione intelligitur repetita eadem dos, non debeat etiam intelligi repetita, si fiat contractus cum alio; atque iuxtà hunc sensum procedunt omnes iuris ciuilis interpretes.

Textus in l. dotem ff. de iure dot. nõ intelligitur solum de eodem matrimonio reintegrato, sed de nouo.

Respondeo tertio. Stante etiam statuto Mediolanensi *ad cap. 455.* disponente, quod neque sit, neque intelligatur dos, nec bona data in dotem nisi expresè constiterit, vel appareat, & legitimè, mulier transiens ad secunda vota dotem, quam tradidit, vel recepit à primo marito, nisi aliud expresè actum sit, præsomitur tradere secundo marito. Ita expresè *Ioannes Angelus Bossius de dote c. 8. n. 126.* Ratio ex eo deducitur in primis, quod ius illud municipale est solummodò correctorium iuris asserentis, quod, quandò nulla dos est constituta per vxorem marito intelligantur eidem marito tradita omnia bona vxoris in dotem, non autem, quandò iam dos intelligitur determinata in primo matrimonio. Deindè illa lex municipalis, vtporè declinans à iure communi est strictè interpretanda, nec dilatanda vltrà verborum sonum; in ea autem dicitur, *nisi constiterit, expresè, & legitimè appareat*; in hac autem hypothesi expresè constat per instrumentum, vel legitimè apparet per testes, aliasque licitas probationes dotem esse in priori matrimonio constitutam, & per consequens iure sic disponente etiam in secundo. Tandem, quià, quandò verba statutaria patiuntur difficultatem ita sunt interpretanda, vt minus, quantum fieri potest, lædant ius commune, *Bartolus in l. 3. §. hæc verba ff. de neg. gest. Butrius, Immola, & Abbas in cap. cum dilectus de consuet. Mantica de tacit., & ambig. conuent. lib. 17. tit. 15. n. 10. vers. neque etiam*, ergò in dubio, an comprehendant, quandò nec in primo matrimonio, nec in secundo constituta est dos, an scilicet intelligantur omnia bona vxoris tradita in dotem, an verò etiam, quandò in primo matrimonio tradita est, ita vt non intelligatur repetita in secundo interpretanda sunt prout sunt exceptiua prioris casus, non verò secundi.

4 *Intelligitur repetita secundo nomine stante statuto Mediolani c. 455.*

Bossius.

Verba statutaria sunt strictè interpretanda.

Bartolus. Butrius. Immola. Mantica.

§. X.

An dos constituta priori marito, qui fuerit talis tantum de facto, intelligatur etiam repetita secundo.

SUMMARIUM.

Exponitur facti series. 1.
Ratio dubitandi pro eadem dote non repetita. 2.
Non obstante nullitate prioris matrimonij eadem dos intelligitur repetita in secundo. 3.
Soluuntur rationes dubitandi ex aduerso opposita. 4.

1 *Quid si fit maritus talis solum de facto.*

DIsquisitio X. Nupserat Calidonia de facto per verba de præsenti Theodorico collatis eidem pro dote millibus aureis, sed matrimonium ipsum, vel ex impedimento dirimente, vel ex alia causa in iure fuit inualidum, ac proinde cognita causa, vel impedimento fuit dissolutum. Contraxit posteà valide eadem Calidonia matrimonium cum Antonio nulla facta conuentione, vel mentione dotis. Hic dubitatum fuit, an in ea hypothesi præsumendum sit, quod eadem dos, qui fuerat primo marito licet inualide tali constituta, fuerit etiam constituta secundo.

2 *Ratio dubitandi pro non repetitione dotis.*

Ratio dubitandi ex eo consurgit, quod illa præsumptio repetitionis eiusdem dotis in secundo matrimonio fundatur in matrimonio antecedenter contracto, ratione cuius declarata fuit illa dos, ergò, cum illud matrimonium fuerit absolute nullum, & illa declaratio dotis nulla præsumi debet, cum destructo fundamento ruant omnia, quæ fundantur in ipso, & id, quod confertur propter aliud, alio non subsistente non possit subsistere. Accedit, quod ex actu nullo nó potest desumi fundamentum voluntatis validæ declaratoriæ eius, quod quis erogare intendit. Nihilominus

3 *Intelligitur repetita in secundo matrimonio.* Rolandus. Menoch. Mantica. Phanutius. Bossius.

Respondeo non obstante illa nullitate prioris matrimonij censeri repetitam eandem dotem in secundo matrimonio, quæ fuerat constituta in primo licet nullo, si aliud expresse non fuerit actum *Rolandus q.77. de lucro dotis, Menochius præsumpt. lib.3. præsumpt.6. num.26. Mantica de tacit. & ambig. lib.13. tit.15. num.6. vers.2. Phanutius tract. de lucr. dotis glos.10. nu.31. Ioannes Angelus Bossius de dot. cap.8. num.123.* Ratio ex eo deduci potest, quià nullitas matrimonij prioris ex aliquo iure, vel impedimento dirimente efficit quidem, quod contrahentes non possint permanere in eodem coniugio, non destruit tamen voluntatem efficacem constituentis dotem in bona fide, quod ille contractus fuerit validus, eandem efficacitèr constituendi, si verè ille contractus subsisteret, & licet ex nullitate contractus optimè inferatur dotem respectu illius non subsistere, non tamen infertur, quod non fuerit voluntas efficax illam validè constituendi, vnde benè dicitur per textum *in l. 1. ff. de rebus eorum*, quod ex actu nullo etiam declaretur voluntas, ergò stante illa voluntate efficaci constituendi illam determinatam dotem debet eadem intelligi repetita in secundo matrimonio, nisi aliud expressè fuerit actum. Consequentia probatur, quià valido existente primo matrimonio dos in eodem constituta non ideo intelligitur repetita in secundo, quià illud prius matrimonium fuerit validum, sed quià est in eodem expressa voluntas talem, & tantam dotem constituendi, quæ, si non fuerit retractata expressè, præsumitur perseuerare etiam in secundo, sed non obstante nullitate contractus, quantum fuit ex parte constituentis, fuit illa voluntas efficax, nam, si subsitisset contractus eadem quoad illum contractum sortita fuisset suum effectum, nec illa voluntas fuit retractata, ergò &c. *Ex actu nullo etiā declaratur voluntas.*

Secundò ratio ex eo deducitur, quià, si contractum fuisset matrimonium inter consanguineos intra gradus à iure prohibitos constituta per vxorem certa quantitate pro dote marito putatiuo, & deinde ob impedimentum illud dirimens dissolutum, & postea reintegratum accedente Pontificis dispensatione, & nouo vtriusque contrahentis consensu nulla facta mentione dotis in illa reintegratione, adhuc tamen intelligitur repetita eadem dos, quæ primò fuerat constituta licet in matrimonio inualido, vt docent Rolandus, alijsque DD. præallegati in responsione, ergò etiam, si ex inualiditate dissoluatur prius matrimonium, in quo fuerat constituta dos, & aliud contrahatur debet intelligi eadem dos repetita, nisi aliud fuerit actum. Consequentia probatur, quià in tantum in priori casu reintegrationis matrimonij prius inualidè initi ratione impedimenti dirimentis intelligitur repetite dos prius constituta, in quantum præsumitur voluntas, qua primò fuerat constituta virtualiter perseuerare, quid non fuit retractata; sed hoc idem intelligitur, quando prius matrimonium ex impedimento dirimente fuit dissolutum, & nouum contractum cum alio, cum etenim prima voluntas, qua constituta fuerit dos, per actum expressum non fuerit retractata, intelligitur moralitèr, & virtualitèr perseuerare, & iura regularitèr ita præsumunt; nec in alium sensum deflectunt, *Matrimonium nullū ob impedimentū consanguinitatis, & per dispensatiōnem reintegratum trahit eandem dotem.*

ergò

Est nouum omnino matrimonium.

ergò &c. Accedit, quod illud matrimonium reintegratum per dispensationem Pontificis, & nouum vtriusque contrahentis consensum est nouum omninò matrimonium, quandoquidem primum nullius omninò roboris erat, ac proinde, ac si non fuerit contractum, ergò in primis, si dos in illo constituta intelligitur in reintegratione repetita, iam euincitur ex actu nullo posse voluntatem declarari, deindè, si intelligitur repetita in nouo contractu cum eodem, cur non debet intelligi repetita in alio nouo contractu cum alio?

4 *Soluuntur rationes aduersa.*

Ad rationem dubitandi, quæ ex aduerso afferebatur, dicendum est, quod quamvis quoad validitatem dos constituta fundetur in matrimonio valido, quoad determinationem tamen, & declarationem voluntatis constituentis potest consistere etiam in inualido; & sic verificatur illud axioma, quod destructo fundamento ruunt omnia, quæ fundantur in ipso sub ea scilicet ratione, sub qua fundantur, nempè quoad obligationem respectu mariti, respectu cuius fuit constituta, non autem sub alia ratione, sub qua non fundantur, nempe quoad declarationem, quæ potest esse etiam, si non contractum fuerit matrimonium; vnde, si quæ fœmina nullo etiam constituto matrimonio declararet sibi dotem determinatam nubens sine vlla expressione dotis intelligeretur illam, quam declarauerat, conferre.

Declaratio quoad dotē potest subsistere etiam sine matrimonio.

§. XI.

An si statuto cautum sit mulierem nubentem sine expressione dotis omnia sua bona in dotem conferre intelligatur eadem conferre in secundo matrimonio, si in primo certam dotem constituerat.

SVMMARIVM.

Declaratur, in quo consistat difficultas. 1.
Sententia distinguens, quando statutum dicit Nulla expresse dote constituta, *ac quando dicit* nulla dote constituta. 2.
Quomodocunque dicatur in statuto intelligitur solummodo repetita eadem dos, non tradita omnia bona vxoris in dotem. 3.
Maritus, qui superuiueret vxori non acquireret, nisi priorem dotem, si statutum decerneret lucrari vxoris dotem. 4.

1 DIsquisitio XI. In certa quadam regione ius municipale vigebat, vt mulier posset sibi quidem constituere eam dotem, quæ sibi fuerit benèvisa, si tamen in celebratione contractus matrimonialis nullam dotem sibi determinauerit, intelligeretur in dotem constituisse omnia sua bona, quibus gaudebat tempore celebrationis contractus. Contraxit Caia cum Theodorico in eadem regione, & sibi pro dote constituit decem millia aureorum, cum tamen longe pluribus gauderet, & postea dissoluto matrimonio per obitum Theodorici iterum contraxit cum Francisco nulla habita expressione dotis, nec conuentione. Hic orta fuit controuersia, an quoad hoc secundum matrimonium intelligatur solummodo repetita eadem dos, quæ fuerat constituta expresse primo marito iuxta dispositionem iuris communis, an verò censenda sint collata omnia bona eiusdem vxoris iuxtà dispositionem iuris municipalis talis regionis.

Facti series exposita.

2 Distinguunt nonnulli DD., inter quos *Ioannes Angelus Bossius de dote cap. 8. num. 126.*, vel etenim statutum dicit simpliciter *nulla dote sibi constituta*, vel dicit, *nulla dote sibi expressè constituta*. Iuxtà primum sensum asserit transeunte vxore ad secundas nuptias nulla in eisdem facta expressione, seù conuentione dotis intelligi præcisè primam in primis constitutam repetitam non obstante statuto disponente omnia bona vxoris transire in maritum titulo dotis. Iuxta secundum sensum absolutè asserit omnia bona intelligi in secundis nuptijs constitui titulo dotis. Rationem primæ partis ex eo deducit, quià non potest dici, quod nulla dos fuerit constituta, dum fuit expressè posita in primo matrimonio, quæ ex dispositione iuris intelligitur repetita, & quasi virtualitèr de nouo constituta. Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià tunc respectu illius posterioris matrimonij non est expressa dos, sed tantum ex dispositione iuris tacitè repetita, & licet sit expressa quoad primum matrimonium, quoad secundum est solummodo virtualis, & implicita, ergò, cum ius disponat, quod vbi dos non est expressè constituta, omnia bona vxoris debeant intelligi data in dotem, in hac etiam hypothesi debent censeri tradita, quantumvis in primo matrimonio fuerit certa dos solummodo collata. Nihilominus

Sententia asserens intelligi omnia bona tradita, si statutū dicat, nulla expresse dote constituta, secus si dicat nulla dote constituta.

Rationes talis distinctionis.

Bossius.

3 Respondeo, quod quomodocunque ex illis duobus modis statutum disponat non intelligatur in secundo matrimonio, nisi repetita prima dos collata primo marito, non autem omnia bona vxoris tradita in dotem. Quoad primam partem, quando scilicet statutum solum dicit *nulla dote constituta* expressè assentiuntur *Rolandus à Valle de lucro dotis quæst. 76. num. 4. Paulus de Castro in l. si mulier diuersis in fin. ff. solut. matrimon. Ioannes Angelus Bossius d. cap. 8. num. 126., & alij magis communitèr.*

Intelligitur solummodo eadem dos repetita.

Rolandus à Valle. Castrensis. Bossius.

Quoad secundam est contra omnes prææallegatos DD., & alios communiter. Ratio primæ partis ex eo deducitur, nam in hac hypothesi non potest dici, quod mulier secundo nubens contraxerit nulla penitus dote constituta, cum ex dispositione iuris communis dos constituta primo marito intelligatur etiam repetita secundo, ergò, cum ius municipale solum disponat, quod omnia bona vxoris intelligantur data in dotem marito, quando nulla dos constituta est, in hac speciali hypothesi non veniet illa dispositio, cum dos intelligatur constituta.

Intelligitur contrahere cum dote.

Ratio secundæ partis ex eo deducitur, quià ius municipale exigens dotis constitutionem expresè, ne intelligantur omnia bona vxoris tradita in dotem marito, solum intendit, quod debeat esse constituta per expressam declarationem, & voluntatem constituentis, sed in hac hypothesi illa dos est constituta per expressam declarationem vxoris se dotantis in tanta quantitate, & non in alia, & illa expressa declaratio, & voluntas intelligitur virtualitèr perseuerare etiam quoad secundum matrimonium, ergò &c. Neque dicas hoc, quod est virtualiter perseuerare non esse expresè constituere, cum solum sit tacita constitutio ex dispositione iuris præsumentis priorem illam dispositionem ex eo, quod non fuerit retractata, permanere; contra enim impugnaberis, quià ius commune statuens, quod dos in primo matrimonio constituta intelligatur etiam repetita in secundo non ex se constituit illam repetitionem, sed solummodo præsumit, quod illa voluntas, qua fuerat primo constituta transferatur etiã ad constituendam eandem in secundo, sicque æquiualet formali, & expressæ constitutioni, nec aliud intendunt iura municipalia, quando dicunt, *sine dote expresè constituta*, nisi quod volunt eam dotem constitui per voluntatem eiusdem constituentis, quæ fuerit quoquo modo expressa; vnde ly *expresè* ponitur ad contradistinguendum à dote, quæ quandoque post matrimonium initum constituitur arbitrio boni viri attentis qualitatibus eius, qui tradit, & illius, qui recepit dotem, Ad hæc omnia confirmanda adduci potest exemplum de filia, cui per Patrem per testamentum ante obitum constituta est dos; hæc certè, si alicui nupserit collata ipsi tali dote, & deinde post prioris mariti obitum ad secunda vota commigrauit nulla facta mentione dotis non potest dici sine dote expressa transire ad secundũ maritum, cum de illius dotis constitutione expresè appareat ex testamento, & certè in hac hypothesi, quantumvis ius municipale dicat, *si nulla dote expresè constituta transeat ad secunda vota censeri pro dote omnia sua bona conferre*, non intelligitur omnia bona conferre, quià iam constat de dote expresè constituta. Quamobrem dici potest ly *expresè* in statuto idem sonare, ac *determinatè*. Confirmatur, quià, si per dispositionem iuris, vel officio Iudicis, vel Principis auctoritate esset certæ fæminæ dos determinata constituta non obstante, quod ius municipale statueret, quod omnia bona vxoris intelligantur tradita marito nulla dote expresè constituta, illa dos censeretur sufficiens ad excludendam actionem mariti contendentis ad omnia bona eiusdem vxoris, quià iam illa solum esset expresè constituta, vel à iure, vel ab homine habente auctoritatem constituendi, ergò etiam cum intelligatur expresè constituta dos quoad primum matrimonium, quantumvis ius municipale disponat, quod, si fæmina nubat sine dote expresè constituta, intelligatur omnia bona sua in dotem conferre, intelligitur sufficientèr expresè dotata etiam in secundo ad effectum excludendi quamcunque actionem secundi mariti contendentis ad omnia bona, quandoquidem ius commune, vbi aliud non fuerit actum, taxat, & determinat dotem ad æqualitatem eius, quæ fuerat constituta primo marito.

Est dos constituta per expressam voluntatem

Quid importet l. ex presè in statuto expositum.

Idem significat, vt determinatè.

Paritate rationis euincitur exemplo.

4 Ex huc vsque dictis colliges, quod, si alicubi fuerit statutum disponens, quod maritus ipsi præmoriente vxore acquirat vel totam, vel dimidiam dotem, & ipse fuerit secundus, respectu cuius in celebratione non facta fuit expressio dotis, quæ tamen in determinata quantitate constituta fuerat primo, non possit agere ad omnia bona, vel ad medietatem ipsorum, sed dumtaxat, vel ad totam dotem constitutam primo marito, si statutum disponat, quod acquirat totam dotem, vel ad medietatem eiusdem, si tantum de lucro medietatis dotis disponat *Paulus de Castro cons. 60. lib. 2. num. 2. in nouis. & in l. si mulier diuertis ff. solut. matrim. Rolandus de lucro dotis qu. 29. Tuscus verb. Dos concl. 724. num. 37. Carpanus ad stat. Mediol. cap. 269.*, & innititur eisdem rationibus, quibus responsio.

Statuto disponente maritum lucrari dotem mortua vxore non lucraretur omnia bona, sed tantum dotem primo constitutam.

Castrensis. Rolandus. Tuscus. Carpanus.

§. XII.

An donata per consanguineum æquè vtrique coniugi coniunctum alteri eorum intelligantur in eundem translata, an verò in vtrumque.

SVMMARIVM.

Status controuersiæ expositus. 1.
Ratio dubitandi à paritatibus desumpta. 2.
Opinio Gutierez exponitur, eiusque rationes. 3.

Intel-

Intelliguntur collata contemplatione vtriusque, adeoque vtrique acquiri, nisi merita eius, cui fit collatio, excederet. 4.

1 DIsquisitio XII. Contraxerunt adinuicem matrimonium de futuro, & successiuè etiam de præsenti Caius, & Theodorica, & inter eosdem intercesserunt congrua iocalia. Titius consanguineus vtriusque in eodem gradu ante contractum matrimonium per verba de præsenti intuitu eiusdem matrimonij ineundi contulit nonnulla dona pretiosa Theodoricæ, de quibus dubitatum fuit, an intelligerentur eidem collata contemplatione propria ipsius, an verò contemplatione vtriusque, adeovt integra debeant remanere penes eandem Theodoricam, an verò æqualiter inter ipsam, & Caium ipsius coniugem sint diuidenda.

Exponitur facti difficultas.

2 Ratio dubitandi ex eo desumitur primò, quià, si vtrique coniugi aliquid donetur pretio æstimabile ab extraneo, ita vt nulla appareat ratio, intuitu cuius vni potius donetur, quam alteri, censetur donari vtrique, ac inter vtrumque esse diuidendum *Antonius Gomez l. 52. Tauri nu. 69., & rub. de donat. §. 45. nu. 7. Gutierez 2. pract. q. 120. nu. 9. Ioannes Garzia de coniug. acquestu num. 114. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 430. concl. 1.*, & hoc nõ alia ratione, nisi quià cum non appareat coniectura, ratione cuius potius vni intelligatur conferre, quam alteri, præsumendus est conferre contemplatione vtriusque, ergò etiam, si donetur ab aliquo consanguineo, qui vtrique coniugi sit æqualiter coniunctus intelligendum est vtrique donari, cum non appareat aliqua ratio, ratione cuius intelligatur potius vni, quam alteri donari; Neque obesse potest, si asserantur hæc valere, quando id, quod donatur, vel ab extraneo, vel à consanguineo æquali æquè primo vtrique confertur, secus quando à donatore alteri eorum tribuitur; Non, inquam, obesse potest, quià quod confertur vni, vel alteri parum ad præsens institutum referre potest, quando vrget motiuum æquale respectu vtriusque, vel non militat coniectura ex parte potius vnius, quam alterius; & sicuti, si conferatur à consanguineo sponsi aliquod pretio æstimabile sponsæ, non obstante, quod sit eidem collatum intelligitur collatum contemplatione sponsi, eo quià ratio motiua donationis militat respectu eiusdem ratione consanguinitatis cum donatore, ita si conferatur alteri eorum per consanguineum vtriusque in æquali gradu non obstante, quod eidem fuerit collatum, intelligendum est vtrique collatum, quià militat ratio motiua collationis respectu vtriusque.

Refertur ratio dubitandi.

Gomez. Gutierez. Garzias. Molina.

Collata ab extraneo vtrique acquiruntur.

Secundò, quià, si conferatur ab amico vtriusque vtrique intelligitur collatum contemplatione vtriusque, adeoque est æqualiter diuidendum *Ioannes Garzia de coniug. acquestu num. 114. Molina tom. 2. de iust. tract. 2. disp. 430. concl. 1. Sanchez de matrim. lib. 6. disp. 26. nu. 3. vers. idem dicendum*, ergò etiam, si conferatur à consanguineo vtriusque in æquali gradu vtrique præsumendum est esse collatum.

Etiam desumitur paritas à collatis ab amico vtriusque. Garzia. Molina. Sanchez.

3 Gutierez 2. *practicar. qu. 120. num. 11 Sanchez de matrimonio lib. 6. disp. 26. num. 5.*, qui antecedenter dixerant, quod, quando ab extraneo cum neutro coniuge habente causam, vel ab amico æquali vtrique collatum fuit aliquod pretio æstimabile vtrique, ab vtroque per partes æquales acquiratur, modo asserunt, quod, si consanguineo vtriusque in æquali gradu conferantur dona pretiosa alteri ex coniugibus ipsi solummodo intelligantur acquisita, quod non alia ratione possunt asserere, nisi quià illi soli fit donatio, nec est ratio præsumendi potius alterius coniugis, quam sui contemplatione illa donari. Nihilominus

Gutierez Sanchez.


Sententia asserens acquiri ei, cui fit donatio.

4 Respondeo etiam in ea hypotesi, quod collatio à consanguineo vtriusque in æquali gradu fieret alteri ex illis intelligatur tamen facta contemplatione vtriusque, nisi merita illius, cui facta est collatio erga collatorem, apparerent, non alterius. Ratio ex ijs deducitur, quæ supra dicebantur, quià scilicet, cum ratio collationis æquè primò militet in vtroque, vtrique eadem facta est præsumenda; nec obstat, quod vni fuerit facta, nam in hoc attenditur animus conferentis, & ratio motiua collationis, non ipsa collatio. Atque de his dicta sint satis. Vtidam animas nostras Deo ita per fidem desponsemus in via vt per gloriam sponsalia consummemus in patria.

Fit contemplatione vtriusque, & vtrique æqualiter acquiritur.

Finis huius Quinti voluminis ad laudem Omnipotentis Dei, Deiparæque Virginis, & Doctoris Gentium.

IN-



INDEX RERVM

C. significat Contractum, S. Sponsalia, P. Prænotionem, S. Sectionem, D. Disquisitionem, §. Paragraphum, n. Numerum marginalem, p. Paginam.

A



ABSENTIA sponsi in longinquas regiones de licentia sponsæ non dissoluit sponsalia intra tempus conuentum de tali licentia C.14. S.2.P.12. num.8. pag.298

Absentia alterius sponsi in longinquas regiones inscio, seu inuito altero dissoluit sponsalia C.14.S.2.P.12.n.9. ibid

Absentia alterius sponsi in loca propinqua, vel etiam remota, cum spe proximi reditus non dissoluit sponsalia C.14.S.2.P.12.n.11. pag.299

Absentia alterius sponsi, si fuerit ex causa necessaria non perpetuo duratura non dissoluit sponsalia, nisi postquam remota est causa absens non redierit C.14. S.2.P.12.n.13. pag.300

Absentia, si fuerit ex causa voluntaria quomodo dissoluat tàm attento iure ciuili, quàm canonico C.14.S. 2.P.12.n.14. ibid

Absentia ex causa necessaria secundum ius ciuile non dissoluit, nisi quando causa cessarit C.14.S.2.P.12. n.15. ibid

Absentia, si fuerit ex causa probabili, & iusta secundum ius ciuile in eadem Prouincia non dissoluit, nisi post biennium. Ibid.

Absentia, si fuerit ex causa probabili extra prouinciam non dissoluit, nisi post triennium. Ibid.

Absentia eodem modo non dissoluit, vel dissoluit secundum ius canonicum, & ciuile. Ibid.n.16. pag.301

Absentia sponsi quomodo conferat sponsæ ad acquirendam sponsalitiam largitatem. Vide verb. sponsalitia largitas.

ADIECTIO in diem resolutiuè vitiat contractum C. 14.S.1.D.2.§.34.num.2. pag.214

Adiectio in diem suspensiuè suspendit contractum C.14. S.1.D.2.§.34 num.3. ibid

Adiectio in diem suspensiuè non exigit nouum consensum adueniente die. Ibid. n.4.

Adiectio in diem suspensiuè æquiualet conditioni. Ibid.

Adiectio in diem certam non suspendit contractum. Ibid. n.5.

ÆTAS requisita ad contrahendum sponsalia est septennium completum C.14.P.2.n.7. pag.7

Ætas septennij debet esse completa, nisi constet de vsu rationis ante perfectè acquisito Ibid.n.8.

Ætas septennij sufficit, si vltima dies fuerit incæpta Ibid.n.9. pag.8

Ætatis defectus, si suppleatur à malitia compati potest cum valido contractu Ibid.n.10. pag.8

Ætas septennij, si fuerit completa, non tamen adeptus vsus rationis, non est sufficiens ad sponsalia Ibid. n.11.

Ætas septennij cum vsu rationis in vno, & non in altero non est sufficiens ad sponsalia Ibid.n.12.

Ætas septennij in vno obligat ipsum ad expectandum vsum rationis in altero Ibid.n.13. pag.9

Ætas septennij in vtroque contrahente non ita requiritur, vt inducat noxam lethalem in parentibus, si nomine filiorum ante illam contrahant, vel in maiori, si contrahat cum minori C.14.S.1. D.1.§.20.num.2. pag.165.

AFFINITAS impediens, & dissoluens sponsalia consurgit ex copula carnali completa, qua quis cognouit consanguineam suæ sponsæ in primo, & secundo gradu C.14 S.2.D.1.§.13.n.2. pag.333

Affinitas dirimens priora sponsalia non consurgit, si copula non fuerit consumata cum eadem consanguinea sponsæ Ibid n.3. pag.334

Affinitas consurgit ex sola seminis immissione in vas mulieris sine penetratione Ibid.n.4.

Affinitas non consurgit per solam vasis penetrationem sine feminatione C.14.S.2.D.1.§.13.n.5. pag.335

Affinitas non oritur per solam seminationem viri etiam cum penetratione vasis Ibid.n.6.

Affinitas non oritur ex conatu sponsi in copulam cum consanguinea sponsæ, oritur tamen respectu sponsæ ius ad dissoluenda sponsalia C.14.S.2.D.1.§.13.n.7. pag.336.

Affinitas oritur etiam ex copula illicita C.14. S.2.D. 1.§.14.n.2. pag.336

Affinitas oritur etiam ex copula habita cum fœmina prorsus inuita ignorante, & dormiente C.14.S.2. D.1.§.14 n.3. pag.337

Affinitas consurgit etiam, quamvis copula sit occulta ibid.n.4.

Affinitas ex copula coniugali non est tantum vinculum iuris positiui C.14.S.2.D 1.§.15.n.2. pag.338

Affini-

Affinitas ex copula coniugali est vinculum naturale. Ibid. num. 3.

Affinitas orta ex copula fornicaria probabilius est de iure naturæ C.14.s.2. D.1.§.16. nu.4. pag.339

AMOR excessiuus regulariter non irritat sponsalia C.14.P.9. nu.1. pag.128

Amor excessiuus irritat, si iudicium absorbeat C.14. P.9. num.2. pag.128

ANTAPOCHA de nihilo petendo post factum chyrographum futurarum nuptiarum sub certis conditionibus ad effectum alterum ducendi ad contrahendum cum persona, in cuius fauorem factum est illud chyrographum, non praiudicat contentis in eodem chyrographo C.14. s.3. D.1. §.1. nu.3. pag.430

Antapocha posita de non petendo aliquo post chyrographum positum de melioratione non iuuat meliorato, quandò agitur de illius interesse pracisè C.14. s.3. D.1.§.1. num.7. pag.431

ARRÆ ita possunt constitui in sponsalibus, vt amittantur à fidei violatore C.14.P.5.S.10.n.40. pag.99

Arra iustè acquiruntur à sponso, qui clam fornicatus fuit altero penitus ignorante, si hic ex alia causa recedat à sponsalibus C.14 s.2.P.19.n.4. pag.314

Arra quid propriè sint attento iure communi C.14.S.3. P.17.nu.1. pag.407

Arra sponsaliorum nomine data non acquiruntur de iure communi, etiam si intercesserit osculum, si dissoluantur sponsalia per obitum alterius. Ibid.n.2

Arra recepta per constituentem in legitima ætate, si dissoluantur sponsalia ex culpa conferentis, acquiruntur integrè eidem recipienti, si ex culpa eiusdem dissoluantur, sunt restituenda integrè cum simplo. Ibid. num. 3. pag. 408

Arra recepta per minorem, ex cuius culpa non sequatur matrimonium, sunt solummodò integrè restituenda conferenti. Ibid. n. 3

*Arra recepta per Parentes pro filijs sunt restituenda cum simplo, si sine causa non sequatur matrimonium. Ibid.num.*4 pag.408

Arra ex suo fine primario conferuntur in securitatem contractus C.14. s.3. P.17.nu.6. pag.409

Arra ex quibus causis non amittantur ob non complementum contractus C.14.s.3. P.18.n.1. & 2. pag.410

Arra collata simul cũ sponsalitia largitate, si sponsalia dissoluantur interueniente osculo, vel copula ex culpa sponsi conferentis, integrè acquiruntur cum medietate sponsalitia largitatis, si verò dissoluantur ex casu, vel morte non acquiruntur recipienti C. 14. s.3. P.19. num.1. pag.411

Arra non acquiruntur, si non collata sponsalitia largitate sponsus, qui easdem contulit, dederit osculum sponsa, & deindè sine causa non sequatur matrimonium C.14. S.3. P.19. nu.2. pag.412

Arra quomodo possint constitui constante iam matrimonio, siuè de iure communi, siuè de iure hispano C.14. s.3. P.20.nu.2.& 3. pag.414

Arra non possunt constitui per pupillos, & minores sine tutoribus, & curatoribus, & absque decreto Iudicis in immobilibus C.14. s.3. P.21. nu.2. pag.415

Arra, si consistant in mobilibus, qua seruando seruari non possunt, per minores constitui possunt sine decreto Iudicis accedente tutoris auctoritate. Ibid.n.4.p.416

Arra possunt constitui per filium familias quoad bona castrensia, & quasi castrensia inconsulto Patre, non sic in bonis aduentitijs, & profectitijs C.14.s.3.P.23. num.2., & 3. pag.419

Arra de iure communi possunt in quacunque quantitate constitui C.14. s.3. P.24. num.1. pag.420

Arra de aquitate sunt restringenda ad arbitrium prudentis. Ibid.

Arra de iure Castella non possunt constitui, nisi quoad decimam bonorum partem constituentis. Ibid.n.2.

Arra de iure ciuili acquiruntur per fœminam, qua contraxit cum constituto in publica potestate, etiam si ipsa resiliat à matrimonio complendo C.14.s.3.P.25. num. 2. pag. 422

Non sic de iure canonico. Ibid.

Idem intellige, si contraxerit cum filijs, & comparticibus eiusdem in publica dignitate constituti, si ille operam dederit C.14. s.3. P.25. n.3. pag.422

Arra completo matrimonio sunt restituenda conferenti C.14.s.3.P.26.num.2. pag.424

Arra ex conuentione partium completo matrimonio possunt fieri recipientis. Ibid.n.3.

Arra ex suppositione, quod transeant completo contractu in donationem propter nuptias de iure communi restituenda sunt conferenti, non sic de iure hispano. Ibid. nu. 4. pag. 425

Arra possunt reciprocè conferri C.14. s.3. P.27.nu.2. pag. 425

Arra, si fuerint aquales ex parte vtrinsque vno iniustè recedente alter non solum recipit, quod tradidit, & vlterius simplum, sed etiam acquirit, quod sibi traditum est C.14. s.3. P.27. n.3. pag.426

Arra, si fuerint inaquales, & qui minores contulit iniustè recedat tenetur non solum perdere, quod contulit, sed etiam restituere, quod recepit, & vlterius simplum aquale ei, quod recepit C.14. s.3.P.27.n.4. pag. 427

Arra collata à Patre, qui promisit alteri matrimonium filia non amittuntur à Patre, si filia nolit eidem nubere, si Pater fecerit, quantum potuit C.14. s.3.P.28. num.2. pag.427

Arra debent actualitèr, & in effectu tradi C. 14. S. 3 P. 29. nu. 1. pag.429

Arra sufficienter probantur tradita per confessionem recipientis C. 14. s 3. P.29. num.2. pag.429

Arra, si excedant taxam non sunt irrita quoad totum C.14.s.3.D.1.§.8.nu.4. pag.441

Arra iuxtà morem hispanum, & donatio propter nuptias differunt ratione finis C.14. s.3. D.2.§.1. nu.2. pag. 460

Item ratione effectus, & quomodo. Ibid. n. 3.

Arra dissoluto matrimonio remanent penes vxorem; donata propter nuptias reuertuntur ad maritum. C.14. s.3 D.2.§.1.nu.4. pag.460

AVVS pater patris potest stipulari pro filio absente C.14.P.5.S.6.num 11. pag.56

Auus Pater patris potest contrahere sponsalia pro filijs minoribus ad effectum illos obligandi, si in tempore non reclamauerint C.14. P.3. nu.10. pag.14

B

BONA matrimonij quoad actum, si indissolubilitatem excipias, non sunt de essentia eiusdem C.14. P. 5.S.9. n.33. pag.80

Bona maioratus ad constituendam sponsalitiam largitatem

tatem taxanda sunt non ad normam valoris eorundem bonorum, sed ad normam redditruum C.14. s.3. D.1.§.15.*num*.2. *pag*.453

Bona maioratus secundum redditus successiuè exigendos quomodo taxanda sint C.14. s.3. D.1.§.15. *nu*.3. *pag*. 453

C

C*AVSA quid sit* C.14.P.5.S.11.*n*.1. *pag*.100

Causa adiecta sponsalibus, siue fuerit turpis, siuè impossibilis non vitiat, sed vitiatur. Ibid.nu.2.

Causa, si inuoluat errorem in persona, vel conditionem seruilem vitiat sponsalia, Ibid.n.3. *pag*.101

Causa dissolutionis superueniens sponsalibus iam contractis, quæ si à principio fuisset, impedisset contractum, non irritat ipso facto, tribuit tamen ius ad rescindendum C.14.S.1. D.2.§.24.*nu*.4. *pag*.202

Causa dissolutionis superueniens sponsalibus post moram ad contrahendum matrimonium non impedit, quominus eadem possint dissolui, tenetur tamen morosus damna moræ resarcire C.14.s.1.*D*.2.§.25.*n*.2. *pag*. 202

CHIROGRAPHVM nō est ex genere suo de substantia contractus sponsalium, potest tamen esse tale ex conuentione contrahentium C.14.s.3.P.1.*n*.2. p.373

Chyrographum nuptiale non necessariò secundum se requiritur, vt consurgant secundum se actiones actiue, & passiuæ, & obligationes ne dum ciuiles, sed etiam naturales, dummodò exterius constet de consensu C.14.s.3. P.1.*num*.3. *pag*.373

Chyrographum confectum ex conuentione partium intelligitur esse ad probationem, nisi aliter constet de illorum voluntate C.14.s.3.P.1.*n*.4. *pag*.374

Chyrographum confert ad probationem, & ad celerem executionem. Ibid. num. 5.

Chyrographum non efficit, quin ob easdem causas, quibus sponsalia non scripta possunt dissolui, possint etiam dissolui scripta C.14.s.3. P.1. *n*.6. *pag*.374

Chyrographum, vt plenè probet, debet esse, & partium, & trium testium subscriptione firmatum C. 14. s.3. P.2. *num*.1. *pag*.375

Chyrographum priuatum ex conuentione contrahentiū potest plenè probare C.14.s.3.P.2.*n*.3. *pag*.375

Chyrographum priuatum per partes, & per tres testes firmatum altero ex contrahentibus negante plenè probat, si testes deponant interfuisse, quandò contrahentes subscripserunt C.14.s.3. P.2. *nu*.4. *pag*.376

Chyrographum nuptiale non indiget comparatione literarum, vbi tres testes subscripserunt, & id fateantur C.14.s.3.P.2.*num*.5. *pag*.376

Chyrographum nuptiale quomodo conferat ad probandum per comparationem literarum, quandò testes mortui sunt Ibid. num. 6.

CONCILIVM Tridentinum tollit impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus irritis C.14. s.1. D.3.§.18.*num*.4. *pag*. 160

Concilium Tridentinum quoad hoc extenditur etiam ad sponsalia antecedentèr inita ad ipsum Concilium ibid. num 5. *pag*.163

Concilium Trident. extenditur etiam, quandò sponsalia sunt irrita ex solo defectu consensus. Ibid.n.6.

Concilium Trident. annullat matrimonium clandestinum, & quomodo C.14.s.1. D.3 §.2.*n*.2. *pag*.225

Concilium Tridentinum quoad matrimonia clandestina est correctorium iuris antiqui, & strictè interpretandum C.14.s.1.D.3.§.2.*nu*.5. *pag*.225

Concilium Tridentinum annullat obligationes ex eodem contractu nullo, non antecedentes ex contractu valido. Ibid. num. 6.

CONDITIONES, quæ reijciuntur à matrimonio regularitèr etiam reijciuntur à sponsalibus C. 14.P.5 S.9.*n*.1. *pag*.70.

Conditiones generales, quæ tacitè insunt valida sunt, & compatiuntur cum sponsalibus C. 14. P.5. S. 9. *n*.2. *pag*.70

Conditio, sub qua quis contrahit dicens Contraho tecum, si non es consanguinea, tenet, nec suspendit actum C.14. P.5. S.9.*n*.3. *pag*.70

Conditio, si Deo placuerit, non est propriè conditio, nec suspendit actum Ibid. n. 4. *pag*.71

Conditio, si Ecclesiæ placuerit, suspendit Ibid. n.4.

Conditio honesta contingens, vel de præterito, vel de præsenti non est inualida, nec suspendit actum C.14. P.5.S.9.*n*.5. *pag*.71

Conditio possibilis, & honesta de futuro suspendit contractum vsque ad conditionis euentum C.14. P.5.S. 9.*n*.6. *pag*.71

Conditio honesta, & possibilis, vt suspendat, debet esse apposita in celebratione contractus, non ex internallo, nisi vterque eidem postea consentiat Ibid. n. 7. *pag*. 72

Conditio honesta, & possibilis suspendit, siue referatur in alterius arbitrium, siuè in alterum contrahentem C.14.P.5. S.9.*n*.8. *pag*.72

Conditio de præsenti, si Patri tuo placeat, nōn suspendit, nec vitiat sponsalia, si verè adsit, quantumvis ignoretur à contrahentibus Ibid n.9. *pag*.72

Conditio, si patri tuo placeat, & verè tunc existat beneplacitum Patris, compatitur cum veris sponsalibus, quantumvis Pater postea dissentiat Ibid.n.10. *pag*. 73

Conditio, si Patri tuo placeat, & tunc non adsit beneplacitum Patris, non compatitur cum sponsalibus, quantumvis Pater postea assentiatur, nisi interueniat nouus vtriusque contrahentis consensus Ibid. n. 11. *pag*. 73

Conditio de præterito, si Patri tuo placuit, non suspendit, si verè fuerit placitum Patris ibid.n.12.

Sufficit, quod approbatio Patris præcesserit virtute ibid. n.13.

Conditio de futuro, si Patri tuo placebit, vel placuerit, suspendit contractum vsque ad conditionis euentum ibid. n. 14. *pag*.73

Conditio illa, si Patri tuo placuerit, an referatur ad tempus futurum, vel ad præteritum in dubio præsumitur pro futuro ibid.n.15. *pag*.73

Conditio, si Patri tuo placuerit si referatur ad tempus præteritum, & de præterito Patri aliquando placuerit, aliquando non, conditio refertur ad posteriorem voluntatem Patris ibid n.16. *pag*.74

Conditio, si Patri tuo placuerit de futuro, & Pater nec assensum præstiterit, nec dissensum, supponit pro assensu ibid. n.17. *pag*.74

Conditio de futuro, si Patri tuo placebit, & Pater fuerit mortuus, non suspendit contractum, siue contrahentes fuerint conscij, siue inscij de obitu Patris ibid.n.18.

Con-

Conditio successiua cum duabus prior prauales non obstante, quod posterior prius purificetur C.14. P.5.S. 9.num.20. pag.75
Conditio extrinseca necessariò euentura adiecta sponsalibus non reddit eadem conditionalia, dummodo ab ipsis contrahentibus cognoscatur, vt necessariò euentura Ibid.nu.22. pag.76
Conditio hæc, si non cognoscatur, vt necessario euentura, suspendit sponsalia C.14.P.5.S.9.num.23. pag. 76
Conditio non ex necessitate simpliciter euentura iuxta cursum causarum naturalium, sed ex dispositione diuina manifestata, vt si dicatur, contraho tecum, si antichristus nascatur, non reddit contractum conditionalem, nec propriè suspendit Ibid. num.24. pag.77
Conditio, Contraho tecum, si cras Sol oriatur, suspendit, si intelligatur de ortu Solis visibiliter, non suspendit, si intelligatur de ortu Solis vero, & reali Ibid. nu.25.
Conditio impertinens possibilis tamen, & honesta suspendit vsque ad euentum C.14.P.5.S.9. num.26. pag. 78
Conditio turpis, quæ non est contraria substantiæ matrimonij, nec bonis eius, immo, nec sponsalibus, reijcitur, & sponsalia sunt pura Ibid. num.27. pag. 78
Intellige, si huiusmodi conditio fuerit de futuro Ibid. num.29. pag.79
Conditio, si te Virginem inuenero, si sit sermo de inuentione per carnalem copulam reijcitur, & sponsalia remanent pura, si verò sit sermo per inspectionem honestarum matronarum reddit sponsalia conditionalia, & suspendit C.14.P.5.S.9.num.30. pag. 79
Conditio, si mihi in primo concubitu placueris, reijcitur, & sponsalia remanent pura. ibid
Conditio, si mecum concubueris, si sermo sit de concubitu illicito reijcitur, & sponsalia remanent pura, si de concubitu licito non reijcitur, sed suspendit Ibid. n.31. pag 80
Conditiones contrariæ substantiæ matrimonij, & bonis eius, quantumuis siuè fuerint honestæ, siuè turpes semper irritarent matrimonium, non tamen semper sponsalia C.14.P.5.S.9.n.32. pag 80
Conditiones impossibiles adiectæ contractui sponsalium regulariter habentur pro non adiectis C.14.P.5.S.9. num.34. pag.82
Conditiones impossibiles, cur potius vitientur, quam vicient C.14.P.5.S.9.nu.35. pag 82
Conditiones impossibiles reijciuntur, siue fuerint de futuro, siuè de præsenti, siuè de præterito C.14.P.5.S.9. nu.36. pag.83
Conditio secundum se necessaria, respectu tamen nostri incerta, suspendit sponsalia vsque ad euentum eiusdem C.14.S.1.D.2.§.26.nu 2. pag.204
Conditio secundum se impossibilis reputata possibilis à contrahentibus absolutè vitiat sponsalia C.14.S. 1.D.2.§.27.nu.4. pag.205
Conditio impossibilis, vt habeatur pro non adiecta exigit, vt contrahentes non solum sint conscij impossibilitatis, sed etiam iuris irritantis C.14.S.1.D.2.§. 28.n.2. pag.206
Conditio impossibilis stante ignorantia iuris irritantis in vtroque contrahente vitiat contractum Ibid.
Conditio impossibilis stante illa ignorantia iuris irritantis etiam in vno tantum ex contrahentibus vitiat contractum Ibid. nu.3.
Conditio adiecta sponsalibus inter fidelem, & infidelem, si hic conuertatur ad fidem, non est generalis, nec ex natura sua inest C.14.S.1.D.3.§.1.num.5. pag. 224
Conditio tacita non suspendit sponsalia C.14.S.2.D.2. §.2.n.2. pag.343
Conditio expressè apposita, & tacita inexistens sponsalibus quomodo differant C.14.S.2.D.2.§.2.nu.4. pag. 343
Conditio, quæ ex genere suo tacitè inest, si expressè ponatur, non reddit contractum conditionalem, nec suspendit C.14.S.2.D.2.§.5.num.3. pag. 347
Conditio dotis non est omninò extrinseca matrimonio C.14.S.2.D.2.§.6.nu.3. pag 349
Conditio honesta, & possibilis purificata etiam ante scientiam contrahentium reddit eadem sponsalia ipso iure pura C.14.S.2.D.2.§.16.num 2. pag. 363
Conditio honesta, & possibilis purificata etiam ante scientiam purificationis reddit posteriora sponsalia nulla Ibid.nu.3.
Conditio honesta, & possibilis reuocato consensu ante eiusdem purificationem reddit sponsalia nulla C.14. S.2.D.2.§.17.nu.2. pag.364
CONFESSIO vtriusque coniugis de existentia impedimenti sufficientèr probat ad dissoluenda sponsalia C.14.S.2.P.8,nu.16. pag 281
Confessio vnius tantum contrahentis de existentia impedimenti, qui stat contra sponsalia, non est sufficiens, secus si fuerit alterius, qui stet pro sponsalibus Ibid num.17.
Confessio recipientis probat sufficienter arras traditas esse C.14.S.3.P.29.num.3. pag.429
Confessio receptionis arrarum non potest dici inter personas suspectas C.14.S.3.P.29.num.3. pag. 429
Nec de re illicita Ibid.nu 4.
CONIECTVRÆ euincentes in sponsalibus metum interuenisse C.14 P.5.S.4 n.37. pag.49
Coniectura euincentes iram non absorbere iudicium C.14 P.9.num.4. pag 129
CONSANGVINEI, & affines, nequeunt contrahere sponsalia, si sint intra gradus à iure prohibitos C.14.P.2 nu 6. pag.7
CONSENSVS ad sponsalia non est ex necessitate simul deferendus C.14.P.5.S.2.nu.1. pag.26
Consensus debet deferri intra tempus, vt consensus censeatur moraliter perseuerare C.14.P.5.S.2. num.2. pag.26
Consensus, an fuerit reuocatus, nec ne, statur assertioni asserentis reuocationem C.14.P.5.S.2.num.4. pag. 27
Consensus interpretatiuus ad sponsalia Vide verb. Subarratio, & Ratificatio.
Consensus præsumptus ad validitatem sponsalium in foro externo non sufficit qualiscunque fuerit, sed debet esse cum præsumptione efficaci C.14.P.5 S.12. nu.4. pag.103

Consensus verus constituens sponsalia in ratione propria eorundem refertur ad ius quoddam incohatum ad communctionem matrimonialem postea complendam per matrimonium C.14. P.5. S.14. num.2. pag. 105

Consensus constituens sponsalia non est necesse, quod respiciat actualem copulam de futuro ponendam Ibid.num.2. pag.106

CONSVETVDO, ubi non obstat natura sponsalium, est servanda C.14.s.1.D.1 §.10.n.11. pag.153

Consuetudo non potest efficere, quod possint valide contrahi sponsalia in gradibus consanguinitatis prohibitis C.14 s.1. D.1.§.11.n.2. pag.154

Consuetudo, quod filij duorum compatrum, quorum neuter deueneris ad paternitatem, non possint adinuicem contrahere sponsalia stante iure antiquo in cap. super eo de cognat. spirit, *est servanda, secus verò de iure nouo C.14. s.1. D.1. §.11. num.3. pag.* 154

Consuetudo non potest efficere, ut validè contrahantur sponsalia cum consanguinea prioris sponsa C.14.s.1. D.1.§.11.nu.4. pag.154

Consuetudo loci, in quo contractus initur validè seruatur C.14.s.1.D.1.§.15. nu.2. pag.159

D

DECEPTVS *quoad Sponsalia potest deceptori credere, & cum alio contrahere C.14. s.1. D.2. §.8.nu.2.* pag.180

Deceptus quoad matrimonio non tenetur credere deceptori, nec potest ad alia vota transire Ibid.num.3.

Deceptus quandoque potest credere deceptori, & ad alia vota transire, & quando Ibid.num.4.

Deceptus, quando legitimè potest credere, potest ad alia vota ex se transire, si nullum timeatur inde scandalum C.14.s.1.D.2. §.8. n.5. pag.181

DEFECTVS occulti non sunt ex necessitate per eum, qui his laborat, aperiendi alteri secum contrahere voluerit, si non sint noxij, redderent tamen nuptias minus expetibiles C.14. s.2. P.20.n.2. pag. 315

Etiam si fuerit ab altero super his interrogatus Ibid. num.3.

Defectus occulti noxij alteri sunt aperiendi siue fuerit interrogatus, siue non C.14. s.2. P.20. num.5. pag. 317

Defectus, si tales fuerint, ut reddant nuptias minus expetibiles, non tamen noxias, non sunt ex necessitate aperiendi per defectuosum in celebratione contractus C.14. s.2.D.2.§. 10.n.2. pag.355

Defectus, si fuerit noxij alteri contrahenti sunt aperiendi Ibid. n.3.

DEFORMITAS spiritualis consistens in crimine abhominabili apud Deum, & homines superueniens sponsalibus tribuit ius ad recisionem eiusdem maximè, si fuerit deductum ad forum contentiosum C.14. s.2.P.10.n.1. pag.289

Deformitas notabilis corporalis superueniens post sponsalia in altero sponso tribuit ius ad dissoluenda sponsalia C.14. s.2.P.10.n.8. pag.291

Deformitates in particulari, ob quas possunt dissolui Ibid. nu.9.

DEMONSTRATIO quid sit C.14. P.5.S.11.nu.1. pag. 100

Demonstratio adiecta sponsalibus, siue fuerit turpis, siue impossibilis non vitiat, sed vitiatur Ibid. num 2.

Demonstratio, si inuoluat errorem in persona, seu conditionem seruilem irritat sponsalia Ibid. nu.3. pag. 101

DOLVS antecedens circa substantiam personæ, qui dederit causam contractui, ipsum irritat ipso iure C.14.P.5.S.8. num.1. pag.66

Dolo deceptus, si postea consentiat sine alia expressione firmat Contractum C.14. P.5. S.8.num.2. pag. 66

Dolus antecedens non tamen circa substantiam personæ, sed circa qualitatem non irritat, tribuit tamen quandoque fundamentum ad recisionem C.14. P.5.S.8. nu. 3. pag.66

Dolus concomitans, qui non dederit causam contractui non irritat sponsalia, si fuerit circa qualitatem, benè tamen, si circa substantiam persona C.14. P.5. S.8. num.4. pag.66

Dolus quid sit, & unde desumatur eius malitia C.14. s.2. P.17. num.1. pag.308

Dolus antecedens circa substantiam inductus per alterum contrahentem irritat ipso iure sponsalia respectu decepti C.14.s.2.P.17.num.2. pag.308

Dolus antecedens circa substantiam irritat etiam ex parte decipientis, obligat tamen ipsum in pœnam Ibid. nu. 3. pag.309

Dolus quoad substantiam inductus per aliam personam à contrahentibus irritat ipso facto, quoad qualitatem tribuit ius ad rescindendum Ibid. num. 4.

DONATIO libera, si excedat summam præscriptam, indiget insinuatione C. 14. s. 3. P. 9. num. 1. pag. 394

Donatio ante nuptias, quantumvis excedat summam præscriptam de iure communi, non indiget insinuatione C.14.s.3.P.9. num. 6. pag.395

Donatio facta à consanguineis sponsi sponsa censetur facta contemplatione sponsi, facta verò à consanguineis sponsa sponso contemplatione eiusdem sponsa C.14.s.3.P.12.n.2. pag.399

Donatio contemplatione sponsi sponsa mortuo sponso transfert bona donata in hæredes ipsius sponsi Ibid. num. 3.

Donatio à consanguineis sponsi sponsa, & è contra quomodo de iure municipali Mediolani acquiratur Ibid. num. 4.

Donatio à sponso, vel Patre sponsi facta sponsa cum expressione donationis censetur vera, & absoluta donatio, facta verò sine tali expressione non censetur donatio, sed collatio causa ornamenti C.14.s.3.P. 12. num. 5. pag.400

Donatio facta à consanguineis sponsi sponsa, & è contra non habet rationem sponsalitia largitatis C. 14. s.3.P.13. nu.3. pag.401

Donatio facta à consanguineis sponsi sponsa non acquiritur quoad medietatem per osculum. ibid

Donatio facta à consanguineis sponsi sponsa, si sponsalia post osculum, vel copulam dissoluantur, vel ex culpa, vel sine culpa sponsi integrè ad eosdem consanguineos reuertitur Ibid. nu.4. pag.401

Dona-

Donatio ante nuptias, & propter nuptias quomodo differant C.14.s.3. P.16.n.1. pag.405
Donatio propter nuptias quid propriè sit C. 14. s. 3. P. 16.n.2. pag.405
Donatio propter nuptias de iure communi supposita dote facienda erat à marito Ibid. nu.3.
Donatio propter nuptias contrario vsu saltem quoad necessitatem est abolita C. 14. s. 3. P. 16. num. 4. pag. 406
Donatio propter nuptias ipso iure non constituebatur supposita dote, sed erat constituenda constante matrimonio C.14.s.3.P.16.n.5. pag.406
Donatio propter nuptias exigebatur conditione ex lege C.14.s.3.P.16. n.6. pag.406
Donatio propter nuptias, ad quem effectum constitueretur C.14.s.3.P.16.n.7. pag.406
Donatio propter nuptias de iure communi est mutua in actu, primo non sic attenta consuetudine Ibid. num. 8.
Donatio propter nuptias, si fuerit constituta, habet priuilegia dotis, & quomodo Ibid.n.9.
Donatio promissa deponi, & non deposita non obstat in petitione dotis Ibid. n.10. pag.407
Donationes propter nuptias etiam in immobilibus facta per minores tenent, si per quinquennium, ex quo ille factus est maior, non fuerint retractata C.14. s.3.P. 21. num.3. pag.416
Donatio ante nuptias reuocari potest per creditores anteriores, si agant hypothecaria, & probauerint anterioritatem C.14 s.3.D.1.§.5 nu.3. pag.438
Etiam si habeant solam tacitam hypothecam anteriorem Ibid.num.4.
Donationes ante nuptias non habent priuilegium prælationis C.14.s.3.D.1.§.5.nu.5. pag.438
Donationes ante nuptias reuocari non possunt per creditores anteriores, si agant solummodo personali C.14. s.3. D.1.§.5. n.6. pag.438
Donationes ante nuptias reuocari possunt, si facta fuerint in fraudem creditorum anteriorum Ibid. num.7.
Donationes excedentes sine insinuatione non sunt irrita quoad totum, maximè, si sint ex causa C.14.s. 3. D. 1. §.8. n.3. pag.441
Donatio facta vxori per consanguineum vtriusque aquè vtrique coniunctum intelligitur facta contemplatione vtriusque, & aquiualiter vtrique acquiri C.14.s.3.D.2.§. 12. n.4. pag.477
DOS euicta, in ordine ad quam facta est sponsalitia largitas minuit, vel tolit eandem C.14. s.3. D.1 §. 10. num. 4. pag.444
Dos euicta in suppositione, quod sponsalitia largitas taxanda sit ad normam dotis minuit eandem Ibid. num.5. pag.445
Dos constituta per maritum vxori constante matrimonio non tenet C. 14. s. 3. D. 2. §. 2. num. 2. pag. 461
Dos constituta per maritum vxori ea adiecta conditione, vt non valeat, nisi constituto matrimonio regulariter non tenet C.14. s. 3. D. 2. §. 2. num. 3. pag. pag.462
Excipe, nisi fœmina esset longe nobilis, & iuuenis, & vir ignobilis, & senex Ibid.n.4.
Item nisi virginem seductam violauerit, & postea eam duxerit Ibid.num.5.
Dos constituta ante matrimonium, vt pro eo tempore valeat, sed deferatur quoad executionem tenet Ibid. nu.6.
Dos constituta per maritum diuitijs præpotentem fœmina in nobilitate excedenti titulo donationis remuneratoria tenet C. 14. s. 3. D. 2. §. 3. num. 3. pag. 463
Dos per maritum constituta vxori nobili habet priuilegium dotis C.14. s.3. D.2.§.4. n.4. pag.465
Dos per maritum constituta fœmina in nobilitate excedenti habet priuilegium prælationis aduersus creditores habentes tacitam hypothecam in bonis mariti C.14.s.3.D.2.§.5.n.4. pag.466
Dos constituta ante matrimonium minuit legitimam debitam ascendentibus, vel descendentibus C. 14. s 3.D.2. §.6.nu 2. pag.468
Etiam si fuerit constituta constante eodem matrimonio, & pacto ob aliquam causam. Ibid. num. 3.
Etiam si fuerit solo titulo remunerationis nobilitatis Ibid num 4.
Dos constituta causa remunerationis per maritum vxori, siue ante matrimonium, siue eodem constante est aqualiter conferenda cum filijs prioris matrimonij, & posterioris C. 14. s. 3. D. 2. § 7 num.3. pag. 470
Dos constituta vxori per maritum ignobilem titulo remunerationis nobilitatis potest disponi mortuo marito per vxorem ad libitum de iure communi reseruata filijs legitima C.14. s 3.D.2.§ 8.n 3. pag.471
Dos sic constituta potest per eandem disponi meliorando conditionem alterius ex filijs reseruata alijs legitima Ibid. nu. 4.
Non sic de iure municipali Mediolani Ibid. num.5.
Dos constituta à primo marito ignobili fœmina nobili intelligitur collata, secundo, etiam si fuerit ignobilis C.14.s.3.D.2.§ 9.n.2. pag.472
Dos constituta à primo marito ignobili intelligitur translata in secundum, si nulla dotis facta sit conuentio Ibid. nu.3.
Dos illa constituta à primo marito intelligitur translata in secundum, quamuis de illa non fuerit actum etiam stante statuto Mediolani Ibid. nu. 4. pag. 473
Dos constituta priori marito, qui fuerit talis tantum de facto intelligitur repetita secundo C.14. s.3.D. 2.§.10.nu.3. pag.474
Dos constituta primo marito intelligitur solum constituta secundo, etiam si statutum cautum sit quod mulier nubens sine expressione dotis intelligatur omnia sua bona conferre C.14.s.3. D.2.§.11.n.3. pag 475
DVBIVM de promissione matrimonij eximit dubitantem ab onere illud contrahendi C.14. s.1.D.2. §.35. num.4. pag.215
Dubium, siue fuerit opinitatiuũ, siue suspensiuum eximit à tali onere Ibid. n.5.
Dubium de voto castitatis, & Religionis eximit etiam ab onere eiusdem voti Ibid. nu. 6. pag.216
Dubium de animo se obligandi cum certitudine promissionis probabilius inducit obligationem C.14.s.1.D. 2.§.35. n. 7. pag.216
Dubium de promissione matrimonij, & voto castitatis ad neutrum obligat C.14.s.1.D.2.§.35.n.8. pag.216

Dubium, an quis se obligauerit ad castitatem per votum, an ad matrimonium per promissionem cum certitudine, quod alterum illorum elegerit, non obligat potius ad vnum, quam ad alterum, sed optio stat penes dubitantem ibid. n. 9. pag.217

Dubium de sufficientia causa ad dissolutionem sponsalium dissoluendum est ex qualitate eiusdem causa C.14.s.2.D.2.§.20.n.3. pag.368

E

EBRIVS, qui ante ebrietatem decreuerat contrahere sponsalia non validè contrahit pro tempore ebrietatis C.14.s.1.D.1.§.6.n.3. pag.145

EPISTOLA vide verb. Promissio per Epistolam.

ERROR quoad substantiam personæ irritat ipso iure sponsalia siue inter fideles, siue inter infideles C.14. P.5.S.8,n.5. pag.67

Etiam si fuerit error solum concomitans ibid.n.6.

Error circa conditionem seruilem irritat ipso iure sponsalia C.14.P.5.S.8.n.7. pag.67

Error circa qualitates, & bonæ fortunæ non inualidat ipso iure sponsalia, tribuit tamen ius ad recisionem, si disparitas fuerit notabilis C.14. P.5. S.8. num.8. pag. 68

Error circa qualitatem inualidat, quando qualitas additur per modum conditionis, vel transit in substantiam C.14.P.5.S.8.n.9. pag.68

Error facti, & scientia iuris, quando contrahentes existimant adesse impedimentum, quod non adest, si talis fuerit, vt falso crederent esse impedimentum, eoque stante non posse sponsalia iniri, vtique eadem inualidat C.14.s.1.D.2.§.6.n.3. pag.177

Error iuris, quatenus crederent adesse impedimentum, eoque non obstante stare sponsalia eadem non irritat C.14. s.1.D.2.§.6.n.3. pag.177

Error iuris, quatenus falso crederent ius irritare, vtique irritat Ibid. n. 4.

Error iuris, & facti non irritat sponsalia contracta conditionaliter, si nil obstet Ibid. n. 5.

Error, quo sponsi contraxerunt existimantes non esse impedimentum, cum tamen adesset, non compatitur cum validitate sponsalium, quantumuis impedimentum ipsis nescientibus fuerit sublatum C.14.s.1.D.1. §.7.n.3. pag.178

Error talis impedimenti, si fuerit concomitans, quatenus contractis sponsalibus inualidis ob impedimentum occultum, & ignorata remotione impedimenti contrahentes nouum consensum ponerent eo animo, vt si scirent contractum fuisse inualidum, ratum haberent, non compatitur cum validitate ipsorum C. 14.s.1.D.1.§.7 n.5. pag.179

EXCOMMVNICATIO ipso iure afficit raptorem C.14. s.1.D.3.§.16.n.4. pag.246

Excommunicatio contra raptorem non est reseruata Ibid. n.3.

Excommunicatio c. si quis suadente reseruata Romano Pontifici non afficit sponsum, qui Clericum cubantem cum propria sponsa de futuro enormiter percussit C.14. s.2.D.1.§.3.n.2. pag.310

F

FAMA publica de impedimento dirimente dissoluit sponsalia praecedentia C.14. s. 2. P.7. num.4. pag. 277

Fama publica regulariter sufficit ad impediendum, ne matrimonium contrahatur C.14. s.2. P. 8. nu.11. pag. 280

Fama publica sufficit, quantumuis sponsalia fuerint iurata Ibid. n.12. pag.280

Fama publica contraria famæ de impedimenti existentia praualet Ibid. n. 13. pag.281

Fama publica extante de impedimento iudicis arbitrio possunt, vel non possunt admitti iuramenta contrahentium ad eludendam eandem famam Ibid. num.14. pag.281

Fama ad sufficienter probandum debet esse publica Ibid. n.15.

FICTIO, seu fictus promissor, Vide V. promissio.

Fictio, quæ constitutus est Procurator ad contrahenda sponsalia, si reuocetur ante contractum, ipsum non inualidat C.14.P.5.S.7.n.9. pag.62

Fictio prioris matrimonij non inducit in foro conscientia impedimentum irritans posterius, bene tamen futura sponsalia C.14. s.1. D.1.§.4. num.2. pag. 172

Fictio matrimonij in foro externo illud non irritat, & paris vinculum coniugale irritans aliud C. 14. s.1. D.1.§.4.n.3. pag.173

Fictio prioris matrimonij non efficit, quod si fictus promissor obligetur ad permanendum in eodem matrimonio possit petenti reddere, nisi nouum consensum saltem internum eliciat, quo retractet fictum Ibid. num.4. pag.173

Fictus promissor matrimonij primi, si ad secundum transierit, & per censuram fuerit coactus permanere in primo non potest licitè reddere C.14. s.1.D.1.§.5. num.2. pag.174

Fictus promissor, si alia non praecesserit in foro pœnitentiali monitio, & signa sint sufficientia promissionis, & spes futuri contractus potest absolui C.14. s. 1.D. 2.§.10.n.2. pag.184

Fictus promissor vbi antecedenter præmonitus non resipuerit non est absoluendus Ibid. n.3. pag.185

Fictio ob defectum actus interni non est sufficiens ad sponsalia C.14.s.1.D.2.§.39. nu.7. pag.222

Fictio reuocari potest per actum internum Ibid. n.8.

Fictus promissor matrimonij cognoscens carnaliter fœminam promissariam malæ famæ, non tenetur eam ducere, sed solum soluere pretium copulæ, si illa consueuerat corpus locare C. 14. s.2. P. 1. num 14 pag. 257

FIDEIVSSOR in sponsalibus potest adijci sine læsione libertatis C.14. P.6. n.1. pag.121

Fideiussor non obligatur, si principalis ex iusta causa resiliat à sponsalibus C. 14. P. 6. num.2. pag. 122

Fideiussor non potest adijci matrimonio clandestino inter puberes, bene tamen inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem Ibid. n.3.

Fideiussor non potest adijci pro pœna, bene tamen pro arrhis, & pro interesse damni emergentis Ibid. nu.5. pag. 123

Fide-

Fideiussor adiectus sponsalibus adhuc tenetur, si deuentum fuerit ad matrimonium clandestinum C.14. S.1. D.3.§.2.nu.4. pag.225
Fideiussor adiectus matrimonio clandestino eximitur ab obligatione solutionis interesse eiusdem C.14.s.1. D.3. §.3.num.3. pag.226
Fideiussor adiectus matrimonio clandestino etiam eximitur à tali onere, quantumuis vterque contrahens fuerit ignarus nullitatis matrimonij. Ibid. n. 4.
Fideiussor adiectus matrimonio clandestino pro omni eo, quod intuitu eiusdem, & consequentium ad idem obligari potest principalis, non tenetur ad aliquid, nec subsidialiter ratione iniuria, si principalis famulam deflorauerit C.14 s.1 D.3.§ 4. n.6. pag.229
Quamuis principalis obligetur ad augmentum dotis. Ibid.num.5. pag.228
Fideiussor accedens pro sponsalitia largitate excedente non obligatur ad excessum C.14.s.3.D.1.§.17.num.2. pag. 455
Fideiussor non obligatur ad excessum etiam, si se obligauerit principaliter, & in solidum, secus si se obligauerit tanquam principalis correus debendi C.14.s.3. D 1. §.17. nu.4. pag.456
FIDELIS cum infideli nequit validè contrahere sponsalia C.14.P.2.num.4. pag. 7
Nisi sub conditione si infidelis conuertatur. Ibid. nu. 5.
Fidelis contrahens cum infideli sub conditione, si hic conuertatur ad fidem validè contrahit C. 14. S. 1. D.3.§. 1. nu. 3. pag.224
Fidelis contrahens cum infideli sub illa conditione ita validè contrahit, vt sponsalia purificata conditione trahantur ad principium C.14. S.1. D.3. §.1. num.3. pag. 224
FIDES adhibenda est sponso asserenti se non fuisse contracturum, si talem causam cognouisset, vbi aliundè constare non possit C.14 S.2. D.2. §.20.n.2. pag 268
FILII quoad matrimonium non dependent à parentibus C.14. P.3.nu.2. pag.11
Filij impuberes tenentur stare sponsalibus per Parentes eorum nomine inito, si intra tempus non reclamauerint C.14. P.3 num. 1. pag.10
Filij impuberes non tenentur stare sponsalibus per alios à parentibus proprio nomine initis, nisi posteà consenserint per actum, siuè expressum, siuè implicitum C.14. P.3. n.5. pag.12
Filij impuberes, postquam deuenerint ad vsum rationis, tenentur stare sponsalibus pro ipsis contractis ante septennium ob bonum pacis C.14.P.3.n.7. pag. 14
Filij maiores præsentes, & tacentes obligantur sponsalibus per parentes nomine eorum initis, non sic si alij à parentibus nomine eorum contrahant C.14.P.3. num. 8. pag.14
Filiorum nomine, qui obligantur sponsalibus per Parentes initis, si fuerint maiores præsentes, & tacentes veniunt non solum illi, qui sunt sub potestate parentum, sed etiam emancipati. Ibid.n.14. pag. 15
Non solum legitimè, sed etiam naturales, & spurij C.14. P.3. n.15. pag.15
Filij, si taceant ob metum reuerentialem parentum non obligantur. Ibid.n.16. pag.16
Filij ex concubitu cum sponsa per alterum à sponso non sunt propriè adulterini, sed naturales cum addito C.14.S.1.D.1.§.2.n.6. pag.134
Filij familias non tenentur restituere mutuum etiam, quando facti sunt sui iuris C.14.S.1. D.2.§.38.nu 6. pag. 220
Filij familias nubentes contra voluntatem parentum, si requisierint tamen eorum consilium, non peccant. C.14.S.2 P.2.num.2. pag.258
Filij familias, qui contraxerunt inscijs, & inuitis parentibus possunt recedere à sponsalibus ex rationabili timore indignationis magnæ, & maledictionis paternæ, maximè, si coniungi possit cum aliquo damno C.14.S 2.P.2.nu.4. pag.259
Filij familias mortuo Patre, & alio à matre tutelam gerente à Matre potius debent consilium requirere ad contrahenda sponsalia, quam à tutore C.14.s.2.P.2. num. 7. pag.260
Filius familias in bonis castrensibus, & quasi castrensibus potest arras constituere inconsultò Patre, non sic in aduentitijs, & profectitijs C. 14. s.3. P.23.num.2. & 3. pag.419
Filius familias potest constituere sponsalitiam largitatem in bonis castrensibus, & quasi castrensibus inconsulto Patre, non sic in bonis aduentitijs, & profectitijs C 14.s.3.D.1. § 19.n 2.& 3. pag.459
FŒMINA decepta quoad sponsalia potest deceptori credere, & cum alio contrahere C.14. s.D.2.§.8.nu.2 pag. 180
Fœmina decepta quoad matrimonium non tenetur regulariter deceptori credere, nec potest ad alia vota transire. Ibid nu. 3.
Fœmina decepta potest etiam quoad matrimonium credere deceptori, & ad alia vota transire, si manifesta signa deceptionis, præcesserint, si fuerit maxima, & palpabilis disparitas &c.C.14. s.2. D.2.§.8.n.4. pag. 180
Fœmina decepta, si concurrant illa signa deceptionis potest ex se ipsa transire ad alia vota, si nullum timeatur scandalum, secus si timeatur. Ibid. nu. 5. pag. 181
Fœmina, quæ contraxit cum constituto in publica potestate de iure ciuili, si recedat, potest arras ab eo collatas retinere C. 14. s.3. P.25.nu.2. pag.422
Non sic de iure canonico. Ibid.
Quisnam veniat nomine constituti in publica potestate. Ibid. n. 4.
Fœmina, si finito officio voluerit eidem in publica constituto dignitate nubere potest, & licitè, & validè C.14.s.3.P.25.nu.7. pag.423
Fœmina in data hypothesi, si contrahat finito officio tenetur arras reddere C.14.s.3.P.25.nu.8. pag.423
Fœmina, si perseuerante officio volens consensit in sponsalia, & posteà eodem finito nolit matrimonium contrahere tenetur arras restituere, si verò fuit inuita ad sponsalia recedendo à matrimonio eas de iure ciuili acquirit C.14.s.3.P.25.nu.9. pag.424
Fœmina, si finito officio voluerit contrahere matrimonium, & Præses noluerit, integrè arras acquirit Ibid. num. 10.
FORNICATIO præcedens sponsalia, & cognita ab altero sponso ante sponsalia, vel in ipsa celebratione sponsalium non tribuit ius ad recisionem, secus si fuerit ignorata C.14.S.2. P.9.n.1. pag.282
Fornicatio præcedens etiam in sponsa vidua ignorata ab altero sponso, quamvis nouerit sponsam esse viduam etiam tribuit ius, vt cognita fuerit ad dissoluenda

uenda sponsalia. Ibid. num. 2. pag.283
Fornicatio præcedens in sponso regulariter non tribuit ius respectu fœminæ ad recedendum à sponsalibus C.14. S.2. P.9. nu.3. pag.283
Excipe, nisi sponsus esset deditus vitijs in tali genere, & ignoraretur. Ibid. n.4. pag.284
Fornicatio sponsæ præcedens, & ignorata remittitur, si sponsus ea cognita ante matrimonium carnalitèr cognoscat sponsam C.14. S.2. P.9. n.5. pag.284
Fornicatio subsequens sponsalia inducit ius ad dissolutionem siuè fuerit sponsi, siuè sponsæ C.14. S.2. P.9. n.6. pag. 285
Fornicatio post sponsalia dissoluit tantum eadem ex parte fornicantis, non alterius innocentis. Ibid. n.7. pag. 285
Fornicatio sponsæ non voluntariè, sed per vim violatæ à tertia persona est sufficiens respectu sponsi ad dissoluenda sponsalia C.14. S.2. P.9. n.8. pag.286
Fornicatio spiritualis subsequens tribuit ius ad recisionem. Ibid. nu. 9. pag.287
Fornicatio non solum completa, sed etiam incompleta respectu sponsæ post sponsalia tribuit sponso ius ad recisionem C.14. S.2. P.9. num. 10. pag.287
Non sic, si sponsus admittat in se tactus, & alios actus impudicos. Ibid. n.11.
Excipe quoad sponsam, si inuita passa fuerit illos actus. Ibid. nu. 13.
Fornicatio respectu vtriusque post contracta sponsalia mutuò compensatur C.14. S.2. P.9. n.14. pag.288
Fornicatio occulta commissa à vidua constante primo matrimonio, & posteà cognita à posteriori sponso tribuit ius eidem secundo sponso dissoluendi sponsalia C.14. S.2. D.2. §.12. n.3. pag.358
FRATER, si contrahat sponsalia pro fratre minori præsente, & tacente non obligat ipsum minorem, nisi hic expressè consenserit C.14. P.3. n.11. pag.14
Etiam, si illius curam gerat. Ibid. nu. 12. pag.15
Frater non potest stipulari pro fratre absente promissionem sponsalium illi factam, nisi illius curam gerat C.14. P.5. S.6. num. 14. & 15. pag. 57

G

GESTA per amentem, & insanum supponuntur gesta tempore amentiæ, & insaniæ C.14. S.1. D.3. §. 11. num. 4. pag.240

H

HÆREDITAS relicta per extraneum filiæ familias sub conditione, si nupserit determinatæ personæ, non amittitur, si filia iubente Patre alteri nubat C.14. P.5. S.10. num.19. pag.92
Hæreditas relicta viduæ sub conditione, seù modo, vt nubat personæ indignæ, & eidem non nupserit, sed alteri ab ipso amittitur C.14. P.5. S.10. n.20. pag.93
Hæreditas relicta sub conditione, vel modo, si nupserit, vel vt nubat cum certa persona, non ammittitur, si per institutum non stetit, quominus eidem nubat. Ibid. num. 21. pag.93
Fallit in ijs, quæ fiunt, vel relinquuntur in contractu irreuocabili. Ibid. nu. 22.
HONESTAS publica non inducitur ex sponsalibus ante septennium initis, si minor ante septennium decesserit C.14. s.1. D.1. §.16. nu.2. pag.60
Honestas publica impeditiua matrimonij cum consanguinea prioris sponsæ, quæ non attigerat septennium, licet consequuta fuerit vsum rationis, non est nisi ad primum gradum C.14. s.1. D.1. §.16. n.3. pag.161
Honestas publica probabilius non dissoluitur, si sponsalia legitimè vtriusque contrahentis consensu dissoluantur C.14. s.1. D.1. §.17. n.4. pag.161
Honestas publica vsque ad quartum gradum oriebatur ex sponsalibus irritis ex quocunque capite præterquam ex defectu consensus C.14. s.1. D.1. §.18. num. 2. pag. 162
Honestas publica stante Concil. Trident. non oritur ex sponsalibus inualidis. Ibid. n. 4. pag. 163
Honestas publica non consurgit ex sponsalibus contractis per parentes nomine filiorum minorum septennio, si alter ipsorum perierit ante septennium C.14. s.1. D.1. §.19. num.2. pag.164
Honestas publica consurgit in sponsalibus initis per parentes nomine filiorum minorum, qui tamen habeant vsum rationis, præsentium, & tacentium C.14 s.1 D.1. §.19. num.3. pag.164.
Honestas publica non consurgit ex sponsalibus initis per parentes nomine filiorum maiorum, & absentium, si alter ipsorum antequam conscius redderetur, perierit C.14. s.1. D.1. §.19. nu.4. pag.165
Honestas publica non consurgit, quandò interuenit impedimentum occultum, quantumvis sponsalia sint publica C.14. s.2. D.1. §.5. num.3. pag.323
Honestas publica non oritur ex sponsalibus posterioribus pure initis cum sorore prioris sponsæ, cum qua initeprius fuerant sponsalia conditionata C.14. s.2. D.1. §.7. num.2. pag.325
Intellige, quandò priora inita sunt sub conditione de futuro non de præsenti. Ibid. nu.4.
Honestas publica non oritur ex matrimonio conditionali pendente adhuc conditione C.14. s. 2. D.1. §.8. num. 2. pag. 326
Honestas publica non oritur præcisè ex conatu in copulam cum aliqua fœmina C.14. S.2. D.2. §.3. nu.344
Honestas publica non oritur secundum se ex prioribus sponsalibus conditionalibus pendente adhuc conditione C.14. s.2. D.2. §.4. nu.2. pag.346

I

IMPEDIMENTVM præcedens, siuè fuerit præcisè impediens, siuè dirimens soluit sponsalia subsequentia C.14. S.2. P.7. nu.1. pag.276
Impedimentum subsequens sponsalia, si fuerit dirimens dissoluit sponsalia, secus si fuerit tantum impediens. Ibid. num.2.
Impedimentum dirimens, si subsecutum fuerit ex culpa vnius contrahentis obligat ipsum ad beneficium dispensationis impetrandum, si alter voluerit C. 14. s.2. P.7. num.3. pag.276
Impedimentum non solum dirimens, siuè præcedens sponsalia, siuè subsequens ea dirimit, sed etiam fama publica de tali impedimento C.14. s.2. P.7. num.4. pag. 277
Impedimentum dirimens, si subsecutum fuerit, & super illo obtenta dispensatio non obliget innocentem ad persistendum in contractu, nisi assensum præbuerit dispensationi. Ibid. nu. 5.

Impe-

mpedimentum quomodo probetur, Vide Verb. Testis, Fama, Confessio.
IMPVBERES possunt dissoluere sponsalia, antequam peruenerint ad pubertatem C.14.s.1.D.2.§.37.nu.3. pag. 218
Impuberes, qui ex cap. de illis, & c. à nobis de desp. impub. non possunt resilire, antequam peruenerint ad legitimam aetatem, intelliguntur infantes minores septennio C.14.s.1.D.2 §.37.nu.4. pag.218
Impubes nempe minor septennio praeueniens alterum in legitima aetate potest resilire altero non expectato. Ibid. num. 5. pag.219
Impuberes, quantumvis fuerint maiores septennio, data sententia, quod ante pubertatem non possint recedere à sponsalibus, si ante pubertatem dissenserint, & postea facti puberes non recordentur dissensus, tenentur ad sponsalia, nisi in puncto eiusdem pubertatis nouus dissensus accesserit C.14.s.1.D.2.§.38. num 3. pag. 220
Impuberes facti puberes sufficienter dissoluunt sponsalia per dissensum internum C.14. s.1. D.2. §.39. num.3. pag. 221
Impuberes secundum iura in vtroque foro procedentia adepta pubertate per solum dissensum dissoluunt sponsalia C.14. s.2. P.13.nu.2. pag. 01
INFAMIA sententia ferenda lata est contra raptorem C. 14.s.1. D.3.§.16 n.4. pag 247
INFIDELES conuersi ad fidem non possunt contrahere cum consanguineis coniugis prioris C. 14. s. 2, D.2. §.15.num.3. pag 338
Infidelis, si copulam habeat cum fideli, vel infideli, qua habeat consanguineam infidelem contrahit cum eadem affinitatem C.14.s.2. D.1.§.16. n.6. pag.340
Infidelis ex sponsalibus initis tempore infidelitatis non contrahit vinculum naturale, ratione cuius, si conuertatur ad fidem, non possit contrahere cum consanguineis alterius sponsi C. 14. s. 2. D. 1. §.17. num.2. pag. 341
INGRESSVS in Religionem dissoluit sponsalia antecedenter inita, adeo vt vterque maneat liber C.14.s.2 P.3.num.2. pag.261
Ingressus in Religionem dissoluit sponsalia, quantumvis fuerint iurata C.14.s.2. P.3.nu.3. pag 262
Ingressus in Religionem impeditur, si sponsus post contracta sponsalia sponsam deflorauerit C.14. s.2.P.3. num. 4. pag.262
Intellige, nisi aliud vinculum praecesserit, ratione cuius teneatur ingredi. Ibid.n.5.
Ingressus in Religionem potest reuocari à sponsa deflorata Ibid. num.6.
Ingressus fraudulentus in Religionem animo pracisè dissoluendi sponsalia non eximit ingredientem ab onere sponsalium, benè tamen alterum C.14.s.2.P.3. num 10. pag.263
Ingressus in Religionem post contracta sponsalia simpliciter, quantumvis iurata potest esse etiam non obtenta relaxatione iuramenti. Ibid nu.11. pag.264
INSANVS, & mente captus propriè sumptus non potest validè contrahere sponsalia C.14.s.1. D.1.§.5. num.2. pag 143
Insanus, & mente captus, si habeat lucida interualla, & contrahat pro tempore sana mentis, valide contrahit C.14.S.1.D.1.§.5.nu 3. pag.143
Insanus, & furiosus, si insania, & furor non fuerit talis, vt absorbeat deliberationem sufficientem ad peccatum validè potest contrahere C.14.s.1. D.1 § 5. num.4. pag 144
Insanus potest quis esse in vna materia, & non in alia C.14.s.1.D.1.§.8.nu 2. pag.147
Insanus, si non delires in eo genere, in quo contrahit sponsalia, validè contrahit C. 14. s. 1. D. 1. §. 8. num. 4. pag. 148
INSINVATIO quid propriè sit C. 14. s. 3.P.9 n.2. pag. 394
Insinuatio potest fieri eodem contextu, quo fit donatio. Ibid. num.3.
Insinuatio non requirit, quod fiat in loco iudicij. Ibid. num. 4.
Insinuatio non requirit decretum Iudicis, sed sufficit publicatio coram ipso. Ibid. num.5.
IOCALIA vide verbo sponsalitia largitas.
IRA, si fuerit talis, vt absorbeat rationem inualidat sponsalia C.14. P.9. nu.3. pag 128
Ira regulariter non absorbet vsum rationis. Ibid.
Assignantur congruentia inferentes iram non absorbere vsum rationis C.14 P.9.n 4. pag 129
Ira in dubio, an absorbuerit vsum rationis, nec ne, praesumptiuè coniungitur cum vsu rationis C 14 s.1 D.3. §.11. num. 2. pag.240
Ira non necessario infert insufficientem deliberationem ad sponsalia, ex eo, quod immediatè iratus resiliat ab eisdem sponsalibus C.14. s. 1, D. 3. § 12. num.3. pag. 241
Ira potest coniungi cum noxa lethali Ibid. nu.4.
Ira, qua quis contrahit sponsalia cum inaequali non inducit arguitiuè necessario indeliberationem C.14. s.1.D.3. § 13. nu.3. pag.242
Ira, qua quis contrahit cum inaequali, tribuit sufficiens motiuum ad recisionem C.14. s 1. D.3.§. 13.num.5 pag. 242
Ira, cum qua inita sunt sponsalia cum damno promittentis in ira, & suorum, non inualidat ipso iure sponsalia C.14.s.1.D.3.§.14. n.2. pag.243
Ira huiusmodi tribuit sufficiens fundamentum ad recisionem C 14.s 1.D.3.§.14 num.4 pag 243
IVDEX potest compellere per excommunicationem iniustè resilientem ad standum sponsalibus C.14. P.5. §.4.n.8. pag 38
Iudex, si quem deprehenderit in aliquo crimine capitali, eique mortem minetur, non intelligitur metum irritantem contractum inducere, si delinquens ad euitandam mortem ducat filiam eiusdem Iudicis C.14 P.5. S.4. nu 14. pag 40
Iudex, si iniustam mortis sententiam protulerit ad finem extorquendi consensum ad matrimonium per condemnatum ineundum cum propria filia, nec sponsalia tenent, nec matrimonium C.14. P.5. S.4. num 15. pag. 40.
Iudex, si sententiam iniustam protulit ex alio fine, & postea occasione eiusdem offerat illam immunitatem, tunc tenent sponsalia. Ibid. nu.16.
Iudex Ecclesiasticus, si prius placide monuerit, potest iustè compellere per censuras resilientem sine legitima causa à sponsalibus, si tamen maiora inde scandala non timeantur, & dummodò procedat absque strictissima coactione C. 14. P.8 nu 1. pag 12
Etiam, si sponsalia non fuerint iurata C.14.P.8 num.25 pag. 126.

Iudex

Iudex non solum Ecclesiasticus potest compellere, sed etiam laicus, si constet de validitate sponsalium ibid. num.2. pag.126

Iudex, siue laicus, siuè Ecclesiasticus, vbi non agitur de validitate sponsalium ad arbitrium actoris eligitur, vbi cognitio fit ad instantiam, vbi vero procedit ex officio prauenter agit ibid. nu.3. pag.127

Iudex secundum allegata, & probata inferens metum cum moderamine non irritat sponsalia in foro externo C.14.s.1.D.2.§.15.nu.3. pag.190

In foro interno metum passus non tenetur stare sponsalibus ibid. n.4. pag.191

Iudex procedens iniustè secundum allegata, & probata iniustè procedit, & contractus est nullus ibid. num. 6.

Iudex assistens contractui in foro externo elidit præsumptionem metus C. 14.s. 1. D. 2. §. 17. num. 3. pag. 193

Iudex requiritur ad dissoluenda sponsalia, quando sponsalia sunt publica, & causa dissolutionis occulta C.14.s.2.P.15.n.3. pag.305

Item quando causa dissolutionis est dubia C.14. s.2. P.15. n.5. pag.306

Iudex in dissoluendis sponsalibus debet esse Ecclesiasticus ibid. num.6.

Iudex requiritur ad dissoluenda sponsalia in dubio probabili existentia, vel sufficientia causæ altero contradicente C.14.s.2.P.16.n.1. pag.307

Iudex Ecclesiasticus delata ad se huiusmodi causa non potest iudicare secundum opinionem minus probabilem relicta probabiliori, non solum, quando est sermo de maiori probabilitate facti, sed etiam iuris ibid. nu.2.

Iudex potest legitimè præfinire tempus ad contrahendum matrimonium extante causa periculi fornicationis in altero sponso C.14.s.2.D.2.§.9.n.2. pag.354

Iudex Ecclesiasticus solum potest tale tempus præfinire C.14.s 2.D.2.§.9.n.3. pag 354

IVRAMENTVM non firmat sponsalia inita cum metu cadente in constantem virum C. 14. P.5.S.4. num.21. pag.43

Iuramentum in ea hypothesi non indiget relaxatione Ibid. nu.22.

Iuramentum non firmat, siue fuerit metu extortum, siue absque coactione exhibitum. ibid

Iuramentum ad eludendam famam de impedimento ad arbitrium iudicis potest deferri C. 14. s. 2. P. 8. num. 14. pag.281

Iuramentum contrahere volentis de non existentia impedimenti admitti potest, quando rumor impedimenti crescit, & quasi in famam euadit C.14. s.2.D.2. §.21.num.4. pag 369

Iuramentum requiritur ad efficiendum, quod dictum vnius testis sufficiat ad dissoluenda sponsalia ob impedimentum C.14.s.2.D.2. §.23. n.2. pag.371

Iuramentum debet esse de certa scientia impedimenti ibid. num. 3.

IVS irritans pænam propriam in contractu sponsalium irritat, & pænam, & contractum, quando vterque ignarus est dispositionis legalis, secus quando est conscius C.14. P.5.S.10. n.4. pag.85

Ius ad alimenta iure actionis extenditur etiam ad præterita C.14.s.1.D.3.§.5 n.6. pag.231

Ius disponens de dotatione est in pænam delicti ibid. num. 9.

Iura inex acta debita iure actionis cessante adhuc sunt vigente. C.14.s.1.D.3.§.7.n.4. pag.233

Ius fæmina deflorata ad augmentum dotis quomodo dicatur personale C.14.s.1.D.3.§.7.n.5. pag.234

Iura permittentia impuberibus posse resilire à sponsalibus procedunt in vtroque foro, sicque ex solo impuberis dissensu adepta pubertate soluuntur absolutè licitè sponsalia C.14.s.2.P.13. n.2. pag.301

L

LAPSVS *termini appositi ad restringendam obligationem dissoluit sponsalia ex parte eius, per quem non stetit, quin complerentur, non ex parte culpabiliter morosi C.14.s.2.P.12. n.1.* pag.295

Lapsus termini sic appositi non dissoluit, si ex iusto impedimento protractus fuerit contractus C.14. s.2.P. 12.n.2. pag.295

Lapsus termini restrictiui appositi post contractum ex internallo probabilius non eximit ab obligatione C. 14.s.2.P.12.num.3. pag.296

Lapsus termini appositi ad restringendũ, si fuerit ex culpa vtriusque ex parte vtriusque dissoluit. ibid.

Lapsus termini, si non fuerit culpabilis ex parte vtriusque neutrum eximit ab obligatione C.14. s.2. P.12. num.5. pag.297

Lapsus termini appositi ad sollecitandam executionem contractus non dissoluit sponsalia C. 14. s. 2. P.12. nu.6. pag.297

Lapsus termini in dubio, quod hic fuerit appositus ad finiendam obligationem, vel sollecitandam executionem non dissoluit sponsalia, si fuerit ab altero appositus, & ex internallo, secus si ab vtroque pro tempore contractus C.14.s.2.P.12.n.7. pag.298

LARGITAS sponsalitia Vide verbo sponsalitia largitas.

LEGATVM, vel hæreditas relicta per extraneum filiæ familias sub conditione, si nupserit determinata persona, vel sub modo, vt eidem nubat, non amittitur, si filia iubente Patre alteri nubat C.14.P.5. S.10.nu.19. pag.92

Legatum relictum viduæ, vel hæreditas sub ea conditione, vel mod o, vt nubat personæ, quæ indigna supponitur, & eidem non nupserit, sed alteri ab ipsa amittitur C.14.P.5. S.10. n 20. pag.93

Legatum relictum sub conditione, vel modo, si nupserit, vel vt nubat cum certa persona, non amittitur, si per legatarium non stetit, quominus eidem nubat Ibid. num.21. pag.93

Legatum relictum in fauorem vnius, si certæ personæ nupserit, non amittitur, si illa persona noluerit eidem nubere, & alteri nupserit, quamuis postea primo marito præmortuo voluerit legatario nubere, & ipsa renuat ibid.nu.23. pag.94

Legatum non amittit legatarius grauatus nubere cum persona nominata, si hæc renuerit contrahere cum illo, & postea annuerit ibid. num. 24. pag.94

Legatum non amittit legatarius, si persona nominata renuerit primo, & postea annuerit, siue legatum fuerit quantitatis, siue speciei, siue grauatus illud fuerit consecutus, siue non C.14.P.5.S.10.n.25. pag.94

Legatum amittitur, si legatarius nuptias cum persona nominata recusauerit, & posteà pænituerit C.14.P. 5.S.10.num.26. pag.94

Excipe

Excipe nisi in fauorem legatarij militares legitima excusatio Ibid. num 27. pag 95
Legatum non amittit legatarius grauatus nubere cum nobili, si primo nobili nupserit, & successiue ignobili C.14.P.5.S.10.nu.28. pag 95
Excipe nisi conditio esset successiua Ibid.nu.29.
Legatum non amittit legataria grauata ducere aliquem nulla habita ratione dotis, quantumvis antecedenter eidem nupserit Ibid. nu.30. pag.96
Legatum relictum per modum dotis faminae non amittitur, si antecedenter personae nominatae nupserit Ibid. num. 31.
Legatum non tenet in certa quantitate ob maritandam mulierem cum certa persona, si eidem iam fuerit nupta C. 14.P.5.S.10. n.32. pag.96
Legatum relictum sub certa conditione nunquam nubendi respectu viri, vel mulieris, qui nondum matrimonium contraxerunt absolutè tenet etiam sine conditione, & conditio illa reijcitur C.14.P.5.S.10. nu.33. pag.96
Intellige quoad conditionem nunquam nubendi quoad substantiam, non autem quoad certas personas in certo loco Ibid.nu.34. pag.97
Legatum relictum viduo, vel viduae, si non nubat tenet, si non nubant, non tenet, si nubat Ibid. nu.36.
Legatum centum relictum faminae, si nupserit & ducentum, si non nupserit acquiritur eidem quoad ducentum, etiam si nubat Ibid.num.37.
Legatum factum faminae ducentum, si nupserit, & centum, si Religionem ingrediatur debetur eidem quoad ducentum, si ingrediatur Ibid.num.39. pag.98
Legatum puellae pro dote regulariter est purum C. 14. S. 1. D.2. §.6. num.6. pag.232
LEGITIMA filij non est computanda ex vestibus per socerum collatas nurui cum expresso animo donandi C.14.S.3.P.15.nu.2. pag.404
Legitima, quando non est expressus animus donandi computanda est ex vestibus pretiosis collatis per socerum nurui, non sic ex quotidianis Ibid. n.3.
Legitima quoad vestes pretiosas collatas per socerum nurui computanda est secundum valorem pro tempore, quo sunt conferendae Ibid. nu.4 pag 404
Legitima non computanda est quoad huiusmodi vestes pretiosas, quando socer contulit cum animo donandi nurui non filio Ibid.nu.5.

M

MANVS traditio respectu faminae ad virum, qui immediate eidem promiserat matrimonium habetur pro consensu C.14.P.5.S.12. num.3. pag.103
Manus porrectio facta per faminam masculo post habitum tractatum de futuris sponsalibus promittenti constituit, seu indicat sufficientem consensum ad eadem C.14.S.1. D.1. §. 3.num. 2. pag.171
Manus contactus factus per sponsum post tractatum, & promissionem de futuris nuptijs erga faminam, quatenus eiusdem faminae manum accepit, si nihil ipsa respondeat nullumque actum positiuum indicantem repromissionem eliciat, sed tantum manum non retrahat praesumptiuè inducit consensum pro sponsalibus Ibid. nu. 3. pag.172
Manus strictio in ea hypothesi confert quidem ad consensum indicandum, non tamen est necessaria Ibid. num.4.
MATERIA, circa quam versantur sponsalia sunt ipsi contrahentes C 14.P.4. nu.2. pag.19
Materia sponsalium, circa quam non potest esse indeterminata C.14.P.4.nu.3. pag 19
Materia, ex qua contractus sponsalium fit est consensus expressus, per quem defertur adinuicem promissio futurarum nuptiarum C.14.P.4.num.11. pag.22
Materia sponsalium est exhibitio mutui consensus expressi per verba, seu signa, forma verò idem consensus verbis, vel signis informatus, prout importat expressionem mutuae acceptationis promissionis adinuicem factae C.14.P.5.nu.1. pag 23
MATRIMONIVM, quo quis ducit meretricem ad vitandam poenam mortis, quam pronieruit validum est C.14.P.5 S 4. num 9. pag 38
Matrimonij bona quoad actum, si indissolubilitatem excipias non sunt de essentia eiusdem C 14.P.5.S.9. num. 33. pag 80
Matrimonium inter impuberes clandestinum per verba de praesenti transit in sponsalia C.14.P.5.S.18 nu.3. pag. 119
Matrimonium clandestinum inter puberes non transit in sponsalia, quantumvis subsecuta fuerit copula carnalis C.14.P.5.S 18 nu.4. pag.120
Matrimonium clandestinum inter puberes transit in sponsalia, si ipsi contrahentes habuerint animum se obligandi eo modo, quo possunt Ibid.nu.5 pag 120
Matrimonium clandestinum inter puberes non obligat in vim sponsalium, quantumvis fuerit iuramento firmatum C.14.P.5.S.18.nu 5. pag.120
Matrimonium siue clandestinum, siue publicum contractum inter impuberes, vel inter puberem, & impuberem, quantumvis non obligat in vim matrimonij obligat tamen in vim sponsalium, & de iure antiquo, & de iure nouo C.14. P.5 S.18.n.7 pag.120
Matrimonium fictè initum in foro conscientiae non inducit impedimentum irritans posterius matrimonium bene tamen futura sponsalia C.14.S.1. D.1.§.4. n.2. pag. 172
Matrimonium fictè initum in foro exteriori parit vinculum coniugale irritans aliud matrimonium C.14. S.1.D 1.§.4. nu.3. pag.173
Matrimonium fictum, quod ex Ecclesiae praescripto sustinetur, donec constet de fictione non efficit, quod fictus promissor possit eetenus reddere, nisi nouum consensum eliciat, quo retractet fictum Ibid. n.4.
Sufficit, quod ille nouus consensus sit internus Ibid. nu 5. pag.174
Matrimonium per metum iniustè incussum inualidum est, quamvis praecesserit legitima sponsalia C. 14.S. 1. D.2. §.14. nu.2. pag.189
Matrimonium per metum iustè incussum per iuris remedia, & cum moderamine validum est Ibid. num.3. pag. 189
Matrimonium clandestinum non obligat etiam in vim sponsalium, quantumvis contrahentes habuerint animum se obligandi modo, quo possent C.14. S.1.D 2. §.36. nu.2. pag.217
Matrimonium clandestinum, quare obligare non possit in vim sponsalium, & Professio Religiosa nulla ob defectum aetatis possit obligare in vim voti simplicis C.14.S.1.D.2. §.36.nu 5. pag 218
Matrimonium clandestinum irritatur, quantumvis fuerit iuramento firmatum C.14.S.1.D.3.n.3. pag.225

Matrimonium inter catecumenum, & catholicam non tenet C.14 s.2.D.1.§.11.num.2. pag.330

Matrimonium conditionale purificata conditione immediatè fit validum, si contrahentes pacti fuerint, quod immediatè subsistat C.14.s.2.D.2.§.14.num.4. pag. 360

MEDICVS recusans mederi infirmo, nisi propriam filiam ducat, non infert metum inualidantem sponsalia, si per eundem infirmum contrahantur C.14. P.5.S.4.num.12. pag.39

Excipe, si medicus teneatur eum curare Ibid.n.13

MELIORATIO facta prætiè cum meliorato nullo alio habito respectu ad aliam causam reuocabilis est, si meliorans eidem meliorationi per antapocham cesserit C.14.s.3.D.1.§ 1 num.2. pag.430

METVS reuerentialis quid sit C.14.P.3.n.17. pag.16

Metus quid propriè sit C.14.P.5.S.4.nu.1. pag.35

Metus cadens in constantem virum irritat ipso iure sponsalia C.14. P.5.S.4.n.2. pag.35

Metus grauis iniustus ex parte obiecti irritat sponsalia Ibid. num. 3. pag.36

Metus iniustus ex parte obiecti non irritat Ibid.n. 4.

Metus iustus ex parte obiecti, si fuerit iniustè incussus ex parte agentis irritat absolutè sponsalia Ibid.n.5. pag. 37

Metus iustus etiam ex parte agentis, quatenus est à lege illatus ad finem matrimonij, non irritat Ibid.nu.6.

Metus, si incutiatur siue ad finem extorquendi consensum ad sponsalia, siue ad aliquid aliud, ad quod vitandum delinquens eligat sponsalia, eadem non irritat, etiam si ex dispositione iuris non sit statuta pœna sponsalium C.14.P.5.§.4.n.7. pag.37

Metus iustæ accusationis cum periculis exilij, vel alterius pœnæ, quam Pater minatus est alicui, qui propriam filiam deflorauit, nisi eam ducat, & hic annuat, non irritat sponsalia, nec matrimonium C.14. P.5.S.4.nu.10. pag.38

Metus leuis non irritat ipso iure sponsalia C.14.P.5.S. 4.nu.19. pag.41

Metus, qui respectu vnius est leuis, potest respectu alterius esse grauis, adeoque irritare sponsalia C.14.P. 5.S.4. nu.20. pag.43

Metus purè reuerentialis non irritat secundum se sponsalia C.14. P.5 S.4.num.24. pag.44

Metus reuerentialis, quantumuis mixtus blanditijs, & importunis precibus non irritat Ibid.nu.25. pag.46

Metus reuerentialis commixtus cum minis, vt annullet contractum, debet esse à persona assueta minas exequi Ibid.num.26.

Metus sufficiens præsumitur in dubio ad irritandum Ibid. nu.27. pag.46

Metus reuerentialis nudè sumptus, si fuerit cum enormi læsione, irritat sponsalia C.14.P.5.S.4.n.30.pag.47

Metus reuerentialis nudè sumptus nō irritat sponsalia, siue fuerint inita in vtilitatem eius, cui debetur reuerentia, siue alterius C.14.P.5.S.4. n.31. pag.48

Metus reuerentialis, quandoque irritat, & quando Ibid. nu.33.

Metus non solum probari potest per testes, sed etiam ex coniecturis C.14.P.5. S.4.n.34. pag.49

Metus cadens in constantem virum non solum iure positiuo irritat sponsalia, si dederit causam contractui, sed etiam iure natura C.14. P.5. S.5. num.1. pag.49

Metus iniustè incussus in foro conscientiæ non reddit inualida sponsalia cum eodem per filios inita, quamuis fuerint præsentes parentes C.14.s.1.D.2.§. 11.n.2. pag.185

Idem intellige in foro externo, quamvis in eo casu ex præsentia parentum attenuetur suspicio metus Ibid. nu.4. pag.186

Metus præsumptio non sufficienter excluditur per præsentiam parentum, quando illi non pares sunt ad resistendum incutienti metum, Ibid. n.5. pag.186

Metus grauium minarum illatus à Patre filio ad effectum compellendi ad sponsalia secundum se minus validus est ad eadem irritanda, quam illatus ab alio C.14.S.1.D.2. §.12, nu.3, pag.187

Metus grauium minarum illatus à Patre, si fuerit atrox præsumptiuè supponitur validus ad irritanda sponsalia C.14.s.1.D.2.§ 12.nu.4. pag.187

Intellige, si fuerit illatus masculo, siue fœmina Ibid. nu.5. pag.187

Metus purè reuerentialis erga Patrem non est sufficiens ad irritanda sponsalia inita per filium, nisi sit coniunctus cum minis C.14.s.1.D.2.§.13.num.3. pag. 188

Metus reuerentialis non infert coactionem ab extrinseco, sed solum vim quandam ab intrinseco Ibid.n.4.

Metus iniustè incussus inualidat matrimonium, quantumuis præcesserint legitima sponsalia C.14.s. 1.D.2.§.14.nu.2. pag.189

Metus iustè incussus per iuris remedia, & cum moderamine non inualidat matrimonium, si sponsalia præcesserint C.14.s.1.D.2.§.14.n.3. pag.189

Metus illatus à Iudice procedente secundum allegata, & probata cum moderamine non irritat sponsalia in foro externo C.14.s.1.D.2.§.15.n.3. pag.190

In foro interno sic compulsus non tenetur stare sponsalibus Ibid.n 4. pag.191

Metus regulariter loquendo ex præsentia, & decreto Iudicis in foro iudiciali præsumptiuè cessat C.14.s. 1.D.2.§.17.n 2. pag.193

Metus in foro interno, si adhuc perseuerares non obstante præsentia Iudicis, redderet contractum inualidum C.14 s.1.D.2.§.17.nu.4. pag.194

Metus eo vsque præsumitur perseuerare, quo vsque perseuerat potestas in incutiente, & subiectio in timente C.14.s.1.D.2.§.18. num.4. pag.195

Metus ex vicinitate actuum non præsumitur purgatus, & quomodo C.14.s.1.D.2.§.19. nu.3. pag.196

Metus in foro exteriori, si perseueret causa eiusdem, non purgatur etiam per cohabitationem anni cum dimidio C.14.s.1.D.2.§.20, nu.3. pag.196

Metus, si causa eiusdem non perseueret, per cohabitationem etiam minoris temporis ad arbitrium prudentis præsumitur purgari C.14. s.1.D.2.§.20.nu 3. pag. 196

MODVS quid sit C.14.P.5.S.11.n.1. pag.100

Modus contrarius substantiæ sponsalium eadem irritat C.14.P.5.S.11.nu.4. pag.101

Modus impossibilis, & turpis vitiatur Ibid.n 5.

Modus honestus, & possibilis, si fuerit appositus contractui sponsalium, sitque in fauorem apponentis, non suspendit contractum, & alter tenetur adimplere modum, si verò fuerit appositus in fauorem alterius ab eo, qui apponit, non suspendit contractum, non tamen obligat apponentem ad complendum modum C.14.P.5.S.12.num.6. pag.101

Hæc

Hæc procedunt quoad communem sententiam, secus in rigore apponens modum tenetur adimplere Ibid.num 7. pag.102
Modus honestus, & possibilis relatus ad alterius arbitrium nullo modo suspendit contractum C.14.s.1.D.2.§ 33.nu.3. pag 213
MORA ad contrahendum matrimonium in virtute sponsalium præcedentium sine termino constituitur per interpellationem alterius C.14.P.7 n.2.pag.124
Mora constituitur saltem in foro conscientiæ per interpellationem virtute Ibid.num.3. pag.125
MORBVS superueniens consistens in præcisa qualitatum alteratione, & humorum intemperie non tribuit ius ad dissolutionem sponsalium C. 14.s.2.P.10. num.3. pag.289
Morbus consistens in tali alteratione, si ex medicorum iudicio sit in diutinum tempus protrahendus tribuit alteri ius ad dissoluendum C.14.s.2.P.10. num.4. pag. 290
Morbus habitualis, & difficile sanabilis tribuit ius ad dissolutionem, si superuenerit, vel fuerit de nouo cognitus C.14 s.2.P.10.n.5. pag 290
Morbus exitialis, & alijs noxius dissoluit Ibid.nu.6.

N

NATVRA facit homines liberos, & rationis compotes C 14.s 1. D.3.§ 11. nu 3. pag 240
NVPTIÆ etiam inter personas maximis dignitatibus decoratas sine nuptialibus instrumentis valida sunt, & filij ex eisdem progeniti sunt legitimi C.14. s.3. num.3. pag.436
Nuptiæ inter personas maximis dignitatibus decoratas sine nuptialibus instrumentis prohibitæ in l. maximis dignitatibus decorati C. de nuptijs sunt validæ de iure canonico Ibid.num.4.
Nuptiæ non arguuntur efficaciter ex instrumento dotali, si consensus non fuerit præstitus per verba de præsenti C.14 s.3.D.1. §.4 nu.2. pag.437
Nuptiæ etiam nullis existentibus tabulis nuptialibus probari possunt vicinis, vel alijs scientibus Ibid,n.3.

O

ORDINATVS per patrimonium constitutum cum antapocha ordinati de nihilo petendo de illo patrimonio grauiter peccat C.14. s.3.D.1. §.2.num.3. pag. 432
Ordinatus in hypothesi, quæ antapocham fecerit patrimonium sibi constituendi de nihilo petendo non est alendus de bonis Episcopi C.14.s.3.D.1.§.2.num 5. pag. 433
Ordinatus per patrimonium susceptum cum illa antapocha non incurrit suspensionem Ibid.nu.6.
Ordinatus non afficitur suspensione in cap. neminem, & cap. sanctorum dist. 70. Ibid. n.7.
Ordinatus per patrimonium susceptum cum antapocha de nihilo petendo non afficitur pœna suspensionis in cap.si quis ordinauerit de simon. Ibid. nu 8. pag. 434
Ordinatus alienans patrimonium post susceptos ordines non incurrit suspensionem C. 14. s.3. D. 1. §.2. nu. 13. pag.435
ORDO sacer præcedenter susceptus, vel votum eorundem dissoluit sponsalia posteriora C.14.s.3.P.5.n.2. pag. 268
Ordo sacer susceptus non cum plena deliberatione obligat, vel castitatem profiteri, vel ab exercitio ordinum abstinere Ibid.nu.4. pag.269
Ordo sacer susceptus cum ignorantia ordinis quoad substantiam non obligat ad votum Ibid nu.5.
Ordo sacer absolutè susceptus voluntariè cum voluntate expressa se non obligandi ad votum obligat ad votum Ibid num.6.
Ordo sacer non potest licitè suscipi post sponsalia legitimè contracta, nec hæc per votum eiusdem soluuntur Ibid num 8. pag.270
OSCVLVM, quod passa est sponsa à sponso post collatam sponsalitiam largitatem efficit, vt hæc quoad medietatem acquiratur eidem sponsæ C.14.s.3 P.3. num.5. pag.278
Osculum, si præcesserit sponsalitiam largitatem sistendo in rigore iuris non efficit, vt dimmidiatè sponsalitia largitas sponsæ acquiratur, quæ collata fuit post osculum C.14.s.3.P.4 num.2. pag 380
Osculum non efficit, vt acquiratur sponsæ dimidia sponsalitia largitas, si virgo non erat, reputabatur tamen à sponso pro Virgine C.14.s.3.P 4 nu.3. pag.381
Osculum præcedens, & sponsalia, & sponsalitiam largitatem non efficit, quod sponsa eandem postea collatam lucretur Ibid.num.4. pag 382
Osculum. Vide verb. Sponsalitia largitas.
Osculum in dubio, an intercesserit ad effectum acquirendi sponsalitiam largitatem quoad medietatem probandum est per sponsam asserentem C.14 s. D. 1.§.6.n.3. pag 439

P

PACTVM adiectum in sponsalibus, vt vir teneatur moram trahere in certo loco nō reprobatur in iure, & obligat C 14 s.1.D.2.§ 32.nu.2. pag.211
Pactum huiusmodi non obligat vbi interuenit iusta causa habitandi alibi. Ibid num. 3. pag 212
Pactum sub pœna habitandi in certo loco obligat ad pœnam, si fiat recessu sine iusta causa. Ibid.num. 4. pag. 212
Pactum permanendi in certo loco non deobligat alterum comitandi recedentem, si ex iusta causa recedat C.14.S.1 D 2.§.32.nu.5. pag.212
Intellige nisi iusta causa excuset ad sequendum. Ibid.num.6.
PARENTES contrahere possunt sponsalia pro filijs minoribus septennio, quæ tenent, si postea illi non reclamauerint C. 14. P.3. nu.1. pag.10
Parentum nomine qui possunt contrahere pro filijs præsentibus, & tacentibus ad effectum eosdem obligandi venit tàm Pater quàm mater C.14.P.3.n.9.pag.14
Item Auus pater patris, si ille regat vniuersam familiam C.14.P.3 num 10. pag.14
Non tamen frater ad effectum obligandi fratrem præsentem, & tacentem, etiam si curam illius gereret Ibid num 11., & 12.
Nec tutores, nec curatores Ibid nu 13. pag 15
Parentes non possunt sponsalia contra ipsorum voluntatem per filios inita irritare, possunt tamen tribuere sufficiens fundamentum, ratione cuius filij ab eisdem possint recedere C.14.s.1.D 1 §.21.nu 4. pag.167

Parentes in iis casibus, in quibus filij possunt dissoluere sponsalia, possunt etiam, & ipsi illis non contradicentibus C.14.s.2. P.2.n.5. pag.259

Parentum nomine quorum consilium requiritur, vt filij licitè contrahunt venit Auus paternus, Pater, Tutores, & quomodo C.14.s.2.P.2.n.6. pag.260

PATER, si ex quatuor filiabus vnam indeterminatè ex illis promiserit alteri, & hic repromiserit consentientibus omnibus tenetur vnam ex illis tradere, & promissarius vnam ducere C.14.P.4.n.4. pag.19

Pater in ea hypothesi, qua promisit vnam ex quatuor, potest tradere, quam maluerit. Ibid.num.5.

Pater, si vnam ex quatuor filiabus promiserit alteri, & omnes perierint vna excepta tenetur illam eidem tradere C.14. P.4.n.7. pag.21

Pater inueniens iuuenem cum propria filia cubantem, & ei minans malum per Iudicem inferendum nisi eam ducat non inducit metum inualidantem sponsalia C.14. P.5.S.4. num.11. pag.39

Pater, & mater validè stipulantur pro filio absente in ordine ad promissionem futuri matrimonij C.14.P.5. S.6.n.8., & 9. pag.55

Etiam, si filius fuerit emancipatus. Ibid.num.10. pag. 56

PAVPERTAS superueniens fæminæ post contracta sponsalia, & promissionem dotis determinata, ratione cuius dotem promissam non possit soluere, tribuit ius ad recedendum C.14.s.2. P.11.n.1. pag.292

Paupertas superueniens fæminæ post sponsalia nulla facta promissione dotis, ita vt congruam non possit conferre, tribuit ius ad recisionem. Ibid.n.2.

Intellige, quantumvis sponsalia fuerint iurata. Ibid. num 2. pag.291

Paupertas notabilis superueniens sponso post sponsalia eximit sponsam ab onere sponsalium C.14. s.2. P.11 num.3. pag.293

Paupertas in vtroque superueniens non eximit ab onere sponsalium. Ibid. n.4. pag.294

PIGNVS in sponsalibus potest adijci sine læsione libertatis C.14.P.6.n.1. pag.121

Pignus potest validè adijci sponsalibus, & matrimonio clandestino inter impuberes, non inter puberes. Ibid.num.4. pag.122

Pignus non potest adijci pro pœna, potest tamen pro arris, & pro interesse damni emergentis. Ibid.n.5. pag.123

PŒNA duplex alia propria, alia impropria C.14. P.5.S.10.n.1. pag.84

Pœna propria adiecta sponsalibus inter ipsos contrahentes irritatur, non irritat C.14.P.5.S.10.n.2. pag.84

Pœna propriè non irritatur, quandò est adiecta aduersus iniustè resilientem C.14.P.5.S.10.num.3. pag.85

Pœna propria, Vide stipulatio pœnalis.

Pœna impropria consistens in lucro non acquirendo interposita, vel per ipsos contrahentes, vel per alias in ordine ad matrimonium contrahendum regulariter tenet C.14. P.5.S.10.n.17. pag.90

Pœna impropria apposita per extraneum irritatur in hypothesi, qua promissarius non posset honestè nubere cum nominata ab ipso extraneo. Ibid.n.18. pag.92

Pœna, sub qua mulier marito morienti promisit se non transituram ad secunda vota debetur, si ad secunda vota transierit. Ibid. n.38. pag.98

Pœna impropria vide Verb. Legatum, Hæreditas, & stipulatio pœnalis.

Pœna promissa in sponsalibus, & soluta à sciente se non teneri soluere, non potest repeti C.14. s.1.D.2.§.30. num.2. pag.208

Pœna soluta cum ignorantia dispositionis legalis irritantis talem pœnam potest repeti. Ibid n.3. pag.209

Pœna in sponsalibus potest exigi ratione damni emergentis, non lucri cessantis C.14. s.1. D.2. §.31. num.4. pag. 210

Pœna raptoris vide Verb. Raptus.

Pœnam mortis euitat raptor ducens raptam in loco tuto constitutam C.14.s.1.D.3.§.17.nu.3. pag.248

PRINCEPS, si ob iustas causas (altè præsumptas alteri bellum indicat, eumque obsessum teneat in propria ciuitate, & obsessus ad animos conciliandos offerat sponsalia cum filia obsidentis, tenent sponsalia C.14. P.5.S.4.nu.17. pag.41

Intellige siuè obsidionem intentarit ad finem extorquendi consensum, siuè ad alium finem, si causa fuerit iusta, vel probabilis, secus, si iniusta. Ibid. num.18.

PROBATIO impedimenti quomodo habeatur. Vide Verbo Testis. Fama, Confessio, Impedimentum.

Probationes impedimenti in foro externo, ne contrahatur matrimonium, sunt etiam sufficientes in foro interno C.14.s.2.P.8.num.18. pag.281

PROCVRATOR constitutus ad contrahenda sponsalia per metum cadentem in constantem virum est inualide constitutus, nec validè contrahit C.14.P.5.S.7. num. 1. pag.59

Hoc est speciale quoad procuratorem ad sponsalia, & matrimonium C.14. P.5. S. 7. num.2. pag. 59

Procurator ad sponsalia debet esse specialiter constitutus, & quoad modum, & quoad obiectum C.14.P.5. S.7. num. 3. pag.59

Procurator ad contrahenda sponsalia potest constitui in quacunque ætate, dummodò peruenerit ad vsum rationis completum C.14.P.5.S.7.n.4. pag.60

Procurator ad sponsalia potest reuocari, antequam mandatum executus fuerit, & si fuerit reuocatus, non tenent sponsalia per eundem celebrata, quantumuis fuerit ignarus reuocationis C.14. P.5.S.7. num.5. pag. 61

Hoc est speciale in procuratore quoad sponsalia, & matrimonium, non quoad alios contractus C.14. P.5.S.7.n.6. pag.62

Procurator ad sponsalia reuocari potest per actum purè internum C. 14.P.5 S.7 nu.7. pag.62

Procurator fictè constitutus, si ante contractum constituens reuocauerit fictionem, validè contrahit C. 14. P.5.S. 7.nu.9. pag.62

Procurator constitutus ad sponsalia potest consensum sui principalis denuntiare per nuntium C. 14. P. 5. S. 7. num.10. pag.64

Procuratores duo possunt validè contrahere sponsalia nomine suorum principalium C.14.P.5. S.7 num.11. pag. 64

Procurator potest deferre consensum sui principalis, siuè per verba importantia se ipsum in recto, & principalem in obliquo, siuè è contra. Ibid. num. 11.

Procurator potest deferre consensum sui principalis post quodcunque tempus, dummodò consensus principalis perseueret. Ibid. num. 12. pag.65

Procurator aquè potest pro sponsalibus contrahendis constitui

stitui masculus, seu famina. Ibid. n.13. pag.65

Procurator constitutus cum iuramento de non reuocando ad contrahenda sponsalia inualidè etiam contrabit, si ante eadem fuerit reuocatus C. 14. s. 1. D. 2. §.23. num.2. pag.200

Procurator reuocatus contra iuramentum non amplius habet vim, reuocans tamen contra iuramentum fit reus periurij, si reuocet sine causa C.14.s.1.D.2.§.23. num. 2. pag. 201

PROFESSIO Religiosa ante legitimam ætatem emissa non obligat, nec in vim voti simplicis C.14. s.1. D.2. §.26. nu.3. pag.217

Professio Religiosa ante legitimam ætatem potest obligare in vim voti simplicis, quando verè fuit animus se ad illud obligandi. Ibid n.4. pag.218

Professio Religiosa nulla ob defectum ætatis quare possit obligare in vim voti simplicis, non sic matrimonium clandestinum in vim sponsalium. Ibid.n.5. pag.218

Professio solemnis in Religione in casu maxima necessitatis potest admittere sponsalia, & matrimonium C.14.s.2.D.2.§.13. num.3. pag.359

PROMISSIO sponsalium debet esse mutua, & acceptata inter personas habiles, & sensibilis C.14.P. 1. num.5. pag 3

Promissio, & acceptatio non sufficit, sed requiritur repromissio ibid.nu.6.

Promissio inter personas inhabiles est illicita ibid. num.7. pag.4

Inhabilitas debet esse perpetua ibid.n.8.

Promissio facta alteri præsenti, & tacenti non sufficit ad sponsalia C.14. P.1. num.11. pag.5

Promissio alternatiua confert ius promittenti electionis eius, quam maluerit C.14. P.4.nu.5. pag.19

Promissio externa sine animo promittendi, nec se obligandi, nec constituit sponsalia, nec secundum se obligat C.14.P.5.S.3.nu.1. pag.28

Promissio ex parte vnius ficta altero verè promittente fit sufficienter valida ex eo, quod fictus promissor retractet per actum etiam internum fictionem altero perseuerante in consensu C.14.P.5.S.3.nu.2. pag.28

Promissio ficta vtrinsque validatur per vtriusque nouum consensum internum verum, & realem C.14. P.5.S.3. nu.3. pag.29

Promissio ficta respectu alterius verè promittentis inducit noxam lethalem C.14.P.5.S.3.nu.4. pag.30

Promissio ficta, quandoque eximitur à culpa lethali, & quomodo C.14.P.5.S.3.nu.5. pag.31

Promissor fictus, an Iudici interroganti de fictione teneatur respondere C.14.P.5. S.3.nu.6. pag.31

Promissio cum animo promittendi, non tamen se obligandi, nec efficit sponsalia, nec obligat C.14.P.5. S.3. num. 7. pag.31

Promissio sine animo se obligandi non obligat, quantumvis fuerit iuramento firmata C. 14. P.5. S.3. num.9. pag.32

Promissio cum animo se obligandi tantum sub veniali constituit sponsalia, & obligat C.14.P.5.S.3.nu.10. pag. 33

In hac hypothesi alter, qui indefinitè promisit obligatur tantum sub veniali Ibid nu.11.

Promissio in dubio, an fuerit cum animo se obligandi inducit præsumptionem pro tali animo C.12. P.5.S. 3. num. 12. pag.33

Promissio matrimonij futuri facta absenti nemine pro eodem stipulante regulariter reuocabilis est ante acceptationem C. 14. P.5.S.6. nu. 1. pag.52

Promissio facta præsenti, & tacenti non est reuocabilis Ibid.num.2. pag.53

Promissio facta absenti nemine pro eodem stipulante, & per tertiam personam ad id muneris non deputatam ad promissarium delata, & per eundem acceptata adhuc reuocabilis est C.14. P.5.S 6.nu.3. pag.53

Promissio matrimonij futuri facta absenti altero pro eodem stipulante, qui possit stipulari, si fuerit merè gratuita, & per verba directa in personam stipulantem, vtique irreuocabilis est ante acceptationem, non tamen obligatur promissarius absens ad acceptationem Ibid. nu.4. pag.54

Promissio facta absenti altero stipulante, si fuerit respectiua, est irreuocabilis ante acceptationem C.14.P.5. S.6. num. 5. pag.54

Promissio directa in promissarium absentem est reuocabilis ante acceptationem Ibid. nu. 6. pag.54

Promissio futuri matrimonij facta alteri stipulanti in casibus à iure permissis, vt quis pro altero stipuletur, obligat naturaliter C.14.P.5.S.6.n.17. pag.57

Promissio matrimonij facta alicui per Epistolam non exigit, vt repromissio fiat per rescriptum, vel per nuntium ad id specialiter deputatum, sed sufficit, quod acceptet promissionem, & declaret suum consensum coram quocunque C.14.P.5.S.15.nu.2. p.107

Promissione facta per Epistolam, si promissarius acceptans promissionem rescribat repromittendo substantialiter tunc perficitur contractus, quandò hic exprimit suum consensum in litera rescripti, non quandò rescriptum peruenit ad promittentem C.14. P.5.S.15. num. 3. pag. 108

Promissio sponsalium, seu matrimonij futuri per Epistolam, si ante acceptationem promissarij fuerit reuocata, non constituit sponsalia, nec obligat C.14 P.5. S.15. nu.4. pag.109

Promissarius repromittens per Epistolam non potest reuocare repromissionem, antequam Epistola perueniat ad promittentem, & quare. Ibid.n.5.

Promissio iurata de matrimonio contrahendo non impedit voluntatem efficacem ingrediendi, seu ingressum in Religionem C.14.s.1.D.1. §.13.n.3. pag.156

Promissio iurata non solum de contrahendo, sed etiam de consummando matrimonio non impedit ante consummationem statum Religionis C.14. s.1. D.1.§.14. num.3. pag.157

Promissio futuri matrimonij facta per maiorem infanti non potest reuocari antequam infans peruenerit ad vsum rationis C.14.s.1.D.2.§.21.n.2. pag.198

Promissio potest reuocari per maiorem, si postquam minor deuenerit ad vsum rationis non annuerit eidem promissioni C.14.s.1.D.2. §.21. nu.3. pag.198

Promissio futuri matrimonij facta infanti non potest reuocari, si postquam deuenerit ad vsum rationis, nec assensum præbuerit, nec dissensum, sed expectandus est, quantum possit maturè deliberare. Ibid. n.4.

Promissio facta absenti de futuro matrimonio, eaque acceptata coram nuntio ad id muneris specialiter deputato est irreuocabilis à promittente C. 14. s. 1. D.2.§. 22. nu.2. pag 199

Promissio eadem etiam probabiliter est irreuocabilis, quamuis acceptatio eiusdem fieret coram alijs à nuntio ad id muneris specialiter deputato C.14.s.1.D.2. §.22.num.3. pag.199

Pro-

Promissio matrimonij facta faeminae, si ipsam virginem inuenerit, quantumvis fuerit firmata iuramento non obligat ad ipsam ducendam, si verè constiterit illam non fuisse virginem C.14.s.2.D.1.§.1.n.2. pag.317
PROPOSITVM simplex non est sufficiens ad constituenda sponsalia C.14.P.1.nu.3. pag.2
PROTESTATIO praecedens de non praestando consensu per qualibet verba sciente altero, & non contradicente praesumptiuè tenet, nec protestans, quantumvis posteà consensum exhibeat, obligatur C.14.s.1.D.2.§.9.n.2. pag.181
Protestatio facta altero nesciente, vel non contradicente non eximit praesumptiuè ab obligatione protestantem ad contractum C.14.s.1.D.2.§.9.n.3. pag.182
Protestatio non eximit ab onere sponsalium initorum, si post consensum praestitum protestans alia praestiterit sponte, quae propria sunt sponsalium C.14.s.1.D.2.§.9.nu.4. pag.183
Protestatio de non contrahendo matrimonium, & postea illo contracto extrinsecus, quantumvis inde sequatur copula, non ideo tenet matrimonium C.14.s.1.D.2.§.9.n.5. pag.183
Protestatio de non contrahendo matrimonium, illo postea contracto, & secuta copula non eximit protestantem ab onere sponsalium C.14.s.1.D.2.§.9.num.6. pag. 184
PVBES, & Impubes vid. Verb. aetas, & matrimonium.
Pubes contrahens sponsalia cum minore septennio non potest resilire, nisi minor acquisita aetate resiliat C.14.s.1.D.2.§.37.num.6. pag.219
PVPILLVS, & minor non potest constituere arras in immobilibus sine auctoritate tutoris, & curatoris, & absque decreto Iudicis C.14.s.3.P.21.n.2. p.415
Pupillus, & minor potest constituere arras in mobilibus sine decreto Iudicis C.14.s.3.P.21.nu.4. p.416
Pupillus, & minor sine tutore, & curatore, quamuis non obligetur ciuiliter, obligatur naturaliter C.14.s.3.P.22.num.1. pag.417
Pupillus, & minor in sibi proficuis licet ciuiliter non obligetur, obligat tamen sibi alios. Ibid.n.2.
Pupillus, & minor si contractus sibi fuerit vtilis sibi alterum obligat, ita vt si ille deficiat à contractu, & arras receperit, possit conueniri pro duplo Ibid.n.3. pag. 418
Pupillus, vel minor in collatione arrarum, si contrahat cum pupilla, vel minori in sui vtilitatem sine auctoritate tutorum ipsam sibi non obligat, si verò in vtilitatem vtriusque, & obligatur, & obligat. Ibid. num. 4.

Q

QVALITAS adiecta per modum conditionis inualidat contractum, si non existat C.14.P.5.S.8. num. 9. pag.68
QVAM primum appositum in contractibus moraliter sumendum est, non metamaticè C.14.s.2.D.2.§.1. num. 4. pag.343
QVANTITAS redituum successiuè exigendorum in bonis maioratus quomodo taxanda sit in ordine ad sponsalitiam largitatem C.14.s.3.D.1.§.15.num.3. pag. 453
QVICVNQVE sunt perpetuò impediti non possunt contrahere sponsalia C.14.s.1.P.2.nu.1. pag.6

R

RAPTVS efficit sponsalia irrita inter raptorem, & raptam C.14.P.10.n.2. pag.130
Raptus non irritat in casu, quo rapta consensum praebuerit raptui C.14.P.10.n.3. pag.130
Raptus irritat, quantumvis faemina non fuerit rapta ad finem contrahendi matrimonij, sed praecisè ad effectum explendae libidinis C.14.P.10.n.4. pag.130
Raptus alienae sponsae ad finem solum explendae libidinis comprehenditur in c. statutum 27.q.2.C.14.s.1.D.3.§.10.nu.4. pag.237
Raptus non solum comprehenditur in d.cap.statutum, si fuerit sponsa de praesenti, sed etiam de futuro C.14.s.1.D.3.§.10.nu.5. pag.237
Raptus alienae sponsae non impedit probabilius matrimonium cum sponsa; cum qua raptor ante contraxerat sponsalia C.14.s.1.D.3.§.10.num.6. pag.238
Raptus alienae sponsae non est impedimentum dirimens, sed tantum impediens C.14.s.1.D.3.§.10.num.8. pag. 238
Rapta assentiens raptui eidem iure subditur. Ibid.n.9. pag. 239
Raptus impedimentum hodie abrogatum est. Ibid.nu.11.
Raptus, quo quis faeminam rapuit, non vt secum contrahat, vel coeat; sed cum alio non inualidat sponsalia, si ille alius fuerit ignarus raptus intuitu sui commissi C.14.s.1.D.3.§.15.nu.3. pag.244
Secus, si ille alius fuerit conscius raptus. Ibid. num. 4.
Raptus, quo quis nomine alterius faeminam rapuit, non inualidat, si ipse mutato consilio eam ducat. Ibid. num.5. pag.245
Raptus, quo quis virginem nomine alterius sciensis, & consentientis rapuit, inducit alias paenas iuris quoad vtrumque C.14.s.1.D.3.§.15.nu.6. pag.246
Etiam, si non fuerit secutum matrimonium, nec copula. Ibid. nu. 7.
Raptus inducit excommunicationem aduersus raptorem ipso iure C.14.s.1.D.3.§.16.n.2. pag.246
Haec excommunicatio non est reseruata. Ibid.n.3.
Raptus inducit perpetuam infamiam respectu raptoris, quae est sententia ferenda. Ibid. n.4. pag.247
Raptus, quo quis faeminam per se raptam in loco tuto constituit, & posteà eam ducit, non liberatur à paenis infamiae C.14.s.1.D.3.§.16.n.5. pag.247
Raptus inducit incapacitatem ad omnes dignitates, quae est sententia ferenda. Ibid.n.6.
Raptus, quo clericus faeminam rapuit inducit depositionem à proprio gradu per sententiam C.14.s.1.D.3.§.16.nu.7. pag.247
Raptus inducit paenam dotationis, quae tamen exigit sententiam declaratoriam C.14.s.1.D.3.§.16.nu.8. pag. 248
Raptus non inducit irregularitatem, nisi indirectè. Ibid.num.9.
Raptus eximitur à paena mortis, si raptor raptam in loco tuto constitutam duxerit C.14.s.1.D.3.§.17. num. 3. pag.248
Raptus non est propriè, nec inducit paenas iuris, quo quis traducit faeminam de vno loco in alium propinquum commodiorem ad peccatum sine animo abducendi C.14.s.1.D.3.§.18.n.3. pag.250
Rap-

Raptus pœnas non subit, qui conatus est ad raptum non secuto effectu C.14.s.1. D.3.§.19.n.3. pag.250
Raptus propriè non est, si fœmina fuerit consentiens ignorantibus, seu inuitis parentibus C.14. s.1. D.3.§.20. num. 3. pag.251
Raptus est propriè, & raptor subit pœnas iuris, si fœmina inuita fuerit abducta, quamuis parentes consenserint C.14 s.1 D.3.§. 20.n.5. pag.252
RATIFICATIO sponsalium habetur etiam per consensum tacitum C.14.P.3.n.18. pag 16
Ratificatio tacita inducitur, vel per cohabitationem in domo Patris sponsi, vel sponsæ C.14. P.3. num.19. pag. 17
Ratificatio etiam habetur per mutuam appellationem sponsi, & sponsæ factam per filios post vsum rationis C.14. P.3.n.20. pag.17
Ratificatio habetur per mutuos amplexus, & oscula C.14.P.3.n.21. pag 17
Ratificatio fit etiam per traditionem munusculorum, & receptionem C.14. P.3.n 22. pag.17
Ratificatio fit per subarrationem annuli, vbi consuetudo id postulat C.14. P.3.num.23. pag.17
Ratificatio tacita exigit, vt sciant sponsi contractum fuisse per parentes initum C.14.P.3.n.24. pag.18
Item, vt nouerint sponsalia non esse inualida. Ibid. num. 25.
RVMOR quomodo differat à fama C.14.s.2.D.2.§.21. num. 2. pag.369
Rumor impedimenti non est secundum se sufficiens ad dissoluenda sponsalia C.14.s.2.D.2.§.21.n.3. p.309
Rumore increbrescente, & quasi in famam euadente potest admitti iuramentum contrahere volentis asserentis impedimentum non intercedere. Ibid. n.4.

S

SENSIBILITAS est de formali ratione contractus sponsalium C.14.s 1.D.2 §. .nu.3. pag.169
Sensibilitas ita est de ratione contractus, vt si Deus merè internè reuelaret vtriusque consensum sponsalia non subsisterent C.14.s.1. D.2.§.1.n.2. pag.168
Excipe, nisi diuina reuelatio esset signo sensibili manifestata. Ibid.num.4. pag.169
SPONSALITIA largitas quid sit, & ad quem finem inducta C.14.s.3.P.3. nu.1. pag.377
Sponsalitia largitas interueniente pacto, vt nullo modo redeat ad donantem, est irreuocabilis, quamuis nec sequatur osculum, nec copula C.14.s.3.P.3.n.2. pag. 377
Sponsalitia largitas de iure antiquo nullo existente pacto præsumebatur pura, & absoluta, de iure nouo etiam præciso pacto est conditionalis, & reuocabilis C.14.s.2.P.3.n.3. pag.378
Sponsalitia largitas integrè acquiritur donatario, si matrimonium non sequatur ex culpa donantis, si verò non sequatur ex culpa donatarij, integrè restituitur C.14.s.3.P.3.nu.4. pag.378
Sponsalitia largitas matrimonio non secuto sine culpa alicuius restituenda est integrè, si non præcesserit osculum, dimidiatè, si osculum præcesserit Ibid. n.5.
Sponsalitia largitas, quæ collata est post osculum in rigore iuris non acquiritur quoad medietatem sponsæ C.14. s.3.P.4.n.2. pag.380
Sponsalitia largitas per osculum non acquiritur quoad medietatem sponsæ, si hæc non fuerit virgo, reputata tamen à sponso pro virgine. Ibid.n.3. pag.381
Sponsalitia largitas non acquiritur sponsæ per osculum quod præcessit, & sponsalia, & sponsalitiam largitatem C.14.s.3. P.4.nu 4. pag.382
Sponsalitia largitas non acquiritur sponsæ, nec quoad medietatem ex simplici amplexu sine osculo, si matrimonium non sequatur C.14 s.3.P.4.nu.5. pag.383
Sponsalitia largitas non acquiritur quoad medietatem sponsæ ex osculo habito post sponsalia conditionalia pendente adhuc conditione, si matrimonium non sequatur C. 14.s.3 P.5.n.1. pag.383
Sponsalitia largitas non acquiritur quoad medietatem sponsæ ex copula habita post sponsalia conditionalia pendente adhuc conditione, siue conditio fuerit dependens à voluntate contrahentium, siue independens C.14.s.3. P.5.num.2. pag 384
Sponsalitia largitas ex osculo, & copula non acquiritur sponsæ, quandò sponsalia fuerunt nulla ignorante vtroque sponso impedimentum, & nullitatem C.14. s.2.P.6.nu.1. pag 385
Sponsalitia largitas acquiritur quidem sponsæ per osculum, & copulam ex sponsalibus nullis non quidem virtute legum illud applicantium per osculum, vel copulam, sed ex præsumpta respectu donantis antidorali collatione ad effectum consequendi osculum, vel copulam, & postea cedente in pretium eorundem, quando vterque fuit conscius impedimenti, & nullitatis C.14.s.3.P.6.n.2. pag.386
Sponsalitia largitas non acquiritur sponsæ per osculum, vel copulam, quandò sponsalia fuerunt nulla ignorante sponso nullitatem, quam sponsa sciebat C.14. s.2. P.6.n.3. pag 387
Sponsalitia largitas sciente sponso nullitatem, & ignorante sponsa eo modo eidem sponsæ acquiritur, quo acquiritur, quandò vterque est conscius nullitatis C.14.s.3. P.6.n 4. pag.387
Sponsalitia largitas quoad medietatem acquiritur sponsæ, quandò sponsus post contracta sponsalia, & tradita iocalia, & osculum collatum sponsæ transit in Religionem C 14. s.3. P.7.n.2. pag.388
Sponsalitia largitas adhuc remanet sponsæ quoad medietatem post osculum, si post osculum transeat ad monasterium C.14. s.3. P.7.nu. 3. pag.388
Sponsalitia largitas collata à sponso sponsæ est integrè restituenda, si alter ipsorum transeat ad monasterium C.14.s 3.P.7 n.4. pag.289
Sponsalitia largitas collata à sponso sponsæ, quæ postea emisit votum simplex castitatis per osculum acquiritur eidem sponsæ quoad medietatem in sententia asserente per idem votum eadem sponsalia dissolui, integrè in sententia asserente non dissolui C.14.s.3.P.7. num.5. pag.390
Sponsalitia largitas post contracta sponsalia tradita à sponsa sponso non acquiritur eidem sponso, si hic ratione voti, quod emisit, recedat à sponsalibus, acquiritur verò integrè, si sponsa votum emiserit, & nolit matrimonio acquiescere C.14.s.3. P.7.n.6. pag.390
Sponsalitia largitas nemini acquiritur, quandò sponsalia dissoluuntur mutuo consensu C.14.s.3. P.7.n.7. pag. 390
Sponsalitia largitas integrè acquiritur sponsæ, si sponsus in longinqua discesserit, & expectatus congruo tempore non redierit, si eadem sponsa transierit ad aliás nup-

nuptias C.14. s. 3. P. 8. num. 1. pag. 391
Sponsalitia largitas collata à sponso sponsa non acquiritur eidem sponsa, si sponsus abierit in longinqua urgenti graui necessitate eademque perseuerante non redierit, siuè de iure ciuili, siuè de iure canonico C.14. s.3. P.8. nu.2. pag. 392
Sponsalitia largitas collata à sponso sponsa eidem non acquiritur in terminis iuris canonici, si sponsus recesserit ex causa necessaria, & sponsa immediatè alteri nupserit C.14.s.3. P.8.n.3. pag. 392
Sponsalitia largitas acquiritur sponsa de iure canonico, si recedente sponso ex causa voluntaria alteri immediatè nupserit C.14.s.3. P.8. n.4. pag. 392
Sponsalitia largitas in terminis iuris ciuilis recedente sponso in longinqua ex causa voluntaria non acquiritur sponsa, nisi expectauerit per biennium, si absens fuerit intra eandem prouinciam, vel per triennium, si extrà eadem. Ibid.
Sponsalitia largitas, quæ de iure municipali non potest excedi non redditur valida quoad excessum per insinuationem C.14.s.3. P.9.n.7. pag. 395
Sponsalitia largitas collata à sponso contracto matrimonio per verba de præsenti, nec quoad totum, nec quoad partem acquiritur à sponsa, si sine osculo, & consummatione matrimonium illud dissoluatur, vel ob mortem naturalem alterius, vel per ciuilem per ingressum in Religionem C.14.s.3.P.10.n.1. pag. 395
Sponsalitia largitas per matrimonium ratum præcis sine osculo, vel consummatione non acquiritur per sponsam, quantumvis fuerit solemnitèr traducta in domum sponsi, Ibid.n.2. pag. 396
Nec etiam, si intercesserint benedictiones Ecclesiæ. Ibid. n.3. pag. 396
Sponsalitia largitas integrè acquiritur per consummationem. Ibid. nu.4.
Sponsalitia largitas, excedens taxam à iure statutam per sponsum subditum loco, in quo viget tale ius facta sponsa extera potest reuocari quoad excessum. C.14. s.3.D.1. §.11.n.2. pag. 446
Sponsalitia largitas collata per sponsam forensem fœminæ existenti in loco vbi est ius taxatiuum eiusdem non potest reuocari quoad excessum, si fuerit excedens C.14.s.3.D.1.§.11.num.3. pag. 447
Sponsalitia largitas, quod excessum non firmatur iuramento C.14.s.3. D.1.§.12.n.3. pag. 447
Sponsalitia largitas in suppositione, quod, si fuerit excedens, irritetur in dubio excessus probanda est excedere per hæredes mariti defuncti, non verò per vxorem ea excedere C.14.s.3.D.1.§.13.n.2. pag. 449
Sponsalitia largitas, si tenetur per ius municipale ad determinatam quantitatem inter sponsos, & conferatur per alium ab ipsis super excedens tenet etiam quoad excessum C.14.s.3.D.1.§.14.n.3. pag. 450
Intellige siuè conferens fuerit extraneus, siuè consanguineus sponsorum C.14.s.3. D.1. §.14.nu.4. pag. 451
Sponsalitia largitas excedens, si conferatur ab extraneo sponsa eo animo, vt prius acquireretur sponso, & postea per eum transferretur sponsa non tenere quoad excessum. Ibid. n.5. pag. 451
Intellige nisi conferens nollet in alium vsum per sponsum conferri nisi in sponsalitiam largitatem. Ibid. num. 6.
Sponsalitia largitas quamvis collata per consanguineos sponsi sponsa contemplatione sponsi, non propterea, si excedat taxam irritatur quoad excessum. Ibid. n.7. pag. 452
Sponsalitia largitas excedens in suppositione qua indigeat insinuatione, eadem non indiget, si fuerit reciproca C.14.s.3. P.11. n.1. pag. 398
Intellige siuè fiant pro eodem tempore, siuè successiuè. Ibid. nu.2.
Sponsalitia largitas reciproca, si fuerit quoad vnum excedens respectu istius quoad excessum indiget insinuatione. Ibid. n.3.
Sponsalitia largitas reuocari potest per sponsum, si sine culpa ipsius matrimonium non sequatur, quamvis non probet eandem fuisse collatam causa matrimonij C.14.s.3. D.1.§.6.n.2. pag. 439
Sponsalitia largitas secundum se tenet, quantumvis nulla dos fuerit collata C.14.s.3.D.1.§.7.n.3. pag. 440
Sponsalitia largitas stante statuto, quod taxanda sit ad normam dotis, si hæc non fuerit collata taxanda est ad normam dotis, quæ iuxtà qualitatem personarum esset conferenda C.14.s.3.D.1.§.7.n.4. p. 440
Sponsalitia largitas, si excedat taxam à iure statutam, non irrita est, nisi quoad excessum C.14.s.3. D.1.§.8. num.2. pag. 441
Sponsalitia largitas excedens taxam à iure statutam sub conditione, vt nullo casu reuertatur ad donantem non irritatur quoad excessum C.14. s.3. D.1.§.9 num. 2. pag. 442
Etiam, si illa conditio fuerit apposita post sponsalia. Ibid. n.3. pag. 443
Sponsalitia largitas, si collata sit per ordinem ad decem, & hæc euicta fuerit vel in toto, vel in parte diminuenda vel auferenda est ad normam euictionis C.14.s.3.D.1.§.10.n.4. pag. 444
Sponsalitia largitas diminuta per euictionem dote diminuenda est stante statuto, quod hæc taxanda sit ad normam dotis. Ibid. nu.5. pag. 445
Sponsalitia largitas collata sponsa per extraneum, vel consanguineum excedens taxam, si fuerit ex bonis sponsi non tenet quoad excessum C.14. s.3. D.1.§.14. num. 8. pag. 452
Sponsalitia largitas excedens collata per Patrem sponsi sponsa tenet quoad excessum. Ibid. n.9.
Sponsalitia largitas in bonis maioratus comensuranda est non ad normam valoris eorundem bonorum, sed ad normam redditnum C.14.s.3.D.1.§.15.n.2. p. 453
Sponsalitia largitas constituta in fundo excedente non est absolutè irrita negatiuè C.14.s.3. D.1. §.16.nu.2. pag. 454
Sponsalitia illa largitas in illo fundo excedente est irrita quoad excessum. Ibid n.3.
Sponsalitia largitas quoad excessum, vbi in iure taxata est non solum est inualida in foro externo, sed etiam in interno C.14.s.3.D.1. §.18.n.4. pag. 458
SPONSALIA vnde dicta C.14. P.1.n.1 pag. 2
Sponsalia quid propriè sint C.14. P.1 n.2. pag. 2
Sponsalia non consistunt in nudo proposito. Ibid. n.3.
Sponsalia per parentes inita pro pupillis carentibus vsu rationis tunc tantum valent, quandò ponitur eorum consensus C.14.P.1 nu.4. pag. 3
Sponsalia debent esse cum mutua promissione, & acceptatione inter personas habiles, & sensibili C. 14. P.1.n.5. pag. 3
Sponsalia exigunt etiam repromissionem C.14.P.1.n.6. pag. 3
Spon-

Sponsalia inter consanguineos sub conditione, si Pontifex dispensauerit, an teneant, vel non, vtraque sententia probabilis Ibid.nu.9., & 10.

Sponsalia iniri non possunt per obstrictum voto perpetuo castitatis C.14. P.2.n.2. pag.6

Sponsalia Deiparæ Virginis cum D. Ioseph quomodo cohæserint cum voto castitatis Ibid.nu.3.

Sponsalia fidelis cum infideli non tenent C.14. P. 2. nu.4. pag.7

Nisi sub conditione, si infidelis conuertatur Ibid. num.5.

Sponsalia consanguineorum intra gradus à iure prohibitos non tenent C.14.P.2.nu.6. pag.7

Sponsalia nequeunt contrahi, nisi completo septennio Vide verb. Ætas.

Sponsalia possunt contrahi per Parentes pro filijs ante septennium, qui tamen non obligantur, si adepto septennio reclamauerint C.14.P.3.n.1. pag.10

Sponsalia filiorum ante septennium inita per parentes sufficienter validantur, si filij in tempore non reclamauerint C.14.P.3.n.3. pag.11

Tempus ad reclamandum post notitiam debet prudenter taxari C.14.P.3.nu.4. pag.12

Sponsalia pro filijs impuberibus possunt contrahi ab alijs à parentibus, non tamen obligantur filij, nisi postea consenserint per actum, vel explicitum, vel implicitum Ibid.n.5.

Sponsalia celebrata per parentes pro filijs maioribus præsentibus, & tacentibus regulariter tenent, & obligant, non sic celebrata per alios, nisi consensum illi expresserint C.14.P.3.nu.8. pag.14

Sponsalia ante septennium inita ratificantur siue per consensum expressum, siue per tacitum C. 14. P.3. nu.18. pag.16

Sponsalia inita per parentes nomine filiorum quomodo ratificentur. Vide V. Ratificatio.

Sponsalia non exigunt consensum simul deferri C.14. P.5. S.2.n.1. pag.25

Sponsalia inita per excommunicationem comminatam contra iniustè resilientem tenent C.14.P.5.S.4. num.8. pag.38

Sponsalia inita per metum iustæ accusationis, quam Pater minatus est defloratori propriæ filiæ, nisi eam ducat, tenent C.14.P.5.S.4.nu.10. pag.38

Sponsalia inita inter ægrotum, & filiam medici ob metum mortis eo, quod medicus illum medicare recusauerit, nisi propriam filiam duceret, tenent C 14. P.5. S.4. nu.12. pag.39

Sponsalia contracta inter filiam Principis, vel Iudicis, & alterum, cui deprehenso in aliquo crimine capitali minatur mortem, & ipsa ad euitandam talem pœnam contrahit cum filia eiusdem, tenent C.14. P. 5. S.4. nu. 14. pag.40

Sponsalia inita cum metu sufficienti ad inualiditatem contractus non obligant in vim sponsalium, quantumuis fuerint iuramento firmata C.14. P.5. S.4. nu 21. pag.43

Sponsalia per metum reuerentialem sine minis inita per consensum solummodò tacitum in foro saltem externo sunt irrita C.14.P.5.S.4.n.28. pag.47

Procedit maximè in noxijs Ibid. nu. 29.

Sponsalia, quando ex metu irritantur, & quando non Vide verb. Metus, Iudex, Princeps.

Sponsalia per Procuratorem inita Vide verb. Procurator.

Sponsalia inita per dolum Vide verb. Dolus.

Sponsalia inita per errorem. Vide verb. Error.

Sponsalia conditionata. Vide verb. Conditio.

Sponsalia sub pœna Vide verb. Pœna, stipulatio pœnalis, Legatum, Hæreditas.

Sponsalia sub modo Vide verb. Modus.

Sponsalia sub demonstratione Vide verb. Demonstratio.

Sponsalia sub causa Vide verb. Causa.

Sponsalia sine Parocho, & testibus celebrata non sunt irrita C.14.P.5.S.13.nu.1. pag.104

Sponsalia clandestina nullam secundum se noxam inuoluunt C.14.P.5.S.13.nu.3. pag.100

Sponsalia validè possunt constitui per Epistolam C.14. P.5.S.15.n.1. pag.106

Sponsalia inita sine termino adimpleri debent, quando alter interpellat pro adimplemento C.14. P.7.nu.2. pag. 124

Sponsalia per nimium amorem inita Vid. verb. Amor.

Sponsalia per iram inita Vide verb. Ira.

Sponsalia inter raptorem, & raptam Vide verb. Raptus.

Sponsalia inita seruata forma iuris canonici tenent licet non seruata fuerit forma iuris ciuilis, vel municipalis C.14.s.1.D.1.§.10. num.4. pag.151

Sponsalia inita per contrahentes cum credulitate, quod inter ipsos adsit impedimentum, quod re vera non sit probabilius, non tenent C.14. s.1. D.2. §.6. num.2. pag. 176

Sponsalia inita cum errore facti, & scientia iuris, quatenus falsò crediderint esse impedimentum, eoque stante sponsalia non posse subsistere, non tenent Ibid. nu. 3. pag.177

Sponsalia contracta cum errore iuris, quatenus crederent adesse impedimentum, eoque non obstante sponsalia tenere, vtique tenent Ibid.n.3. pag.177

Sponsalia contracta cum errore iuris, quatenus crederent falsò ius irritare non tenent Ibid. nu 4.

Sponsalia contracta cum tali falsa credulitate conditionalitèr, si nihil obstet, quamuis ipsi credant obstare, tenent Ibid. num.5.

Sponsalia, quando sunt irrita ex illa falsa credulitate, vt reualidentur, indigent nouo vtriusque contrahentis consensu Ibid.n.6.

Sponsalia in data hypothesi reualidantur etiam per tacitum consensum puta per cohabitationem, vel per alia huiusmodi Ibid.nu 7. pag.178

Sponsalia bona fide inita cum impedimento dirimente, si impedimentum nescientibus contrahentibus fuerit sublatum, non redduntur valida per ratificationem, nisi ratificent cognito impedimento C.14. s.1. D.2.§. 7. n. 3. pag.178

Sponsalia inita per metū per actus subsequentes voluntarios reualidantur C. 14. s.1. D. 2. §.18. num. 2. pag. 194

Sponsalia inita per metum, si perseuerauerit causa metus per illos actus non fiunt valida C.14. s 1.D.2.§. 18.num.3. pag.195

Sponsalia per metum inita cessante etiam causa metus ex diutina cohabitatione in foro interno non conualidantur, nisi verè adsit animus illa conualidandi C.14.s.1.D.2.§.20.nu.4. pag 197

Sponsalia iam inita ex noua causa superueniente, quæ si fuisset à principio impedisset contractum, sunt disso-

dissolubilia C.14.s.1.D.2.§.24.n.2. pag.201

Sponsalia sic inita ex illa causa superueniente nō essent tamen ipso iure irrita Ibid. num.4. pag.202

Sponsalia ex causa etiam superueniente post moram sunt dissolubilia C.14.s.1.D.2.§.25.nu.2. pag.202

Sponsalia sub conditione inita non trahuntur post conditionis euentum ad initium, quando ab initio fieri non potuerunt, sed indigent nouo consensu C.14. s.1. D.2.§.40.nu.2. pag.222

Sponsalia non referuntur ad initium, quantumvis fuerint iuramento firmata C.14.s.1.D.2.§.40.num.4. pag. 223

Sponsalia inita inter fidelem, & infidelem, si hic fiat fidelis, tenent, & purificata conditione referuntur ad principium C.14.s.1.D.3.§.1.n.3. pag.224

Hoc est in fauorem Religionis, & fidei C.14.s.1. D.3.§.1.n.4. pag.224

Sponsalia quomodo dissoluantur ingressu in Religionem Vide verb. Ingressus.

Sponsalia quandonam dissoluantur per votum Vide verb. Votum,

Sponsalia quomodo dissoluatur per susceptionem, vel votum sacrorum ordinum. Vide verb. Ordo, & Votum,

Sponsalia priora non dissoluuntur per posteriora C.14. s.2.P.6.n.2. pag.271

Sponsalia priora dissoluuntur per posteriora ex parte illius, qui permanet in prioribus, si velit, non ex parte illius, qui ad posteriora transiuit Ibid.num.3. pag. 272

Sponsalia priora dissoluuntur per posteriora extante legitima causa recedendi à prioribus Ibid. nu.4.

Sponsalia posteriora inualida ex valore priorum non redduntur valida, si postea priora ex legitima causa superueniente dissoluantur C.14.s.2.P.6.n.5.p.272

Sponsalia priora non soluuntur, quantumvis posteriora coniungantur cum defloratione Ibid. nu.6. pag.273

Sponsalia posteriora etiam cum defloratione non reualidantur, si priora valida ex superuenienti causa dissoluantur Ibid. nu.7. pag.274

Sponsalia priora per subsequens matrimonium validum soluuntur Ibid. nu. 8. pag.274

Etiam si priora sponsalia fuerint iurata Ibid. num. 9. pag.275

Sponsalia priora dissoluuntur per subsequens matrimonium, quantumvis in virtute priorum sponsalium secuta fuerit defloratio sponsæ C.14. s.2. P.6.nu.10. pag. 275

Sponsalia quomodo dissoluantur ob impedimentum Vide verb. Impedimentum.

Sponsalia quomodo dissoluantur per fornicationem Vide verb. Fornicatio.

Sponsalia quandonam dissoluantur per deformitatem Vide verb. Deformitas.

Sponsalia dissoluuntur per morbum Vide Morbus.

Sponsalia quomodo dissoluantur ex paupertate Vide verb. Paupertas.

Sponsalia quomodo dissoluantur ex lapsu termini Vide verb. Lapsus termini.

Sponsalia quomodo dissoluantur ex absentia Vide verb. Absentia.

Sponsalia nedum validè, sed etiam licitè dissolui possunt mutuo consensu C.14.s.2.P.14.n.1. pag.302

Sponsalia dissolui possunt mutuo consensu, quantumvis fuerint iurata C.14.s.2.P.14.nu.3. pag.303

Etiam si iuramentum sit conceptum in honorem Dei Ibid.

Sponsalia posteriora inita cum alio fratre prioris sponsi ex alio matrimonio attento iure nouo Concilij Trid. non sunt inualida ex eo præcisè, quod antecedenter fuerint inita sponsalia cum priore sponso fratre ex alio matrimonio cum eodem primo C.14.s.2.D.1.§.5. num.2. pag.322

Sponsalia posteriora inita cum consanguinea prioris sponsæ, quandò priora erant valida, non pariunt impedimentum publicæ honestatis dissolutiuum priorum C.14.s.2.D.1.§.6.nu.2. pag.323

Sponsalia posteriora purè inita cum sorore prioris sponsæ non pariunt impedimentum publicæ honestatis, ratione cuius non possit contrahere cum prima, cui conditionatè promiserat C. 14. s. 2. D.1. §.7.num.2. pag. 325

Sponsalia pura cum consanguinea vxoris, cum qua contractum fuerat matrimonium conditionatum, pendente adhuc conditione non pariunt quidem impedimentum publicæ honestatis, sed redduntur inualida ratione precedentis obligationis C.14.s.2.D.1.§.8.n.3. pag. 326

Sponsalia posteriora legitimè contracta non dissoluuntur ex matrimonio priori fictè contracto ex vi præcisè publicæ honestatis C.14. s.2. D.1. § 9. nu.2. pag.328

Sponsalia posteriora legitimè contracta dissoluuntur in foro externo ex matrimonio priori fictè contracto C.14 s.2. D.1.§.9. n.3. pag.328

Sponsalia inter Ortodoxum, & hæreticam, & è contra sunt ipso iure irrita C.14.s.2.D.1, §.10.n.2. pag.329

Sponsalia huiusmodi stante consuetudine in aliquibus regionibus sunt valida C.14. s.2. D.1.§. 10. num.5. pag. 329

Sponsalia inter ortodoxum, & hæreticam, cui præcisa consuetudine sunt inualida, non sic matrimonium C.14.s.2.D.1.§.10.num.4. pag.329

Sponsalia etiam iurata dissolui possunt mutuo consensu etiam non posita iuramenti relaxatione C. 14. s. 2. P.14.n.5. pag.304

Sponsalia dissolui possunt, quandò causa dissolutionis est publica, & certa tàm de iure, quàm de facto per solos contrahentes sine Iudicis ministerio C. 14. s. 2 P.15.n.1. pag.304

Sponsalia priuata auctoritate possunt dissolui, si causa dissolutionis sit certa tàm de iure, quam de facto non tamen publica, & sponsalia sint occulta C. 14. s.2. P.15.num 2. pag.305.

Sponsalia non possunt dissolui propria auctoritate, si sint publica, & causa dissolutionis occulta. Ibid.n.3.

Sponsalia non possunt dissolui per contrahentes propria auctoritate, si causa dissolutionis sit dubia. Ibid.n.5. pag. 306

Sponsalia, si dissoluantur sine auctoritate Iudicis, quandò causa est dubia, quandoque ingerunt noxam lethalem, quandoque solum venialem. Ibid.n.4.

Sponsalia inita ex dolo antecedenti per alterum contrahentem inducto irrita sunt ex parte decepti C. 14. s.2. P.17. n.2. pag.308

Sponsalia inita ex dolo, vt supra, quamvis etiam sint irrita, ex parte decipientis, ipsum tamen obligant ex vi pacti, & in pœnam C. 14. s. 2. P. 17. num. 3. pag. 309

Spon-

Sponsalia sic inita etiam respectu decipientis non pariunt impedimentum publicae honestatis. C. 14. s. 2. P.17.nu.2. pag.309

Sponsalia inita ex dolo circà substantiam inducto per aliam personam à contrahentibus irritantur ipso facto. si verò ex dolo circà qualitatem dissolui possunt C.14.s.2.P.17.num.4. pag.309

Sponsalia inter catecumenum, & catholicam probabilius tenent C.14.s.2.D.1.§.11.nu.2. pag.330

Sponsalia concepta sub tacita conditione valida sunt absolutè, & tenent à principio C.14. s. 2. D. 2. §. 2. num.2. pag.343

Sponsalia sub conditione tacita concepta, si dissoluantur ex causa superueniente adhuc afficiunt contrahentes impedimento publicae honestatis C.14.s.2.D 2. §.2.n.3. pag.343

Sponsalia non inferuntur ex conatu in copulam C. 14. s.2.D.2. §.3. n.4. pag.345

Sponsalia priora conditionata pendente adhuc conditione dissoluuntur per posteriora purè celebrata cum sorore eiusdem prioris sponsae C.14.s.2.D 2.§.4.nu 2. pag. 346

Sponsalia posteriora purè inita cum sorore prioris sponsae conditionalis non efficiunt, quin purificata conditione possit contrahi matrimonium cum priori C. 14. s.2. D.2.§.4 n.4. pag.347

Sponsalia licitè dissoluuntur mutuo consensu, quandò sponsus fictè se exhibet paratum ad contrahendum matrimonium, obiicit tamen parentum repugnantiam, paupertatem &c., & sponsa his mota remittit promissionem sponte, secus, si inuita C.14.s.2. D 2. §.8.nu.3. pag.352

Sponsalia inita cum errore, seu ignorantia facti, & cum scientia iuris non tenent C.14. s. 2.D. 2. §. 15. num 2. pag.362

Sponsalia contracta cum dubio de existentia facti sub conditione tenent C.14.s.2.D.2.§.15.n 2. pag.362

Sponsalia inita cum errore, tàm facti, quàm iuris, quatenus contrahentes crediderint impedimentum adesse, cum non adesset, & ius dirimere, cum non dirimat, an teneat C.14.s.2.D.2.§ 15.n 4. pag.362

Sponsalia contracta sub conditione honesta, & possibili purificata conditione fiunt immediatè, & ipso iure pura etiam ante scientiam contrahentium C.14.s.2. D.2.§.16.n.2. pag.363

Sponsalia conditionata sub conditione honesta, & possibili illa purificata reddunt posteriora ipso iure nulla, si alter ante scientiam eiusdem contrahat C. 14. s. 2. D.2. §.16. n.3. pag.363

Sponsalia conditionata purificata conditione etiam ante scientiam contrahentium inducunt impedimentum publicae honestatis, ratione cuius si alter praemoriatur superstes non potest contrahere cum consanguineo praemortui C 14.s.2. D.2 §.16.n.4. pag.363

Sponsalia conditionata reuocato consensu ante conditionis euentum non purificantur eodem eueniente C.14.s.2. D.2. §.17. num.2. pag.364

Etiam, si reuocatio facta fuerit altero ignorante C.14.s.2.D.2.§.17.n.3. pag 364

Sponsalia conditionalia inita cum duabus non subsistunt quoad priora in vim sponsalium, si purificetur prius, vel aequè primo conditio posteriorum C.14.s.2. D 2. § 18. n.3. pag.365

Sponsalia conditionalia priora absolutè tenent in vim sponsalium, si eorum conditio prius purificetur. Ibid. num.4. pag.366

Sponsalia possunt dissolui ratione notabilis mutationis superuenientis in altero sponso post moram C. 14. s.2. D.2. §.19.n.2. pag.367

SPONSVS, qui promisit vnam ex quatuor filiabus alicuius ducere habet electionem eius, quam maluerit C.14. P.4 n.8. pag.21

Sponsus, si vnam ex filiabus, quas Pater sibi promisit carnalitèr cognouerit, non tenetur Pater nec illam, nec aliam tradere C.14. P.4. n.6. pag.20

Sponsus, qui promisit vnam ex quatuor filiabus ducere, si vnam carnalitèr cognouerit, tenetur illam ducere C.14. P.4.n.9. pag 21

Sponsus, si vnam elegerit ex quatuor, quibus promisit, & ipsa renuat, eximitur ab obligatione erga alias C.14. P.4 n.10. pag.21

Sponsus, si fornicetur cum alia foemina probabilius tenetur circunstantiam sponsalium in confessione aperire C.14 s 1. D.1 §.2 n.5. pag.134

Sponsus contrahens iuxtà consuetudinem loci sponsae licet diuersam à propria validè contrahit sponsalia C.14 s.1. D.1. §.15 n.2. pag.159

Nisi constet de contraria mente sponsi contrahentis C.14.s.1. D.1.§.15.n.3. pag.159

Sponsus magis dignus conscius deterioris conditionis alterius in quocunque genere, & nihilominus contrahens, validè contrahit, nec regularitèr potest recedere C.14.s.2. P.1.n.2. pag.254

Sponsus magis dignus contrahens cum illa inaequalitate cognita, si inde grauia timeantur scandala, potest à sponsalibus illis recedere C.14.s.2.P.1.n.4 pag.255

Sponsus magis dignus insciens deterioris conditionis alterius non inualidè contrahit, potest tamen eadem cognita recedere. Ibid. n.5. pag 255

Sponsus, qui contraxit cum scientia deterioris conditionis alterius potest ex grauibus damnis, & causis recedere, quamuis sponsam deflorauerit C.14.s.2.P.1. num.8. pag.256

Sponsus conscius deterioris conditionis alterius, qui sponsam deflorauerit, si recedat ex grauibus causis tenetur satisfacere damnis ex illa defloratione prouenientibus. Ibid.n.9.

Sponsus ex grauibus causis potest recedere, quantumuis ex defloratione sponsae secuta fuerit proles C. 14. s. 2. P.1.n.10. pag.256

Sponsus magis dignus quoad diuitias contrahens inscie cum alia minus digna in eodem genere, sed digniore in genere nobilitatis cognita probabilius non potest dissoluere sponsalia C.14 s.2. P.1 n.12. pag.257

Excipe nisi magis dignus ex nimia propensione in diuitias non fuisset contracturus C.14. s.2. P.1. num. 12. pag.257

Sponsus, si post sponsalia factus fuerit locupletior permanente sponsa in eodem statu non potest recedere à sponsalibus C 14.s.2. P.11.n.5. pag.294

Sponsus solus conscius causae dissolutionis, quae ex genere suo est illatiua grauis infamiae non potest immediatè deferre ad Iudicem, sed debet monere sponsam, vt desistat, quod si nolit, debet per Parentes, & pios viros monere quod si nolit potest ad Iudicem licitè deferre C.14.s.2. P 18 n.1. pag.310

Quid debeat agere alia persona conscia talis impedimenti. Ibid.n 3. pag 311

Sponsus infectus labe occulta, quæ si esset nota, esset sufficiens ad rescindenda sponsalia non priuatur iure compellendi alterum inscium ad sibi seruandam fidem sponsalium C.14.s.2.P.19.nu 1. pag.312

Sponsus, si post sponsalia clam fornicatus fuerit, quantumuis innocens suspicaretur de fornicatione non priuatur iure exigendi complementum contractus C.14.s.2.P.19.n.2. pag.313

Sponsus occultè fornicatus in foro externo potest exigere dissolutionem contractus, si alter palam fornicatus fuerit C.14 s.2. P.19.n.3. pag.313

Sponsus clam fornicatus altero penitus ignorante iustè acquirit arras, si innocens resiliat à sponsalibus C.14.s.2. P.19. n.4. pag.314

Sponsus, qui promisit fœminæ matrimonium, si illam virginem inuenerit post cognitam fœminam corruptam ratione vlterioris congressus cum illa post talem cognitionem non tenetur illam ducere, nisi verè cesset iuri suo in foro animæ C.14.s.2. D.1. §.1.num.3. pag. 318

Sponsus ratione vlterioris congressus post inuentam fœminam corruptam in foro externo obligatur ad matrimonium C.14.s.2. D.1.§.1.n.4. pag.318

Sponsus deprehendens clericum cubantem cum propria sponsa de futuro, eumque grauitèr percutiens non incurrit excommunicationem Romano Pontifici reseruatam C.14.s.2.D.1.§.3.n.2. pag. 320

Sponsus in ea hypothesi posset absolui à quocunque confessario approbato C.14.s.2.D.1.§.3.n.4. pag.320

Sponsus, qui clericum turpitèr deprehensum cum propria sponsa grauitèr vulnerauit non obstante tali vltione potest adhuc à sponsalibus recedere C.14. s. 2. D.1. §.4. n.2. pag.321

Sponsus diues potest sponsalia dissoluere, si fœmina nolit congruam dotem conferre C.14.s.2. D.2.§.6. num. 2. pag. 349

Excipe, nisi sponsus esset valdè diues, & fœmina valdè formosa. Ibid. n.4.

Sponsus diuitijs præpotens, qui sponsalia contraxit cum fœmina paupere cognita paupertate eiusdem in suppositione, quod illa peruenerit ad pinguiorem fortunam, nec velit conferre dotem, probabilius non potest à sponsalibus recedere C.14.s.2.D 2.§.7.n.3. pag.350

Sponsus morosus ratione notabilis mutationis superuenientis post moram in sponsa potest recedere à sponsalibus C.14.s.2.D.2.§.19.n.2. pag. 367

Sponsus morosus tenetur ad omnia damna, quæ subsecuta sunt post moram ex causa moræ C.14.,s. 2. D.2. §. 19. num.3. pag.367

STATVTVM excludens fœminam maritatam à successione non excludit fœminam, quæ solum contraxit sponsalia C.14.s.1.D.1.§.1.n.3.,& 4. pag.132

Statuta in ijs, in quibus possunt, vel non possunt disponere circà matrimonium possunt, vel non possunt circa sponsalia. C.14.s.1.D.1. §.10.n.2. pag.151

Statutum circa sponsalia, si seruetur, eadem non irritat, nisi fuerit contrarium iuri canonico C. 14. s. 1. D.1. §.10.n 5. pag.151

Statutum disponens circà substantiam sponsalium est irritum C.14.s.1.D.1.§.10.n.6 pag.152

Statutum disponens circà pœnam quo ad substantiam sponsalium irritatur. Ibid.7.

Statutum disponens circà consequentia ad sponsalia puta circa dotem tenet. Ibid. nu. 9.

Statutum disponens circà pœnam impropriam auferendo lucrum, quod lex confert, non est irritum, sed obligat. Ibid. n.8.

Statutum disponens circa honestatem, vel solemnitates ad eadem pertinentes non obligat, benè tamen circa repressionem pomparum. Ibid.n. 10. pag.153

Statutum, quod filiorum sponsalia sine parentum consensu non teneant, inualidum est C.14. s.1.D.1. §.21. num. 2. pag 167

Statutum non potest validè condi, quod non teneant filiorum sponsalia sine consensu parentum. Ibid.n.3.

Statutum irritans contractus minorum reddit semper irritos C. 14. s.1. D.2.§.38.n.5. pag.220

Statutū Mediolani, quid disponat circa vestes, & alia iocalia C.14.s.3. P.4.n.5. pag.403

STIPVLARI possunt pro filijs absentibus promissionem sponsalium Pater, & Mater C.14.P.5.S.6.n.8.,& 9. pag. 55

Stipulari potest pro filio absente Auus pater patris. Ibid n.11. pag.56

Stipulari possunt Tutores, & Curatores pro pupillis, & minoribus absentibus. Ibid.n.12.

Stipulari possunt pro absentibus Notarij, & Tabelliones publici. Ibid.n.13.

Stipulari non potest frater pro fratre, nisi illius curam gerat. Ibid.n.15. pag.57

Stipulari potest quilibet pro absenti, quandò promissio est in causam piam, si verba promissionis dirigantur in stipulatorem præsentem, secus si in promissarium absentem C.14.P.5. S.6.n.16. pag 57

Stipulatio pœnalis in sponsalibus irritatur non solum, quandò apponitur per ipsos contrahentes, sed etiam per coniunctos sanguine C.14.P.5.S.10.n.5. pag.86

Etiam per coniunctos amicitia, & familiaritate. Ibid.

Etiam dominio, & subiectione. Ibid.

Etiam cura, & administratione. Ibid.

Stipulatio pœnalis apposita per coniunctos non irritatur, quandò se obligarunt non ad matrimonium ipsum, sed ad ipsum procurandum. Ibid. n. 6. pag.86

Stipulatio pœnalis adiecta per extraneos, qui contrahentes non attingunt, regularitèr non irritatur. Ibid. num 7. pag.86

Excipe, nisi suppositus esset extraneus ex dolo, & nisi contrahentes promitterent pœnam extraneo. Ibid.n.8, & 9. pag.87

Stipulatio pœnalis inter extraneos non irritatur, sinè adijciatur per viam principalis obligationis, sinè per modum cuiusdam conditionis ad pœnam. Ibid.n.10. pag. 87

Stipulatio pœnalis non irritatur, si extraneus illam promitteret contrahenti. Ibid. nu.11. pag.87

Stipulatio pœnalis, qua extraneus promisit alteri pecuniam, si non contraxerit matrimonium tenet, sinè ille alter antecedentèr promiserit matrimonium, sinè non C.14. P.5.S.10.n.12. pag.87

Stipulatio pœnalis apposita inter coniunctos contrahentium irritatur, quamvis fuerit iurata. Ibid.nu.13. pag. 88

Stipulatio pœnalis est peccaminosa lethalitèr C.14. P.5. S.10. n. 14. pag.88

Stipulatio pœnalis, si executioni fuerit mandata contra ius eandem irritans, reuocatur. Ibid.n.15. pag. 89

Etiam si fuerit iuramento firmata. Ibid.nu.16. pag.90

SVB-

SVBARRATIO annuli secundum se sumpta non coniungitur infallibiliter cum consensu ad sponsalia C.14.P.5.S.12.nu.1. pag.103
Subarratio annuli infert talem consensum ad sponsalia, si consuetudo, vel praecedens tractatus limitarit eius significationem C.14.P.5.S.12.nu.2. pag 103
Subarratio annuli facta per Parentes nomine filiorum, si tractatus praecesserit, & filij conscij fuerint tàm tractatus, quàm missionis annuli constituit sponsalia, si foemina annulum acceptarit C.14.s.1. D.1.§.2.nu.2. pag. 169
Subarratio annuli facta per Parentes nomine filij scientis, vbi consuetudo ita obtinuerit, constituit sponsalia Ibid.nu.3. pag.170
Etiam si filius fuerit inscius subarrationis factae per Parentes, modo eandem postea ratam habuerit Ibid. num.4. pag.171
SVRDVS, & mutus non à natiuitate, sed ex accidenti, adeovt antecedenter cognoscere potuerit naturam actus, validè potest contrahere sponsalia C.14. s.1.D. 1.§.9. num.2. pag.148
Surdus, & mutus possunt contrahere, siue fuerint tales copulatiuè, siue disiunctiuè Ibid. n 3.
Surdus, & mutus à natiuitate potest contrahere, dummodo possit edoceri de vi contractus Ibid.n.4. p.149
Surdus, & mutus, & caecus simul à natiuitate probabilius est non posse validè contrahere sponsalia, & matrimonium Ibid.nu.5. pag.149

T

TEMPVS appositum ad restringendam obligationem cadens ad tempus feriatum non perimit obligationem, sed protrahit ad tempus non feriatum C. 14. s. 2. D.2. §.1. num.2. pag.342
Tempore feriato elapso tenentur in ea hypothesi, quam primum contrahere C.14.s.2. D.2.§ 1.n.3. pag.342
Tempus per iudicem praefinitum sponsis ad contrahendum matrimonium, quando adest periculum incontinentia in altero praesumitur adiectum ad effectum finiendae obligationis, adeoque eo elapso ille, per quem non stetit, liber remanet ab onere contrahendi C.14 s.2.D.2.§.9. n.4. pag.355
TESTES probare possunt metum in sponsalibus, & matrimonio C.14.P.5.S.4.n.34. pag.49
Testes ad probandum metum possunt esse parentes, & consanguinei Ibid. nu. 35. pag 49
Testes etiam singulares admittuntur Ibid.nu.36.
Testis vnus, si deponat simul de metu, & de actibus inductiuis talis metus, habet maiorem fidem pro se, quam alij plures deponentes de spontanea voluntate C.14.s.1.D.2.§.16.n.3. pag.192
Testis vnus deponens praecisè de metu, & non de talibus actibus non habet maiorem fidem pro se Ibid.nu.3.
Testis vnus deponens de metu per visum habet maiorem fidem pro se, quam alij deponentes de auditu C.14. s.1. D.2.§. 16. num.4. pag.192
Testis vnus, si deponat de metu, & alij plures de spontanea voluntate concurrentibus circumstantijs pro istis praeualent C.14.s.1.D.2.§.16.num.5. pag.193
Testis vnus deponens de impedimento regulariter sufficiens est ad impediendum, ne matrimonium contrahatur C. 14. s. 2.P.8.nu.1. pag.278
Etiam si fuerit Pater, vel consanguineus Ibid. nu. 2.
Testis vnus est sufficiens, etiam si ille obijciendo impedimentis allegaret turpitudinem suam Ib.n.3. pag.279
Quantumuis publicè turpitudinem suam allegaret Ibid. nu. 4.
Testis vnus sufficiens est ad impediendum, etiam si non fuerit citatus, sed à parte oblatus C. 14. s.2. P.8. num.5. pag.279
Testis vnus sufficienter impedit, etiam si in secreto, & sine proprij nominis publicatione recipi velit Ibid. num.6.
Testis vnus sufficienter impedit, etiam si fuerit vilis, Ibid. num.7.
Testis vnus sufficienter probat, nec requiritur iuramentum suppletorium partium Ibid.
Testis vnus sufficienter probat, quantumuis sponsalia praecedentia fuerint iurata Ibid. nu 8. pag.280
Testis vnus non sufficit, quando simpliciter denunciat, non deponit Ibid. nu. 9. pag.280
Testis vnus non sufficit, quando non deponit cum iuramento se certo scire, sed tantum audiuisse Ibid.n.10. pag. 280
Testis vnius dictum non est sufficiens ad dissoluenda sponsalia, vbi non agitur de peccato vitando C.14. s.2.D.2.§.22.nu.2. pag 370
Testis vnius dictum non sufficit, nisi fuerit cum iuramento C.14.s.2.D.2.§ 23.n.2. pag.371
TVTORES, & curatores non possunt contrahere pro pupillis praesentibus, & tacentibus ad effectum illos obligandi, si non reclamauerint C.14.P.3.n.13.pag.15
Tutores, & curatores possunt pro pupillis, & minoribus absentibus stipulari promissionem matrimonij eisdem factam C.14. P 5.S.6. nu.12. pag.56

V

VERBA respectu etiam valentium loqui non sunt de substantia contractus, siuè tractatus praecesserit, siuè non C.14.P.5.S.1.nu.3. pag.23
Verba requiruntur in contractu matrimonij spiritualis, non temporalis, & quare C.14.P.5.S.1.n.7. pag.24
Verba in contractu sponsalium non sunt de necessitate praecepti, nec formalitèr, nec interpretatiuè C.14. P.5.S.1.n.8. pag.25
Verba dubia in contractu sponsalium, vbi constat de mente contrahentium, sunt interpretanda iuxta talem mentem C.14.P.5.S.16.nu.1. pag.110
Verba, si ex genere suo non sint apta ad manifestandum consensum, quantumuis hic ex vtraque parte interuenerit, non validè constituunt sponsalia, nisi sensibiliter de consensu constet C.14.P.5.S.16.n.2.pag.110
Verba quandonam importent matrimonium, & quando sponsalia? C.14.P.5.S. 16.n.3. pag.111
Verba, quibus quis dicit accipio te in meam, & alter respondet, & Ego accipio te in meum constituunt matrimonium C.14.P.5.S.16.n.4. pag.112
Verba concepta de praesenti, sed propter adiunctum connotantia futurum constituunt tantum sponsalia Ibid. num.5. pag.112
Verba, quibus dicitur Promitto me te desponsaturum, seù desponsabo te, in rigore non important sponsalia, sed tantum promissionem de eisdem C.14. P.5.S.16.num.7. pag.112
Verba, quibus dicitur Promitto me te ducturum in vxorem, vel ducam in vxorem constituunt sponsalia Ibid. n.6.

Verba, quibus dicitur, Habebo, tenebo, tractabo te vt vxorem, prouidebo tibi vt vxori *constituunt sponsalia, non matrimonium Ibid. num.* 8.

*Verba, quibus dicitur, ex nunc, & semper habebo te in meam, constituunt matrimonium Ibid. n.*9. *pag.*113

*Verba, quibus dicitur Volo tecum contrahere, in te consentire, te ducere sine alio addito constituunt solum sponsalia C.*14.*P.*5 *S.*16. *nu.*10. *pag.*113

Verba, quibus dicitur Volo te habere, te tenere in vxorem *probabilius solum constituunt sponsalia Ibid. num.*11. *pag.*14

Verba, quibus dicitur, Volo te in vxorem meam *intelligenda sunt, vel pro matrimonio, vel pro sponsalibus ex præsumpta contrahentium voluntate, vel ex præcedentibus Ibid. nu.*12. *pag.*114

*Verba, si fuerint dubia, nec potius significent sponsalia, quam matrimonium, & non constet de voluntate contrahentium interpretanda sunt potius pro matrimonio Ibid. nu.*13. *pag.*114

*Verba negatiua, neque implicitè, neque explicitè includentia affirmationem, nec constituunt matrimonium, nec sponsalia, nec obligant secundum se ad contrahendum, sed tantum conditionatè cum ea, ad quam directa sunt, si promittens voluerit contrahere, vel sponsalia, vel matrimonium C.*14. *P.*5. *S.* 17. *nu.*1. *pag.*115

*Verba, si fuerint simul negatiuè, & affirmatiuè concepta, quatenus negationi addita fuerit affirmatio, & verba illa significent de præsenti constituunt matrimonium, si verò de futuro, sponsalia Ibid. nu.*2. *pag.* 116

Verba negatiua addita exceptione, quandoque important matrimonium, quandoque sponsalia, quandoque solum promissionem conditionatam Ibid. nu. 3. *pag.* 116

Verba, quibus dicitur, Non ducam aliam, nisi te, *important solummodo obligationem conditionalem, Ibid. nu.*4.

In suppositione, qua sic promittens decernat nubere, illa promissio cum illa exceptione transit in sponsalia sine alio actu Ibid. nu. 5. *pag.*117

*Verba, quibus dicitur de præsenti, Non duco aliam nisi te, constituunt matrimonium, si alia concurrant Ibid. nu.*6. *pag.*118

*Verba clandestinè probata de præsenti inter puberes etiam in vim sponsalium non obligant, nec eadem constituunt C.*14.*P.*5.*S.*18.*num.*1. *pag.*119

Verba concepta sub hac forma, volo te habere, ducere in vxorem, non constituunt matrimonium, sed probabilius sponsalia, non merum propositum illa contrahendi C.14.*s.*1.*D.*1, §.12, *n.*2., & 3. *pag.*155

*VESTES pretiosa, quæ non inseruiunt ad quotidianum vsum, annuli, gemmæ, & monilia non veniunt sub sponsalitia largitate de iure communi, benè tamen vestes quotidianæ C.*14.*s.*3.*P.*14.*n.*1. *pag.*401

*Vestes pretiosæ quænam sint, & quænam quotidianæ, Ibid. nu.*2. *pag.*402

*Vestes quotidianæ censentur donatæ non sic pretiosæ, Ibid. num.*3.

*Vestes, & alia iocalia quomodo cedant, vel non cedant sponsæ ex statuto Mediolani Ibid. nu.*4. *pag.*403

Vestes collatæ per socerum nurui cum expresso animo donandi non sunt computandæ in legitima filij C. 14.*s.*3.*P.*15.*nu.*2. *pag.*404

*Vestes quotidianæ collatæ per socerũ nurui nõ sunt computandæ in legitima, bene tamen pretiosa Ibid. n.*3.

VIOLANS sponsam alterius ante contractum matrimonium non committit adulterium C. 14.*s.*1.*D.*1. §.2. *nu.*2. *pag.*132

*Violans sponsam alterius non consentientem, sed inuitam tenetur circumstantiã illam in confessione aperire, si fuerit Virgo C.*14. *s.*1.*D.*1. §.2. *n.*3. *pag.*132

*Violans sponsam alterius consentientem contrahit specialem malitiam, vtique in confessione aperiendam Ibid. num.*4. *pag.*133

*Violans post votum Religionis fœminam, eamque ducens prima vice consummando matrimonium intra bimestre ad petitionem etiam alterius grauiter peccat C.*14.*s.*1.*D.*1.§.4.*n.*5. *pag.*141

Violans fœminam post votum castitatis, & postea eam ducens etiam prima vice consummando peccat C. 14.*s.*1.*D.*1, §.4.*n.*6. *pag.*142

Idem intellige, siue duxerit Virginem, quam deflorauit, siue viduam post votum castitatis C.14.*s.*1.*D.*1. §.4.*n.*8. *pag.*143

*Violans fœminam post votum castitatis, si eandem duxerit, & hæc eidem præmortua fuerit, non poterit ad alias nuptias transire, sed tenetur castitatem seruare C.*14.*s.*1.*D.*1.§ 4.*n.*7. *pag.*142

Violans fœminam sub prætextu matrimonij clandestini, si parentes eiusdem fuerint ignari matrimonij clandestini tenetur ad augmentum dotis C. 14. *s.*1. *D.*3. §.4. *num.*5. *pag.*228

*Violans virginem de rigore iuris tenetur ducere, & dotare C.*14 *s.*1.*D.*3.§.5. *nu.*2. *pag.*230

*Violans virginem ex æquitate tenetur tantum, vel ducere, vel dotare Ibid. n.*3.

*Violans virginem, quæ postea nupsit pauperiori, vel ignobiliori tenetur ad augmentum dotis Ibid. n.*4.

*Violans virginem, quæ postea nupsit æquali probabilius tenetur etiam ad augmentum dotis Ibid. n.*7. *pag.*231

*Violans virginem tenetur compensare per bona fortunæ, & quomodo C.*14.*s.*1.*D.*3.§.5.*n.*9. *pag.*231

*Violans virginem, quantumuis illa maneat innupta tenetur ad dotem, vel ad augmentum C.*14.*s.*1.*D.*3. §.6.*nu.*4. *pag.*232

Violans virginem, quæ innupta remansit, & postea obijt regulariter tenetur erga hæredes eiusdem defloratæ ad illud augmentum, nisi illa viuens spontè cesserit C.14.*s.*1, *D.*3.§.7.*n.*3. *pag.*233

Violans fœminam, quæ postea alteri copiam sui fecit non eximitur ab onere compensandi C.14. *s.*1. *D.*3. §.8. *nu.*3. *pag.* 235, *quinimmo nec potest diminuere aliquid de compensatione ratione actuum subsequentium Ibid. nu.* 5.

*Violans fœminam, si postea conuenerit cum eadem deflorata de contrahendo matrimonio cum eadem, & ipsa interim alteri se prostituerit, eximitur ab onere compensandi C.*14.*s.*1.*D.*3.§.9.*n.*3. *pag.*236

*Violans fœminam, cur post illam conuentionem eximatur ab illo onere C.*14.*s.*1.*D.*3. §.9. *n.*5. *pag.*236

VOLVNTAS virtualis, quæ attinguntur sponsalia in se ipsis sufficiens est ad eorum valorem C.14. *s.*1. *D.* 1. §.7.*nu.*2. *pag.*146

Voluntas virtualis, quæ eadem attinguntur in causa indirecta non est sufficiens Ibid.

Voluntas virtualis, quæ eadem attinguntur in causa directa est sufficiens Ibid. num. 3. *pag.*147

Volun-

Voluntas habitualis secundum se sumpta praescindendo à quocunque actu positiuo, per quem deferatur actualis consensus, non est sufficiens ad constituenda sponsalia C.14.s.2.D.1.§.12.nu.2. pag.332
Voluntas habitualis, si fuerit coniuncta cum actu exercitio inferente per se consensum ad vera, & realia sponsalia, quatenus in illo actu, si cognouisset defectus accid...alet, adhuc formaliter consensisset, videtur sufficiens ad sponsalia Ibid nu.3. pag.332
Voluntas habitualis in dubio, an fuerit, arguendum est à grauitate defectus, & ex propensione contrahentis C.14.s.2 D.1.§ 12.n.4. pag.333
VOTVM perpetuum castitatis dissoluit sponsalia, si fuerit antecedenter emissum C.14. P.2.n.2. pag.6
Votum castitatis Deiparae Virginis non fuit absolutum, sed conditionatum C.14 P.2.nu.3. pag.6
Votum contrahendi matrimonium per actum internum non obligat secundum se vouentem C.14.s.1.D.1.§.3.nu.2. pag.135
Votum internum de contrahendo matrimonio cadens sub praecepto propriè, & in rigore in ratione voti non obligat C.14.s.1.D.1.§.3.nu 3. pag.135
Obligat tamen fortius in ratione promissionis. Ibid. nu.4. pag 136
Votum illud non inducit specialem rationem malitiae sacrilegij, sed auget priorem ratione iuramenti, in quod resoluitur illud votum Ibid nu.5. pag.136
Votum merè internum contrahendi matrimonium, sed cum animo ante consummationem ingrediendi Religionem, & in ea profitendi, absolutè non tenet C.14. s.1.D.1.§.3.n.6. pag.137
Votum matrimonij de futuro etiam ex causa pia non tenet, nisi conceptum fuerit sub conditione, si vouens voluerit vxorem ducere Ibid. nu.7.
Votum de matrimonio ad sedandos stimulos carnis, quibus vouens crebrò succumbit, tenet Ibid n.8.pag.1.8
Votum de nuptijs contrahendis ad finem publicae vtilitatis probabilius tenet Ibid.nu.9. pag.138
Votum castitatis praecedens sponsalia non obligat vouentem ducere sponsam, quantumvis ipsam defloraverit C.14.s.1.D.1.§.4. n.2. pag.139
Votum castitatis praecedens non dirimit matrimonium, quod quis subsequenter contraxit post defloratam foeminam; non potest tamen affectus illo voto petere, licet teneatur reddere C.14.s.1 D 1.§ 4.n.3. pag.140
Votum Religionis emissum post deflorationem non est absolutè nullum, sed suspenditur C 14.s.2.P.3. num.8. pag. 263
Votum Religionis post defloratam sponsam non exigit, vt prius contrahatur matrimonium, & posteà fiat ingressus C.14.s.2.P.3.nu.9. pag 263
Votum absolutum castitatis, seu Religionis praecedens omninò dissoluit sponsalia C. 14. s. 2. P. 4. num.2. pag. 264
Etiam si postea alligatus tali voto sponsam defloraverit Ibid nu.3.
Votum simplex castitatis subsequens sponsalia tenet, quantum ad obligandum vouentem ad ea seruanda, quae licitè potest, non tamen eadem sponsalia secundum se dissoluit Ibid.num.4.
Votum Religionis post sponsalia legitimè contracta obligat ad Religionem, & soluit sponsalia C.14.s.2. P. 4. nu.5. pag.258
Votum castitatis post contracta legitimè sponsalia sine animo ingrediendi Religionem, & cum animo praecise se eand...m obligandi, in quantum potest, nullam culpam inducit, secus si cum animo recedendi à sponsalibus, & permanendi in saeculo C.14.s.2. P.4. nu. 6. pag.266
Votum sacrorum ordinum post sponsalia non eximit ab onere matrimonij C.14 s.2.P 5 n.9. pag 271
Votum matrimonij secundum se praecisè sumptum nullo modo subsistit C.14 s.2 D.1.§.2.n.2. pag.319
Votum matrimonij elicitum ea intentione, vt matrimonium contrahat, & consequatur gratiam sacramentalem, & posteà eo non consummato transeat ad Religionem non tenet Ibid.nu 3.
Votum emissum ad finem reparandi damnum illatum per deflorationem sponsae intuitu matrimonij promissi corruptae, si aliunde reparari non possit, tenet Ibid, nu.4.

FINIS.